This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

238 HORATIUS (Flaccus Q.), *The scarce edition* by Orelli, slightly scored with pencil, 2 vols, 8vo. calf, neat, 22/. *Turici*, 1850

BODLEIAN LIBRARY

The gift of

Miss Emma F. I. Dunston

Fred W Dustin

Q. HORATIUS FLACCUS.

Q. HORATIUS FLACCUS.

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

IO. GASPAR ORELLIUS

ADDITA

VARIETATE LECTIONIS CODICUM BENTLEIANORUM, BERNENSIUM IV., SANGALLENSIS ET TURICENSIS.

EDITIO TERTIA

EMENDATA ET AUCTA.

CURAVIT

IO. GEORGIUS BAITERUS.

VOLUMEN PRIMUM.

TURICI

SUMPTIBUS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

M. DCCC. L.

BODLEIAN LIBRARY

PRAEFATIO

EDITIONIS PRIMAE.

Philologis ea tantum huius curae pars destinata est, quae in χρίσει Horatiana versatur. Etenim cum meo quidem iudicio inter omnes, qui eo in genere post Bentleium elaborarunt, facile primas ferat Augustus Meineke (Berolini, G. Reimer: M. DCCC. XXXIV.), periculum facere decrevi, quid commodi ad poëtam inde redundaturum esset, si aliquot Codicibus antiquissimis, quorum lectiones nemodum cum Criticis communicasset, accuratius examinatis, ex his praesertim, interdum etiam ex aliis, maxime ex Cruquii Blandinianis, quae illa in recognitione minus probabilia visa essent, emendarentur. Praeterea operae pretium facturum me ratus sum, si gravissimarum quarumque lectionum certam denuo auctoritatem expromerem, cum quae adhuc exstant eiusmodi συλλογαὶ non semper clarae, integrae, fide usquequaque dignae esse videantur.

Codices autem, quibus usus sum, hi sunt:

I. Codex Bernensis N. 363. 4°. Sec. VIII. exeuntis vel IX. ineuntis, Scotice*) scriptus, antiquissimus omnium, quotquot adhuc innotuerunt, et ordine carminum a reli-

*) Hic illic in foliorum marginibus reperiuntur vocabula Celtica, quorum haec notavi: *brigit, isel, fridart, tailciud, frigargg, caith, ruidgal, catharach, togluasacch, togluaret, chombaint; muoralach:* hoc cum interpretatione «bufo.»

quis mire discrepans. Continet enim: Od. Lib. I. 2. 10. 12. 20. 22. 32. 38. Lib. II. 2. 4. 6. 10. 16. Lib. III. 11. 14. 18. 20. 27. Lib. IV. 2. 6. 7. 8. 11. 12. 14, verss. 1—4. Epodon: 1, vv. 1—8. 2, vv. 1—36. 3, vv. 1—8. 9, vv. 1—12. 10. 11, vv. 1—12. 12, vv. 1—6. 13. 14. 15. 16. 17, vv. 53—81. Carmen seculare integrum. Od. Lib. I. 18. 24. 25. 8. 13. 14. 15, vv. 1—10. 16, vv. 1—14. vv. 23—36. 17. 19. 21. 23. 26. 27. 28. 29, vv. 1—6. 30. 31. 35. 36. 37. Lib. II. 1. 3. 5. 7, vv. 1—18. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15, vv. 1—12. 17. 18. 19. 20. Lib. III. 1. 2, vv. 1—4. et 13—16. 4. omissis vv. 17—20. et 39—52. 5. 6. (habet vv. 1—10. et 14.) 7. 8. 9. 10. 12. 13. 15. 16, vv. 1—6. 17. 19. 21. 22, vv. 1—4. 23, vv. 1—11. 24, vv. 1—29. 25. 26. 28. 29. 30. Lib. IV. 1. 2. (iterum, sed h. l. dumtaxat vv. 1—40.) 4. 5. 9. 10. 13. Epodon: 1. 4. 5. 6. 7. 8. 12. 17, vv. 1—52. Ars poëtica, vv. 1—440. Satirarum Lib. 1. Sat. 1. 2. 3 (usque ad v. 134). Deest Satira quarta. Qui sic Horatii carmina lyrica ordinavit, praecipue metrorum rationem habuit; ita per primam seriem ab Od. Lib. I. 2. usque ad primum carmen Epodon, paucis aliis immixtis, Sapphica collegit cet. (Notavi B.)

II. Codex Bernensis N. 21. Fol. Sec. X. pulcherrime et accuratissime scriptus, omnia Horatii poëmata continet. (b.) «*Ein vorzüglicher Codex.*» F. A. Wolf *Horaz erste Satire. Berlin* 1813. p. 15.

III. Codex Sangallensis oppidanus. N. P. 10. 4°. Sec. X. nitidissime scriptus et perbonus, item omnia Horatii poëmata continet excepto Carmine sec. et Epod. 17. (S.)

IV. Codex Turicensis Carolinus N. C. 154. 4° Sec. X. nitide scriptus. Continet Odas, Epodon librum, Artem poëticam. Quae desunt, suis locis notavi. (T.)

V. Codex Bernensis N. 542. 4°. Sec. X., ut visum est et Sinnero Catal. Codd. Bern. Vol. I. p. 478. et Hauthalio*). Continet omnia Horatii poëmata; quae excisa sunt, notavi. (c.)

Hoc autem ordine in Varr. Lectt. semper servato pro cuiusque bonitate quinque hos codices collocavi.

Quodsi his aliisve auctoritatibus fretus a Meinekii recognitione discessi, huius lectio sic signata est: M.

Meorum autem Codicum varietati subiecta est primo integra varietas Lambini, Cruquii, Torrentii, Feae, eo fine excerpta, ut facili opera lector perspiciat, partim quaenam potissimum lectiones, cum abhinc tribus seculis in Horatii Eclogis velut dominatae essent, aliis nunc cesserint, partim, quam saepe etiam Fea deserendus fuerit. Simili consilio has excipiunt eae, quas cum Bentleius recepisset, ego, plerumque aliis praeeuntibus, mutavi; quarto denique loco eiusdem suspiciones non receptae, quoniamquidem omnia, quae Criticus ille sagacissimus contra Codices immutata voluisset, nosse atque ante oculos habere lectorem iuvare censebam. His autem immiscui et aliorum praeter meos Codicum lectiones et Criticorum coniecturas, quotquot ex meo certe sensu mererentur, ut vel in scholis diiudicarentur vel omnino propter qualemcunque causam ab oblivione vindicarentur. Quamquam permultas consulto praetermisi, quippe quae excogitatae essent ab ingeniis sagacitatis ostentandae causa severas disciplinae criticae leges licenter migrantibus. Sane per quinque hos Carminum libros duas dumtaxat coniecturas a me receptas esse memini (Od. 3, 17, 5. Epod. 4, 8.);

*) Qui in Seebode Archiv 1829. p. 231. Codd. 21. et 542. accurate descripsit.

ceterae lectiones omnes nituntur fide Codicum bonitate praestabilium. Ceterum quattuor haec capita in unum ubi coniunxeris, paucas admodum lectiones, quae quidem cognitione dignae sint, desiderabis.

Familiaris autem quam vocavi interpretatio non tam Grammaticis, quam eorum usui destinata est, qui etiamnunc huiusmodi commentarios consulunt, id est, cum adolescentes primum Horatii carmina lecturi vel quas apud praeceptores audierunt interpretationes repetituri; tum viri, qui aliis negotiis civilibus aut sacerdotalibus districti, interdum tamen ad poëtam, cuius inde ab ineunte aetate gratam memoriam merito conservarunt, ita redire cupiunt, ut ne nimis abstrusis, operosis diffusisque disputationibus primum intricentur, mox a legendo deterreantur.

Quem quidem ad finem, cum per quinque iam lustra quotannis Horatium publice exponam auditoribus meis, denuo tamen perlegi praeter veteres Scholiastas probatissimos quosque interpretes ab Lambino usque ad Iacobsium. Quae autem apud quemque cuique loco quam maxime apposita viderentur, liberum et integrum iudicium secutus, meos in usus convertere studui, priorum explanatorum merita grato animo semper agnoscens nec mihi aliud quidquam tribuens nisi curam in illorum commentariis perlustrandis, excerpendis, componendis sedulo collocatam. Singulorum vero nomina singulis in locis memorare pro meo consilio nihil attinebat, cum praesertim ubique fere verba eorum vel contrahenda vel qualicunque modo mutanda essent.

Differt autem nostra interpretatio a similibus, quae nunc in scholis feruntur, his potissimum nominibus: saepius diiudicantur et variae lectiones et diversae Gramma-

ticorum explicationes, sine ulla tamen in quemquam insectatione aut contumelia: quin in hoc quoque genere tacitis plerumque adversariis, quae veriora ubique viderentur, argumentis additis exposui, ne tranquillissima disputatio acris rixae cum hoc vel illo inimico contractae speciem unquam prae se ferret; quo quidem cum aliis digladiandi et depugnandi studio in huiusmodi scriptis studiosae iuventuti propositis nihil profecto perversius reperiri potest.

Praeterea crebrius quam fortasse nonnullis probabitur, locos similes vel aliunde sumptos vel a me ipso repertos omnibus verbis inserui, quia diuturna experientia didici, hoc nisi facias, vix ab aliis, praeterquam ab uno alterove magistro satis religioso, talia exempla apud scriptores ipsos inquiri atque accuratius examinari. Nec vero in ipso ludo litterario cum discipulis de iis disserere licet, nisi ipsorum oculis subiecta sunt. Quodsi totum hoc genus multis et supervacaneum omnino et putidum videbitur, diversam opinionem sequi mihi saltem concessum sit. Indicandae enim apud hunc poëtam necessario sunt Graecorum exemplarium manifestae imitationes; iuvat etiam subinde significare, ubi casu potius quam consilio has illasve sententias cum aliis prope communes habeat, tum praesertim, cum in similibus argumentis pertractandis versatur. In primis autem lectoribus minus exercitatis demonstrandum est, permulta, quae ipsis singularia vel prorsus insolita videantur, partim *Graeco fonte cecidisse parce detorta*, partim eadem reperiri modo apud antiquiores Latinos, modo apud Horatii aequales, modo recepta esse ac repetita a posterioribus. Saepenumero etiam pedestris orationis consuetudo velut opponenda est poëticae, ut de

hac recte iudicare adolescentes condiscant. Sic ergo, certum modum si servaverimus, haud exiguam omne hoc exemplorum genus utilitatem lectoribus praebiturum esse confido.

In singulis huius libri plagulis accurate corrigendis multum me iuvit Baiteri mei amica diligentia; metrorum autem Horatianorum brevem expositionem elaboravit optimae spei adolescens, Henricus Schweizerus, Turicensis.

Scribebam Turici XI. D. mensis Martii.
M. DCCC. XXXVII.

PRAEFATIO
EDITIONIS SECUNDAE.

Praeter exspectationem cum evenerit, ut vel ferreis his temporibus iam post quinquennium necessaria fieret Horatii mei repetitio, equidem praestiti quod potui, correxi errores, addidi, quae illo ex tempore sedulo collegeram. Ceterum haud pauca debeo Walckenaerio, Dillenburgero, Lübkero, Frankio, Regelio, atque in Epistolis Obbario et Schmidio. Nova autem subsidia critica nactus non sum, praeterquam in Epistolis lacera quaedam fragmenta Cod. Einsiedlensis Sec. X. (E); sed accuratius nunc inspexi varietatem Codicum Oberlini ac Pottierii. Praeterea ex dono amicorum, Borbergii et Rettigii, inscriptiones Codd. Bernensium Bbc et Sangallensis oppidani (S) adeptus sum; Cod. Turicensis, quem totum denuo contuli, inscriptiones ipse excerpsi. Cuius quidem

incepti lucrum sane exiguum est; verumtamen antiquissimae interpretationis vestigia nonnulla ex iis interdum tralucere visa sunt.

Ceterum optandum est, ut accurate examinetur Codex Horatii cum scholiis Sec. IX., qui fuit olim Pithoei, nunc asservatur in bibliotheca Scholae medicae, quae floret Monte Pessulano *).

Secundam hanc editionem novo ac diligenter elaborato Indice omnium nominum propriorum auximus: alterum autem vocabulorum et verborum, haud neglectis variis illis mutationibus, quas et per scriptores librarios et per criticos perpessa sunt, iamdudum praeparavimus ac suo tempore, si nihil nobis accidet, edemus.

Scribebam Turici XI. D. mensis Martii.
M. DCCC. XLII.

---

*) *Ce qui rend ce manuscrit encore plus intéressant, c'est une particularité que nous n'avions jamais vue nulle part. L'ode à Phyllis, qui commence par ce vers:* Est mihi nonum superantis annum, *est ici en musique. Les notes sont petites et de forme rectangulaire. C'est là un exemple fort singulier et très-rare d'ancienne musique profane, comme il est peu vraisemblable qu'au IXe siècle on mît en musique et que l'on chantât les odes d'Horace, on est porté naturellement à croire que cette musique existait dans un manuscrit plus ancien, d'où celui-ci a été copié, et que c'est peut-être là l'air sur lequel les Romains chantaient cette ode.* (Verum longe probabilius est a lascivo aliquo monacho Sec. IX. notas illas musicas appositas esse, similes prorsus, ut videtur ex Librii verbis, iis, quae apud nos quoque reperiuntur in eiusdem aetatis antiphonariis aliisque libris ecclesiasticis.) *Il y a un autre manuscrit d'Horace du X—XIe siècle (sur vélin, petit in-fol. obl.) à la bibliothèque de Montpellier. Cet Horace est aussi accompagné d'un commentaire; mais il n'est pas complet.* G. Libri *Journal des savants. Janvier* 1842. p. 40.

J. G. BAITERI PRAEFATIO EDITIONIS TERTIAE.

Divenditis editionis secundae exemplaribus omnibus redemptores honestissimi ineunte anno huius seculi quadragesimo octavo ab editore clarissimo petiverunt atque facile impetrarunt, ut quam citissime pararet tertiam. Nam etsi vir desideratissimus iam tum eo morbo laborabat, qui vitae litteris et amicis utilissimae post duodecim fere menses finem facturus erat, tamen mente et ingenio adhuc ita vigebat, ut corporis infirmitate superata, quod vitae restabat, Horatio suo impendere posset. Quo factum est, ut ipse volumen prius tantum non absolveret et eius folia aliquot paulo ante obitum etiam typis expressa videret. Ceterorum autem retractandorum ex ipsius Orellii voluntate mihi cura suscipienda erat, quem adolescentem ad bonas litteras excitaverat, iuvenem et virum omni ratione firmaverat et sustinuerat, omnium studiorum suorum per viginti annos socium, arcanorum omnium conscium esse voluerat, eodem denique, dum spirabat, amore amplexus erat, quo se mihi dilectum esse probe sciebat. In qua cura egregie me adiuvit Henr. Schweizeri, collegae coniunctissimi, accurata diligentia; adiuverunt etiam praeter alios C. Halmius meus et Iulius Beckerus, viri doctissimi et humanissimi, praesertim libellis scholasticis de Horatio vel subministrandis vel in usus meos excerpendis. Quominus autem in adornanda hac editione omnia praestarentur, quae praestari et poterant et debebant, maxime impedivit nimia illa festinatio, quam bibliopolae rationes a nobis flagitabant. Ac-

cesserunt tamen, quantum ad rem criticam spectat, praeter Codicis *Bernensis quarti* (d) lectiones, iam ad calcem Editionis secundae (Vol. II. p. 805 sqq.) exhibitas*), etiam Codicum *Bentleianorum* lectiones, quotquot a Britanno doctissimo enotatae sunt, ab Orellio litteris graecis sic designatorum:

Codex GRAEVIANUS (β) Sec. X. Vid. Kirchneri Nov. Quaestt. Horat. p. 28 sq.

Codex LEIDENSIS (γ) Sec. X. Vid. Kirchn. N. Q. H. p. 36.

Codex ZULICHEMIANUS (δ) Sec. XII. Vid. Kirchn. N. Q. H. p. 56.

Codex VOSSIANUS (ξ), «prioribus illis optimis non inferior.» Bentl. Praef. ed. Lips. p. VI.

Codex MARKIANUS (ϑ), «qui Epistolas modo habet». Ibid. p. VI.

Codex Collegii REGINENSIS Oxonii ($\varkappa$) Sec. XI. «Ex Britannicis, quos omnes ipsi oculis usurpavimus, palmam facile aufert, DCC. annorum et ab omni parte integer.» Bentl. Praef. p. VI.

Codex e Bibliotheca REGIAE SOCIETATIS Londini (λ). Ibid.

Codex PETRENSIS DOMUS Cantabrigiae (μ). Ibid.

Codex Collegii MAGDALENENSIS Oxonii (ν). Ibid.

Codex ROGERI GALEI (ξ). Ibid.

---

*) «Cod. Bernensis N. 508. membr. Seculi XII. ineuntis, Gallicanae originis. Est sic satis bonus, postponendus tamen tribus illis Bernensibus olim a me collatis, item Turicensi, Sangallensi et Einsiedlensis reliquiis. Non tamen ex ullo Bernensium meorum priorum (B, b, c) descriptus est, uti liquet vel ex una illa lectione Epist. 1, 14, 17: *vesana negotia* pro *invisa negotia*, quam quidem, quod sciam, nemo notavit praeter Feam: «ex Ms. in ora ed. Aldi 1519. in Bibl. Angel.» Adde Sat. 1, 1, 38., ubi illi tres *patiens*, hic *sapiens*, et sic persaepe ab illis discrepat, interdum in melius.» In hoc Codice Odas Carmine seculari omisso excipiunt Epodi, Epodos Ars poëtica, hanc Epistolae, Epistolas Satirae. Quae desunt, suis locis indicavimus.

Codex Episcopi ELIENSIS (π), «qui sub initiis typographiae scriptus est.» Bentl. Praef. p. VI.

Codex Collegii REGII Cantabrigiae (ϱ), «qui (eadem plane manu scriptus ac Codex Episcopi Eliensis) falso praeconio BEMBINUS vendidatur.» Bentl. Praef. p. VI sq.

Codex BATTELIANUS (ω), «ex Museo cl. JOANNIS BATTELY Archidiaconi nuper Cantuariensis, cui Epistolae omnes et Sermones aliquot libri secundi desunt.» Bentl. Praef. p. VII.

Codex e Bibliotheca REGIA (τ), «Sermones et Epistolas Artemque complexus, cui plane geminus est ab eodem librario descriptus in Collegio MAGDALENENSI Oxonii» (ν). Bentl. Praef. p. VII.

Codices Collegii S. TRINITATIS tres (φ), qui eadem fere habent quae Cod. Bibl. REGIAE (τ). Bentl. Praef. p. VII.

Codices BODLEIANI (χ) duo, qui Carmina et Epodos continent. Bentl. Praef. p. VII. Raro eos distinguit; *duos* memorat C. 3, 29, 64. 4, 1, 9., *alterum* C. 4, 1, 37. 4, 2, 13.

Codex VIGORNIENSIS (ψ), Carmina et Epodos continens. Bentl. Praef. p. VII.

Codex VIGORNIENSIS alter (σ), Artem poëticam continens. Bentl. Praef. p. VII.

Codex DIGBEANUS Oxonii (η), Artem poëticam continens.

Codex MORETI (o), a NIC. HEINSIO olim collatus, Artem poëticam continens.

Codicis COLBERTINI variae aliquot lectiones (ι), Lutetiae ab ED. BERNARDO exscriptae.

Codicis FRANEKERANI lectiones passim a nescio quo enotatae (υ).

Praeterea Orellius ubique fere rationem habuit etiam editionis Iahnii tertiae (J), Lips. 1846. Ipse denuo excussi

Codicem Turicensem (T) atque lectionis varietatem ex eo aliquanto plenius indicavi quam antea factum erat. Codicis PETROPOLITANI (p) Sec. X. collatio, quam debeo insigni humanitati civis nostri doctissimi, EDUARDI de MURALTO, August. Caes. Ross. Bibliothecarii, sero ad me pervenit, ut eius lectiones alteri volumini reservandae essent. Metrorum autem Horatianorum brevem expositionem ab HENR. SCHWEIZERO olim elaboratam, cum in altera editione nescio qua de causa omissa esset, tertiae restituendam curavi.

Volumini alteri addetur etiam *Index adnotationum*, quem a multis aegre adhuc desideratum esse cognovi.

Scr. Turici Nonis Februariis a. MDCCCL.

HORATII METRA LYRICA.

A. VERSUUM SINGULORUM GENERA.

a) VERSUS TROCHAICI.

Dipodia trochaica: ⏑̄ ⏑ ⏑̄ ⏓

1. *Ithyphallicus:* ⏑̄ ⏑ ⏑̄ ⏑ – ⏓, qui ex *uno* ordine periodico constat. Vid. 19.)

2. *Versus trochaicus dimeter catalecticus:*

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ C. II. 18, 15:

Truditur dies die.

Horatius in secunda sede *spondeum* non admittit.

b) VERSUS IAMBICI.

Numerus iambicus eo solum differt a *trochaico*, quod ipse anacrusin habet: ⏑ | ⏑ ⏑ – ⏓ . . . . . .

Dipodia iambica: ⏓ ⏑̄ ⏑ ⏑̄

3. *Dimeter iambicus acatalectus* s. *quaternarius:*

⏓ ⏑̄ ⏑ ⏑̄ ⏓ ⏑ ⏑

Inarsit aestuosius. Epod. 3, 18.
Vel haedus ereptus lupo. Epod. 2, 60.
Imbres nivesque comparat. Epod. 2, 30.
Forti sequemur pectore. Epod. 1, 14.
Videre properantes domum. Epod. 2, 62.
Ast ego vicissim risero. Epod. 15, 24.

In dipodia secunda Horatius *arsis solutionem* non admittit.

4. *Trimeter iambicus catalecticus:*

⏓ ⏑ ⏑ ⏑̄ ⏓ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓

Mea renidet in domo lacunar. II. 18, 2.
Iam te premet nox fabulaeque manes. I. 4, 16.
Regumque pueris; nec satelles Orci. II. 18, 34.

In primo dipodiae tertiae pede Horatius syllabam ancipitem non usurpavit; semel tantum (II. 18, 34.) in sede secunda *arsis* fit *solutio.*

5. *Trimeter iambicus acatalectus* s. *senarius:*

⏓ ⏊ ⏑ –, ⏓ ‖ *) ⏊ ⏑ – ⏓ ⏊ ⏑ ⏓
⏑⏑ – ⏑⏑, ‖ ⏑⏑ ⏑⏑
– ⏑⏑

Suis et ipsa Roma viribus ruit. Epod. 16, 2.
Heu me per urbem, nam pudet tanti mali. Epod. 11, 7.
Tibi hospitale pectus et purae manus. Epod. 17, 49.
Deripere lunam vocibus possim meis. Epod. 17, 78.
Infamis Helenae Castor offensus vicem. Epod. 17, 42.
Optat quietem Pelopis infidi pater. Epod. 17, 65.
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem. Epod. 17, 12.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques. Epod. 17, 74.
Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem. Epod. 2, 35.

In Epodon carm. 16. Horatius puris iambis usus est 33.

c) VERSUS DACTYLICI.

Dactylus: –́ ⏑⏑

6. *Dimeter catalecticus in disyllabum* s. *versus Adonius:*

⏊ ⏑⏑ – ⏓
Terruit urbem.

Hoc in versu spondeus dactyli loco nunquam usurpatur.

7. *Trimeter dactylicus catalecticus in syllabam* s. *versus Archilochius minor:*

⏊ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓ *Pulvis et umbra sumus.* IV. 7, 16.

Spondeis Horatius non utitur.

---

*) Caesuram eam, quae *certis* in sedibus locum saepissime habet, his notis (⏊) et (,) significavimus.

8. *Tetrameter dactylicus catalecticus in disyllabum* s. *tetrameter heroicus:*

⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑

Carmine perpetuo celebrare et. I. 7, 6.
O fortes peioraque passi. I. 7, 30.
Mensorem cohibent, Archyta. I. 28, 2.

9. *Tetrameter dactylicus acatalectus* s. *v. Alcmanius:*

⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ (Vid. nº 19.)

10. *Hexameter dactylicus catalecticus in disyllabum:*

⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑⏑ – ‖ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑
(—)

Interdum etiam in *sede quinta* spondeus locum habet, I. 28, 21. Epod. 13, 9. 16, 17. *Caesura* non semper eodem loco invenitur, cfr. I. 7, 29. 28, 5. Epod. 16, 21. Ter ne his quidem locis observatur: I. 28, 15 et 29. Epod. 15, 9. Si deesse his locis caesuram docemus, caesuram dicimus *masculam*, quae in arsi fit.

d) VERSUS DACTYLICI LOGAOEDICI,

in quibus *seriem dactylicam* subsequitur *series trochaica. Logaoedici* dicti sunt, quod *dactylici* et *trochaici* numeri coniunctione medii inter *cantum* et *communem sermonem* esse videntur. *Dactyli* in eo versu *puri* conservari debent.

11. *Versus Alcaicus decasyllabus,* constans *duobus dactylis totidemque trochaeis.*

⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ – ⏑

Purpurei metuunt tyranni. I. 35, 12.

Syllaba anceps in solo ultimo pede admittitur.

e) VERSUS CHORIAMBICI.

Choriambus: – ⏑⏑ –

12. *Versus Aristophanicus* s. *choriambus catalexi logaoedica:* ⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑

Lydia, dic, per omnes. I. 8, 1.

13. *Trimeter choriambicus catalecticus* s. *Anacreontius,*

quo versu Horatius sic utitur, ut *dipodiam trochaicam* ei praemittat:

Te deos oro, Sybarin cur properes amando. I. 8, 2.

Quem versum *Sapphicum maiorem* vocant, quod ex *v. Sapphico minore* inserto uno choriambo ortus esse videtur. Cfr. infra. Dipodiae trochaicae syllaba ultima nusquam brevis est; catalexis est *logaoedica.*

14. *Monometer choriambicus hypercatalectus cum basi* s. *versus Pherecrateus.* Basis semper apud Horatium spondeo continetur:

Grato, Pyrrha, sub antro. I. 5, 3.

15. *Versus Glyconeus.* Constat ex *basi*, quam apud Horatium plerumque spondeus tenet, et *choriambo*, quem sequitur *Pyrrhichius* vel *iambus.* Quare similis est hic versus ordini logaoedico:



Nil mortalibus ardui est. I. 3, 37.

Bis tamen poëtarum Graecorum more *trochaeo* basis continetur. Cfr. I. 15, 24 et 36., ubi vide annotationem. Semel in fine syllaba addita est ob vocalem, a qua sequens versus incipit, elidenda. IV. 1, 35.

16. Choriambo uno locupletior est *versus Asclepiadeus minor*, s. *trimeter choriambicus catalecticus cum basi:*



Maecenas atavis edite regibus. I. 1, 1.

Diaeresis*) bis negligitur, II. 12, 25. IV. 8, 17.

Dum flagrantia detorquet ad oscula.

Non incendia Karthaginis impiae, quo de versu vide annotationem ad l. l.

---

*) *Diaeresin*, quam dicimus, ubi finis verbi in finem pedis, qui dicitur, vel finis ordinis alicuius verborum in finem ordinis alicuius metrici incidit, ita notavimus: (,) et (|).

17. Uno choriambo auctior est *versus Asclepiadeus maior* s. *Tetrameter choriambicus catalecticus cum basi:*

⏑ ⏑ | ⏑ ∪ ∪ – | ⏑ ∪ ∪ – | ⏑ ∪ ∪ – ∪ ∪

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat? I. 18, 5.

Semel tantum loco secundo diaeresis abest. I. 18, 16.

Arcanique fides prodiga perlucidior vitro.

f) VERSUS IONICI.

Versus ionici vocantur ob *pedes ionicos* [⏑ ⏑ ∪ ∪ (Ionici a maiore) et ∪ ∪ ⏑ ⏑ (Ionici a minore)], ex quibus constat.

18. *Versus ionici* a maiore apud Horatium non reperiuntur; *ionicis a minore* sic utitur, ut decem pedes ionicos *uno systemate*, quod dicitur, complectatur; vide Bentl. annotationem ad III, 12.

∪ ∪ ⏑ – ∪ ∪ ⏑ – ∪ ∪ ⏑ – ∪ ∪ ⏑ –
∪ ∪ ⏑ – ∪ ∪ ⏑ – ∪ ∪ ⏑ – ∪ ∪ ⏑ –
∪ ∪ ⏑ – ∪ ∪ ⏑ –

Ex quattuor eiusmodi partibus constat Carm. III. 12.

g) VERSUS ASYNARTETI.

Duplex est *compositio* versuum. Fit enim aut *per cohaerentiam*, quam *συνάφειαν* Graeci vocant, quae in commissura duarum partium *nihil* fieri patitur, quod *perpetuitatem* orationis interrumpat; aut *sine vinculo*, qui sunt *asynarteti*, in quibus et perpetuari oratio et interrumpi potest. Sic Hermannus docet. In versu igitur *asynarteto* cuiusvis membri ultima syllaba eadem lege ac si esset ultima versus, et longa et brevis esse potest neque eliditur.

Versus asynarteti, quibus Horatius usus est:

19. *Versus Archilochius maior:*

⏑ ⏓ – ⏓ – ‖ ⏓ – ∪ ∪ | ⏑ ∪ – ∪ – ∪

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni. Carm. I. 4, 1.

Hic versus compositus ex *versu Alcmanio* (n° 9) et ex *versu Ithyphallico* (n° 1.), si ad Horatium solum spectemus, a versuum genere asynartetorum excludi possit, cum Horatius nec *pedem creticum* _ ⏑ _ nec *spondeum* in *quarta sede* posuerit neque *hiatu* sit usus; sed poëtae Graeci compositos hos versus ita iungunt, ut versum ipsum asynartetum esse facile pateat. Incertum autem est, cur Horatius nulla eiusmodi licentia sit usus.

20. *Versus elegiambus*, compositus ex *versu Archiloch. min.* (trimetro dactylico catalectico in syllabam (n° 7.) et *versu iambico dimetro acatalecto* s. *versu quaternario* (n° 3.):

⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ ⏓ | ⏑ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ ⏑ ⏓

Desinet imparibus certare submotus pudor. Epod. 11, 18.
Libera consilia nec contumeliae graves. Ep. 11, 26.
Inachia furere, silvis honorem decutit. Ep. 11, 6.
Fervidiore mero arcana promorat loco. Ep. 11, 14.

21. *Versus iambelegus*, ex iisdem partibus ac versus praecedens constans, ita, ut ordo sit inversus:

⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ ⏑ ⏓ | ⏑ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ ⏓

Tu vina Torquato move consule pressa meo. Ep. 13, 6.
Levare diris pectora sollicitudinibus. Ep. 13, 10.

h) METRA A METRICIS VETERIBUS *κατ' ἀντιπάθειαν μικτὰ* PERPERAM NOMINATA.

22. *Versus Sapphicus minor* s. *metrum epichoriambicum Sapphicum hendecasyllabum.* Constat *dipodia trochaica* et *ordine logaoedico* (cfr. n° 1.):

⏑ _ ⏑ ⏑ | ⏑ ‖ ⏑ ⏑ _ ⏑ _ ⏑

Ludit herboso pecus omne campo. III. 18, 9.

Saepe caesura est post syllabam brevem sextam, cfr. IV. 6, 27 cet., neutro in loco I. 2, 34., nisi verbum cum Iahnio separas, quod in hac quoque editione factum est. Interdum versus *hypermeter* est, id est, ultima eius syllaba supervacanea eliditur vocali, a qua subsequens incipit versus. II. 2, 18. IV. 2, 22. 23. Carmen seculare 48.

**

23. *Versus Alcaicus hendecasyllabus* s. *metrum epiionicum a maiore* constat ex *dipodia trochaica praecedente anacrusi* et *dipodia dactylica*.

⏑ | ⏓ ⏑ – ⏔ | ⏓ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏔

Dulce et decorum est pro patria mori. III. 2, 13.

Tumultuosum sollicitat mare. III. 1, 26.

24. *Versus Alcaicus enneasyllabus:*

⏔ | ⏓ ⏑ – ⏔ ⏓ ⏑ – ⏔

Si fractus illabatur orbis. III. 3, 7.

Ultima syllaba supervacanea vocali subsequentis versus eliditur II. 3, 27.

B. SYSTEMATA ET STROPHAE.

Quae sint *systemata* et *strophae* atque quomodo inter se differant cum *Hermannus* V. Cl. luculente nos docuerit, eius expositionem huius rei praemittere placuit.

Versus aut *nexi* sunt, quorum plures una perpetuitate numeri cohaerent; aut *non nexi*, qui inter se pausa vel silentio discreti sunt; aut *seminexi*, quorum plures, ut libitum est, vel continuato vel per pausam interrupto numero continentur: qui vocantur etiam *asynarteti*.

Systema est numerus perpetuus e *versibus nexis* cohaerens.

Stropha est numerus e versibus *utcunque* consociatis compositus.

Commune itaque *systematis* et *strophae* est, quod ex pluribus versibus constant; propria sunt, quod in *systemate* versus *nexi* sunt, unaque perpetuitate numeri cohaerent; in *stropha* autem non est necessarium, ut *nexi* sint, sed et *nexi* et *non nexi*, et *seminexi* et partim *nexi*, partim *non nexi*, partim *seminexi* esse possunt. — Et *stropha* omnis et *systema* omne integra voce finiendum est: sed, qui *systemate* continentur versus, non opus est, ut integra voce finiantur; qui *stropha* continentur, tum demum, si *non nexi* sunt, cum ipsa voce finiri debent.

Stropharum genera sunt quattuor: *primum* et antiquissimum *genus stropharum* ex duobus versibus constabat, uno longiore, altero breviore, qui appellati sunt *epodi*; *secundum genus stropharum* breve est et fere ex quattuor versibus, numero similibus, compositum. (Ceteris stropharum generibus *Horatius* non est usus.)

Antiquissimi lyricorum poëtarum et κατὰ στίχον, id est, eodem versu semper repetito sine strophis carmina faciebant, et pluribus versibus in strophas coniunctis, sed iis aut idem aut simile metrum habentibus. Aliae harum stropharum plane ex eiusdem versus repetitione constant, ita ut, si metrum dumtaxat spectetur, κατὰ στίχον composita videri possint carmina. (Iure Meinekius quaternos Asclepiadeos una stropha videtur coniunxisse.) Aliae *strophae* ex eodem numero *per systema* continuato constant, ita, ut tota stropha unum sit systema, quod ἐξ ὁμοίων vocant metrici. Sic Horat. III. 12. Aliae *strophae* ex versibus *non nexis*, numerum habentibus eundem, sed magnitudine vel forma diversis fiebant, ut C. IV. 3. (ita tamen, ut Meinekius etiam huius generis versuum bina paria in unam stropham τετράστιχον coniungenda esse recte statuisse videatur.) Aliae, eaque frequentissima ratio fuisse videtur, ex quaternis versibus componebantur, ut *stropha Sapphica* et *Alcaica*.

I. *Stropha Asclepiadea (prima)*, μονόκωλος τετράστιχος, *versu Asclepiadeo minore* (nº 16.) quater repetito.

I. 1.
III. 30.
IV. 8.

De tertio horum carminum vide Excursum ad versum 19.

II. *Stropha Asclepiadea prima (secunda)*, δίκωλος τετράστιχος, ex *versu Glyconeo* (nº 15.) et *versu Asclepiadeo* (nº 16.) alternatim se excipientibus composita, ita ut bina paria una stropha coniungantur:



I. 3. 13. 19. 36.

II. 9. 15. 19. 24. 25. 28.

IV. 1. 3.

III. *Stropha Asclepiadea secunda (tertia)*, *δίκωλος τετράστιχος*, constans *ternis versibus Asclepiadeis minoribus* (n° 16.), quos subsequitur *versus Glyconeus* (n° 15.).



I. 6. 15. 24. 33.

II. 12.

III. 10. 16.

IV. 5. 12.

IV. *Stropha Asclepiadea tertia (quarta)*, *τρίκωλος τετράστιχος*. Constat ex *Asclepiadeo versu minore* (n° 16.) bis posito, *versu Pherecrateo* (n° 14.) et *Glyconeo* (n° 15).



I. 5. 14. 21. 23.

III. 7. 13.

IV. 13.

V. *Stropha Asclepiadea (quinta)*, *μονόκωλος τετράστιχος* (cfr. Excursum supra memoratum), *versum Asclepiadeum maiorem* (n° 17.) usque repetens:



I. 11. 18.

IV. 10.

VI. *Stropha Sapphica*, *δίκωλος τετράστιχος*. Constat *versu Sapphico minore* (n° 22.) ter repetito, et *versu Adonio* (n° 6.).



Ter vocem in fine tertiae lineae dissectam invenies:

I. 2, 19. 25, 11. II. 16, 7.
I. 2. 10. 12. 20. 22. 25. 30. 32. 38.
II. 2. 4. 6. 8. 10. 16.
III. 8. 11. 14. 18. 20. 22. 27.
IV. 2. 6. 11.

Carmen seculare.

VII. *Stropha Sapphica minor; δίκωλος τετράστιχος.* Continetur *versu Aristophanico* (n° 12.) et *trimetro choriambico catalectico*, quem nonnulli metrici *Sapphicum maiorem* vocant (n° 13.). Bina paria coniunguntur.

I. 8.

VIII. *Stropha Alcaica, τρίκωλος τετράστιχος.* Binos exhibet *versus Alcaicos hendecasyllabos* (n° 23.), *versum Alcaicum enneasyllabum* (n° 24.), postremo *versum Alcaicum decasyllabum* (n° 11.):



I. 9. 16. 17. 26. 27. 29. 31. 34. 35. 37.
II. 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 14. 15. 17. 19. 20.
III. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 17. 21. 23. 26. 29.
IV. 4. 9. 15. 17.

IX. *Stropha Archilochia prima, δίκωλος τετράστιχος.* Bina paria coniunguntur; *hexametro dactylico catalectico* (n° 10.) subiectus est *versus Archilochius minor* (n° 7.):



IV. 7.

X. *Stropha Archilochia secunda, δίκωλος δίστιχος. Hexametrum dactylicum catalecticum* (n° 10.) sequitur *versus iambelegus* (n° 21.):



Epod. 13.

XI. *Stropha Archilochia tertia*, *δίκωλος δίστιχος*. *Versui elegiambo* (n° 20.) praemittitur *senarius iambicus* (n° 5.):

⏑ – ⏑ –/ ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ×
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ × | ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ×

Epod. 11.

XII. *Stropha Archilochia quarta*, *δίκωλος τετράστιχος*, composita ex *versu Archilochio maiore* (n° 19.) et *trimetro iambico catalectico* (n° 4.). Bina paria coniunguntur:

– ⏑⏑ – ⏑⏑/ – ‖ ⏑⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑
⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

I. 4.

XIII. *Stropha Alcmania*, *δίκωλος τετράστιχος*. *Hexametro dactylico catalectico* (n° 10.) subiectus est *tetrameter dactylicus catalecticus* (n° 8.). Bina paria coniunguntur:

– ⏑⏑ – ⏑⏑/ – ‖ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑
— — — (—)
– ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏑
— — (—)

I. 7. 28.

Sed Epod. 12. est *δίκωλος δίστιχος*.

XIV. *Metrum iambicum*, *μονόκωλον μονόστιχον*, *senarium iambicum* (n° 5.) usque repetens:

⏑ – ⏑ –/ ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ×

Epod. 17.

XV. *Stropha iambica*, *δίκωλος δίστιχος*, in qua *versus iambicus senarius et quaternarius* (n° 5. et 3.) alterna vice se excipiunt:

⏑ – ⏑ –/ ⏑ ‖ – ⏑ – × – ⏑ – ×
⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ×

Epod. 1—10.

XVI. *Stropha pythiambica prima*, *δίκωλος δίστιχος*. *Hexametrum dactylicum catalecticum* (n° 10.), qui etiam *v. Pythius* vocatur, excipit *versus iambicus quaternarius* (n° 3.):

– ⏑⏑ – ⏑⏑/ – | ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑
— — — — (—)
⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ×

Epod. 14. 15.

XVII. *Stropha Pythiambica secunda*, *δίκωλος δίστιχος*. *Hexametro dactylico catalectico* (nº 10.) subiectus est *versus senarius* (nº 5.):



Epod. 16.

XVIII. *Stropha trochaica*, *δίκωλος τετράστιχος*. Constat ex *dimetro trochaico catalectico* (nº 2.) et *trimetro iambico catalectico* (nº 4.), ita ut bina paria una stropha coniungantur:



II. 18.

XIX. *Systema ionicum a minore*, *μονόκωλον τρίστιχον* (?); vide nº 18.

III. 12.

C. SYLLABUS ODARUM, ADIECTO METRO, CUI QUAEQUE CONVENIT.

Lib.	Carm.	Metr.	Lib.	Carm.	Metr.
I.	1.	I.		20.	VI.
	2.	VI.		21.	IV.
	3.	II.		22.	VI.
	4.	XII.		23.	IV.
	5.	IV.		24.	III.
	6.	III.		25.	VI.
	7.	XIII.		26.	VIII.
	8.	VII.		27.	VIII.
	9.	VIII.		28.	XIII.
	10.	VI.		29.	VIII.
	11.	V.		30.	VI.
	12.	VI.		31.	VIII.
	13.	II.		32.	VI.
	14.	IV.		33.	III.
	15.	III.		34.	VIII.
	16.	VIII.		35.	VIII.
	17.	VIII.		36.	II.
	18.	V.		37.	VIII.
	19.	II.		38.	VI.

Lib.	Carm.	Metr.
II.	1.	VIII.
	2.	VI.
	3.	VIII.
	4.	VI.
	5.	VIII.
	6.	VI.
	7.	VIII.
	8.	VI.
	9.	VIII.
	10.	VI.
	11.	VIII.
	12.	III.
	13.	VIII.
	14.	VIII.
	15.	VIII.
	16.	VI.
	17.	VIII.
	18.	XVIII.
	19.	VIII.
	20.	VIII.
III.	1.	VIII.
	2.	VIII.
	3.	VIII.
	4.	VIII.
	5.	VIII.
	6.	VIII.
	7.	IV.
	8.	VI.
	9.	II.
	10.	III.
	11.	VI.
	12.	XIX.
	13.	IV.
	14.	VI.
	15.	II.
	16.	III.
	17.	VIII.
	18.	VI.
	19.	II.
	20.	VI.
	21.	VIII.
	22.	VI.
	23.	VIII.
	24.	II.
	25.	II.
	26.	VIII.
	27.	VI.
	28.	II.
	29.	VIII.
	30.	I.
IV.	1.	II.
	2.	VI.
	3.	II.
	4.	VIII.
	5.	III.
	6.	VI.
	7.	IX.
	8.	I.
	9.	VIII.
	10.	V.
	11.	VI.
	12.	III.
	13.	IV.
	14.	VIII.
	15.	VIII.
Carmen seculare:		VI.
Epod.	1—10.	XV.
	11.	XI.
	12.	XIII.
	13.	X.
	14.	XVI.
	15.	XVI.
	16.	XVII.
	17.	XIV.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER PRIMUS.

CARMEN I.

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum,

I. Inscriptio volgaris et Codd. Tc: *Ad Maecenatem.* Omittunt BbS.

1. Vide Excursum I.

4. *Maecenas*] C. Cilnius Maecenas, natus circiter a. u. c. 685.; decessit paullo ante Horatii mortem a. 746. Pulcherrima eius effigies, atque unica, quae fidem mereatur, nuper reperta est in Carseolorum parietinis. V. *Di un busto colossale in marmo di C. Cilnio Mecenate scoperto e posseduto dal Cav. Pietro Manni, illustrazioni dei Signori P. E. dei Visconti, Leopoldo Cicognara, M. Missirini, Raoul-Rochette. Parigi, F. Didot 1837. 8.* — *atavis-regibus*] «orte maioribus Cilniis, qui olim Lucumones (principes) Etrusci fuerunt.» — Gradus cognationis superioris (Digest. 38, 10, 4.) hi sunt: *pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus.* Ut adi. *atavus* transiit etiam in posteriorum temporum prosam orationem. Colum. 1. Prooem. 19: *veteres illi Sabini Quirites atavique Romani.* — Liv. 10, 3: *Arretini, ubi Cilnium genus praepotens divitiarum invidia pelli armis coeptum* cet. Od. 3, 29, 1: *Tyrrhena regum progenies.* Cfr. Sat. 1, 6, 3. Propert. 3, 9, 1: *Maecenas eques Etrusco de sanguine regum.* Elegia in obitum Maecenatis 13: *Regis eras genus Etrusci, tu Caesaris almi Dextera, Romanae tu vigil urbis eras.* Martial. 12, 4: *Maecenas atavis regibus ortus eques.* Hac autem illustri «prosapia» interdum non sine comi ioco delectatus esse videtur magnanimus ille poëtarum fautor. — Nimis fortasse urgens *regum* vocabulum Niebuhrius H. R. Ed. tert. I. p. 133. e gente Cilnia Arretii reges interdum creatos esse collegit.

2. *O et*] solito in hac interi. hiatu, ut Virg. Aen. 10, 18: *O pater, o hominum* cet. — *praesidium et-decus*] *Praesidium* adversus malevolos, ac tutela in dubiis rebus; tum quod donato Sabino largus Maecenas in eum fuerat: *decus* autem, quod Horatio perquam honorifica erat talis viri amicitia. Est autem veluti ex formularum sermone. Sal. Iug. 19.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat metaque fervidis
Evitata rotis palmaque nobilis 5

3. *Olympium* F. (Sex mei Codd. *Olympicum*, et sic semper *Troicus* cet.) — 4. *moetaque* T. — 5. *et vitata* B.

de coloniis Phoenicum: *pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere.* Similiter Epp. 1, 1, 103: *rerum tutela mearum.* Od. 2, 17, 4: *O mearum grande decus columenque rerum.* Virg. Georgicon 2, 40: *O decus, o famae merito pars maxima nostrae, Maecenas.*

3. *Sunt quos — iuvat*] Hanc constructionem Horatius atque omnino scriptores accuratiores praeferunt, ubi, ut mox v. 19. Sat. 1, 4, 24., rem certam ac prope quotidie in oculos incurrere solitam significant. Alibi (Epp. 1, 1, 77. Epp. 2, 2, 183. cet.) ubi *ὑποθετικῶς* loquitur, Horatius quoque utitur coniunctivo. Rarius autem haec constructio apud poëtas optimos quosque ideo reperitur, quod, ut par est, res certas atque evidentes proponere malunt quam dubias et obscuras. Neque vero negari potest, dubiis in locis controversiam non tam subtilibus interpretis cuiusque disputationibus quam praestantiorum Codd. consensu distrahi debere. Cfr. Heusinger Praefat. ad Cic. Offic. p. XXXVIII. Zumpt. et ad Off. I, 24 extr. Heinrich ad Iuven. p. 264. Reisig et Haase *Lat. Gr.* §. 332. Iacob ap. Lübker p. 539. — Ceterum noli oblivisci, etiamtunc a Graecis opulentis et Asiae minoris regulis Graecae stirpis celebrata esse Olympia; etsi fortasse potius cogitavit de victoribus a Pindaro collaudatis.

Ibid. *curriculo*] «curru» potius quam «in stadio, in spatio cursus Olympici» (ut est apud Cic. Cat. 9: *Athletae se in curriculo exercentes*); illa vero significatione iam Cic. pro Mur. 27. et Tacit. Ann. 14, 14: *quadrigarum curriculum* usurpant et declamator de Harusp. resp. 10: *tensae, curricula. Curriculum* autem ita usurpatum non minus poëticum vocabulum esse arbitror, quam Gr. *ἅρμα, ὄχημα, δίφρον*, quibus omnibus utitur Pindarus. *Curriculo* spatii sensu *ἐπίθετον* aliquod requisisset. — Nostram interpretationem, admodum praefracte a Bosscha reiectam, firmat Od 4, 3, 4. (illum) *non equus impiger Curru ducet Achaico Victorem*, magisque etiam Ovid. Trist. 4, 8, 36: *Nec procul a metis, quas paene tenere videbar, Curriculo gravis est facta ruina meo.* Cum aliis de cursorum certamine tu interpretari noli: nimium enim ac turgidum tum foret *pulverem colligere.* — *Olympicum*] Hanc formam praebent Libri. Cuninghamius substituit *Olympium.* — Quid, si ipse poëta, quod facile fieri poterat, illos Graecorum ludos aliquando spectarat? quorum imago superest in vase picto apud Millingen Cohill Tab. 1. Effusam autem victorum et his faventium laetitiam egregie describit Dio Chrysost. Or. 9. p. 292. R.

4. *Collegisse*] id est, «rapidissimo cursu stadium emensos excitare atque ita victoria potiri.» Perfectum subtilius explices, quoniam *ἀορίστως* positum dicere iam non licet: «colligere et postea rei tam feliciter gestae memores esse.» Verum simplicius sane concedes Reisigio *Lat. Gr.* §. 290. poëtas Latinos crebro usos esse hoc perfecto, ubi inf. praes. a metro praefracte

Terrarum dominos evehit ad deos;
Hunc, si mobilium turba Quiritium

6. *evehere* Bentl. coni. — *ad deos. Hunc* LCtF. — 7. *nobilium* bTd. In B. *nobilium* superscr. *m.* (Habent *mobilium* $\beta\gamma$, $\varkappa$ sec. m., quattuor Bland., tres Pottierii.)

respueretur. Ad usum loquendi cfr. Sat. 1, 4, 30: *pulvis collectus turbine*, «per aërem sparsus atque conglomeratus.» Simonides in Epinicio apud Schneidew. Del. p. 384. Fr. 7: *Κονία δὲ παρὰ τροχὸν μεταμώνιος ἀέρθη.* — *metaque*] pro his: «*et quos meta* cet.», ut Carm. Sec. 26. — *fervidis*] «vertigine ipsa calentibus.» Schol. Virg. Georg. 3, 167: *volat vi fervidus axis.* Aen. 11, 495: *Frenaque ferventisque rotas.*

5. *Evitata*] In eo praecipue aurigarum ars cernebatur, ut quam proxime circum metam cursum flecterent nec tamen in eam impingerent. Metae perite evitatae imaginem habes apud Millingen Cohill T. 9. — *palma*] Pausanias 8, 48: *ἐν μὲν Ὀλυμπίᾳ κοτίνου τῷ νικῶντι δίδοται στέφανος καὶ ἐν Δελφοῖς δάφνης, ἐν Ἰσθμῷ δὲ πίτυς καὶ ἐν Νεμέᾳ σέλινα· οἱ δὲ ἀγῶνες φοίνικος ἔχουσιν οἱ πολλοὶ στέφανον· ἐς δὲ τὴν δεξιάν ἐστι καὶ πανταχοῦ τῷ νικῶντι ἐστιθέμενος φοίνιξ.* Pindar. Dithyr. Fr. 3. Boeckh. Ed. min. p. 209: *Ἐν Ἀργείᾳ Νεμέᾳ μάντιν οὐ λανθάνει Φοίνικος ἔρνος.* Praeter coronam Olympiae ex oleastri ramusculis nexam, qua caput redimiebat victor, palmam dextra gestabat vel equi iubae illigabat. (Palma autem a Theseo primum victores ornatos esse tradit Plut. Thes. 21. De Romanis cfr. Liv. 10, 47: (a. u. c. 464.) *palmae tum primum, translato e Graecia more, victoribus datae.)*

6. *evehit*] Non est idem ac v. 30. *me Dis miscent superis*, sed ex consuetudine Latina, *ad caelum evehere* (Iuven. 1, 38.), etiam in prosa oratione *tollere ad astra, ad caelum* (Cic. de Or. 3, 26, 104. ad Att. 2, 25, 1.) «efficere, ut, cum omnium laudibus extollantur atque felices praedicentur, ipsi quoque maiores spiritus sumant.» Cfr. Lucian. Anach. 10: *Ὁρᾷς τὸν νικήσαντα* (in ludis publicis) *ἰσόθεον νομιζόμενον.* Ovid. ex Ponto 1, 9, 36: *Terrarum dominos quam colis ipse deos.* Od. 4, 2, 17: *quos Elea domum reducit palma caelestes.* Falsa est interpretatio: «victores, homines plerumque locupletes, utpote *ἱπποτροφοῦντας*, interdum reges, adeoque terrarum veluti dominos, extollit ad deos.» Sed haec *ἀντίθεσις* recentiorum linguarum Romanensium poësi dignior quam antiqua, etsi haud ignoro, a Lucano 8, 208. *reges* utique vocari *terrarum dominos.* — Haec igitur de Graecis, quibus victoria Olympica non minus erat honorifica quam triumphus Romanis. (Cic. pro Flacco 43: *Olympionicen esse est apud Graecos prope maius et gloriosius, quam Romae triumphasse.* Tuscul. 2, 16: *Graecis Olympiorum victoria consulatus ille antiquus videtur.)* Iam transit ad populares suos.

7. *Hunc*] hominem ambitiosum, *illum*, qui divitiis acquirendis magis inhiat, ut solebant equestris plerumque ordinis negotiatores. — *mobilium*] «modo huic, modo illi honores largientium, multos repulsa notantium.» Epp. 1, 19, 34: *ventosae plebis suffragia.* De comitiorum turbis luculentos habes locos apud Ciceronem pro Murena 17, 35:

Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo,

8. *Certet* S, sex Pott.

Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum? pro Plancio 4, 9: *Non est enim consilium in volgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* — Anno u. c. 767. Tiberii iussu *primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum flebant.* Tac. Ann. 1, 15.

8. *tergeminis*] «tribus maioribus magistratibus, aedilitate curuli, praetura, consulatu, qui finis erat honorum.» *Tergeminus* enim nihil aliud quam *triplex* significat, ut apud Liv. 6, 7: *trigeminae victoriae triplicem triumphum;* apud Pseudotibullum 3, 4, 8: *Tergeminum* Cerberi *caput;* Statii Silvar. 1, 2, 181: *septemgemina - - Roma.* Virg. Aen. 6, 287: *centumgeminus Briareus,* non «centies duplex», ut volt Servius, sed «centimanus», vel «centiceps.» Quod autem in contrariam sententiam afferunt Martialis 3, 46, 8: *At tibi tergeminum mugiet ille sophos,* proprie non est nisi *ter repetitum. Amplissimis* simpliciter significare nequit. Qui de plausu theatrali interpretati sunt, verborum ipsorum nullam rationem habuerunt. — *honoribus*] Casu sexto, uti Sal. Iug. 49: *ut quemque - - pecunia aut honore extulerat.* Tac. Ann. 1, 3: *Claudium Marcellum pontificatu et curuli aedilitate - - M. Agrippam geminatis consulatibus extulit.* Alii, ut Lübker, pro dativo accipiunt, ut sit «ad honores.» Ego, quamvis poëta non usus sit v. *efferre,* quod metrum respuebat, sed homonymo *tollere,* Salustii Tacitique auctoritatem sequi malui.

9. A senatorio ordine transit ad equites vel negotiatores vel latifundiorum possessores, deinde ad homines rusticanos, postea ad mercatores, postremo ad eos, qui nec honorum cupidi neque ulli quaestui addicti, suo quisque studio indulgent. — *Proprium* granarium opponitur partim publico, partim mercede conducto. Fuit, qui sine ulla causa reprehenderet numerum singularem, non sentiens quam ingratum fuisset *propriis - horreis* ante *Libycis areis.* — In vv. *Quidquid* cet. facile agnoscas *ὑπερβολήν* poëticam pro his: «Omne frumentum, quod efferunt eius latifundia Africana.» Od. 3, 16, 26: *si quidquid arat impiger Apulus, Occultare meis dicerer horreis.* Sat. 2, 3, 87: *Frumenti quantum metit Africa.* Hanc provinciam omnium una cum Sicilia et Aegypto longe fertilissimam memorat Claudianus de bello Gild. 55: *Libya et Nilus-dominam plebem bellatoremque senatum Classibus aestivis alunt et horrea complent.* Seneca Ep. 89: *Quousque fines possessionum propagabitis? Ager uni domino, qui populum cepit, angustus est.*

10. *verritur*] Post triturationem scopis ex area sub dio collocata colligitur et vanno purgatur, ut nunc quoque Italorum mos est. *Verritur* autem simpliciter hoc opus rusticum significat sine ulla cupiditatis notione, quam alii ei v. obtruserunt.

Iam simplicissima ratio est, ut in

Quidquid de Libycis verritur areis. 10
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis condicionibus

10. *areis, Gaudentem* Ct.

tota hac clausula sic vv. construamus: *hunc* et *illum iuvat;* qua de re nemo, ut opinor, dubitasset, nisi interpretes ipsi nescio quas difficultates movissent alii aliter iungentes: *1) iuvat hunc — illum,* ut nos; *2) evehit ad deos hunc, — illum; 3) hunc — illum nunquam dimoveas; 4) nobilis. Terrarum dominos* (de Romanis falso explicantes) *evehit ad deos,* item *hunc — illum.* Copiose et in plerisque recte primus de hoc loco disputavit Lambinus ad Lucret. 4, 1162. — Coniecturam suam *nobilis--evehere* Bentleius commendat his imprimis similis constructionis Graecae exemplis Horatianis: Od. 1, 12, 26: *superare nobilem.* Od. 1, 37, 10: *impotens sperare.* Od. 3, 12, 11: *catus iaculari - - - celer excipere.* Od. 4, 12, 19: *donare largus - - eluere efficax* cet. Nemo recepit.

11. *Gaudentem*] «Non est, ut quidam censuerunt, pictura rusticani, rebus suis a patre sibi relictis contenti et in praediolo suo tranquille degentis, sed rustici laboribus oppressi, cui asper et parum fertilis ager, quem a patre accepit, non per bellicas expeditiones vel negotiationem latifundiis auxit, non sine aerumna sarculo subigendus est.» Eichstadius. Affert Fea Apuleium Florid. 2. N. 15. de Samo insula: *Ager frumento piger, aratro irritus, fecundior oliveto, nec vinitori nec olitori scalpitur. Ruratio omnis in sarculo et surculo; quorum proventu magis fructuosa insula est quam frugifera.* — Alterius lectionis *scindere* quae sit auctoritas, non liquet; nam certam Codicis alicuius nondum repperi. Id vero novi utrumque verbum etiam alibi confundi, ut Ovid. Trist. 5, 2, 62. De aratro quidem v. *scindere* frequenter usurpatum esse demonstrant haec exempla: Plaut. Trin. 2, 4, 122: *Olim terra cum proscinditur, In quinto quoque sulco moriuntur boves.* Accius Bothii p. 226. de aratoribus: *Ut rorulentas terras ferro rufulas Proscindant glebas.* Virg. Ge. 2, 399: *quotannis Terque quaterque solum scindendum.* Ibid. 3, 160. Seneca Troad. 1021. V. *findere* quidem eadem de re usurpat Pseudotibullus 3, 3, 12: *Arvaque si findant pinguia mille boves.* Virg. Ecl. 4, 33: *telluri infindere sulcos.* Aptius tamen est hoc v. de rastris et sarculis, ut sit, quod dixit Virgilius Ge. 1, 94: *rastris glebas qui frangit inertes.*

12. *Attalicis condicionibus*] Pulchri amore ducti Pergami reges, imprimis Attalus II. Philadelphus, permagnis pretiis emere solebant libros, signa, tabulas pictas, quibus regiam suam splendidissime exornarent. Sic *Aristidis Thebani pictoris unam tabulam centum talentis rex Attalus* (II. a. Chr. 159—138.) *licitus est.* Plin. H. N. 7, 39. Cfr. Mansonis elegantem curam de Attalis in vita Constantini M. p. 384. Visconti *Iconogr. greca* Ed. Mil. II. p. 273. Est igitur: — «Ne tantis quidem pecuniae summis, quantas Attali illi artificibus offerebant, strenuum agri aviti cultorem eo adducas, ut mercator fiat.» (Ad usum autem loquendi cfr. Cic. ad Q. Fr. I, 1, 2, 8: *ut nulla condicio pecuniae te - - ab summa integritate deduxerit.)*

Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium et oppidi

13. *demoveas* B (ceteri *dimoveas*). F. Et *demoveas* malebat Lambinus. — 14. *myrtorum* B. — 15. *icareis* Td.

13. *dimoveas*] Hoc certe significat: «efficias, ut priore vitae genere omisso aliud longe diversum eligat»; non hoc dumtaxat: «facias, ut desinat pristino studio vacare, nullo alio suscepto.» Iam perpetua inter Grammaticos est controversia, utra forma *dimovere*, an *demovere* illi significationi aptior sit, nec facile ea lis dirimi potest, cum hic atque Od. 4, 5, 14, item Plaut. Pers. 3, 1, 45. Cic. pro Sestio 47. (et ubi non?) varient libri. Pro v. *demovere* h. l. acriter depugnant Iahn *N. Jahrb.* V. 24. p. 434., Bernhardy Ann. Hal. 1837. N. 202., Dillenburger, Unger V. R. p. 397.; pro altero Lübker. Ego cui h. l. scripturae faveam, vides. Contra semper scribam *gradu, statu demovere militem, hostem*, ubi nihil referet, quo demotus sit. — *Cypria*] Pro qualibet navi mercatoria; verum poëta res singulatim proponere solet, ut species certa ac clara nobis ante oculos versetur. Idem valet de vv. *Myrtoum, Icariis, Africum*.

14. *Myrtoum*] Pausanias 8, 14, 12: *ἀρχόμενον ἀπὸ Εὐβοίας καὶ παρ' Ἑλένην ἐρήμην νῆσον κατῆχον εἰς τὸ Αἰγαῖον*, a Myrto insula sub Euboea. — *pavidus*] «ut fiat *ἔμπορος* periculis semper expositus», unde *pavidus, timidus* (Od. 1, 14, 14.) frequens nautarum *ἐπίθετον*. Ovid. Trist. 1, 4, 11: *Navita confessus gelidum pallore timorem*. Miro quidem casu accidit, ut, quemadmodum Od. 1, 27, 3. *verecundum* et *inverecundum*, sic h. l. metrum admittat etiam *impavidus*, quo Hofman Peerlkamp correxit Horatium, non librarios. At pro diverso poëtae consilio nautae sunt mox *pavidi*, mox *audaces* (Sat. 1, 1, 30.) et recte Eichstadius: «Ne mercatorum sors nimis invidenda existimetur, Horatius rursus egregio antithetorum, quibus summa pericula indicantur et ipsa audentioris hominis stultitia notatur, delectu cavit. Qui substitui voluerunt *impavidus*, antithetorum vim et poëtae sensum non perceperunt.» — *secet*] Odyss. *γ*, 174: *πέλαγος μέσον τέμνειν*.

15. *Icarium* mare inter Samum et Icariam insulam. Alii ab Icaro, Daedali filio. Memoratur iam Iliad. *β*, 144. — *Africum*] Seneca Quaest. nat. 5, 16: *Ab occidente hiberno Africus furibundus et ruens, apud Graecos λιψ dicitur*. (Italis *libeccio*, nobis *West-Südwest.*)

16. *oppidi - rura*] lunge *oppidi sui otium et rura*, id est, «tractum ruris circa oppidum siti.» — Cfr. Seneca de Benef. 1, 1, 10: *Bella victi et naufragi maria repetimus*. — «Mediis in periculis et ubi denique incolumis in patriam revertit, optat interdum, ut tranquille sibi proprium agrum colere liceat; sed perpetua impatientia actus celeriter propositum mutat ac nave refecta rursus ancoram solvit.» Minime

Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto

17. *rura*] *tuta* Acidalius, prob. Bentl.

ergo otiosum aut falsum v. *rura*. Acidalii *tuta* Bentleius in Curis noviss. firmare frustra studuit loco Ovid. Trist. 4, 10, 39: *Et petere Aoniae suadebant tuta sorores Otia iudicio semper amata meo.* Tu cfr. Lucan. 419: *rura Nemetis*. Sil. Ital. 4, 227: *nebulosi rura Casini*. 8, 434: *scopulosae rura Numanae.*

18. *quassas*] «conquassatas, laceras.» — *pauperiem*] «vitam sine quaestu continuo atque abundante.» *Pauperiei* autem voc. aliquoties utitur de vita rustica. Od. 1, 12, 43. Sat. 1, 6, 71. Non igitur inopiam neque vero egestatem, sed mediocrem vitae condicionem designat. — *indocilis-pati*] ἀδίδακτος φέρειν. Ceterum similis est Pindari locus a Sexto Empir. Hypot. p. 18. Fabr. servatus, Ed. Boeckh. min. p. 240. Fr. 139: Ἀελλοπόδων μέν τιν' εὐφραίνοισιν ἵππων Τίμια καὶ στέφανοι, τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά· Τέρπεται δὲ καί τις ἐπ' οἴδμ' ἅλιον ναῒ θοᾷ Σῶς διαστείβων. Libanius Opp. 4, p. 468: Ὁ μὲν ἐρᾷ τοῦ δύνασθαι λέγειν, καὶ τἄλλ' αὐτῷ μικρά· τῷ δὲ τὸ κρατεῖν ἐν μάχαις μέγα, καὶ τῶν ἄλλων οὐδεὶς λόγος· ὁ μὲν ἐπιθυμεῖ τῶν ἐκ γῆς καρπῶν καὶ φρίττει τὴν θάλατταν· τῷ δὲ τὸ πλεῖν ἥδιον τοῦ περὶ τὴν γῆν ταλαιπωρεῖν· ἕτερος ἥττων χρημάτων, καὶ τὰ λοιπὰ γέλως· τῷ δὲ μία σπουδὴ στέφανον ἐξ Ὀλυμπίας λαβεῖν, καὶ πᾶς αὐτῷ χρυσός, εἰ πρὸς τὸν κότινον ἐξετάζοιτο, φαῦλος. (Iacobs Lectt. Venus. p. 371.) Comparanda item Propert. Eleg. ad Maecen. (3, 9), imprimis vv. 17. seqq.: *Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae; Est quibus in celeres gloria nata pedes. Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis* cet.

19-21. *Massicum* vinum in Massicis Campaniae montibus natum. Plin. 14, 6: *Certant Massica aeque* (optimis vinis), *ex monte Gauro Puteolos Baiasque prospectantia.* — *Solidum diem* vocabant maiorem diei partem, per quam homines strenui atque industrii vacant negotiis, quibus tandem peractis Genio indulgere licet. Sen. Ep. 83: *hodiernus dies solidus est, nemo ex illo mihi quidquam eripuit.* Similiter Iuvenal. 11, 205. *solidam horam* dicit negotiis dicandam. Iam *demimus* de die solido horas eas, quibus ante legitimum coenae tempus aut potamus aut, ut h. l., Italico more meridiamur. Hoc enim significat verbum *stratus*. Alii explicant de compotatione, ad quam significandam sufficit v. 19., alii cogitarunt de conviviis tempestivis, quae tamen domi, non sub dio, celebrabantur. Varro RR. 1, 2: *diffindere insititio somno meridiem.* — *viridi*] Frondes eius cum non sint deciduae. De arbuto et grato foliorum colore *(hellgrün)* v. Voss. ad Virg. Ecl. 3, 82. et 7, 46. Non igitur, ut nonnemo ratus est, *viridi* otiosum est ἐπίθετον.

Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuvant et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque matribus
Detestata. Manet sub Iove frigido
Venator tenerae coniugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

25. *Detestanda* Luctat. Plac. ad Stat. Theb. 3, 377., duo Pottierii (7. et 12).

22. *lene*] «ad fontem leniter et grate murmurantem.» Suas in Sabino rusticationes describit, quando nihil aliud agebat, quam ut Genio indulgeret, liber etiam a poëticis curis. Ad fontes autem erant Nympharum ipsiusque fontis sacella. Seneca Ep. 41: *Magnorum fluminum capita veneramur, -- coluntur aquarum calentium fontes.*

23. Ovid. Metam. 1, 98: *Non tuba* (peditum, sono gravi) *directi, non aeris cornua flexi*, lituus equitum, sono acuto. Significat pugnae initium, ubi classicum canitur.

25. 26. *Detestata*] *παθητικῶς*, ut Cic. de Legg. 2, 11: *detestataque omnia eiusmodi repudianda sunt.* Philipp. 1, 2. *exsecratus* item passive. Epod. 16, 8: *parentibusque abominatus Hannibal.* — *Manet]* «pernoctat.» Sic Cic. ad Att. 5, 16: *in tabernaculo manere.* — *sub Iove]* «sub dio.» Ennius: *Istic est is Iuppiter, quem dico, quem Graeci vocant Ἀέρα.* Od. 3, 10, 7: *audis ut glaciet nives puro numine Iuppiter.* Epod. 13, 2: *nivesque deducunt Iovem.* Ovid. Fast. 3, 327: *Sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt.* Sat. 2, 3, 234: *Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum Coenem ego.* Liv. 5, 6: *Venandi studium ac voluptas homines per nives et pruinas in montes silvasque rapit.* — *tenerae*] «iuvenis», potius quam «amoris plenae».

28. *rupit*] «Si perruptis plagis evaserit.» Nemo iam explicabit: «Si irruperit in plagas.» Marsorum autem regio saltuosa apris abundabat maxime circa lacum Fucinum. — *teretes*] «ex funiculis complicatis et contortis connexae.» *(festgedreht.)*

29. 30. *Me*] Ne ter idem dixisse videatur Horatius, accurate distinguendae sunt tres sententiae vv. 29. 30. 36. nimirum ita, remotis imaginibus: (29.) «Me vero plus quam alia omnia delectant studia poëtica, quibus dum vaco, summam felicitatem adeptus, inter deos versari mihi videor; (30.) ac praesertim, ubi solus loca amoena perambulo, lyrica carmina meditans, plebi longe superiorem me esse sentio. (36.) Quodsi tu quoque, qui idoneus es huius facultatis iudex, poëtarum lyricorum hoc nomine vere dignorum numero me adscribes, ego, *Romanae fidicen lyrae*, gloriae sempiternae certus ero.» Ad formam orationis confer Od. 1, 31, 15: *Me pascunt olivae, me cichorea levesque malvae.* — *doctarum*] Tib. 1, 4, 61: *Pieridas, pueri, doctos et amate poëtas*, ubi Dissen: «*Doctus* Latine dicitur omnino suae quisque artis peritus, ut Horat. 1, 29, 9. Ovid. Met.

Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet nec Polyhymnia

29. *Te* auctore Hario F. — 32. *Sacer nunc populo* B. (Sed talia in posterum iam non enotabo, quippe quae ad meae Curae consilium nequaquam faciant.) — 33. *necque* (sic) S. — *polyymnia* B, *poliymnia* b, *polymnia* BTc, *polihimnia* d, *Polymneia* C.

3, 168., plane ut Graece σοφός. Persaepe vero ita dicitur is, qui poëseos et musices est peritus cet.» Sic *doctus Hesiodus* Cic. Cat. 15., *doctus Catullus* Pseudotibullus 3, 6, 41. et σοφιστὰς poëtas vocat Pindarus Isthm. 5, 28. B. — *hederae*] pr. Baccho sacrae, cuius instinctu perciti poëtae hederaceas coronas sumunt. Virg. Eclog. 7, 28: *Pastores hedera crescentem ornate poëtam.* Ecl. 8. 13: *hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros.* Stat. Silv. 1, 2, 284: *enthea vittis atque hederis redimita cohors.* (Mythicam rationem tradit Ovid. Fast. 3, 768., quia *Nysiades nymphae, puerum quaerente noverca, Hanc frondem cunis opposuere suis.*) — *praemia*] «ornamenta, quibus ab ἀμούσοις atque idiotis veluti distinguuntur.» — *superis*] Haud nimis hoc urgendum, quasi vero opponerentur inferis.

31. Nympharum habitum optime describit Longus I. p. 5. Sinn. (p. 6: τὸ πᾶν σχῆμα χορεία ἦν ὀρχουμένων.) et sic comparent in artificum operibus. — *Satyris*] In Platonis Epigr. 15. Satyrus, εἰμὶ δέ, inquit, ταῖς Νυμφαῖσιν ὁμέψιος. Hinc festive Ovid. Fast. 3, 409: *Ampelon intonsum, Satyris Nymphaque creatum.* — *Leves* autem *chori* sunt facile et venuste in saltatione se moventes, agiles, *leichtschwebend.* Philostr. Imagg. 1, 22: Σατύρων ἡδὺ τὸ σφοδρόν, ὅτε ὀρχοῦνται.

32. «Dum in amoena aliqua solitudine poëticis studiis vaco, longeque remotus sum a volgo molesto atque rudi *(odi profanum volgus)*, beatissimum me reputo.» Sic Val. Flacc. 1, 10: *Eripe me populis et habenti nubila terrae, Sancte pater!* Ausonius Epist. 23, 90: *Me iuga Burdigalae, trino me flumina coetu Secernunt turbis popularibus.* — *si*] modeste et per particulas condicionis et per negationem loquitur: «Si Musae re vera mihi favent et pulchra carmina donant.» Est autem illud *si*, quod prope accedit ad vim particc. *siquidem, cum.* Cfr. Drakenb. ad Liv. 7, 13, 6. Reisig *L. Gr.* §. 264.

33. *Euterpe*, ἡ εὑρετὴν αὐλητικήν, Schol. ad Hesiodi Theog. 77., tibia canens adest poëtae melico, itemque *Polyhymnia*, μύθων praecipue gnara, lyrae etiam inventrix. Vide *Pitture Ercol.* II. T. 7: *ΠΟΛΥΜΝΙΑ ΜΥΘΟΥΣ.* Confer Schol. Apollon. Rhod. 3, 1. Alibi Terpsichore, Erato, Clio (Od. 1, 12, 2.), aliis historiae Musa, Calliope (Od. 3, 4, 2.), Melpomene (Od. 4, 3, 1.) lyricis adsunt. — Ubi non favent, *tibias cohibet*, tibia canere recusat Euterpe,

Lesboum refugit tendere barbiton.
Quodsi me lyricis vatibus inseres,
Sublimi feriam sidera vertice.

35. *inseris* bScd, C, Bentl. FJ. Ut nos, BT, duo Bland., Cod. Carr., quinque Pott. (V. 35. delendum censent Eichstadius aliique.) *me*] *memet* T. — 36. *Sublimis* S et F. (Hic e Cod. Ach. Statii.)

Polyhymnia fidibus tendere, deinde plectro pulsare *barbiton*, lyram maiorem heptachordem.

34. *Lesboum*] Pindarus apud Athen. 14. p. 625. D.: *τὸν βάρβιτον· Τόν ῥα Τέρπανδρός ποθ' ὁ Λέσβιος εὗρεν Πρῶτος ἐν δείπνοισι Λυδῶν Ψαλμὸν ἀντίφθογγον ὑψηλᾶς ἀκούων πηκτίδος.* Hoc tamen loco Horatium de Terpandro cogitasse vix crediderim, sed de omni Lesbiorum poësi melica, Alcaei imprimis et Sapphus, quae (Fragment. 69. Neue p. 79. Fr. 44. Schneidew. p. 307.) de popularibus suis: *πέρροχος, ὡς ὅτ' ἀοιδὸς ὁ Λέσβιος ἀλλοδαποῖσιν.*

35. *Quodsi*] Raro a poëtis haec particula usurpatur; reperitur tamen etiam Od. 1, 24, 13. 3, 1, 41. Ep. 2, 39. cet. — *Tu* post *quodsi*, quod nonnulli requirebant, necessarium non est, cum nulla fiat oppositio vel inter Maecenatem et Horatium, vel inter Maecenatem et Horatii iniquos. — *lyricis*] Cic. Orat. §. 183: *Λυρικοὶ qui a Graecis appellantur.* Usitatus tunc fuisse videtur apud Latinos *melici*. — *inseres*] «lectis ac probatis meis poëmatis.» Futurum firmatum a BT sane aptius videtur faciliusque corruptum est quam praesens. Perquam apte autem in hac poëmatum veluti dedicatione ad Maecenatem redit, atque inanis est coniectura *Quod* (barbiton) *si - - inserit.* (Jahn *N. J.* 1848. p. 242.)

36. *Sublimi*] «in aethera sublato.» — *feriam*] «Ad sidera usque me attollam, immortali gloria fruar.» Prorsus sic Sapph. Frg. 9: *ψαύειν δὲ πόλον δοκεῖ μοι ὠρανῶ δυσπάχεα.* Soph. Oed. Col. 384: *πρὸς οὐρανὸν βιβῶν*] «dictum ut *οὐρανῷ στηρίζον κλέος* Eurip. Bacch. 970. et *κλέος οὐρανόμηκες ἔξεις* apud Aristoph. Nub. 450.» Dindorf. Prop. 1, 8, 43: *Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.* Ovid. ex Ponto 5, 57: *Huic* (principi) *cum tu placeas et vertice sidera tangas* cet. (Comica contra sunt: Theocr. 5, 144: *εἰς οὐρανὸν ὔμμιν ἁλεῦμαι.* Cic. ad Att. 2, 1: *digito caelum putant attingere* principes civitatis.) Diversam utique habent haec sententiam ab illis: *dis miscent superis*, quam supra explicavi.

EXCURSUS I.

Horatius tres (non, ut alii opinantur, duos) priores Carminum libros Maecenati suo inscripturus inter varia mortalium studia sese ceteris omnibus relictis poësis lyricae laudem unice appetere ac felicissimum fore, ubi carmina sua eleganti amici iudicio comprobentur, eo modo ostendit,

qui aequalibus, cum praeter pauca illa Catulli conata et Epodon librum satis interdum virulentum, nihil tale unquam vidissent, maximopere placere debebat. Haec autem, quibus potissimum delectentur homines, enumerat: gloriam ex victoria Olympica partam, honores, latifundia; alius utique aviti agri culturae, etiam operosae, libentius vacat; mercatorum lucri cupiditas vel in manifesta pericula rapit; alius rursus tranquillo vitae fructu laetatur Genioque indulget; ille bellicosi ardoris plenus rei militari unice intentus est; hic venationibus maxime oblectatur. Cfr. Pindari Fr. 139. Boeckh. Ed. min.: *Ἀελλοπόδων μέν τιν' εὐφραίνοισιν ἵππων Τίμια καὶ στέφανοι, τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά. Τέρπεται δὲ καί τις ἐπ' οἴδμ' ἄλιον ναὶ θοᾷ Σῶς διαστείβων.* Cuius loci memor fuisse utique videtur, sed leni quadam ac facili *εἰρωνείᾳ* usus significat, quam inanes ac fallaces sint omnes hae vitae rationes praeter eas, quae ad veri pulchrique speciem (*ἰδέαν*) pertineant, quamque parvi illas aestimet prae studio illo, quo ipse incensus sit. (Similes locos invenies Sat. 1, 1, 1. Virg. Georg. 2, 475—512., quocum dicere poterat: *Me vero primum dulces ante omnia Musae, Quarum sacra fero ingenti percussus amore, Accipiant!*) — De tempore vero, quo hi tres libri editi sint, magna adhuc est controversia; etenim Franke contendit Sosiis eos commissos esse a. u. c. 731., Walckenaer a. 734., plerique a. 736., maxime propter Virgilii iter Atticum (Od. 3.), ita, ut paullo post huius et Tibulli, utriusque sibi amicissimi, obitum in ea opera curaque versatus sit Horatius. «Ego vero tunc Romae non fui», dicam in his plerumque inanibus disputationibus, a vera poësi eiusque sincero sensu sane alienissimis, nisi ubi certa et clara temporis significatio ab ipso poëta facta est.

EXCURSUS II.

Ad vv. 29 et 35.

29. *Me*] Harii et Brouckhusii coniecturam *Te*, quam fortasse per iocum, sed ingeniose defendit F. A. Wolfius (*Liter. Anal.* II. p. 261.), a multis, imprimis a Lübkero, operose refutatam, iam ab omnibus explosam esse arbitror. Eius auctores non satis perspexisse videntur, forma orationis cum fiat antithetica, ad summam tamen nihil aliud illâ dici quam: «Tu et ego sumus poëtae, et summus quidem tu, ego te longe minor atque mediocris» (nam cum Fea omnino interpretari nequimus: «Tu totus es in coronandis tibique devinciendis poëtis: illi vero grati animi ergo te inter deos beneficos in suis carminibus praedicant»). Illam autem poëticae facultatis laudem Maecenas, etsi interdum animi causa versiculos fundebat, nunquam certe affectavit. Praeterea ridi-

cula, immo abiectissima fuisset adulatio, si eum Horatius magnorum poëtarum numero ultro aggregasset. Neque alibi Horatius, Virgilius, Propertius carminum patroni sui mentionem fecerunt. Immo eius orationem *discinctam, solutam, diffluentem, involutam, errantem et licentiae plenam* notat Seneca Epist. 114. Nec satis recte Doering: «Si Horatius v. 29. ad Maecenatem convertere voluisset orationem, haec fere ei exprimenda fuisset sententia: «Te iuvat rerum publicarum esse curatorem et administrum;» nam potentiae *studium* ille callide occulens, honoribus civilibus semper abstinuit. — Eichstadius in Parad. H. IV. p. 13. ac Grotefendius in Athen. 3. p. 86. v. 35. *Quodsi* cet. deleto, totum locum sic constituerunt: *Me - - secernunt populo. Si neque tibias Euterpe cohibet nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton, Sublimi feriam sidera vertice.* Sed v. 35. vel propter metri rationem a Meinekio recte indicatam abesse non potest, ut taceamus, sic gratuito amoveri praecipuam totius carminis sententiam, quae est: «Te iudice lyricis poëtis, quales fuerunt novem illi Graecorum, annumerari ante omnia cupio.»

CARMEN II.

Iam satis terris nivis atque dirae
Grandinis misit Pater et rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit Urbem,
Terruit gentes, grave ne rediret

II. Inscr. volg. *Ad Caesarem.* — *Ad divum Augustum* B. — *Ad Augustum* bSc. (In T prior inscriptio evanuit; recentior est *AD AUG.* — 1. *terris*] *tetrae* Dan. Heinsius. — 2. *rubente* BbSTcd, LCt, item Bentl.: *rubenti* FM. (Ut nos, J.) — 5. *gentis* B.

Od. II. Vide Excursum I.

1. *nivis*] Nos Germani recordemur necesse est in Italia meridionali nivem prodigii instar esse. Etiam Mediolani memini prima nive decidente anno MDCCCVII, quo ibi diutius degi, universam plebeculam alto ululatu exclamare: *nevica! nevica!* — Reprehendit Dan. Heinsius *σιγματισμὸν* et repetitionem syll. *is* coniecitque: *Iam tetrae nivis.* Sed saepe inevitabile fuit vitium istud maiore iure in Euripide reprehensum. Cfr. Od. 1, 12, 5: *umbrosis Heliconis oris.* Od. 2, 18, 14: *satis beatus unicis Sabinis.* Od. 3, 7, 8: *Multis insomnis lacrimis.* Od. 3, 11, 13: *Tu potes tigres comitesque silvas Ducere.* Addit HP. Virg. Aen. 3, 136: *connubiis arvisque nobis.* Cic. Phil. 1, 2: *cum sui similibus servis tectis ac templis urbis.* — *dirae*] «funestissima quaeque portendentis», ut Virg. Georg. 1, 488: *diri cometae.*

2. *Pater*] «*Divom pater atque hominum rex.*» — *rubente*] a repercusso fulminum rubore. (Pind. Olymp. 9, 6: *Διὰ - φοινικοστερόπαν.* Ol. 11, 80: *πυρπάλαμον βέλος Ὀφαιστίνου Διός.*) Formam autem *rubente* h. l. confirmant Marius Victorinus p. 223. Gaisf. et Atilius Fortunat. ib. p. 325. — Iuppiter Fulgurator, reducta dextra fulmen vibrans, ut est in monumentis antiquis, hic nobis ante oculos ponitur. «Omnes manubiae (fulmina) albae et nigrae Palladis esse dicuntur, Iovis rubrae et sanguineae.» Acron Nannii sane ex antiquo interprete.

3. *Iaculari* cum accusat. rei, quae feritur, rarius reperies, attamen Od. 3, 12, 11: *iaculari cervos.* Ovid. Am. 3, 3, 35: *Iuppiter ipse suos lucos iaculatur et arces,* templa praesertim in Capitolio condita. Cic. de Div. 1, 11: *Pater altitonans - - Capitolinis iniecit sedibus ignes.*

4. Vv. *terrendi* eadem constructio convenit, quae vv. *metuendi.* Explica: «Terruit ita, ut timerent, ne cet.» Tac. Hist. 2, 63: *terruit, ne affectaret.* Pseudotibull. 4, 1, 1: *me cognita virtus Terret, ut infirmae valeant subsistere vires.*

5. *gentes*] «imperio Romano subiectas, quotquot de his prodigiis audierant.» Prorsus vana est nescio cuius coni. *mentes.*

Seculum Pyrrhae nova monstra questae,
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes,
Piscium et summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat columbis,
Et superiecto pavidae natarunt

8. *montis* BbTc. — Vv. 9—12. del. censet Buttm. *Mythol.* II. p. 364. — 10. *palumbis* ω (Cod. Battel.) pro var. lect., F. — 11. *super iacto* T.

6. Pyrrha, Epimethei et Pandorae filia, Deucalionis uxor. Ovid. Met. 1, 260. Similiter Valer. Flacc. 6, 390. homines appellat *Pyrrhae genus*. Eius imago cum Pandora et Deucalione est in vase Nolano. *Ann. dell' inst. arch.* IV. p. 80. — *nova monstra*] «Res nec visas ante neque auditas, terrorisque plenas»: *permixtionem terrae*, ut ait Sal. Iug. 41. Sic Catullus Epith. Pel. 15: *Aequoreae monstrum* (Argo navem) *Nereides admirantes*.

7. *Proteus*] Odyss. δ, 386. Virg. Georg. 4, 395: *immania* Neptuni *Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas*. — *Omne pecus* dictum est ut Sat. 1, 5, 2. *omne olus*, «omnis generis beluas marinas.» Sic ut in Livii Andronici Fr. 2. Ed. Duentzer: *Lascivom Nerei simum pecus*. Pacuv. Fragm. 5: *Nerei repandirostrum incurvicervicum pecus*.

10. Qui *palumbis* correxerunt, metuerant, ne poëta errorem commisisset *columbas* in silvis nidificantes memorans. Sed *columba* nomen est generis complectens etiam *palumbes*, ut apud Suet. Oct. 64: *palma frequentabatur columbarum nidis*.

11. *superiecto*] «omnia iam tegente«, — non vero «superiecto damis«, ut nonnemo calumniatus est, quo suspectiorem redderet hunc locum. — *damae*] «*dammae* (ut mei Codd. Horatiani) ubique Mediceus consentientibus Romano et Servio Dresdensi.» WAGNER Orthogr. Virg. p. 432. Volgo explicant *Damhirsch, daini, damme, dains;* Voss ad Virg. Ge. 539. *Gemsen, camosci, chamois,* sicque Forcellinus: «capra silvestris.» W. E. Weber ad Iuv. p. 536. *ἀνθόλωπας (Blumenauge), Antilopen* s. *Gazellen,* idque re vera pluribus testimoniis satis probabile reddidit. Virg. Georg. 3, 539: *timidi damae cervique fugaces*. — Alexandrinorum poëtarum colorem referunt hae imagines, quae multis nimis cumulatae et quaesitae visae sunt (pisces illi imprimis in ulmorum vertice inter ramos haerentes), adeo ut post Guyetum alii quoque vv. 9—12. pro interpolatis haberent. Verum apud lyricum minus sane habent reprehensionis quam apud Ovidium (Met. 1, 296.) et Nonnum 6, 229. qui locum de diluvio multo etiam luxuriosius tractarunt. (Ovid. l. l. *summa piscem deprendit in ulmo.*) — Similis autem imaginum profusio est in Epod. 16, 27. Ceterum in hac luxuriantis *φαντασίας* effusione noli cogitare cum Lübkero de nescio qua *εἰρωνείᾳ*, quae figura hoc carmen plane dedecuisset. Praeeunte Iacobsio Weberus: «Eleganti imaginum gradatione inundationem describit. Primum phocae, olim apricari tantum in litore solitae, nunc ipsos montes obtegunt; deinde pisces, in terra

Aequore damae.
Vidimus flavum Tiberim retortis
Litore Etrusco violenter undis
Ire deiectum monumenta regis
Templaque Vestae;
Iliae dum se nimium querenti

12. *dammae* BbTcd. — *tiberim rethortis flavum* T. — 15. *disiectum* Cuninghamius ex Mss. (?)

ne spirare quidem valentes, iam etiam supra terram in eminentibus ex aqua arboribus haerent; denique damae, domicilia sua cum phocis permutantes, in aequore natant.»

13. *flavum*] «semper fere arena lutosa mixtum.» Virg. Aen. 7, 31: *Tiberinus Vorticibus rapidis et multa flavus arena.* — Tiberis exundationes semper in prodigiis habitae. Cfr. Tacit. Ann. 1, 76. Memorabilis autem haec Horatio ideo visa est, quod, ut tradit Plinius H. N. 3, 9: *hic amnis nusquam magis aquis quam in urbe stagnantibus vates intelligitur potius ac monitor, auctu semper religiosus verius quam saevus.* — *retortis violenter*] «Contra fluminis naturam a mari retrorsum pulsis.» V. *retortis* vetat de Tiberis ripa dextra explicare; quamquam *litus* pro *ripa* est Aen. 3, 389. 8, 83. et alibi. — *sinistra* autem h. l. nullo modo significare potest «infausta», ut volt Comm. Cruq. et, ut videtur, etiam Lübker. — Opinio haec erat estque etiamnunc popelli Romani, Tiberis eluviones ex eo oriri, quod marinorum fluctuum vi a litore maris Etrusci sive ab ostio eius aquae repellantur. Vid. Feam.

15. *deiectum* «ex fundamentis labefactatum et dirutum» (non: *disiectum*, destructum. Cuningh.). — *monumenta regis*] Regiam Numae Pompilii (quae plerumque absolute dicitur *Regia*) et templum Vestae item a Numa conditum in octava regione ad radices montis Palatini, *ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ Καπιτωλίου τε καὶ τοῦ Παλατίου* Dion. Hal. 2, 66. *Regia* autem ita iuncta erat aedi Vestae, ut eius quasi atrium efficeret. Liv. 26, 27: *atrium regium*, et continuo *aedes Vestae.* Plutarch. Numa 14: *Ἐδείματο πλησίον τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ τὴν καλουμένην Ῥηγίαν.* Ovid. Fast. 6, 263: *Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae, Tunc erat intonsi regia magna Numae.* Trist. 3, 1, 30: *regia parva Numae.* Servius ad Aen. 7, 153: *Templum Vestae non fuerat augurio consecratum, ne illuc conveniret senatus, ubi erant Virgines; nam haec fuerat regia Numae Pompilii.* Festus: *Rotundam aedem Vestae Numa consecravit* cet.

17. *Iliae*] s. Reae (non Rheae) Silviae, quae h. l. et apud Claudianum in Probini et Olybrii Cons. 225. (Tiberis *Palla graves humeros velat, quam noverat uxor Ilia percurrens vitreas sub gurgite telas*) uxor est Tiberis, apud Ovid. Am. 3, 6, 45. Anienis. Docte in h. l. commentatur Porphyrion: «Ilia auctore Ennio in amnem Tiberim iussu Amulii regis praecipitata est. Antea enim Anieni matrimonio iuncta; atque hic loquitur, quasi Tiberi potius nupserit.» Servius ad

Iactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa Iove non probante u-
xorius amnis.
Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent,
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus.
Quem vocet divum populus ruentis

18. *ultorum* T. — 21. *civis* B. — Post hunc v. deficit Cod. d usque ad Carm. 16, 3.

Aen. 1, 277: «Hanc, ut quidam dicunt, Iliam sibi Anien fecit uxorem, ut alii, inter quos Horatius, Tiberis.» Non sine arte fingit Tiberim, minorum gentium deum, ab uxore imperiosa instigatum irasci Urbi, quam perfluit, summum autem deorum eam salvam velle. «Terreri Iuppiter iussit populum, non perire.» Schol. — Iunge *nimium querenti* de Caesaris caede et bellorum civilium sceleribus atque calamitatibus; non *nimium iactat* nec *nimium ultorem;* illud et rectum est et simplex, haec ab ipsa verborum positione respuuntur.

18. *vagus*] A solito meatu aberrans sinistram ripam, quae Romam attingebat, inundat.

19. *Iove*] «summo custode et aedium suarum et totius urbis Romae, quique in sempiternum ab ea excidium arcet.» — *uxorius*] Virg. Aen. 4, 266: *pulchramque uxorius urbem Exstruis.* *Παραφράζει* Tacitus Ann. 11, 28: *uxori devinctus.* 16, 6: *amori uxoris obnoxius.* Egregia autem vv. 17—20. est *προσωποποιία*, quam nonnisi homines poëtico sensu prorsus destituti vituperare potuerunt. — Ceterum dissecta versus penultimi vox ultima etiam Od. 1, 25, 11. 2, 16, 7. qua quidem licentia nimis abusus est Sarbievius.

21. *Audiet*] «Culpa parentum imminuta suboles, infantis etiamnunc aetatis, ubi adoleverit, audiet aliquando cives post Caesaris interitum in semetipsos saevisse armis, quibus Parthi infesti ac metuendi iustius devicti essent.» In prosa orat. necessario scribi oportebat «cives adversus cives», in poëtica non, ubi sufficit *ἔμφασις*, neque ulla ambiguitas oritur. — («Suppressit ultro, in quo cardo sententiae vertebatur, *adversus cives.*» Doederl. Brachyl. *Samml.* II. p. 182.) — *graves Persae*] Quam aegre semper tulerint Romani suo imperio nunquam subiectos fuisse Parthos, satis invidiose declarat Lucanus 10, 49: *cedemus in ortus Arsacidum domino; non felix Parthia Crassis: Exiguae secura fuit provincia Pellae.* — *graves*] Sic Theocrit. 17, 19. Alexander M. appellatur *Πέρσαισι βαρὺς θεὸς αἰολομίτραις.* — Haec autem aperte ad bella civilia ante a. 725. gesta referuntur, non ut volt Mitscherlich: «Interpretatur portenta et ex iis auguratur nova bella civilia.» Quo quid a suo consilio magis alienum facere potuisset poëta, sententiam Caesari suo, imperii Romani pacificatori, tam ingratam prolaturus? Poenas igitur, quas pro Caesaris nece dependerint Romani, non vero

Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Iuppiter? Tandem venias precamur
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo;

29. *partis* B. — *expiandum* ST. — 31. *candentis* BTc et pr. b, *candenti* S, Acro, F. («In nullo melioris notae Cod. *candenti* est visum.» BENTL.)

calamitatum futurarum portenta atque indicia memorat.

25. *vocet*] Ut succurrat *imperi rebus*, imperio, casu tertio, non, ut nonnulli voluerunt, ablat. absoluto.

26. *prece*] Numerus singul. apud poëtas dumtaxat. — *fatigent*] «assiduis precibus exorent.» Stat. Theb. 2, 244: *Superos in vota fatigant Inachidae.* Liv. 23, 36: *fatigatus Campanorum precibus — Cumas redit.*

27. *sanctae*] Quia perpetuam castimoniam servare debebant. Cicero pro Fonteio 17: *Virgo Vestalis, quae pro vobis liberisque vestris tot annos in dis immortalibus placandis occupata est. — minus audientem*] Cum irata tunc esset in Romanos suos. Apud Ovidium Fast. 3, 699. Vesta: *Ne dubita, meus ille fuit, meus ille sacerdos; Sacrilegae telis me petiere manus:* de Caesare, pontifice maximo. *Vestam* h. l. memorat, quia numen erat tutelare rei publicae Romanae. Virg. Georg. 4, 499: *Vestaque mater, quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas!*

28. *Carmina*] «varias, quibus in precando utebantur, formulas plures per dies repetitas», vel, si mavis, «idem carmen identidem, ut fiebat, recitatum.»

29. *partes*] «vices s. munus.» — *scelus*] «et necem Caesaris et bella domestica inde orta.» *Scelus* autem τὸ ἄγος, ut Virg. Ecl. 4, 13: *sceleris vestigia nostri*, de reliquiis belli civilis. Epod. 7, 1. *Quo, quo scelesti ruitis? — expiandi*] Non tam puniendo, quam removendo scelera atque pacem restituendo; qua in perpetuum stabilita cunctam civitatem piaculo liberari certum erat.

32. *Augur*] *Augur Apollo* etiam Virg. Aen. 4, 376., id est, vates, qui oracula fundit. Pro veste autem humeros candidos, nitentes, opaca nube obvelat, ne a mortalibus conspiciatur, dum inter eos versatur. Iliad. ε, 186: νεφέλῃ εἰλυμένος ὦμους. *Candentes* sunt Homeri (Odyss. λ, 427.) et Sophoclis in Fr. apud Welcker *gr. Tr.* p. 240. φαίδιμοι ὦμοι. Il. ο, 308: εἱμένος ὤμοιϊν νεφέλην. Nec vero constr. *nube candentes*, quod explicabant «lucida nube refulgentes.» — Alteram lect. *candenti* (in qua offendit et hiatus et forma participii in *ti*, cum in hoc ipso carmine Codd. meliores praebeant *rubente, probante*) sic interpretantur: «Ita venias, ut non conspiciare, sed nubis tantum candore praesentia tua agnoscatur.» De *nimbo* autem, significatione cadentis Latinitatis («qui deorum vel imperantium ca-

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Iocus circum volat et Cupido;
Sive neglectum genus et nepotes
Respicis auctor,
Heu nimis longo satiate ludo,
Quem iuvat clamor galeaeque leves,

pita quasi clara nebula ambire fingitur.» Servius ad Aen. 3, 582.), neque hic neque apud Virg. Aen. 2, 616. cogitare licet cum G. Fabricio et Fea. — Non sine causa primum memoratur Apollo, quia Apollinis filius a nonnullis existimabatur Augustus (Suet. Oct. 94.) et in porticu templi Apollinis Palatini Augusti statua erat cum omnibus Apollinis Citharoedi insignibus (Propert. 2, 31, 5. Serv. ad Virg. Ecl. 4, 10.), atque in coena secretiore *δωδεκαθέῳ* pro Apolline ornari solebat (Suet. Oct. 70.), quemadmodum iam Sulla familiare numen habuerat Apollinem (Stat. Silv. 5, 3, 293.). Deinde ad partes vocat Venerem, tamquam genetricem et *Aeneadum* (Lucret. 1, 1.) et gentis Iuliae per Iulum, Aeneae filium: tum Martem, genitorem Quirini (et Marti Ultori necis Caesaris templum dedicarat Augustus, qui adolescentulus iam, vivo etiamtum Cicerone, Caesaris ultionem sibi maxime cordi esse ambitioni suae praetenderat. Cfr. Cic. Philipp. 14, 2: *vicit dolorem aliquem domesticum patriae caritate)*: postremum Mercurium (de quo suo loco) Augusti forma induta inter Romanos versantem. — Iam ad singula.

33. *Erycina*] ab Eryce, Siciliae monte, ubi celebratissimam aedem habebat, eodemque Erycinae nomine Romae quoque ad portam Collinam. Liv. 23, 9. 40, 34. Illam iam ab Aenea conditam finxit Virg. Aen. 5, 759: *Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Idaliae.* — *ridens*] *φιλομμειδής*· Sappho 1, 13. Ed. Neue: *ὦ μάκαιρα, Μειδιάσασ' ἀθανάτῳ προσώπῳ.*

34. *Iocus*] *Κῶμος* hic in Veneris comitatu, cum poëtae ei fere adiungant *Ἔρωτα, Ἀντέρωτα, Πόθον, Ἵμερον, Χάριτας*· atque huiusmodi Genii etiam in artificum operibus frequenter Venerem circumvolitant. Attamen iam apud Plautum Bacch. 1, 2, 8: *Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium, Iocus, Ludus, Sermo, suavis Saviatio,* quasi numina memorantur. Apud Philostr. Imagg. 1, 25. Silenus Baccho adducit *τὸν Γέλωτα καὶ τὸν Κῶμον, ἱλαρωτάτω καὶ ξυμποτικωτάτω δαίμονε.* — *circum volat*] divise scribo propter caesuram, ut Od. 2, 16, 33. in fine v.: *circum Mugiunt vaccae.*

36. *Respicis*] *ἐπιβλέπεις.* Sic *Fortuna respiciens.* Sophocl. Philoct. 1040: *θεοί τ' ἐπόψιοι.* Plaut. Bacch. 4, 3, 21: *Deus respiciet nos aliquis.* Virg. Aen. 1, 603: *si qua pios respectant numina.*

37. 38. *Heu*] indignationis. Cfr. Hand Turs. III. p. 67. et 68. — *satiate*] Cum Homero sit *μόθου ἀκόρητος, ἄτος πολέμοιο.* — *ludo*] bellico, quo gaudet Mars. — *Quem iuvat*] Admodum scite haec opponuntur illis *Quam Iocus* —; sic enim neutrum otiosum est, immo alterum alterum necessario requirit. Supple autem cogitatione id quod poëta addere nec debebat nec po-

Acer et Mauri peditis cruentum
Voltus in hostem;
Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris almae
Filius Maiae, patiens vocari

39. *Marsi* auctore T. Fabro Bentl.

terat: «Quem quidem alias iuvat clamor.» Profecit hinc Silius 9, 554. Horatii tamen simplicitatem exaggerans: *Martem quamquam lituique tubaeque Volneraque et sanguis et clamor et arma iuvarent. — leves galeae* Horatio sunt politae, splendentes. Nimis artificiose Statius Theb. 2, 710. usurpavit pro detritis, telorum, puta, et gladiorum ictibus.

39. *Mauri*] Hoc ipsum fortasse aliquando viderat in bello civili poëta: Romanus confosso Mauri equo, hunc *peditem* reddiderat; barbarus truculento voltu et ira aestuans hostem invadit et volnerat; *cruentus* enim est «cruore oblitus, aspersus», non «trux, saevus.» Qui *ἀνάγλυφον* vel tabulam aliquam pictam hic obversatam esse Horatio existimarunt, non sine causa Suet. in Ner. 44 appellare potuissent: *Nero in itinere cum annotasset insculptum monumento militem Gallum ab equite Romano oppressum trahi crinibus, ad eam speciem exiluit.* Saepe autem terribiles erant Mauri in proeliis. Cfr. Aelian. Hist. an. 14, 5: *εἰσὶ δὲ Μαυρούσιοι καὶ καλοὶ καὶ μεγάλοι καὶ ἀνδρικὸν ὁρῶσι (acer voltus).* App. B. C. 1, 50: *συνιόντων τῶν στρατῶν, Γαλάτης ἀνὴρ μεγέθει μέγας προδραμὼν προὐκαλεῖτό τινα Ῥωμαίων ἐς μάχην, ὡς δ' αὐτὸν ὑποστὰς Μαυρούσιος ἀνὴρ βραχὺς ἔκτεινεν, ἐκπλαγέντες οἱ Γαλάται αὐτίκα ἔφευγον.* De quo l. vide Gustavum Schwab in Museo Rhenano 3, 4. p. 483. Ovid. Fast. 6, 243: *et leto consulis omnes Altoniti Mauras pertimuere manus.* Coni. *Marsi* (cfr. Od. 2, 20, 18. Virg. Georg. 2, 167: *genus acre virum, Marsos;* et proverbium ab Appiano memoratum B. C. 1, 46: *οὔτε κατὰ Μάρσων οὔτε ἄνευ Μάρσων γενέσθαι θρίαμβον*) vix digna erat, quae tot fautores inveniret, cum Marsorum otiosum prorsus esset *ἐπίθετον peditis*, quod in Mauro, ex equo deiecto, secus est. Vide Excurs. II.

41-44. *iuvenem*] XL. tamen annos natum. — *mutata*] *εἶδος ἀμείψας.* — *Ales*] Cogitandum de Mercurii talaribus atque alis in petaso. Mirum permultis est visum, cur ultimae partes Augusti dei forma Romanis commendandi mandatae sint Mercurio, cum ille Apollini potius se assimilasset, qui propterea primo loco memoratur. Sed Mercurius est et *ἀκάκητα* atque *ἐριούνιος* et *λόγιος*, prosperitatis igitur auctor simulque scelerum expiator, dissidentium conciliator et pacificator, *interpres hominumque divomque* (Aen. 10, 175), *pacifer* Ovid. Met. 14, 291. Subtili igitur, innocente tamen laude potius quam adulatione hoc dicit: «Tu nobis non solum es alter Apollo, sed etiam Mercurius, conciliator ac pacificator, et mitiores iam mores civilis belli ferociae substituis.» — *Filius*] Notandus nominativus pro vocativo. — *Maiae*] Maiae filio coronam porrigentis imaginem praebet Gerhard *Vaseng.* I. T. XIX. 1.

Caesaris ultor:
Serus in caelum redeas diuque
Lactus intersis populo Quirini.
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat; hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps,

44. *altor* Paldamus deceptus ab Estré H. Pr. p. 277. — 46. *Quirino* cum C3dd. Lambini Cuningh. *(Quirini* Codd. Bentleii, Pottierii ac nostri.)

— *Caesaris ultor*] Ἀργειφόντῃ, Caesaris figura terras invisenti, hoc apposite tribui poterat, quod Octavianus identidem prae se ferebat, ut initio monumenti Ancyrani Ed. Franz p. 29: *Cum--me Senatus populusque Ro. consulem cum Q. Pedio edidisset* (a. 712.) *et triumvirum rei publicae constituendae, qui parentem coniurati occidissent, omnis in exilium expuli iudiciis legitimis ultus, postea bellum inferentis rei publicae* . . . (cetera desunt.) Vide Excurs. I. Ceterum nota *Caesaris* nomen omni ἐπιθέτῳ destitutum; etenim quemadmodum Horatius, ita Virgilius quoque et Ovidius satis modeste ubique de Iulio Caesare loquuntur. Videlicet metuebant, ne laudes eius nimis magnificae Augusti splendori officerent.

45. Ovid. Met. 15, 868: *Tarda sit illa dies et nostro serior aevo, Qua caput augustum, quem temperat, orbe relicto, Accedat caelo.* Qua cautione autem poëtae Augusti ἀποθέωσιν, id est, mortem eo vivo *tetigerint*, demonstravi ad Od. 3, 3, 12.

46. *populo Quirini*] Sic (non, ut habent Codices aliquot, *Quirino)* poëtae imitabantur sollemnem formulam: *populus Romanus Quiritium.* Ovid. Fast. 1. 69: *Dexter ades patribusque tuis populoque Quirini,* itemque Met. 15, 572. et 756.

47-49. *iniquum*] «iratum.» — *Ocior*] quam nobis in optatis est. Virg. Georg. 1, 500: *Hunc saltem everso iuvenem succurrere seclo Ne prohibete.* — *Tollat*] «in caelum evehat.» — *triumphos*] Ex universa sententia eliciendum v. *agas.* Loquitur de triumphis, qui tunc exspectabantur. Quinto autem consulatu a. d. VIII. VII. VI. Idus Sextiles tres egit, de Pannoniis et Delmatis; ex Macedonia et Actio: ex Aegypto de regina Cleopatra. V. Baiteri Fast. triumph. p. CLXII.

50. *Pater* quidem *patriae* demum a. u. c. 752. publice appellatus est; *Princeps* contra in sexto consulatu a. 726. (quo in nummis vocatur LIBERTATIS. P. R. VINDEX), *Augustus* a. 727. Ovid. Fast. 2, 142: *Vis tibi* (Romulo) *grata fuit; florent sub Caesare leges: Tu domini nomen, principis ille tenet.* Tac. Ann. 1. 1: *Cuncta discordiis fessa civilibus nomine principis sub imperium accepit.* Utrumque igitur nomen et *patris patriae* et *principis* cogitatione veluti praecepit poëta. — Ceterum oratio in his ita temperata est, ut mire utrique et Mercurio et Augusto conveniat.

Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caesar.

51. *Medos*] Parthis eo demum tempore, quo plerique hoc carmen compositum arbitrantur (a. 732.) bellum inferre cogitabat Augustus. Sed hoc quoque a poëta praecipi poterat, uti devictos iam eos fingit Propertius 2, 10, 13: *Iam negat Euphrates equitem post terga tueri Parthorum.* Omnis scil. illorum vis in equitatu erat, quo saepe incursiones in Syriam faciebant.

EXCURSUS I.

Ad C. II.

Cum plerique hoc carmen referre soliti essent vel ad a. u. c. 727. vel ad a. 732. maxime propter Tiberis inundationes his annis a Dione Cassio 53, 16 et 20. 54, 1. memoratas, Franke in Fastis Horatianis p. 136 — 147. tenuia rectioris sententiae vestigia apud T. Fabrum et Dacierium accuratius persecutus, sagacissime demonstravit compositum potius esse ineunte a. 725. ante tres Caesaris Octaviani triumphos a. d. VIII. VII. VI. Idus Sextiles actos, eumque, etsi dubitationibus nonnullis propositis, imitatus est Lübker. Contra Weber *Horaz* p. 183. refert ad proxima ante pugnam Actiacam tempora, ad ver a. u. 723. Verum omnia eo ducunt, ut hic Caesarem iam victorem agnoscere debeamus. Iam ex Frankii disputatione capita quaedam excerpere iuvat. «Nemini», inquit, «sententiarum seriem et nexum accurate pensitanti dubium erit, quin hoc carmen in honorem Caesaris Octaviani factum sit, qui bellis civilibus modo ad finem perductis labentem civitatem erexerit atque instantem ruinam et perniciem tamquam deus tutelaris (atque orbis terrarum pacificator) averterit.» (Imprimis autem Horatio comparandum esse perquam similem Virgilii locum Ge. I, 466. monet p. 142.) — Magnopere autem erravit Acron, si, ut eius verba significare videntur, hoc carmen rettulit ad proxima post Caesaris interitum tempora: *C. Caesaris mortem significat, quo in senatu occiso plurimae tempestates, nives et grandines fuerunt, quo tempore et inundatione Tiberis dicitur Roma laborasse, quod propter Caesarem in honorem Augusti Caesaris, ultoris eius, volt factum videri. Nam de ipso et Virg.* (Ecl. 5, 26.): Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin Flebant, *et alibi* (Ge. 1, 467): Illo etiam exstincto miseratus Caesare Romam. *Haec enim omnia, id est, fulmina, grandines, diluvii metum intelligi volt vindictam Caesaris fuisse.* Et Comm. Cruq.: *Hanc oden scribit in honorem et gratiam Augusti ultoris.* — «Iuvat vero rationem expiscari, qua ductus Horatius Octavianum (sub Mercurii figura) ipsis verbis dixerit *Caesaris ultorem.*

Quid enim? Octavianus ipse se non dominationis cupiditate bella gessisse summumque imperium sibi comparasse, sed ut *caedem patris ulciscereturr* et perniciem a civitate averteret, publice affirmavit nescio dicamne an simulavit in oratione, quam imperium depositurus a. u. c. 726. in senatu habuit. Audi modo eum dicentem apud Dionem Cass. 53, 4: *Ἀλλ' ἀφίημι τὴν ἀρχὴν ἅπασαν - -, ἵνα ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων καταμάθητε τοῦθ', ὅτι οὐδ' ἀπ' ἀρχῆς δυναστείας τινὸς ἐπεθύμησα, ἀλλ' ὄντως τῷ τε πατρὶ δεινῶς σφαγέντι τιμωρῆσαι καὶ τὴν πόλιν ἐκ μεγάλων καὶ ἐπαλλήλων κακῶν ἐξελέσθαι ἠθέλησα.* Cfr. Lib. 53, 9.» Adde Ovid. Fast. 3, 709: *Hoc opus, haec pietas, haec prima elementa fuerunt Caesaris ulcisci iusta per arma patrem.* (Consulendus etiam Riccio *M. F. R.* p. 55. et 113., ubi in nummis P. Clodii est Mars ultor, nudus, galeatus, dextra hastam, sinistra gladium cum balteo tenens.) — «Nequit carmen scriptum esse post a. 727., quo Augustus imperium iam sumpserat et ita confirmaverat, ut de *ruentis imperi rebus* (v. 25.) et de *scelerum expiatione* (v. 29.) nequaquam posset mentio fieri.» (multo etiam minus a. 732.)

Addo illa Augusti verba, quae ex Monumenti Ancyrani initio exscripsi ad v. 44. item Sueton. Octav. 10: *Nihil convenientius duxit quam necem avunculi vindicare tuerique acta.* Hinc verbis v. 45. *Caesaris ultor* significatur inter omnia piacula in bello civili commissa maxime diram esse Caesaris interfectionem. Cfr. Ibid. 29. Et perquam apte poëta eum Caesaris ultorem illo ipso tempore praedicavit, quo paullo ante (a. 724. fere medio) teste Velleio 2, 88: *Ultimus - - ex interfectoribus Caesaris, Parmensis Cassius morte poenas dedit, ut dederat primas Trebonius;* collato Valerio Max. 1, 7, 7. V. Weichert de L. Vario cet. p. 248. — (Ad dira illa portenta v. 1. cfr. etiam Iob 38, 22: *Numquid* (inquit Dominus) *ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli.*)

EXCURSUS II.

Ad. v. 39.

Haec ad v. 39. Christium apud Gesnerum secutus scripseram in prima Editione. Approbavit Dillenburger, tres insuper locos indicans, quo equites vel curru vecti postea *pedites* facti memorantur. Liv. 7, 8: *equites alius alium increpantes, quid deinde restaret, quaerendo, si neque ex equis pepulissent hostem neque pedites quidquam momenti facerent.* Virg. Aen. 7, 666. Ovid. Met. 14, 363. Alii simplicius de veris peditibus Mauris accepere, quibus ultro suggero locos Caesaris B. G. 2, 10., ubi memorat *equitatum et levis armaturae Numidas,* Incerti scriptoris Paneg. Max. et Const. 8: *ferocissimos Mauretaniae populos;* Corippi Iohanneid.

2, 114: *Ifarac* (Afer) -- *Hic pedes insignis clipeo telisque resultat.* Atque hanc rationem videtur praeferre Regel, docte disputans de Iugurtha, de Iuba post acerrimam contentionem Thapsi devicto. Verum sic quoque *peditis ἐκλέκτον* vel temere delectum est vel potius sine *callida iunctura* prorsus *παράδοξον*, utrumque sane contra Horatii morem. Ex nostra contra sententia est Mauri post equi generosi dominoque carissimi mortem immoderato furore accensi cum Romano illius interfectore acerrime depugnantis prorsus egregia pictura. Atque ut Ovidium l. l. dicere decuit: *equique celer fumantia terga relinquit Spemque sequens vanam silva pedes errat in alta,* sic mira haec brevitas *Mauri peditis* lyricae artis magisterium erat, quod postulabat, ut equi amissionem lector ipse sibi cogitatione suppleret.

Quod autem ad T. Fabri coni. *Marsi* attinet, cum nactus interea sim editionem Eduardi Zurckii, Harlemi 1696., accuratiora iam de illa referre possum. Hominis scholastici consilium fuit Dacierianae curae in adolescentulorum usum quasi compendium aliquod elaborare; codices inspexit nullos. Iam cum apud auctorem suum, soceri mire immemorem, haec repperisset: *Il faut nécessairement lire* Marsi, *comme dans les vieilles éditions* — in quibus non dicit neque ut opinor dicere potuisset — ipse confidenter scripsit: « Fide antiq. Codd. reposui *Marsi* pro *Mauri*. »

CARMEN III.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,

III. Inscr. volg. *Ad navem, qua vehebatur Virgilius Athenas proficiscens.* — *Ad navem Vergilii* (sic) *Athenas profecturi* b. — *Ad navem in qua Virgilius Athenas vehebatur* S. — *Ad navem qua Virgilius navigaverat Athenas* C. — Duplicem inscriptionem hancce exhibet T.: *Ad nauem qua uirgilius athenas nauigauit. Nauem prosequitur qua uirgilius athenis* (sic) *uehebatur.*

III. Cum in Graeciam proficisceretur Virgilius a. u. c. 735. (quo anno in reditu mortuus est), discedentem votis pro felici in Atticam appulsu prosequitur. Vide Excurs. I. Simile est Callimachi illud (Fragment. 114. Blomfield): *ἆ ναῦς, ἆ τὸ μόνον φέγγος ἐμὶν τὸ γλυκὺ τᾶς ζοᾶς Ἄρπαξας, ποτί τυ Ζᾶνος ἱκνεῦμαι λιμενοσκόπω.* — Usus hic partic. *sic* in votis precibus obtestationibus ita proprie explicandus: «uti nos a te hoc vel illud exoptamus, *sic*, ubi nostras preces exaudieris, hoc vel illud, quod tu vis, tibi contingat.» Aristaenet. 2, 13: *Οὕτως ἵλεως εἴη σοι Ἀφροδίτη.* — Alibi: «uti hoc nos fecimus, ita tu illud praestes.» Prop. 1, 18, 11: *Sic mihi te referas, levis, ut non altera nostro Limine formosos intulit ulla pedes.* — Venus autem, *potens Cypri* (Od. 1, 30, 1: *regina Cypri;* sicque Od. 1, 6, 10: *lyrae Musa potens;* Od. 1, 5, 15: *potenti maris deo, Κύπρου μεδέουσα*) hic invocatur non tam ut ex mari *Ἀναδυομένη* (Musaeus v. 248: *Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης καὶ κρατέει πόντοιο*), quam ut *Ποντία, Λιμενία, Εὔπλοια* Cnidiis. Paus. 1, 1, 3. Od. 3, 26, 3: *Venus marina.* Solon Fr. 10. Schneidew.: *Αὐτὰρ ἐμὲ ξὺν νηῒ θοῇ κλεινῆς ἀπὸ νήσου Ἀσκηθῆ πέμποι Κύπρις ἰοστέφανος.* Gaetulicus in Anthol. Palat. I. p. 88: *Ἀγχιαλοῦ ῥηγμῖνος ἐπίσκοπε, - - Δεσπότι καὶ θαλάμων, Κύπρι, καὶ ἡϊόνων.* Lucian. Amor. 11: *ἠρέμα τῇ γῇ προσηνέχθημεν αὐτῆς οἱμαι τῆς θεοῦ λιπαρᾷ γαλήνῃ πομποστολούσης τὸ σκάφος.*

2. *fratres Helenae*] Simpliciter *περιφράζει* Castorem et Pollucem, nautis *optatos Tyndaridas* (Propert. 1, 17, 18.), neque cogitavit de nescio cuius poëtae Alexandrini commento, quod nobis servavit Stat. Theb. 7, 794: *Non aliter caeco nocturni turbine cori Scit peritura ratis, cum iam damnata sororis Igne Therapnaei fugerunt carbasa fratres.* Plin. H. N. 2, 37: *Castorum stellas, cum simul videntur, salutares credunt, cum solitariae, graves et noxias.* — *lucida sidera*] Hygin. Poët. Astron. 2, 22: *Geminos complures astrologi Castorem et Pollucem esse dixerunt.* Accipiendum autem de flammulis electricis post nimbos ac procellas in navium malis elucescentibus, quibus Castorum praesentiam significari putabant antiqui, quasque nunc remiges Itali solent appellare *il fuoco di Sant' Elmo*, mire ab *Helena* detorto vocabulo. Eurip. Helen. 1495. Lucianus Navig. 9: *Ἔφασκεν ὁ ναύκληρός τινα λαμπρὸν ἀστέρα Διοσ-*

Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Iäpyga,

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

3. *pater regat* T. — 6. *Debes Virgilium finibus Atticis, Reddas* cum Wakefieldio F. — *(Virgilium] Quintilium* Franke F. H. p. 67.) — 7. *incolomem* S. — 8. *Et] ut* pr. b, et F ex Ch. A.

κούρων τὸν ἕτερον ἐπικαθίσαι τῷ καρχησίῳ καὶ κατευθῦναι τὴν ναῦν. — Venustam eorum imaginem praebet speculum Etruscum apud Inghirami *Gall. Om.* III. p. 203. In nummis supra utriusque caput stella expressa est. Vide *Museo Borbonico* IX. T. 36. (Sine causa et contra vett. Grammaticorum auctoritatem Cuninghamius volebat *fulgida*.

3. *Ventorum-pater*] Aeolus, quem Homerus Odyss. κ, 21. vocat *ταμίην ἀνέμων*.

4. *Obstrictis*] «incatenatis atque retentis in antro illo; Virg. Aen. 1, 52: *vasto rex Aeolus antro Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.*» Homericam Aeoli imaginem v. Odyss. κ, 1. (Odyss. ε, 383. Minerva ventos constringit.) — *Iäpyga*] *Ἀργέστην* ab occasu aestivo ab Iapygia (Apulia) flantem, secundum igitur a Brundisio Athenas navigaturo. *Favonium* Latine dici auctor est Vegetius de re mil. 5, 8.

5. Cui aliquid *creditum* est, is *debet* depositum et, si probus est, *reddit*, restituit die et loco constituto. Cfr. Stat. Silv. 3, 2. Propemptici Maelio Celeri 5: *Grande tuo rarumque damus, Neptune, profundo Depositum.*

6. Porphyrio, «Ambiguum», inquit, «utrum *debes finibus Atticis*, an *finibus Atticis reddas.*» Hinc factum est, ut alii interpungerent post *Virgilium*, alii post *Atticis*. Aliter etiam Jahn: *Debes Virgilium finibus Atticis: Reddas* — qua quidem ratione sententiae nimis discerpi videntur, praesertim cum sic ad v. *reddas* vix aliud suppleas quam «nobis». Satius forsitan aliquis ducat virgula deleta sequi Dillenburgerum. «Ambiguitas», inquit, «non inconsulto admissa ab Horatio; sic enim molestus ac frigidus pronominum usus facillime vitatur.» Ac sane duplex huiusmodi constructio iis Latinae poësis artificiis adnumeranda est, ad quae, multis in rebus Graecae inferior, necessario recurrere debebat, quo supra pedestrem orationem sese extolleret. Hic tamen ipsa caesurae vis requirit, ut incidamus post *Virgilium*. Atque eadem est sententia Ungeri V. R. p. 398.

8. *Et serves*] Una eademque actio significatur vv. *reddas incolumem* et *et serves*. Hinc locum non habet pr. b et Feae Codd. lectio *ut serves*, quae pedestrem redolet orationem. — *dimidium*] Meleager Anth. Pal. II. 464: *Νότος - - ἅμισύ μεν ψυχῆς ἅρπασεν Ἀνδράγαθον.*

Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus nec timuit praecipitem Africum

Decertantem Aquilonibus
Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti,

9. *robur*] «durities», significatione tropice deducta a primaria v. *roboris* (*δρῦς ἀγρία*), ita tamen, ut propria non prorsus evanescat. Lectores enim Latini hic cogitabant primum de quercu s. clupeo e querneis asseribus confecto, deinceps de animi duritie. Nam hanc, non *ῥώμης*, primam sign. esse demonstrant vv. *roboreus, roburneus, robusteus* (*δρύϊνος*), *roboretum* et Italorum vv. *rovere, rovereto*. Similiter Cic. Acad. 4, 31., *ἀναλγησίας* crimine sapientem liberans: *Sapiens non est e saxo sculptus aut e robore dolatus*. (Alii cum Ianio minus recte videntur explicare «robur aeris.» Cfr. Iacobs Lectt. Ven. p. 379. Unger Theb. Parad. p. 446. Mihi etiamnunc placet *abstracti*, quod dicunt, et *concreti* iunctura, ut est C. 15, 12: *currusque et rabiem.) — aes triplex*] «lorica ex triplici aeris lamina conserta.» Est *περίφρασις* hominis durissimi ac fortissimi. Comparant Pindari Fragmentum apud Athen. 13, 17: *κεῖνος ἐξ ἀδάμαντος ἠὲ σιδήρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν·* et Luciani vv. de cal. non tem. cred. 20. ex poëta petita: *οὐδεὶς γοῦν οὕτω γεννάδας ἐστὶ καὶ ἀδαμάντινον τεῖχος τῆς ψυχῆς προβεβλημένος κτλ.* Aesch. Prom. 242: *Σιδηρόφρων τε κἀκ πέτρας εἰργασμένος, Ὅστις κτλ.*— Navigatio autem quomodo paullatim ab hominibus inventa sit, eleganter exponit Maximus Tyr. Diss. 12, 2.

10-13. *truci*] «procelloso et pericula minitanti.» Catull. 4, 9: *trucemve Ponticum sinum.* — *praecipitem*] «necopinato *καταιγίζοντα*.» Ventorum *ἐπίθετον* haud adeo rarum apud poëtas. Ovid. Met. 2, 184: *acta Praecipiti pinus Borea.* — *Africum*] Od. 1, 1, 15. — *decertantem*] «acriter luctantem cum aquilonibus.» Od. 1, 9, 11. *ventos deproeliantes* dicit. Vv. *certandi, luctandi* apud poëtas haud raro construuntur cum dativo.

14. *Hyadas*] Ovid. Fast. 5, 165: *Ora micant Tauri septem radiantĭa flammis, Navita quas Hyadas Graecus ab imbre* (*ὕειν*) *vocat.* Cic. de N. D. 2, 43: *Latini imperite, quasi a suibus essent, Suculae.* — *tristes*] ortu et occasu suo tempestates excitare creditas. Cfr. Voss ad Aratum 172. Virg. Aen. 3, 516: *pluviasque Hyadas.* Georg. 3, 279. Auster: *pluvio contristat frigore caelum.* Pancrates in Anal. Brunck. T. 1. p. 259: *Ὤλεσεν Αἰγείου διὰ κύματος ἄγριος ἀρθεὶς Λὶψ Ἐπιηρείδην Τάσι δυομέναις.*

15. «Qui maximus est dominator Hadriae, sive, procella excitata, attollere fluctus sive cessans placare volt.» (De loco Soph. Aiac. 674., quem huc trahebant: *δεινῶν δ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον*, ubi Schol. *παυσάμενοι δηλονότι·* vide nunc Lobeckii Ed. alt.) Digna est, quae expendatur, Dillenburgeri interpretatio: «Notus in mari Hadriatico, quod

Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere volt freta.

Quem Mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,

18. *siccis*] *rectis* Bentl. coni., *fixis* Cuningh. dubitanter.

ex arbitrio suo regit, non movet solum, sed ponit etiam aliis, qui ibi saevire conati sunt, ventis devictis. Virg. Aen. 3, 69: *placataque venti Dant maria.* 5, 763: *placidi straverunt aequora venti.*» Sed in his quoque, ut apud Horatium, est potius: «ubi flare desinunt, placidum fit mare.» *(Hadria* autem rectior est scriptura quam *Adria,* cum in oppidi nummis legatur HAT.)

16. *ponere*] Propert. 3, 15, 31: *magnos cum ponunt aequora motus, Eurus in adversos desinit ire Notos.* Od. 3, 3, 5: *Auster Dux inquieti turbidus Hadriae.* (De constructione pro *si* (sive) *tollere seu ponere* accurate disputat Regel, quem vide.)

17. *gradum*] ingressum, adventum, *Anschritt.* Lucan. 2, 100: *quantoque gradu Mors saeva cucurrit.* Mors h. l., ut Euripidis in Alcestide *Θάνατος*, *δαίμονος* personam induit, qui velut bellator «ingenti gradu» (Liv. 2. 40.) incedit. Eadem imagine Soph. Oed. Tyr. 28: *ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς Σκήψας ἐλαύνει Λοιμὸς ἔχθιστος πόλει.* (Virg. Aen. 11, 197: *Multa boum circa mactantur corpora Morti.)* Neque vero Orientalibus poëtis insolita est imago. Cfr. Schultensii Hamasa p. 443: *Ast ego, etiamsi diu superstes sim, Novi occursuram mihi cuspidem Mortis, quae corusca fulminat.* — Mortis cum gladio destricto gradum totamque formam tibi monstrabit monumentum Etruscum apud Inghirami *Gall. Om.* III. T. 60. V. Excursum.

18. Apud veteres saepe fletus iis tribuitur, quibus nos vel alia perturbati animi signa vel silentium ac stuporem tribueremus. Propert. 3, 7, 55. naufragus: *Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis.* Ovid. Metam. 11, 539. item de naufragis: *Non tenet hic lacrimas, stupet hic.* Fast. 3, 596: *Iactatur tumidis exsul Phoenissa per undas, Humidaque opposita lumina veste tegit.* Curtius 5, 5: *Desperatio ingens, adeo ut vix lacrimis abstinerent, incesserat.* Fuerunt, qui collato Euripidis Or. 383: *δεινὸν δὲ λεύσσεις ὀμμάτων ξηραῖς κόραις*, et Suida in v. *Ἀνέφερε. αὖος ἦν ὑπὸ τοῦ φόβου*, explicarent de hominis impii insano stupore. Verum a vv. *Illi robur* cet., magisque etiam a vv. *Quem mortis* cet. impietatis atque insaniae reprehensio longe abest. Nam «*nullum mortis gradum timere*» summae est fortitudinis, quam, etsi secreto horrore perfusi, admirari tamen debemus. In seqq. demum progrediente cogitatione impietatem vocat eandem illam audaciam, quam antea propter admirationem vix animo conceperat. *Siccis oculis* est igitur Aeschyli Sept. c. Theb. 698: *ξηροῖς ἀκλαύστοις ὄμμασι·* nec audebimus corrigere poëtam scribendo: *rectis* vel *fixis* vel *invictis* vel etiam, quod Praedicovii erat somnium, *σιγχοῖς*, *fastidiosis.*

Qui vidit mare turgidum et
Infames scopulos Acroceraunia? 20
Nequicquam deus abscidit

19. *turbidum* Bentl. e Locheri Ed. et e Codd. «Codd. quidem», ait, «etiam optimae notae alii *turgidum*, alii *turbidum* exhibent.» Et *turbidum* T, Pottierii 1, 3, 7, 8, 9, 14. 20. — *acroceraunie* c, *alta Ceraunia* Luctat. Plac. ad Stat. Theb. 6, 155. (*Acroceraunia* omnes Nostri.)

19. *turgidum*] Hesiod. Theog. 131: πέλαγος οἰδματι θῦον· significantius quam *turbidum;* nam *turgidum* est mare cummaxime insaeviente procella, *turbidum* manet etiam post illam aliquanto placatam.

20. *Infames*] δυσωνύμους, propter multa quae ibi fiunt naufragia. Sic Liv. 21, 31: *infames frigore Alpes.* Val. Flacc. 2, 622: *Parium infame fragosis vadis.* Tac. Hist. 2, 93: *infamibus Vaticani locis* (propter aërem pestilentem). — Contra eos, qui praetulerant *alta Ceraunia,* Bentleius monuit: «Non sane tolerari hic potuit duplex epitheton *infames* et *alta.* Hoc enim illius vim infringeret.» (Opposuit quidem Iohnson Lucani 3, 652: *scopulosa Ceraunia nautae Summa timent.)* Adiunge longe robustiorem et, ut ita dicam, terribiliorem esse sonum v. *Acroceraunia* quam vv. *alta Ceraunia,* etsi ceteri poëtae addito epitheto *Ceraunia* plerumque usurpant. Virg. Georg. 1, 332: *Aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo Deiicit.* Apud Prop. 1, 8, 19. olim: *per saeva Ceraunia,* nunc: *praevecta Ceraunia.* Idem 2, 16, 3: *saxo-Cerauno.* Ovid. Am. 2, 9, 19: *violenta Ceraunia.* Ovidius tamen R. A. 739: *Hae tibi sint Syrtes, haec Acroceraunia vita.* Hic autem nomen χύριον minime dedecet elocutionem poëticam, cum appositio *infames scopulos* satis illud ornet. Statii vero Scholiasta locum memoriter videtur attulisse ad Theb. 6, 155.; alibi idem servat librorum lectionem. Nomen ipsum inde ductum, quod propter altitudinem crebro de caelo tanguntur. Promontorium est Epiri, hodie *il monte della Chimera.*

21. 22. *Nequicquam*] «Quid, quod primus ille nauta etiam deorum immortalium voluntati restitit?» — *deus*] In rebus ad κοσμογονίαν spectantibus saepe *deus* infinite pro *Iove.* Ovid. Met. 1, 21: *Hanc deus et melior litem natura diremit.* — «Frustra igitur deus discrevit inter se orbis terrarum partes *Oceano dissociabili,* activa significatione, «qui eas dissociaret», ut Lucret. 1, 11: *genitabilis aura Favoni,* Ovid. Met. 13, 857: *penetrabile fulmen.* Quod Reiskius interpretatus est Oceanum ἄμικτον, quocum societas nulla contrahi possit: minus aptum propterea videtur, quod qui Oceano se credunt, reapse societatem quandam cum eo ineunt. Nec vero explicare possumus cum Ouwensio: «terras abscidit ab Oceano; mare et terram diversa esse elementa deus voluit, antiqua eorum societate, cum adhuc unum chaos essent, dissoluta, unde Ovid. Met. 1, 22: *Nam caelo terras et terris abscidit undas; dissociabilis* autem idem est, quod *dissociatus.*» Quam in interpretatio-

Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iäpeti genus

22. *dissociabilis* Bentl. coni., quam fecerat iam Gualterius, itaque F, scribens *dissociabiles*; *dissociabile* Cuningh. coni. firmata a Cod. Leid. prob. Oudend. ad Apul. Met. 5. p. 359. — 27. *Atrox* Bothius. V. Iahnium.

nem incidit maxime propter v. *abscidit*, cum ei, nostra si vera esset, *discidit* requiri videretur. Sed cum v. *discidit* et propter metrum et propter egregium illud *ἐπίθετον dissociabili* uti non posset, scripsit *abscidit*, non terram a mari, sed unam partem orbis terrarum ab altera. Regel sic interpretatur: «Cuius remota inter se sociari nequeunt litora.» — Quodsi cum Bentleio legas *dissociabiles*, huius voc. unica interpretatio erit: «dissociatas, dissaeptas», epitheto satis otioso. Neque vero Oudendorpii ad Apuleii Met. 5. p. 359. probamus *dissociabile*, id est, «dissociabiliter.» Comparari quidem poterat ex parte Virg. Aen. 12, 338: *miserabile caesis Hostibus insultans*, sed recipere vetat consuetudo Horatiana, quae etsi admittit *dulce ridere, turbidum laetari* cet., *dissociabile abscindere* nunquam amplexa esset.

23. 24. *impiae* per adiectivi prolepsin poëticam; nam propter id ipsum, quod *transiliunt vada, impiae* fiunt. Cfr. Koch ad Luciani Char. p. 56. — *transiliunt*] «rapido cursu traiiciunt.» Propert. 4, 17, 13: *Ah pereat, quicunque rates et vela paravit Primus et invito gurgite fecit iter!*

25. *omnia perpeti*] *γένος δεινὸν πάντα τλῆναι*, omnia, etiam maxima pericula subire; in quo ipso inest notio omnia *faciendi*, quae cruciatum creare possint.

26. *Gens*] Philosophus aliquis scholasticus excogitasse videtur lect. Codd. Torrentii: *Mens humana. Ruit* autem *per vetitum nefas* breviter ac nove dictum est pro: «*ruit per vetitum* atque adeo *nefas* committere audet.» Nimis argute Bosscha: «*Nefas* est, quod non licet, quod naturae impulsu non licere sentit homo, v. c. latrocinari, caedem committere: *vetitum nefas*, cui natura se multis et magnis impedimentis opposuit, quod homo committere non potest nisi ruptis ac revolsis his impedimentis.» Adeo vero in hoc haeserunt, ut Oudendorp proponeret *per vetitum in nefas*, Duhamel *per vetitum et nefas*, quod ipsum in suspectissimo suo Cod. Sorbonae repperisse se ait Valart.

27. *Audax* consulto repetitur, ut notio primaria; id quod non agnovit, qui proposuit *atrox*. Est igitur: «Audax, rursus dico, Prometheus ille, audaciae et fraudulentae sollertiae mortalium quasi species et symbolum.» — *Iäpeti* filius Prometheus. Hesiod. *Ἔργ.* 50: *Ζεὺς Κρύψε δὲ πῦρ, τὸ μὲν αὖτις ἐῢς πάϊς Ἰαπετοῖο Ἔκλεψ' ἀνθρώποισι Διὸς πάρα μητιόεντος Ἐν κοίλῳ νάρθηκι, λαθὼν Δία τερπικέραυνον.* — *genus*] Sic Catull. 64, 2. Hymenaeum *Uraniae genus* appellat.

Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aëra

29. *aetherea* c, t. — *domo* F.

28-30. *fraude mala*] κακῇ τέχνῃ. Dictum est ut *dolus malus*. — *aetheria domo*] Eurip. Melanippae σοφῆς Fr. IX. p. 738. ed. Wagner: Ὄμνυμι δ' ἱρὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός. — *Subductum*] «subreptum, furto ablatum in ferula.»

30. *macies*] «Φθίσις et febres (febres maciem afferentes) ante ignotae tamquam sceleris commissi poenae humano generi *incubuerunt*, ἐπέσκηψαν.» (Lucret. 6, 1142: *morbifer aestus Incubuit populo Pandionis.*) Iam apud Hesiod. Ἔργ. 102. e Pandorae dolio patefacto: Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ Αὐτόματοι φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι. Cuius tamen fabulae poëtae Latini, qui nobis servati sunt, nusquam meminere. Servius ad Virg. Ecl. 6, 42: *Ob Promethei furtum irati dii duo mala immiserunt terris, febres et morbos, sicut et Sappho et Hesiodus memorant, - - quod tangit etiam Horatius.*

32. *Semoti - - tarda*] Cumulat homonyma, quo δεινοτέρως significet diutius vixisse homines ante funestum Promethei donum quam postea. *Necessitas* fatalis *leti* acceleravit gradum, rursus Homeri Μοίρας θανάτοιο persona induta, et argutatur, qui de *Necessitate leti* hoc negat, de *Leto* necessario concedere cogitur a Virgilio Aen. 6, 277: *Letumque Labosque.* — Ceterum Galiani et Bosscha falso, ut reor, construunt: *necessitas corripuit gradum Leti.*

34. Virg. Aen. 6, 14: *Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna, Praepetibus pennis ausus se credere caelo.* Ov. Met. 8, 183. — *vacuum*] Pind. Ol. 1, 6: ἐρήμας δι' αἰθέρος.

36. *Perrupit*] «Optimus versus, ut qui strepitu verborum tumultuantem et per vim ad inferos irrumpentem Herculem nobis ante oculos adducat.» Landinus. Ultima v. *perrupit* longa in arsi, nec opus fulcro *perrupitque*. — *Acheronta*] ut Cerberum ex Orco extraheret, qua occasione usus simul amicum Theseum liberavit. Cfr. ad Od. 4, 7, 28. — *Herculeus labor*] «Hercules, qui omnes labores fortiter exanclavit.» Haud cogitandum de Graeco modo βίη Ἡρακληείη.

37. Lectionem Codd. vetustiorum et meliorum (etiam Franequerani Bosii) *ardui est* retinui et propter χρίσεως diplomaticae rationes et quia Horatius a volgari consuetudine consulto recessisse videtur: alioqui sane usitatius esset: «*nil mortalibus arduum est*», vel sine dativo: «*nil ardui est* hoc vel illud facere.» Nunquam tamen oblivi-

Pennis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Nil mortalibus ardui est;
Caelum ipsum petimus stultitia neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

36. *Perrupitque* corr. b., ut volebat Glareanus. — 37. *ardui* bSTc, quattuor Bland., Schol. Franeq., Bentl. ex *βγ* et pr. k: *arduum* sex Pott., LCtFM. (ut nos, J.)

scemur, ipsum Horatium scripsisse vel *arduist* vel *arduumst*, quae sane facile confundi poterant a librariis.

38. *stultitia*] quia *ἀδύνατον*. Pindar. Pyth. 10, 42: *ὁ χάλκεος οὐρανὸς οὔ ποτ' ἀμβατὸς αὐτῷ*.

40. *iracunda*] Pindarus quoque Nem. 6, 90. Iovi tribuit *ἔγχος ζάκοτον*. — *ponere*, ut saepenumero apud Livium *ponere arma*. Cfr. Drakenb. ad Liv. Epit. Lib. 88. p. 224. Stuttg.

EXCURSUS I.

AD. C. III.

Operae pretium cum videatur, ut, qui cura Hofman Peerlkampiana adhuc caret, unum saltem subtilissimae eius *κρίσεως* specimen capiat, quamque ingeniose ac perite vel huic carmini varices secuerit atque poëtam antea molestissima pinguedine incredibilem in modum laborantem ad macram sanitatem reduxerit, lector habeto hoc carmen, ut *αὐτὸς ἔφα:*

Sic te diva potens Cypri
Et fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis praeter lăpyga,
Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.
Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti.

Nequidquam deus abscidit
  Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
  Non tangenda rates transiliunt vada.
Nil mortalibus arduum est.
  Caelum ipsum petimus stultitia, neque
Per nostrum patimur scelus
  Iracunda Iovem ponere fulmina.

Quodsi hunc Horatium, verum scilicet, edere liceret, quot quantisque laboribus in posterum supersedere possemus! Etenim in uno hoc carmine (migrata licet lege Meinekia de quaternorum versuum strophis) XVIII. versiculos ab ineptis Grammaticis inculcatos securo silentio transiremus.

EXCURSUS II.

Ad C. III.

Ceteris ex locis, ubi Virgilii poëtae mentionem facit, imprimis Od. 1, 24. Sat. 1, 5, 40., multis inde a seculis ardentioribus ingeniis, nimio fortasse utriusque amore abreptis, ad illum carmen hoc pertinere pro certo persuasum erat, ideo maxime, quod sincera atque intima eos amicitia coniunctos fuisse simpliciter crederent. At vero sapientiores videlicet Critici hanc inter illos necessitudinem addubitare nuper coeperunt; quae nova sapientia huic iuventuti *σκεπτικωτάτῃ* magnopere ut placeret consentaneum erat. Cum igitur egregius ille Fastorum Horatianorum conditor, suas propter rationes, coniectura plus quam Cuninghamiana v. *Virgilium* in *Quintilium* (Od. 1, 24.) mutandum censuisset, scilicet ne tres priores Carminum libri a. u. c. 736. sed aliquot ante annis editi viderentur, sagacius etiam Luebker cogitavit de altero illo Virgilio, *iuvenum nobilium clienti* vel, ut Scholiastae hominem vocant, *unguentario*, Od. 4, 12.

Hoc vero mihi prorsus incredibile videtur inter Maecenatem, Caesarem Octavianum et Sestium ab Horatio intrusum esse iuvenem ceteroquin ignotum, quemque diu postea, id est, demum ante editum Librum quartum, in suam familiaritatem admisisse videtur. Quanto aptius erat ab utroque *potente amico* continuo excipi amicum, Maecenati, Caesari, ipsi carissimum illisque dignissimum, subsequi deinceps virum amplissimum ac propter virtutem animi omni observantia dignum, L. Sestium! Nam casu nescio quo permixta non sunt Horatii carmina, sed certa quodam consilio ordinata.

At quod dicunt a Virgilio nunquam laudatum, ne commemoratum quidem esse Horatium, hunc autem hoc carmine nusquam significare poëticam amici facultatem, id vero perfacilem, opinor, habet solutio-

nem. Non potuit Virgilius in Bucolicis nominare, ut Pollionem, ut Cornelium Gallum, Horatium etiamtunc Romanis prope ignotum, minus etiam in Georgicis et in Aeneide; potuit Horatius arguta quadam blanditia, non humili adulatione usus, tamquam poëtas laudare Pollionem, tulum Antonium, etiam Varium suum ad Agrippam scribens; potuit Tibullum in Epistola Cassio Parmensi anteponere, in Satira Virgilio ipsi ex animi sententia tribuere *molle atque facetum* genus scribendi; sed ipse intimae amicitiae pudor et insita utrique urbanitas atque modestia Athenas proficiscenti amico illud nimis utique exaggeratum *Nescio quid maius nascitur Iliade!* acclamare prorsus vetabat. Quid igitur fecit? Amantissime cum Virgilio suo tranquillam ac periculis liberam optasset navigationem — qua in re sola totius carminis vertitur cardo —, secutus Graecum aliquod, ni fallor, exemplar nondum Latinae poësi accommodatum, in illas primi nautae omnisque mortalium temeritatis exsecrationes, lyrico impetu abreptus, huius tamen affectus semper et summus artifex et sibi constans rector, prorupit; eoque magis in maris periculis et describendis et detestandis immoratus est, quod de amico, quem nunquam postea vidit, si non aegrotanti, at saltem viribus iam imminutis languenti, timebat. (Cfr. Donati V. Virgil. 13.)

EXCURSUS III.

Ad Od. III. v. 18.

Qui siccis oculis] Cum semper reperiantur, qui in simplicissimo hoc *ἐπιθέτῳ* haereant, quemadmodum Paldamus nuper *invictis* coniecit, agedum addamus tres locos de lacrimis ab antiquis copiosius, ut videtur, quam a nobis effundi solitis. Eurip. Helen. 950: *Καίτοι λέγουσιν ὡς πρὸς ἀνδρὸς εὐγενοῦς Ἓν ξυμφοραῖσι δάκρυ' ἀπ' ὀφθαλμῶν βαλεῖν.* Caesar B. G. 1, 39. de suis militibus rumore, quem de incredibili Germanorum virtute acceperant, penitus perterrefactis: *nonnulli pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent, remanebant; hi neque voltum fingere neque interdum lacrimas tenere poterant.* Ovid. Fast. 3, 595: *Iactatur tumidas exsul Phoenissa per undas, Humidaque opposita lumina veste tegit.* — (Ad v. *siccis* Unger in Theb. Parad. p. 370: aptissime affert hunc locum Senecae Herc. Oet. 1266: *Invictus olim voltus et nunquam malis Lacrimas suis praebere consuetus — pudet! — Iam flere didicit. Quis dies fletum Herculis, Quae terra vidit? Siccus aerumnas tuli.* Halm.)

CARMEN IV.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,

IV. Inscr. volg. *Ad L. Sestium consularem.* — *Ad Sestium de verno tempore* S. Om. T.

IV. Tempus, quo hoc carmen compositum sit, nos latet; Weber refert ad a. 715., quia Epodorum formis posterioribus temporibus iam usus non sit, alii ad a. 718., Grotefend ad a. 725, plerique, ut Walckenaer, ad a. 732., propter Sestii consulatum. Inscriptum est L. Sestio, quem Augustus consulem sibi suffecit a. 731. *Λούκιον ἀνθ' ἑαυτοῦ Σήστιον ἀνθείλετο, ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συσπουδάσαντα καὶ ἐν πᾶσι τοῖς πολέμοις συστρατεύσαντα καὶ ἔτι καὶ τότε καὶ μνημονεύοντα αὐτοῦ καὶ εἰκόνας ἔχοντα καὶ ἐπαίνους ποιούμενον.* Dio Cass. 53, 32. (quam animi nobilitatem in Augusto praedicat etiam Ovidius Trist. 1, 4, 39. et 2, 1, 43: *Tu veniam parti superatae saepe dedisti, Non concessurus quam tibi victor erat.)* Exstat eius nummus unâ amici memoriam conservans apud Riccio *M. F. R.* p. 212: *L. SESTIVS. PRO. Q.* ‖ *Q. CAEPIO. BRVTVS. PRO. COS.* Cum viro illo generoso amicitiam contraxerat Horatius, cum tribunus militum Bruto duce erat. Male Codd. nonnulli in Inscriptione et Porphyrio ei *Publii* praenomen paternum tribuunt, quod iis ex Tullii Sestiana notius erat. (Utrum autem imitatus sit Alcaei illud (Bergk p. 582.): *Ἥρος ἀνθεμόεντος ἐπάϊον ἐρχομένοιο*, prorsus incertum manet.)

1. *Solvitur*] Hunc versum asynartetum ex tetrametro dactylico et ithyphallico constantem invenit Archilochus. Fragm. 85. Schneidew.: *Οὐκέθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα· κάρφεται γὰρ ἤδη.* — Pseudotibull. 3, 5, 4: *Cum se purpureo vere remittit hiems.* Contra *rura gelu claudit hiems* Virg. Georg. 2, 317. Od. 4, 12, 1: *Veris comites - - animae Thraciae.* — Ver autem apud Romanos incipiebat IV. Id. Febr. (D. X.) Ovid. Fast. 2, 149. vel. VII. Id. Febr. Vid. ad v. 17.

2. Iambum ex prima sede (ut Od. 2, 18, 8.) expulsuri frustra correxerunt *ducuntque,* item *torquentque, truduntque* (Oudend.). Librorum scripturam firmat Marius Victorinus p. 161. Gaisf. et *trahere* recte de navibus dici evincit etiam Nonius p. 234. Merc.: *classis trahere in salum;* «in mare» autem addere, quod h. l. nonnemo desideravit, nihil attinebat; quo enim alio traherentur? Scribit Vegetius de re mil. 5, 9. ex die III. Id. Novembr. usque in diem VI. Id. Mart. maria claudi. «*Natalis vero,* inquit, *ut ita dicam, navigationis sollemni certamine publicoque spectaculo multarum gentium celebratur.*» Gratissima igitur haec imago, ab H. Peerlcampio acriter reprehensa, debebat esse etiam Horatio, ut postmodum Paulo Silentiario, eius et Propertii interdum imitatori, Anth. Pal. II. p. 284.: *Ἄρτι δὲ δουρατέοισιν ἐπωλίσθησε κυλίνδροις Ὁλκὰς ἀπ' ἠϊόνων ἐς βυθὸν ἑλκομένη.* Tunc *machinis,* id

Trahuntque siccas machinae carinas,
Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.

Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna,
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum

est, phalangis, cylindris funium ope naves in mare deducebantur. Caesar B. C. 2, 10: *hoc opus omne - - machinatione navali phalangis subiectis ad turrim - admovent.*

3. 4. *neque - - aut - - nec*] ut Od. 2, 9, 1. *Non - - aut - - nec. — Cana* poëtis et *pruina* et *nix.* Sat. 2, 5, 41. Virg. Ge. 2, 386. Ovid. Her. 5, 16.

5. Lucret 5, 736: *It Ver et Venus et Veneris praenuntius ante Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter.* Tibull. 2, 3, 3. item de tempore verno: *Ipsa Venus laetos iam nunc migravit in agros. — Venus Cytherea* sic iunctim rarissime invenitur (Arnob. 4, 24.), et inter Graecos apud recentiores dumtaxat, ut apud Musaeum v. 32: *ἀλλ' αἰεὶ Κυθέρειαν ἱλασκομένη Ἀφροδίτην.* Simile tamen est in Hymno Homerico in Venerem 1: *ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης Κύπριδος.* Theogn. 1386: *Κυπρογενὲς Κυθέρεια δολοπλόκε.* (Ovid. Her. 7, 59: *mater Amorum Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.) — imminente*] «desuper, medio ex caelo lucente,» non «oriente.» Noctu remotis mortalibus arbitris terra grata est caelestibus. Stat. Silv. 1, 1. 95: *sub nocte silenti, Cum superis terrena placent. — choros ducit*] de saltatione ad artis regulas composita, ut Virg. Aen. 1, 499: *Exercet Diana choros;* non: «ludibunda huc et illuc salit, *hüpft,*» ut nuper Scholasticus aliquis explanavit.

6. *Iunctae*] Eurip. Hippol. 1147: *συζυγίαι Χάριτες.* Seneca de Benef. 1, 3: *tres Gratiae sorores manibus implexis, ridentes, iuvenes et virgines, solutaque ac pellucida veste.* Suidas p. 3881. Gaisf.: *Τρεῖς αἱ Χάριτες, Πειθώ, Ἀγλαΐα καὶ Εὐφροσύνη. — decentes*] *ἁβραὶ Χάριτες.* Sappho Fragm. 50. Neue. Hesiod. Theog. 907: *Τρεῖς δέ οἱ* (Iovi) *Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρῄους, Ὠκεανοῦ κούρη, πολυήρατον εἶδος ἔχουσα, Ἀγλαΐην τε καὶ Εὐφροσύνην Θαλίην τ' ἐρατεινήν.* Sunt igitur «amabiles», ut Od. 1, 18, 6: *decens Venus.* (Ceterum cfr. Stoll ad Antimach. p. 92.)

7. *quatiunt*] «Saltant numerose nunc hoc, nunc illo pede *(Tact)* terram pulsantes.» Pro *quatere* alibi *pellere, pulsare, tundere terram.* Sil. 3, 347: *pedis alterno percussa verbere tellus.* Similes loci sunt Hymn. in Apoll. Pyth. 194: *Αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἐΰφρονες Ὧραι, Ἁρμονίη θ' Ἥβη τε Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη Ὀρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι,* et Fragm. *τῶν Κυπρίων* apud Athen. 15. p. 682: *Ἡ δὲ σὺν ἀμφιπόλοισι φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη Πλεξαμένη στεφάνους εὐώδεας, ἄνθεα γαίης, Ἂν κεφαλαῖσιν ἔθεντο θεαὶ λιπαροκρήδεμνοι, Νύμφαι καὶ Χάριτες ἅμα δὲ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ, Καλὸν ἀείδουσαι κατ' ὄρος πολυπιδάκου Ἴδης. — graves*] laboriosas. «Iam appro-

Volcanus ardens urit officinas.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
Aut flore, terrae quem ferunt solutae.
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,

8. *visit* cum γ (et Pottierii 1, 3, 8, 9, 14.) Bentl., *ussit* cum var. *iussit* Marius Plotius p. 299. Gaisf.

pinquat tempus aestivum; eo enim imminente in Aetna monte Volcanus procudit fulmina Iovi, quae in aestate mittat.» Schol. apud Vanderb. Eandem interpretationem proposuit etiam Glareanus: «Cur hic Volcani fiat mentio, nullus Commentatorum explicat. Ego ideo puto eius meminisse poëtam sub verni temporis descriptionem, ut Iovi fulmina paret ad aestatem, qui hieme, more hiemantium militum, in Olympo suo inclusus cum ceteris dis egregie potarit.» — *Cyclopum*] Distinguendi τρωγλοδύται, coclites Homeri (Polyphemus) ab Hesiodi (Theog. 140.) Cyclopibus, Caeli et Terrae filiis (Ἄργης, Στερόπης, Βρόντης), qui iam apud Apollonium Argon. 1, 728. Iovi fulmina cudunt, et a Cyclopibus Thraciis, Cyclopiorum murorum in Argolide cet. conditoribus.

8. *Volcanus*] Eius effigiem vide in Gerhard *ant. Bildw.* T. LXXXI, 3: *Im Angesicht ist die derbe Tüchtigkeit des erfahrenen Feuerbezwingers mit geschickter Künstlerhand ausgedrückt.* — *ardens*] ut Claudian. 72, 3: *ardentem deum*, Statius Silv. 3, 1, 133: *flammeus Mulciber*, διάπυρος, αἴθων· Suidas: Αἱθαλόεις θεὸς ὁ Ἥφαιστος ὡς χαλκεύς. Eundem Lucianus de Sacrif. 6. vocat πυρίτην καὶ σπινθήρων ἀνάπλεων οἷα δὴ καμινεύτην. Est igitur «flammis relucens.» — *urit*] «igne a se accenso, ut ferveant ferri massae et flammis colluceat tota officina. Proxime accedit Eurip. Troad. 308: φῶς φέρε, σέβω, φλέγω – – λαμπάσι τόδ' ἱερόν, «facibus hoc templum collustro.» Hippol. 1279: (γῆν,) τὰν Ἅλιος αἰθομέναν δέρκεται, «lumine suo ac splendore collustratam.» Propert. 2, 1, 54: *sive Colchis Colchiacis urat aëna focis*. Audaciora etiam haec: Pind. Ol. 9, 21: φίλαν πόλιν μαλεραῖς ἐπιφλέγων ἀοιδαῖς. Eurip. Phoen. 243. Herm.: Ἄρης αἷμα δάϊον φλέγει. Cum nonnulli offenderent in homonymis *ardens urit*, correxerunt iam antiqui librarii, neque prorsus infeliciter, *visit* (Od. 3, 28, 14: *Venus Paphon iunctis visit oloribus*. Apollon. Rhod. 3, 41. de Volcano: ἀλλ' ὁ μὲν εἰς χαλκεῶνα καὶ ἄκμονας ἦρι βεβήκει), Iulius Caesar Scaliger *urget*, Cuningh. *quassat* vel *vexat*, Wadius *versat*, fere ut Seneca Hippol. 190: *Et qui furentes semper Aetnaeis iugis Versat caminos*. Quae tamen omnia languidiora sunt quam *urit*. — Egregiam Volcani in officina sua Thetidi Achillis scutum porrigentis imaginem invenies in *Museo Borbonico* X. T. 18. De Clarac *Mus. de Sculpt.* T. 84. Hirt *Bilderbuch* T. 27.

9. *nitidum*] unguentis delibutum. — *impedire*] Stat. Silv. 4, 3, 68: *Crinem mollibus impeditus ulvis Volturnus*. Od. 1, 7, 23: *vincire*, re-

Seu poscat agna sive malit haedo.

Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. O beate Sesti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam. 15

12. *agnam - - haedo* Marius Victorinus p. 173. Gaisf., *agnam - - haedos δλ*, *agnam - - haedum* duo Pottierii, LF. — 14. *Sexti* LC. — 15. *incoare* T, *incohare* F.

dimire corona, quae est veluti vinculum, impedimentum capitis.

10. Virg. Georg. 4, 444: *Zephyro putris se gleba resolvit.*

11. *Fauno*] Cfr. ad Od. 1, 17. Dionys. Halic. 1, 31: *Φαῦνον ὡς ἐπιχώριόν τινα Ῥωμαῖοι δαιμόνων θυσίαις καὶ ᾠδαῖς γεραίρουσιν.* Ovid. Fast. 2, 193: *Idibus* (Febr.) *agrestis fumant altaria Fauni.* (Et *Faunalia* Non. Decembr. Schol. ad Od. 3, 18, 10.?) Ver autem Romanis incipiebat iam a. d. VII. Id. Febr. teste Varrone RR. 1, 28., quo die Favonius spirare incipit. Columella 2, 2, 15. — *immolare*] et cum accusativo construitur *(bovem imm.* Cic. de N. D. 3, 34. *inferias imm.* Aen. 10, 519.) et cum ablativo. *(quibus hostiis immolandum sit* Cic. de Legg. 2, 12. Liv. 41, 14: *immolantibus Iovi singulis bubus.* Virg. Ecl. 3, 77: *facere vitula.)* Sed ex pontificum sermone, qualem cognoscimus ex Tabulis fratrum arvalium, legitima haec erant: *immolare taurum* cet., *facere ture et vino.* Ablativum h. l. agnoscit iam Servius ad Virg. Ecl. 3, 77. — *lucis*] qualis erat Fauni lucus, templum oraculumque ad fontem Albuneae in agro Tiburtino. Cfr. Interprett. ad Virg. Aen. 7, 82.

13. *Pallida*] quia exsanguis, non: «pallidos reddens.» — *aequo pede*] in pedestri oratione: «pauperes et divites aeque abripit.» — *pede pulsat*] Recentiores in hac imagine offensi, «*pulsare* minus recte de accessu dici» contendentes, eam amovere conati sunt, sed proprie accipiendum ex solito antiquorum more. Callimachi Hymn. Apoll. 3: *Καὶ δήπου τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει.* Plaut. Most. 2, 2, 23: *pulsando pedibus paene confregi hasce ambas* (fores). Ovid. Heroid. 21, 46: *Persephone nostras pulsat acerba fores.* — *tabernas*] humiles tenuiorum habitationes in oppidis, ruri tuguria, casas. — *aequo - - Regumque*] In prosa oratione *aeque - - ac* vel *et regum.* V. Od. 2, 18, 32. Cfr. Hand Turs. I. p. 491.

14. *turres*] locupletum aedes excelsiores. — *beate*] «tu, qui omnibus vitae commodis large frui solitus es, et iis, quae mente atque ingenio, et ceteris, quae opulentia comparari possunt.»

15. *summa*] quia ex singulis diebus conficitur breve vitae spatium. — *spem - - longam*] Tac. Ann. 13, 37: *omissa spe longinqua et sera.* — *inchoare*] semper significat ita aliquid incipere, ut non finiatur. Seneca Ep. 101: *O quanta dementia est spes longas inchoantium!* Simonides Fragm. 34. Schneidewin: *Ἀνθρώπων ὀλίγον μὲν κάρτος, ἄπρηκτοι δὲ μελῃδόνες, Αἰῶνι δ' ἐν παύρῳ πόνος ἀμφὶ πόνῳ· Ὁ δ' ἄφυκτος ἐπικρέμαται θάνατος· Κείνου γὰρ ἴσον λάχον οἵ τ' ἀγαθοὶ ὅστις τε κακός.*

Iam te premet nox fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,

16. *fabulaeque et manes* S', *fabulam atque manes* prava coni. Hofman Peerlkamp prob. Crit. Monac. 1836. p. 603.

16. *Iam*] de re suo tempore pro certo futura ideoque confidenter exspectanda, ut Tibull. 1, 1, 70: *Iam veniet tenebris mors adoperta caput.* Hand Turs. III. p. 125. — *premet nox*] Virg. Aen. 6, 828: *animae dum nocte premuntur.* Asclepiades Anal. Br. 1. p. 213: *μετά τοι χρόνον οὐκέτι πουλύν, Σχέτλιε, τὴν μακρὰν νύκτ' ἀναπαυσόμεθα.* — *fabulae*] Non est genitivus sing., sed nom. plur., Manes fabulosi, id est, inanes. Callimach. Epigr. 14, 3: *τί δὲ Πλούτων; Μῦθος.* Et *fabulas Manes* hinc sumpsit Iulius Agathemerus in Anthol. Lat. Burm. II. p. 473: *Angar haud miserae pavore mortis, Quae ad domus trahet invidas Averni, Fabulas Manes ubi rex coërcet.* Pers. 5, 152: *cinis et manes et fabula fies.* Ex hac imprimis imitatione Persii, qui Horatianam appositionem dissolvit, patet, non explicandum esse: «de quibus multae fabulae narrantur», ut est sane Od. 1, 22, 7: *fabulosus Hydaspes.* Seneca Troad. 403. de Orco: *Rumores vacui verbaque inania, Et par sollicito fabula somnio.* Ex v. autem *premet*, «tenebris suis urgebit,» eliciendum: «circumdabunt, circumvolitabunt te manes» et ad vv. *domus exilis:* «te teget.»

17. Epp. 1, 6, 45: *Exilis domus est, ubi non et multa supersunt,* paupercula et angusta, sive, ut Bentleius: «egens et inops, sine supellectile et penu;» in Orco autem omnia, ut umbras ipsas, «exilia, vana, inania, tristia» sibi fingebant, ut Odyss. κ, 512: *Ἀΐδεω δόμον εὐρώεντα.* Virg. 6, 269: *Terque domos Ditis vacuas et inania regna.* Alii inde a Rutgersio V. L. p. 240. minus apte cogitant de ipso sepulcro, quod *Ditis aeterna domus* appellatur in Anthol. Lat. II. p. 268, itemque *domus aeterna* in Inscriptt. meis Lat. 1174. 4325., *domus certa* 4850., *Νυκτὸς δόμος* Anyte Ep. 20., *Φερσεφόνης θάλαμος* Welcker Ep. p. 7. Totam ad sententiam cfr. Ecclesiastic. 14, 16: *Δὸς καὶ λάβε καὶ ἀπάτησον τὴν ψυχήν σου, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν Ἅιδου ζητῆσαι τρυφήν.*

18. *regna vini*] «Tum non iam rex, magister conviviorum, *συμποσίαρχος*, eris», qui talorum iactu venereo creabatur. Plaut. Stich. 5, 4, 19. ST. *Nos volo Tamen ludere inter nos. Strategum te facio huic convivio.* SA. *Strategе noster, cur hic cessat cantharus? Vide, quot cyathos bibimus.* ST. *Tot, quot digiti sunt tibi in manu.* Mos autem iste a Graecis receptus erat. Plato Symp. 240. E: *ἄρχοντα αἱροῦμαι τῆς πόσεως ἐμαυτόν.* Od. 2, 7, 25: *Quem Venus arbitrum dicet bibendi?* Virg. Copa 37: *Pone merum et talos; pereant, qui crastina curant! Mors aurem vellens, Vivite, ait, venio.*

20. *mox*] Ubi pueritiam excesserit. — *tepebunt*] Timidiorem magisque verecundum virginum amorem significat, dum iuvenes amore incensi *calent.* Sic de Violantillae amore Venus apud Stat. Silv. 1, 2, 139: *ipsam iam cedere sensi Inque vicem tepuisse viro.* «Graeci *ἐνθάλ-*

Nec regna vini sortiere talis
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

18. *Nec regna talis sortiere vini* k. — 19. *Lycidan* habet k, «Codex inter optimos.» Bentl. (?) *(lucidam* T, altera parte litterae *u* erasa.)

πεσθαι ἔρωτι.» Doer. *Lycidas* etiam apud Bionem 4, 10. nomen pueri delicati. Comparant Theognid. 973. Bergk.: *Οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν πρῶτ' ἐπὶ γαῖα καλύψῃ Εἴς τ' Ἔρεβος καταβῇ, δώματα Περσε-φόνης, Τέρπεται οὔτε λύρης οὔτ' αὐλητῆρος ἀκούων, Οὔτε Διωνύ-σου δῶρ' ἐσαειρόμενος. Ταῦτ' ἐσορῶν κραδίην εὖ πείσομαι, ὄφρα τ' ἐλαφρὰ Γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρεμέως προφέρω.*

CARMEN V.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus,
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam,

V. Inscr. volg. *Ad Pyrrham.* — *Ad meretricem* S. Om. T.

V. (Walck. a. u. c. 720., Kirchn. 725.) «Quis nunc, o Pyrrha, quae toties me decepisti, te fruitur speratque (sed ille quoque frustra) te semper fidam fore?» Non male Acron: «Percontatur Pyrrham, quacum olim consueverat, quo amatore nunc fruatur, et munditias eius et blanditias laudat, sed cum quadam adhuc amantis invidia.» Qui sublatis interrogationibus *Qui multa* legunt clausulamque continuant usque ad v. *fallacis,* non animadverterunt longo hoc ambitu omnia multo languidiora fieri.

1. *gracilis*] teres ac tener; sic apud Lucretium 4, 1162. amatores *ἰσχνὸν ἐρωμένιον* et *ῥαδινὴν* laudant. Italorum est *svelto.* — *in rosa*] Non de coronis cogitandum, (ut cum dicunt *potare in rosa,* Cic. de Finn. 2, 20. et *esse in rosa* Tuscul. 5, 26.), sed de lecto rosarum cumulo strato, id quod potissimum demonstrat v. *multa,* quod de acervo rectum est, de corona acceptum prope ridiculum foret. Immo sunt Ephippi apud Athen. 2. p. 48. C. *ῥοδόπνοα στρώματα* et ad totum locum cfr. Aristoph. Fr. 116. Dind. P. scen. p. 135: *"Οστις ἐν ἡδυόσμοις Στρώμασι παννυχίζων τὴν δέσποιναν ἐρείδεις.* Martial. 8, 87, 2: *Liber, in aeterna vivere digne rosa.* Seneca Ep. 36, 9: *in rosa iacere.* Lucius ed. P. L. Courier p. 20. Palaestra cum Lucio concubitura *τῶν στρωμάτων ῥόδα πολλὰ καταπέπαστο, τὰ μὲν οὕτω γυμνὰ καθ' αὑτά, τὰ δὲ λελυμένα, τὰ δὲ στεφάνοις συμπεπλεγμένα.* De rosacei cubilis voluptate Philostratus Ep. 32. p. 15. Boissonade: *ὅταν δὲ πνέῃ (ἡ κοίτη) ῥόδα, ἀνάγκη πᾶσα καὶ ἀνθρώποις καὶ θεοῖς ἀγρυπνεῖν ἡδέως· ἡ γὰρ εὐωδία δεινὴ πᾶσαν ἡσυχίαν ἐξοικίσαι.* Smindyrides Sybarita apud Aelian. V. H. 9, 24: *φύλλοις ῥόδων ἀναπεσὼν καὶ κοιμηθεὶς ἐπ' αὐτῶν ἐξανέστη λέγων «φλυκταίνας ἐκ τῆς εὐνῆς ἔχειν.»*

2. *urget*] «Unguentis delibutus arte te amplectitur.» Meleager Ep. 5, 8: *θλίβοις δ' Εὔδημον τίτθον ὑπὸ χλαμύδι.* Asclepiades Anth. Pal. II. 153: *Πρόσθε μοι Ἀρχεάδης ἐθλίβετο,* «olim amplexibus eum fovi.» Atque ut supra *ἐρείδειν,* sic Pomponius Bonon. Bothe P. Com. p. 113: *Nescio quis urget ellam qua asinus uxorem tuam.* Manifesto non convivium plurium iuvenum, cui adhibita sit Pyrrha, significat, sed est «solus cum sola», ut ait Terentius, id quod prodit e v. *fruitur.*

3. *sub antro*] crypta, unde *grotta.* Sic solent etiamnunc Itali bea-

Simplex munditiis? Heu quoties fidem
Mutatosque deos flebit et aspera
Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens,

Qui nunc te fruitur credulus aurea;
Qui semper vacuam, semper amabilem

5. *quotiens* T. — 8. *Et mirabitur,* sed *t* in *Et* puncto notatum, k. *Ut mirabitur* malebat Bentl., *Demirabitur* alii plures, *Heu mirabitur* Anonymus.

tiores, praecipue ad lacum Larium, in antris vel a natura cavatis vel arte factis vini apothecas habere in iisque potare atque amoribus frui.

4. *Cui*] Paulus Sil. Anthol. Pal. I. p. 454: *Εἰπὲ τίνι πλέξεις ἔτι βόστρυχον;* «Cuius in gratiam pectis crines et in nodum religas, contenta simplici naturalique ornatu?» V. *munditiae* etiam in prosa orat. persaepe num. plur. usurpatur significatque elegantiam in habitu cultuque, remoto nimio ornatu. Ovid. Fast. 2, 764: *Forma placet - - Quique aderat, nulla factus ab arte decor.* Ad dativ. *cui* comparant Tibull. 4, 6, 2: *Tota tibi est hodie, tibi se laetissima compsit.* — *flavum*] Capilli flavi propter ipsam raritatem ab Italis pro pulchrioribus habebantur.

5. *fidem*] «quam tu fallis, et deos in amore sibi adversos iam factos, quos propitios crediderat, ac procellas quasi amoris, id est, rixas a te concitatas ille flebit.» Has contentiones comparat tempestatibus *nigris,* caelum obscurantibus, ut Epod. 10, 5: *niger Eurus.* Virg. Georg. 2, 278: *nigerrimus Auster.* — *Mutatosque*] «non iam ipsi in amore propitios, quia Pyrrha pristinam fidem mutavit, id est, fregit.»

8. *Emirabitur*] In aurea, quam dicunt, Latinitate nunc *ἄπαξ λεγόμενον*, sed satis munitum a Codd. Reperitur praeterea apud Apul. Met. p. 274. Oud. et Luctatium Placidum Enarr. fab. p. 251. Munck. Est «ex intimo animo demirari», potius quam, ut alii voluerunt, «mirari incipere,» vel, ut Oudend. ad Apul. l. l. «crebro, voce et gestu admirationem prodere.» Eiusdem generis sunt *elaudare* apud Festum (Ciceronis *dilaudare), emonere* Cic. ad Fam. 1, 7, 9., *emutare* Manil. 5, 149. prorsus mutare, *everberare* Virgil. Aen. 12, 866. Alibi talia vv. ad suum usum metricum creabant poëtae, ut Ovid. Rem. Am. 130: *dolor - - emoderandus.* — *insolens*] prima signif., «antea insuetus tam celeris immutationis; nec ipse satis intelligit, quomodo tam mutabilis esse possit puella.» Cic. de Or. 1, 7: *quorum non ignarus et insolens* cet. Sal. Cat. 3: *insolens malarum artium.* (Argute sane Bentl.: «Atqui si *toties* emirabitur, quomodo, quaeso, *insolens*? Certe non nisi prima vice *insolens* erit.» Sed ita intelligendum: «prius insolens, nondum puellae perfidiam expertus.»)

9. *aurea*] «omnibus rebus perfecta et formosissima.»

10. *vacuam*] «ab aliis amatoribus sibique unice deditam» ut Od. seq.

Sperat nescius aurae
Fallacis. Miseri, quibus
Intentata nites! Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

13. *intemptata* bSc et ex hac scriptura *interpretata* T. — 14. *humida* quattuor Pott., Aldus.

v. 19. — *aurae fallacis*] «vafrae levitatis atque inconstantiae, quae te semper impellit ad alium rursusque alium irretiendum.» Sic *aura popularis*, favor, qui levis aurae instar semper mutatur. Cic. Verr. Acc. 1, 13, 35: *sibi auram posse aliquam afflare - - voluntatis eorum.* Ovid. Am. 2, 9, 33: *incerta Cupidinis aura.*

13. *Intentata*] «nondum spectata satisque cognita.» — *nites*] «pulchra et amabilis videris.» — Semet ipsum veluti naufragum ex fluctibus, Pyrrhae amorem vix tandem evasisse festivo cum ioco dicit. «Ego, quem tu misere decepisti, ita ut spei meae te fruendi veluti naufragium fecerim, tibi amorem in perpetuum renuntiavi; non tamen ita, ut tibi iratus sim.» Solebant autem naufragi in Neptuni aut alius dei marini delubro aliquo *(sacer paries)* tabulam votivam una cum vestimentis, in quibus erant servati, suspendere. Virg. Aen. 12, 766: *Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris Hic steterat, nautis olim venerabile lignum: Servati ex undis ubi figere dona solebant Laurenti divo et votas suspendere vestes.* Diodorus in Anthologia Pal. I. p. 266: *Καρπαθίην ὅτε νυκτὸς ἅλα στρέψαντος ἀήτου Λαίλαπι Βορῥαίῃ κλασθὲν ἐσεῖδε κέρας, Εὖξατο κἠρα φυγών, Βοεώτιε, σοί με, Κάβειρε Δέσποτα, χειμερίης ἄνθεμα ναυτιλίης, Ἀρτήσειν ἁγίοις τόδε λώπιον ἐν προπυλαίοις Διογένης· ἀλέκοις δ' ἀνέρι καὶ πενίην.*

14. *uvida*] Olim *humida* ex solita utriusque vocabuli confusione, qua de accuratissime disputavit Wagner ad Virg. Ge. 1, 418.

16. *deus potens maris*, ut Od. 1, 3, 1: *Diva potens Cypri.* — Inter multas Neptuni imagines, quae supersunt (vide vel Millin *mythol. Galerie)*, imprimis memorabile mihi semper visum est caput eius herbis marinis redimitum in Müller *Denkm.* I. 4. N. 434.

EXCURSUS

AD C. V.

Hinc cum incipiant poëtae amores cum felices, tum infelices, lectori maximopere commendo Teuffelii, doctoris Tubingensis, festivum opusculum *De amoribus Horatii* (Jahn *N. Jahrbücher Suppl.* VI. 3. p.

325.), de quibus quasi singulis Romani viri ἀφροδισίοις arbiter ipse interfuisset docte mehercule et perite disputat. Sed idem, quod *sane semel* factum oportebat, in accuratissimum album omnes rettulit, *cuius exemplum*, ait Salustius, *infra scriptum est.* I. *Barine* Od. 2, 8, 5. II. *Chloë* Od. 1, 23. 3, 9, 6. III. *Cinara* Od. 4, 1, 3. 13, 21. Epp. 1, 14 et 33. 7, 28. IV. *Glycera* Od. 1, 19, 5. (30, 3.) 3, 19, 28. V. *Inachia* Epod. 11, 6. 12, 14. VI. *Lalage* Od. 1, 22, 10. 23. 2, 5, 16. VII. *Licymnia* Od. 2, 12, 13. VIII. *Lyce* Od. 3, 10. 4, 13, 20. IX. *Lyde* Od. 2, 11, 22. 3, 28. 2 et 9. (3, 11.) X. *Lydia* Od. 1 (8.), 13. (25.) 3, 9. XI. *Myrtale* Od. 1, 33, 14. XII. *Neaera* Epod. 15. Od. 3, 14, 21. XIII. *Phryne* Epod. 14. extr. XIV. *Phyllis* Od. 4, 11, 31. XV. *Pyrrha* Od. 1, 5. XVI. *Anonyma prima* Sat. 1, 5, 82. XVII. *Anonyma altera* Epod. 12. XVIII. *Ligurinus* Od. 4, 1, 33. 4, 10, 5. Verum excepta *bona* Cinara plerique hi amores ficti videntur; atque omnino de iis valet, quod de suis libere fatetur divinus Areostus (sic Latine se appellabat ipse) Carm. Lib. I, 8, 1: *Est mea nunc Glycera, mea nunc est cura Lycoris; Lyda modo meus est, est modo Phyllis amor; Primas Glaura faces renovat, movet Hybla recentes, Mox cessura igni Glaura vel Hybla novo. Nec mihi diverso neque eodem tempore saepe Centum vesano sunt in amore satis.*

Neque vero satis audiverunt gravissimi nostri Scholastici summum Lessingium, qui totam rem, ut solebat, clarissime perspexit: *Rettungen des Horaz. Werke* IV. S. 20: *Genug dass jedem, der die Oden gegen einander halten will, die Horaz an einerlei Frauenzimmer, dem Namen nach, geschrieben zu haben scheinet, Widersprüche in die Augen fallen werden, die sogleich das Erdichtete der Gegenstände verrathen. Mehr braucht es nicht, aus allen seinen Lydien, Neären, Chloën, Leuconoën, Glyceren, und wie sie alle heissen, Wesen der Einbildung zu machen.*

CARMEN VI.

Scriberis Vario fortis et hostium

VI. Inscr. volg. et S. (om. praenomine) *Ad M. Vipsanium Agrippam. — Adloquitur Vipsanium Agrippam* T.

VI. Horatius, ut aliis suae aetatis illustribus viris, quibus notus magis quam familiaris erat, Munatio Planco, Asinio Pollioni, Iulo Antonio, sic M. Vipsanio Agrippae, strenuo Augusti administro, postea genero, ducta in matrimonium Iulia, viro belli quam pacis artibus potiori, unum dumtaxat carmen dedicat, simul Augusto gratificaturus. Cfr. Vell. Pat. 2, 79: *M. Agrippa, vir virtutis nobilissimae, labore vigilia periculo invictus parendique (sed uni) scientissimus, aliis sane imperandi cupidus et per omnia extra dilationes positus consultisque facta coniungens.* Non tamen omni pulchri sensu destitutus erat. Plin. 35, 4: *--etsi vir rusticitati propior quam deliciis. Exstat* (tamen) *eius oratio magnifica et maximo civium digna de tabulis omnibus signisque publicandis.* Eius statuam vide apud Visconti *Monum. Borgh.* T. 39, 1. et *Iconogr. Rom.* T. 8, 7. (Frandsen *Agrippa.* Altona 1836. 8.) Sed, ut ad initium huius scholii revertar, maxime notabilis res est, Cornelium Gallum, tantis laudibus a Virgilio celebratum, alto silentio praetermitti ab Horatio, etsi ille demum a. u. c. 728., postquam ex Augusti favore exciderat, mortem sibi conscivit. Magna autem cum arte significat se panegyricis epici generis componendis minus idoneum esse, a quo genere toto abhorrebat et generosa eius indoles et iudicium poëticum. Compositum arbitratur hoc carmen Franke per annos 724 et 725., Kirchner et Walckenaer a. 727., Grotefend 729., Weichert a. 727—734.; probabilius Weber a. 718. post magnam de S. Pompeio victoriam, postquam Octavianus τῷ Ἀγρίππᾳ στέφανον χρυσοῦν ἐμβόλοις ἠσκημένον ἐδωρήσατο. Dio 49, 15.

1. *Scriberis*] «Carmine (panegyrico) celebrabere; nemo melius tuas laudes praedicare potest, quam Varius, quem huic muneri aliquando satis facturum puto.» Non respuebat v. *scribere* hac significatione poësis Latina, ut facit nostra. Cfr. v. 14. — *Vario*] L. Varius natus circa a. u. c. 672. Ei Virgilius innotuit circa a. u. c. 714., ante quem iam ediderat poëma de morte Caesaris, cuius partes studiose sectatus erat. (Hinc illud Sat. 1, 10, 43: *forte epos acer, Ut nemo, Varius ducit.*) Horatium autem a. u. c. 712. Bruti sequacem, cum Maecenate conciliavit in eiusque familiaritatem adduxit circa a. u. c. 716. Circa a. u. c. 723. Panegyricum in Caesarem Octavianum composuit; Thyestem edidit per annos u. c. 724—727, de quo cfr. Welcker Mus. Rhen. Supplem. V. II. T. III. p. 1428. Seculo post Chr. octavo exstabat haec fabula: postea propter Isidori Origines misere periit in Codice rescripto regio N. 7530., in quo etiamnunc haec leguntur: «*L. Varius cognomento Rufus Thyestem tragoediam magna cura absolutam post Actiacam victoriam Augusto ludis eius in scena edidit; pro qua fabula sestertium deciens accepit.*» Schneidewin in Mus. Rhen. 1841. p. 106. — Superstes fuit Virgilio mortuo a. 735.,

Victor Maeonii carminis alite,
Quam rem cunque ferox navibus aut equis

2. *aliti* auctore Passeratio F. — 3. *Qua rem* e Codd. (?) Mureti Bentl.; sed malebat *Ut rem* vel *Cum rem*.

cuius Aeneidem cum Plotio Tucca emendavit et edidit, ea lege ab Augusto imposita, ut ne quid adderent. Mortuus est ante a. 744., quo Horatius scripsit Epp. 2, 1. (v. 245.) Paucissimi versus supersunt ex Thyeste, quae inter optimas Latinarum tragoediarum habebatur (Quintil. 10, 1, 98: *Varii Thyestes cuilibet Graecorum comparari potest)*, duodecim ex carmine de morte, in his duo acerbissimi in M. Antonium: *Vendidit hic Latium populis agrosque viritim Eripuit; fixit leges pretio atque refixit;* duo ex Panegyrico in Caesarem Octavianum, si fides Scholiastis ad Epp. 1, 16, 27. Intimus fuit et Virgilii et Horatii amicus. Cfr. Martial. 8, 18.

2. *Maeonius* dicitur Homerus a Maeonia, prisco Lydiae nomine, quia plerique eum Smyrna ortum putabant; alibi etiam *Maeonides* a Maeone, mythico eius patre, qui ab aliis Melesigenes nominatur. — *alite*] Sic Codd. Verissime Scaligero Castigg. in Propert. p. 207. Ed. Genev. 1607. est ablativus absolutus sive, ut nunc accuratius dicunt, instrumenti: «Cum Varius sit insignis poëta epicus: qui locus male vulgo magistrorum conceptus.» Atque sic prorsus interpretandi sunt alii duo, in quibus haerere solent Grammatici. Epp. 1, 1, 94: *curatus inaequali tonsore*, id est: «cum inaequalis esset tonsor meus;» et Epp. 1, 19, 13: *Exiguoque togae simulet textore Catonem*, «cum huiusmodi textore utatur.» Nemo contra haesit in Epod. 16, 66. *Piis secunda vate me datur fuga.* Nec ad alteram explicationem *ab alite* in Horatio firmandam sufficiunt exempla ex Ovidio Her. 12, 161. Met. 1, 747. 7, 50. et Iuvenale 1, 13. petita, collato Heinrichio T. II. p. 36. — Passeratius correxit *aliti*, usitatiore constructione, ut Virg. Aen. 1, 326: *Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum.* Propert. 3, 7, 62: *In me caeruleo fuscina sumpta deo est.* Quae quidem coniectura multis placuit atque etiamnunc placet. Sed praeterquam quod nimis facilis est, haud satis eius fautores attendunt ad id, quod etiam in alteram ablativi explicationem cadit, sic Horatium neque amice nec urbane Vario necessitatem et quasi onus Agrippam celebrandi impositurum fuisse. — Ipse autem Varius *ales* dicitur s. cygnus Homericus, praestans poëta epicus, ut Theocr. 7, 47: *Μοισᾶν ὄρνιχες* (ironice tamen) et in Inscript. apud Fleetwood p. 196. Alcibiades Byzacius *ὄρνις ἀοιδότατος*. Alii minus apposite *alite* explicarunt: «volatu, impetu, instinctu poëtico, Homeri auspiciis.» — Ceterum non minus liberalis Horatio Propertius in Ponticum 1, 7, 3: *Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,* et 2, 34, 66. de Aeneïde: *Nescio quid maius nascitur Iliade.*

3. *Quam rem cunque*] Non insolita *τμήσει* etiam in prosa orat. Cic. pro Sest. 31: *quod iudicium cunque subierat.* Bauer ad Sanctii Min. I. p. 222: Est (per attractionem): «Scribetur res omnis, quam miles te duce gesserit.» — Quam-

Miles te duce gesserit:

Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
Nec saevam Pelopis domum

Conamur tenues grandia, dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat

7. *duplices* S et pr. b, *reducis* malebat Bentl. — *Ulyssei* LCtF.

quam hac interpretatione aliquatenus quidem explanatur insolita nobis Germanis attractio, haud satis ipsius Agrippae persona respicitur. Est igitur: «Praedicaberis et tu ipse et praeclarae res tuae terra marique gestae ope exercituum quibus praefuisti.» Cum miles sit *ferox*, fortis, bellicosus, habeatque ducem Agrippam *victorem*, minime verendum erat, ne Horatii aequales v. *quamcunque* eodem modo ac Bentleius acciperent, «sive egregiam sive mediocrem sive etiam male procedentem.» Ubi lect. *qua* e scripturae compendio ortam receperis, prorsus otiosum fit *navibus aut equis*. (*Mari* ad Liparas devicit Sex. Pompeium Cn. F., pro victoria ab Augusto corona rostrata donatus; tum egregia fuit eius opera in pugna Actiaca; *terra* secundus Romanorum Rhenum transgressus est. Hinc in nummo Cornelii Cossi (Müller *Denkm.* I. N. 343.) est Agrippae caput cum corona et navali et murali.)

5. 6. *stomachum*] μῆνιν, iram implacabilem. *Pervicax* Achilles Epod. 17, 14; *iracundus, inexorabilis, acer* idem Art. Poët. 121. Nemini cedens Apollini quoque minitatur Iliad. χ, 20: ἦ σ' ἂν τισαίμην, εἴ μοι δύναμίς γε παρείη. — *gravem* autem (iram) Graecis, perniciosam. — *cedere nescii*] Sic Virg. Aen. 12, 527: *nescia vinci Pectora*.

7. *duplicis*] ex Graeco usu. Rhes. 393: οὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ. — Atque Eurip. Troad. 286. ei tribuit δίπτυχον γλῶσσαν. Dion. Hal. Rhet. 11, 5: Ἕλλην Θετταλὸς διπλοῦς καὶ ποικίλος. Glossae Isidori: *Artificem duplicem, dolosum*. Cfr. Ruhnk. ad Timaei Lex. p. 87. Est igitur pro *vario*, ut Ulixem vocat Statius Achill. 2, 172., subdolo, versuto. Proxime ad significationem v. *duplex* huic loco unice aptam accedit Plaut. Trucul. 4, 3, 7: *Ne duplices habeatis linguas, ne ego bilingues vos necem*. Ovid. Am. 1, 12, 27. de diptychis amatoriis, quibus deceptus erat: *Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi*. Noli contra iungere *duplicis (duplices) cursus*, errores. Bentleius recte quidem post alios explicavit, verum mox novandi studio ductus, maluit *reducis*, quo ad meum sensum nihil potest esse frigidius. — *Ulixei*] a forma antiqua *Ulixeus* (Dorienses pronuntiabant Οὐλιξῆς). Cicero semper *Ulixes*. (In vase vel Siculo vel ex Magna Graecia advecto (*Ann. dell' Inst.* IV. p. 377.) haec est forma: *OLVSSEVS* (cfr. Ahrens dial. dor. p. 85.), et in monumento Siculo ibid. *OTAIΞOT*,

Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni.

Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut pulvere Troico
Nigrum Merionen, aut ope Palladis
Tydiden superis parem?

14. *Troio* auctore N. Heinsio F. — 15. *Merionem* ST.

in vasibus Graecis etiam *OAITEY*. Gerhard *Vaseng*. p. 19.)

8. *Pelopis domum*] ex cuius facinoribus argumentorum tragicorum longa series ducebatur usque ad Oresteas. «Oenomaus enim a genero Pelope, Thyestae liberi ab eius fratre Atreo, Atreus ab Aegistho, Agamemnon a Clytaemnestra, haec et Aegisthus adulter ab Oreste occisi sunt, Orestes ipse a Furiis agitatus.» Doering. — Videtur autem his verbis ipsius Varii tragoediam Thyestem significare. Ceterum de Cyclicorum *Νόστοις* nolim equidem hic cogitare, ut fecerunt alii. Hoc potius significat ad tragicum genus non minus nervorum sublimitatisque quam ad carmina epica requiri.

9. *grandia*] «argumenta epica et tragica nostris viribus superiora.»

10. *Imbellis*] «otio tantum et amoribus aptae.» — *lyrae Musa potens*] ut Od. 1, 3, 1: *diva potens Cypri*.

12. Tralatio a metallo, quod usu *deteritur*, extenuatur ac splendore privatur.

13. *Quis*] Sententiarum iunctura haec est: «Non est autem cuiusvis Martem ipsum et praeclaros illos heroas Homericos, quibus pares vos estis, dignum in modum celebrare; id quod tamen praestabit Varius meus.» — *Martem*] De Martis imaginibus antiquis vide Raoul-Rochette *Mon. inéd.* p. 54. seqq. Homero est *χαλκεοθώρηξ* Ex altero voc. Homerico *χαλκοχίτων tunica* substituitur Romanorum loricae; quamquam *tunicam* pro *lorica* usurpans, minime, ut nonnulli opinati sunt, improprie locutus est, siquidem Varro L. L. 5, 24. *loricam* ex anulis confectam vocat *ferream tunicam*. *Adamas*, proprie poëticum ferri et chalybis, postea lapidis pretiosi nomen, vel propter gratum sonum a poëtis usurpatur pro *ferro, aere*. Virg. Aen. 6, 552: *Porta adversa ingens solidoque adamante columnae*. Propert. 3, 11, 9: *Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros Egit*. Claudian. Cons. Prob. et Olybr. 99: *Mavors adamante coruscat*. Etiam in prosa oratione usurpatur plerumque tropice. Plato Gorg. 509. A. *σιδηροῖς καὶ ἀδαμαντίνοις. λόγοις*. Aeschines contra Ctes. p. 478. R.

14. Hoc dicit: «Caesarem et te digne versibus celebrare haud minus difficile est quam Homeri deos atque heroas.»

15. *Nigrum*] «squalentem et pulvere coopertum.» Val. Flacc. 1, 13: *Solymo nigrantem pulvere fratrem*. — *Merionen*] Idomenei aurigam; *θοῷ ἀτάλαντος Ἄρηϊ* est Iliad. *ν*, 528. Qui mirati sunt hunc potis-

Nos convivia, nos proelia virginum
Sectis in iuvenes unguibus acrium
Cantamus vacui, sive quid urimur,
Non praeter solitum leves. 20

18. *Sectis*] *Strictis* Bentl. coni. — 19. *quod* L.

simum inter Achillem et Diomedem memorari, non cogitarunt nomen sonorum consulto delectum esse a poëta. Sed confer etiam eius quasi ἀριστείαν Il. ε, 59. — Minerva adiutrice Diomedes δαίμονι ἶσος (Iliad. ε, 884.) Venerem et Martem volneravit. Iliad. ε, 335. Ex posteriore fabula Pindar. Nem. 10, 7: *Διομήδεα ἄμβροτον ξανθά ποτε Γλαυκῶπις ἔθηκε θεόν.*

17. 18. *proelia*] «faciles et plerumque fictas rixas inter amantes,» quales significat Propert. 3, 8, 5: *Tu vero nostros audax invade capillos, Et mea formosis unguibus ora nota;* et Ovid. Am. 1, 5, 15: *cumque ita pugnaret, tamquam quae vincere nollet.* — *Sectis*] ut puellas mundas decet; sic tamen inermes ac minime formidandae acriter unguibus minitantur inter pocula et ioculares rixas. Ad totum autem carminis consilium aptissimus est iocosus hic exitus; Bentleii contra coni. *strictis* nescio quid habet furiale et agreste. Verum ipse in Curis novissimis librorum lectionem ingenioso suo somnio praetulisse videtur. Museum crit. Cantabr. 1814. I. p. 194: «Ordo est», inquit, «*acrium in iuvenes unguibus sectis:* quam volgatam lectionem emendationi nostrae praeferunt omnes, ut narrat Mossius.» Addit editor: «At Tib. Hemsterhusius, teste Wagnero, Bentleii κατόρθωμα adolescentibus in exemplum certae critices proponere solebat.» Ceterum iunge *virginum in iuvenes acrium sectis* (tamen) *unguibus,* non, ut nonnulli, *sectis in iuvenes.*

19. «Sive vacui sumus ab amore sive amore flagramus, ex consuetudine omni tempore hac in re inconstantes, cantamus cet.» Iocose affectata hac levitate optime cavet, ne Agrippa grandia ac seria ab homine amoribus unice dedito exspectet.

CARMEN VII.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen

VII. Inscr. volg. *Ad L. Munatium Plancum consularem.* — *Ad Numatium Plancum* pr. S. (corr. *Munatium* et ante v. 15. *Ad Plancum.*) T omisit. — 1. *Mitylenen* plerique, etiam J.

VII. De L. Munatii Planci vita consule Drumann *Geschichte Rom's*, IV. p. 207. Consul Munatius fuit a. u. c. 712. coloniasque Lugdunum et Augustam Rauracorum deduxit. Primum Caesarem secutus, post eius interitum (a. u. c. 710.) per aliquod tempus Ciceroni atque omnibus, qui liberam rem publicam restituere volebant, favit; deinde Octavianum, postea Antonium, a. 722. rursus Octavianum secutus est, *morbo proditor*, ut ait Vell. 2, 83., qui omnino, Tiberii, puto, ut in aliis quoque, iudicia amplexus, saepe odiosius, quam scriptorem historicum decet, de Planco iudicat. Propter hanc inconstantiam omnibus (ipsi quoque Octaviano, sed secreto) exosus, tamen propter ingenium, quo valebat, et quia fortasse, ne nimium neglectus res novas moliretur, ille timebat, honoratus est censura a. u. c. 732. et praefectura urbis. Quo tempore carmen hoc compositum est, utique circa a. u. c. 722. vel paullo post, fortasse de secessu in Graecia eligendo cogitabat, vel certe maestitia animi ac taedio laborasse videtur. Horatius autem vel ipse, ne Plancus Italiam relinqueret, optabat, vel, quod mihi probabilius videtur, nutum aliquem secutus Octaviani, qui nolebat virum tam illustrem in exilium pulsum videri, cum tranquille Tiburi degere posset, hoc carmine ei dissuadet, ne Graeciam cum Italia mutet; vel, si hoc consilium non agitabat, certe consolari eius aegrimoniam studet, Teucri curas vino sapienter lenientis exemplo proposito, ut simile illud Achillis Epod. 13. (Ommerenium secutus Estré Hor. Pr. p. 314., quo Horatium «a pudendo adulationis erga Plancum et Dellium (Carm. 2, 3.), homines turpissimos,» crimine liberaret, contendit haud eos intelligendos esse, quos ceteri mortales a poëta praedicari censent censebuntque etiam in posterum, sed alios nescio quos viros probos atque innocentes, qualis (p. 490.) v. c. fuerit Munatius ille Epp. 1, 3, 31.) — Non sine fructu nunc consulere potui Ungeri doctissimam huius carminis interpretationem V. R. p. 362—391.

1. *Laudabunt*] «Laudent per me licet.« — *claram*] cum propter situm amoenum, navium copiam et quaestuosam mercaturam, tum a Romanis frequentatam propter eloquentiae studia. — *Mytilene*, Lesbi urbs *et natura et situ et descriptione aedificiorum et pulchritudine in primis nobilis; agri iucundi et fertiles.* Cic. de lege agr. 2, 16. — *Mytilenen* nunc scripsi cum nummis *ΜΤΤΙΛΗΝΑΙΩΝ*. Cfr. Eckhel. D. N. II. p. 303. Volgo *Mitylenen*.

Aut Epheson bimarisve Corinthi
Moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
Insignes aut Thessala Tempe.

Sunt, quibus unum opus est, intactae Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare et

2. *Ephesum* bSTc, LCtF et Bentl. (*Epheson* C1d Bersmanni, Lipss. duo.) — 5. *urbem*] *arcem* C1d Bersm., *arces* Pottierii 4 et 12, item cum k et «Lambini aliquot» Bentl. — 6. *celebrare*, *Indeque* Bouhier (1715), rursusque Schraderus (1776). Recepit Mitscherlich.

2. *Epheson*] quae item magnificis laudibus celebrari poterat. Antip. Sid. A. Pal. II. p. 266: *θοῶν βασίλειαν Ἰώνων τὰν δορὶ καὶ Μούσαις αἰπυτάταν Ἔφεσον.* — *bimaris*] *διθαλάσσου*, inter mare Aegaeum et Ionium sitae. Sic Eurip. Troad. v. 1097: *δίπορον κορυφὰν Ἰσθμιον.* Ovid. Her. 12, 27. *Ephyren bimarem* vocat. *Graeciae decus* appellat Corinthum Florus 2, 16. atque elegantissime Dio Chr. 37. p. 522: *τὸν περίπατον τῆς Ἑλλάδος.* Restituta iam erat *Colonia Laus Iulia Corinthus* a C. Iulio Caesare.

4. *Τέμπη*, vallis amoenissima inter Ossam et Olympum, quam Peneus perfluit. Eurip. Troad. 214: *τὰν Πηνείοῦ σεμνὰν χώραν, κρηπῖδ' Οὐλύμπου καλλίσταν, ὅλβῳ βρίθειν φάμαν ἥκουσ' εὐθαλεῖ τ' εὐκαρπείᾳ.* Eleganter eam describit Aelianus V. H. 3, 1.

5—7. «Sunt, inquit, qui condant de Athenarum laudibus carmen *perpetuum*, a prima urbis origine ad sua tempora deductum et *μύθους* Atticos non sine arte inter se connectens,» uti *perpetuum carmen* est Ovidii Metamorphoseon opus (1, 4). Librorum autem lectio significat 1) servata imagine: «corona oleagina, ex Palladis igitur arbore nexa, undique, *ὅθεν δή ποτε*, ex omnibus Atticae locis, Athenis ipsis, Eleusine, Rhamnunte, Rario campo, Marathone, cet. decerpta caput redimire»; 2) sine imagine: «ex singulis fabulis atque historiis Atticis, quae poëticum ornatum recipiunt, apte tractatis gloriam sibi parare.» — *unum opus*] in pr. or. «praecipuum studium.» — *intactae*] *ἀθίκτου*, *παρθενίου*, *integrae* Od. 3, 4, 70. Quod Codd. aliquot habent *arcem*, alii *arces* (ut Ovid. Met. 7, 399: *Palladias arces*), inde ortum videtur, quod sec. IX. et X. ineunte littera *a* aperte scribebatur, ita ut *urbem* et *arbem* vix distinguas. Hinc facilis fuit correctio *arcem*, quam praefert Markland ad Stat. Silv. 1, 4, 91. Sed lectio *urbem*, quae simplici huius carminis initio melius convenit, satis firmatur a Codd. etiam meis. — Haeserunt multi in v. *praeponere*. Attamen *κυρίως* dictum est, cum corona semper sit *prae fronte*. Ac similiter Valerius Flaccus 3, 436: *glaucasque comis praetexere frondes Imperat.* Seneca Med. 70: *Praecingere roseo tempora vinculo.* Cfr. etiam Lucret. 1, 526. Vide Excursum ad h. l.

8. «Plurimi (multi), dum Iunonem honorare volunt, praedicant Argos *ἵππιον*, *ἱππόβοτον* (*Ἥρας δῶμα θεοπρεπές* Pind. Nem. 9, 3.) atque Mycenas *πολυχρύσους* Iliad. *η*, 180. Sophocl. Electr. 9.» Argi autem illum honorem optimos equos

Undique decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedaemon

7. *decerptae frondi* auctore Erasmo L. — 9. *dicit* Sc, septem Pottierii, LCt. (Ut nos, bT,βδω et Servius ad Aen. 1, 28. 11, 246. *Dicit* praefert Unger V. R. p. 377.) — 10. *Me nec* bSTc, LCt: *Me neque* Bentl. M.

nutriendi servavit usque ad Horatii aetatem. Strabo 9. p. 388: *ἐστὶ δὲ καὶ τὸ γένος τῶν ἵππων ἄριστον τὸ Ἀρκαδικὸν καθάπερ καὶ τὸ Ἀργολικὸν καὶ τὸ Ἐπιδαυρικόν.* Mycenas tunc eversas memorat propter priscam gloriam atque opulentiam. Inter alia testimonia Unger p. 373. affert Lucian. Contempl. 23: *Μυκῆναι πάλαι μὲν ἦσαν εὐδαίμονες, νῦν δὲ τεθνήκασι.* et Mundum Munatium Anth. Pal. II. p. 36: *Ἡ πολύχρυσος ἐγὼ τὸ πάλαι πόλις - - Μηλόβοτος κεῖμαι καὶ βούνομος ἔνθα Μυκήνη, Τῶν ἐπ' ἐμοὶ μεγάλων οὔνομ' ἔχουσα μόνον.* — Hoc igitur dicit: «Singulae fere Graeciae regiones suos invenerunt laudatores, sive *ἐγκώμια* earum composuerunt sive *ἐν παρόδῳ* earum memineruntque; ego iam Tiburis amoenitatem praedicabo.» — Per mihi mirum accidit, cum viderem, quot tragoedias excitarint novissimi interpretes in usu v. *plurimus* pro «plurimi, permulti.» Sed quomodo, quaeso, aliter explicabunt Virg. Ge. 2, 182: *tractu surgens oleaster eodem Plurimus*, id est, «plurimi oleastri.» Gratius 29: *ut omnem Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem.* Val. Flacc. 6, 223: *Semidea genetrice Tages, cui plurima silvis Pervigilat materna soror.* Iuven. 3, 232: *Plurimus hic aeger moritur vigilando:* — ? Cum autem recte dicatur *multum esse in aliqua re*, fuit, qui corrigeret: *Plurimus in Iunonis honore.* Sed nullum eiusmodi consuetudinis exemplum attulit, ac, ne subiectum deficeret, languidissime supplendum foret «aliquis.» Nec dubitandum, ut fecit ille, de Latinitate constructionis *in honorem.* Quintil. 1, 1, 6: *in sexus honorem.* Id. 11, 2, 12: *in honorem victoriae.* Propert. 4, 6, 13: *Caesaris in nomen ducuntur carmina.* Liv. 2, 27: *quod facile apparebat non tam ad honorem eius factum* cet. Cfr. Unger p. 379.

9. *dicet*] Auctoritate Codd. huic fere par est lectio *dicit.* Alteram nunc praetuli, et quia sic minus offendimus in v. *plurimus*, cum permulta de Argis carmina vix exstiterint, etsi Pausanias 1, 13, 8: *οὕτω καὶ ὁ τῶν ἐπιχωρίων ἐξηγητὴς Λευκέας (Ἀργεῖος) ἐν ἔπεσιν εἴρηκεν*, et quia grata variatio *Laudabunt, Sunt quibus est, dicet.* Hoc volt: «Fieri etiam potest, ut unus et alter Argos celebrare malit.»

10. 11. *nec tam*] Sic Codd. Bentleius tacite scripsit *neque tam*, quia Horatius, ut Lucretius, variare solet *neque - nec, nec - neque.* H. l. propter praecedens v. *ditesque* vitasse videtur eundem exitum *neque.* — *patiens*] *ἡ ἀνεκτικὴ καὶ*

Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus Albuneae resonantis
Et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
Mobilibus pomaria rivis.

13. *ac*] *et* S, LCtF. «*ac* omnes fere Codd.» BENTL. *(Ac tiburtini lucus et preceps anio et uda* T.) — 14. *pomeria* T, *βκω*, corr. *ν*, pr. *χ*b.

καρτερουῦσα. Aspasius ad Arist. Eth. 4, 7: *Λάκωνες ἐγκράτειάν τινα καὶ καρτερίαν ἐπαγγέλλόμενοι.* «*Patientia* est rerum durarum ac difficilium atque asperarum voluntaria perpessio.» BROUKH. ad Tib. 3, 2, 5. Cfr. Unger p. 383., qui addit Corn. Nep. Alc. 11: *eundem apud Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duriliae se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret.* Quintil. 3, 7, 24: *Minus Lacedaemone studia quam Athenis honoris merebuntur; plus patientia, fortitudo.* Eodem sensu Diogeni *patientiam* tribuit Epp. 1, 17, 25. Noli vero cum Ungero interpretari *nimiam frugalitatem;* laus est, non vituperatio. — «Lacedaemon tempore Horatii non erat *patiens*, sed dissolutis moribus. Et comparatio est inepta: Larissa me percussit fertilitate, Tibur silvis, Lacedaemon patientia. Lege *spatiis*, longis deambulationibus.» OUDENDORP. Magis etiam mire Praedicow: *pascens.* Non meminerant praedicari solitam Lacedaemoniorum *patientiam;* est: «Lacedaemon illa tam celebrata propter severissimam suam disciplinam ac leges Lycurgi.» Propter *τὸ πονεῖν εἶναι δυνατοὺς* Lacedaemonios laudat Critias Bergk p. 440., et significanter, auctore Plutarcho Agesil. 1., Simonides dixit Spartam *δαμασίμβροτον.* Oudendorpium satis refellit Cic. Tuscul. 5, 27, 77. Plut. Lyc. 18.: *καὶ τῶν νῦν ἐφήβων πολλοὺς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας ἑωράκαμεν ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς.* Max. Tyr. 29, 2. Dio Chrysost. Or. 25. p. 250. R.: *Λυκούργου κελεύσαντος ἔτι νῦν μαστιγοῦνται Λακεδαιμόνιοι καὶ γυμνητεύουσι καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ χαλεπὰ δόξαντα ἂν ἑτέροις ἀνέχουσιν.* — *percussit*] «Larissa, Thessaliae urbs, admiratione atque amore me permovit.» — *opimae*] Homeri est *Λάρισσα ἐριβῶλαξ.* Iliad. *β*, 841.

12. *domus* de antro Nympharum etiam Propert. 1, 20, 34: *Grata domus Nymphis humida Thyniasin.* — *Albunea*, Sibylla s. Nympha vaticinans, quae Tiburi ut dea colebatur. Cfr. Aen. 7, 82—84: *lucosque sub alta Consulit Albunea, nemorum quae maxima sacro Fonte sonat saevamque exhalat opaca mephitim.* — Ex volgari opinione et Virgilii et Horatii loci referuntur ad aquas sulfureas cum insulis natantibus, hodie *Acque Albule* dictas. Teste Nibbyo *(Viaggio* I. p. 109.) nemoris vestigia circum eas etiamnunc supersunt; sed quomodo v. *sonare* de stagnantibus his lacubus aptum fuerit, hodie certe non perspicitur. Fea interpretatur «de templo paullo ante hanc oden a *L. Caelio* exstructo, cuius adhuc exstant insignes reliquiae forma rotunda.» Sed poëta, ut in seqq., hic memorat situm huius fontis na-

Albus ut obscuro deterget nubila caelo
Saepe Notus neque parturit imbres
Perpetuo, sic tu sapiens finire memento

15. Novum hinc carmen incipit in bST,C. — *detergit* Cod. Mart. Aldus 1509. (Ut nos, iam Aldus 1519.) — 16. *neque*] *nec* T. — 17. *Perpetuo* STc, cum tribus Bland., *βγκ* et duobus aliis Bentl.: *Perpetuos* b, Pottierii 1, 8, 12, 22, 23., LCtMJ.

turalem. Praeterea de Nibbyi sententia *(Viaggio* I. p. 158.) templum, de quo loquitur Fea, a L. Cellio (non *Caelio)* vel exstructum vel restitutum (manca est enim inscriptio) Vestae potius dedicatum erat quam Albuneae sive Sibyllae Tiburtinae (Lactant. Inst. 1, 6). Idem p. 164. *domum Albuneae* eandem fuisse opinatur, quae nunc dicitur *Grotta* (crypta) *di Nettuno*, cuius opinioni accedit locuples auctor, Walckenaer I. p. 347.

13. *Anio*] h. *Teverone*, ὃς ἐκ πόλεως Τιβύρων καθ' ὑψηλοῦ πολὺ ἐκχεῖται σκοπέλου. Dionys. Halic. 5. p. 305. Stat. Silv. 1, 5, 25: *praeceps Anien*. Propert. 3, 16, 1: *Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus (le cascatelle di Tivoli)*, maxime ubi nunc est *Ponte Lupo*. Cfr. Walckenaer l. l. — *Tiburni lucus*] prope Tibur, ut recte Acron, diversus sane a nemore iuxta Albuneae antrum. Cfr. Walck. l. l. Stat. Silv. 1, 3, 74: *Illa recubat Tiburnus in umbra*. Tiburnus (Virg. quidem Aen. 7, 674: *Fratris Tiburti dictam cognomine gentem*, ut habet etiam Wagner et in Horatio Codd. aliq., ita tamen, ut videantur librarii Horatium ad Virgilium accommodasse, nam meliores Codd. *Tiburni:)*, Amphiarai filius vel nepos, cum Catillo et Cora fabulosus Tiburis conditor. Cfr. ad Od. 1, 18, 2.

14. *Mobilibus*] «vagis, discurrentibus rivis irrigua.» Propert. 1, 7, 81: *Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis*. Ovid. Am. 3, 6, 47: *Nec te praetereo, qui per cava saxa volutans Tiburis Argei spumifer arva rigas*.

Defensam nuper vidimus a Grotefendio (Ersch *Encycl.* II. 10. p. 471.) eam rationem, quam sequuntur multi Codd., ut duo diversa sint carmina vv. 1—14. et 15—32. Verum, ita ut discindantur, nec concedit stropharum ratio a Meinekio significata atque a nobis servata, et apertissima est sententiarum inter vv. 14 et 15. connexio: «Ante omnes regiones mihi placet Tibur; ergo tu quoque in amoenissimo Tiburtino tuo tristitiam, quae nunc te angit, depellere poteris, quemadmodum fatis longe tristioribus actus constantiam hilaremque animum servare sibi potuit Teucer ille tragicus.» Dissecto carmine, ut ille volebat, nihil ieiunius atque Horatio indignius excogitari poterat, quam vv. 1—14.; omni enim consilio destitutum esset tale odarion. Sane longe aliud: *Poscimur*, et: *O fons Bandusiae*.

15. *Albus*] Sic Od. 3, 37, 49: *Albus Iapyx*. Virg. Ge. 1, 460: *clarus Aquilo*. Od. 3, 7, 1: *candidi Favonii*. Nonnulli sic explicabant etiam ἀργέστην Νότον Iliad. λ, 306, quod tamen potius *rapidum* significat. — *detergeť*] antiquior forma pro *detergit*, ut Od. 1, 28, 19: *densentur*.

17. *Perpetuo*] Partim propter optimorum Codd. auctoritatem, partim

Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
Castra tenent seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristes affatus amicos:

22. *tamen*] *ter* T. — 24. *tristis* S.

propter rationes a Bentleio allatas, hanc lect. nunc praetuli: neque magnopere placet sigmatismus *imbres perpetuos: sic;* ac facile *perpetuos* oriri poterat vel ex accommodatione ad prox. v. *imbres*, vel ex sequentis voc. littera initiali. — Herod. 2, 25: ὅ τε νότος καὶ ὁ λίψ, ἀνέμων πολλὸν τῶν πάντων ὑετώτατοι. — Nota in hoc v. et v. 29. caesuram diversam ab ea, qua in ceteris usus est.

19. *Molli*] «miti, leni,» sed ποιητικώτερον ἐπίθετον v. *mero*, ut Graeci οἶνον μαλακὸν σκληρῷ opponebant. Et sic Virg. Ge. 1, 344: *mollissima vina*. Iuven. 1, 69: *molle Calenum*. Mire nonnulli pro imperativo v. *mollire* habuerunt. — *signis*] In signis militaribus cohortium erant sex, octo laminae argenteae (Plin. 33, 3, 19) partim quadratae, partim rotundae: quibus signis aquilisque legionum apud praetorium humo infixis castra «*fulgebant.*» Tac. Hist. 3, 82: *fulgentia per colles vexilla*.

20. *Castra tenent*] «rursus aliquando, ut antea saepe.» Ovid. Trist. 3, 4, 47: *Proxima sideribus tellus Erymanthidos ursae Me tenet. Hominem militarem* (Sal. Cat. 45.) Plancum esse significat, sed et honeste et prudenter omnem adulationis speciem devitat.

21. *Tiburis*] pr. villae tuae Tiburtinae. — *Teucer*] Virg. Aen. 1, 619: *Atque equidem Teucrum memini Sidona venire, Finibus expulsum patriis, nova regna petentem Auxilio Beli.* Vellei. Pat. 1, 1: *Teucer non receptus a patre Telamone ob segnitiem non vindicatae fratris* (Aiacis) *iniuriae Cyprum appulsus cognominem patriae suae Salamina constituit.* Telamonis filius erat nothus ex Hesiona, Troiana captiva. Condicionem autem fratribus pater imposuerat, ut ne alter sine altero domum rediret.

22. *Cum fugeret*] Clare demonstrant haec vv. Teucrum ita alloqui comites eo ipso temporis puncto, cum ancoram a litore Salaminio solveret. Alii frustra appellantes v. 32: *Cras ingens iterabimus aequor:* «cum ad litus alicubi appulisset, ibi ut pernoctaret.»

22. 23. *uda Lyaeo*] «calida, exhilarata vino», ut Ovid. Amor. 1, 6, 37: *modicum circum mea tempora vinum Mecum est.* Cfr. Dissen. ad Tib. 1, 2, 3: *multo perfusum tempora Baccho*, «iamiam ebrium.» — *populea*] Theocr. 2, 121: κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν, Ἡρακλέος ἱερὸν ἕρνος. Virg. Aen. 8, 276: *Herculea bicolor populus umbra.* Ovid. Her. 9, 64: *Aptior* (quam mitra) *Herculeae populus alba comae.* Herculi autem *vago* (Od. 3, 3, 9.) potissimum libat, quia ille quoque, aerumnosis

Quo nos cunque feret melior fortuna parente, 25
Ibimus, o socii comitesque.
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro;
Certus enim promisit Apollo,
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.

27. *auspice Teucri* «duo mei» BENTL.; cum pluribus aliis (etiam sex Pottierii) F. *auspice Phoebo* malebat Bentl., *auspice: Teucro Certus* Wadius. (Ut nos, nostri libri.)

migrationibus continuo susceptis, plurimos labores exanclarat. Regel: «ei sacrificavit ut duci itineris. Cfr. Xenoph. Anab. 6, 2, 9: *θυομένῳ δὲ αὐτῷ τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ.*» Quamquam dubitari potest, num Hercules aptus sit dux etiam navigationis. — *fertur*] v. usitatum de rebus antiqua aliqua *παραδόσει* traditis, ut Virg. Aen. 1, 15.

25. *parente*] iracundo ac saevo, qui eum apud Pacuvium sic increpat: *Fratrem segregare abs te ausu's aut sine illo Salamina ingredi? Neque paternum aspectum es veritus?* (Cic. de Or. 2, 46, 193. Hermanni Opuscc. VII. p. 384. Welcker *die griech. Tragoed.* p. 194. Id. p. 202. *Teukros erscheint zum Theil als Symbol eines eigensinnigen Schicksals und duldenden Lebens.)* Quid, quod Telamon eum necis fraternae insimulasse dicitur a Pausania? (1, 28, 12.)

27. 28. *auspice Teucro*] De Graeco heroë Romanorum more loquitur, ut et Curtius 6, 3. de Alexandro: *quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui;* et de Amphitruone Plautus Amphitr. 1, 1, 44: *gessit rem publicam ductu imperio auspicio suo.* Suet. Oct. 21: *domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam.* Consules Romani bellum gerentes erant cum imperio *(duce)*, habebant auspicia *(auspice)*. — Lectio autem a Fea recepta, *auspice Teucri*, id est, Phoebo, hominis argutuli inventum est, nec melior Wadii et Lessingii *(Werke Lachm.* XV. p. 116.) interpunctio: *Teucro duce et auspice: Teucro certus enim promisit Apollo* cet. Feae lect. *Teucri* probans HP. sic explicat: «ducibus Teucro et Apolline, auspice Teucri.» Sed haec et talia relinquamus iis, qui a poësi eiusque non solum sermone, sed tota ratione, prorsus alieni sunt atque, ut ipse nimium sincere de se dixit, «*interdum dolent Quintilianum felicem Horatii audaciam memoravisse.*» Praeterea *Teucro* firmat Marius Victorinus p. 158. Gaisf. «Codd. lectio in repetitione eiusdem et nominis (et casus) semper mihi visa est venustissima,» addam cum Bosscha. — *Certus*] *ἀψευδής*, verax ac fide dignus. Eurip. Helen. 146. Teucer: *συμπροξένησον, ὡς τύχω μαντευμάτων, ὅπῃ νεὼς στείλαιμ' ἂν οὔριον πτερὸν ἐς γῆν ἐναλίαν Κύπρον, οὗ μ' ἐθέσπισεν οἰκεῖν Ἀπόλλων, ὄνομα νησιωτικὸν Σαλαμῖνα θέμενον τῆς ἐκεῖ χάριν πάτρας.*

29. *Ambiguam*] alteram conditum iri Salamina in insula Cypro, ut, cum Salaminis quis meminerit, *ambiguum* futurum sit, de qua agatur. Manil. 5, 50. Lucan. 3, 183.

O fortes peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
Cras ingens iterabimus aequor.

Seneca Troad. 844. huic *ambiguae veram* Salamina opponunt.

30. Odyss. μ, 208: *ὦ φίλοι, οὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν κ. τ. λ.* Virg. Aen. 1, 198: *O socii, neque enim ignari sumus ante malorum, O passi graviora, dabit deus his quoque finem.* Cic. Tusc. 5, 37: *Ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest: Patria est, ubicunque est bene.*

31. 32. Tib. 1, 5, 37: *Saepe ego tentavi curas depellere vino.* — *iterabimus aequor*] «Rursum navigabimus, ut cum Troiam olim profecti atque inde in patriam reversi sumus.»

EXCURSUS

ad. vv. 5—7.

Utrum vv. *carmine perpetuo* Horatius certum aliquod poëma, v. c. ut Merkel Prolus. ad Ov. Ibin p. 370. ratus est, Euphorionis *Μοψοπίαν ἢ Ἄτακτα* significarit necne, equidem admodum incertum arbitror; plures enim erant Atthides, velut Hegesinoi Pausan. 9, 29, 1.; de cyclico certe carmine nemo, ut opinor, iam cogitabit. Illud autem mihi videre videor, in vv. ipsis *carmine perpetuo* lenem inesse *εἰρωνείαν*· siquidem totum hoc genus poëtae placere vix potuit. — Quod vero ad benignam copiam Atticarum fabularum attinet, cfr. Lucianum de Salt. 40., ubi pantomimum nosse debere ait, *ὅσα περὶ Ἀθηνᾶς — καὶ ὅλως τὴν Ἀττικὴν πᾶσαν μυθολογίαν*· cuius cum satis multa capita memorasset, ita pergit: *ταῦτα μὲν τῶν Ἀθηναίων ὀλίγα πάνυ δείγματος ἕνεκα ἐκ πολλῶν τῶν παραλελειμμένων διῆλθον.* Quid, quod Heliodorus Atheniensis teste Athenaeo 6, 229. E. XV. libros conscripsit *περὶ τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως* —?

Mea quidem interpretatio paucis verbis immutatis nonnullisque additis eadem est, quam proposuit Bentleius, recte comparato Lucretiano illo 1, 926: *iuvat integros accedere fontis Atque haurire; iuvatque novos decerpere flores, Insignemque meo capiti petere inde coronam;* nobisque accedit Regel. Iam aliorum videamus opiniones. 1) «Neutiquam vero probanda est Baxteri explicatio, quam nuper Iahnius (Ann. phil. et paed. II. 3. p. 295.) in fidem atque clientelam suam recepit: Palladis urbem multi celebrant carminibus et in honorem eius fronti suae praefigunt coronam oleaginam, non in ipsa urbe Athenis decerptam, sed ubicunque versantur.» Regel. 2) «Non tam poëtarum studia diversa praedicare videtur Flaccus, quam hominum iudicia de locis quibusdam

celebrioribus indicare.» Gesnerus. Verum manifesto neuter horum vv. *carmine perpetuo* propriam vim ac significationem expendit. Prorsus autem reiicienda est interpretatio a Scholastico nuper commendata, ut *undique decerpta oliva* sit «prorsus iam foliis spoliata, *der vom historischen Liede schon ganz entblätterte Oelzweig*», qua imago magis ingrata magisve putida excogitari non poterat.

Alii locum sanissimum coniecturis vexarunt, ingeniosis quidem sed supervacaneis. Erasmus, teste Glareano, proposuit: *Undique decerptae frondi praeponere olivam;* id quod multis olim placuit ac nuper rursus fautores nonnullos invenit. Ipse quidem, ut ait eius discipulus, sic explicabat: «Omnibus arboribus praeponere solent olivam, arborem Atheniensibus gratam, quasi diceret, quidam otium litterarium, quod Athenis est, omnibus voluptatibus anteferre non dubitant.» Alii vero sane longe aptius eandem coniecturam sic explanaverunt: «Ceterarum omnium urbium laudibus Athenarum praeconium praeferunt.» Galii coni. *fonti* probatam Boettigero *Amalthea* II. p. 340. satis refutavit Bentleius. Aliter Bouhierius (1715.) rursusque Schraderus *Emendd.* Leovard. 1776. p. 75: *celebrare Indeque decerptam fronti praeponere olivam;* quod, etsi adeo receptum a Mitscherlichio, mihi pedestrem orationem redolere semper visum est, nec aliis poëtarum Latinorum locis suspicionem suam firmare potuit Schraderus nisi quinque Avieni in Descr. orb., quem utique versificatorem in Horatio versans ne memorare quidem debebat.

* * *

Praeter Horatii carmen hoc etiam servatum est apud Caietam Planci monumentum (Grut. 439, 8. Visconti *Iconogr. Rom.* I. p. 216. Ed. Mediol. Inscr. mear. Lat. N. 590.), eius sepulchro insculptum:

L. MVNAT. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. CENS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVL. TRIVMPH. EX. RAETIS. AEDEM. SATVRNI
FECIT. DE. MANVB. AGROS. DIVISIT. IN ITALIA
BENEVENTI. IN GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM

CARMEN VIII.

Lydia, dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere; cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?
Cur neque militaris 5

VIII. Inscr. volg. *Ad Lydiam.* — *Ad Lydiam meretricem* S. Om. T. — 2. *Te*] *Ho* pr. T, *Hoc* corr. T, *βλξ*, Pottierii quattuor. — *properas* Pottierii tres, Diomed. p. 509. Victorin. p. 2533. Fortunat. p. 2683. et 2703. haud improb. Bentl. — *Sybarim* BS,LCt. (*sibarim* T.)

VIII. Graecis nominibus imaginem iuvenis Romani amore perditi suaviter et iocose depingit. De veris personis vix cogitandum. Innocentem autem ac festivum iocum in toto hoc carmine ut agnoscas, auctor tibi sum, neve cum nupero interprete Germanico adversus Sybarin, innocentissimum adolescentulum horribiles excites tragoedias. (Tempus, quo carmen compositum sit, incertum est; referunt quidam ad a. u. c. 727. — De metro et metricis Latinis (ed. Gaisf. p. 117. 118. 229. 429.) *Hoc deos oro* legentibus consule Bergk Anacr. Rel. p. 126.)

2. *Sybarin*] Per hoc ipsum nomen mollem et delicatum adolescentulum significat. — *properes*] Coniunctivum ab Horatio praelatum puto propter v. *oderit;* etsi Priscianus p. 1146. P.: *oderit μισήσοι ἄρα, quamvis idem sit indicativus futuri.* In seqq. indicativos usurpavit, ne nimis longa et languidior fieret clausula quattuor verbis ex v. *dic* pendentibus. — *amando*] «dum eum amore irretitum tenes.»

4. *campum*] Martium, soli quam maxime expositum. — Mira intercedit similitudo Horatio et Philostrato Epist. 27. ed. Kays. p. 353. *Μειραχίῳ. - - Οὐχ ἵππον ἀναβαίνεις, οὐκ εἰς παλαίστραν ἀπαντᾷς, οὐχ ἡλίῳ δίδως σεαυτόν* (propter amorem, ut Sybaris). — *patiens*] «Qui olim (v. 11—12.) Campi pulverem tam facile tolerabat, atque etiamnunc hos labores defugere haud deberet.» Plures minus apte proposuerunt *impatiens*, quasi vero haec esset causa, cur campum devitaret.

5. *militaris*] «Ut decet iuvenem robustum ac militiae aptum.»

6. *equital*] Cogitandum de quotidianis equitationis exercitationibus, non de Troiae ludo equestri, quamquam frequentissime eum exhibuit Augustus. Suet. Oct. 43. — De his exercitationibus cfr. Statii Silv. 5, 2, 113: *Ipse ego te nuper Tiberino in litore vidi - - Tendentem cursus vexantemque ilia nuda Calce ferocis equi.* — Gallicani equi ferociores, et Gallia olim Romanis exercitibus equos ministrabat, Tac. Ann. 2, 5. — *lupatis*] lupinis dentibus similia frena ferrea. *Λύκος τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σιδήριον* Hesych. Ovid.

Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat neque iam livida gestat armis
Brachia, saepe disco,
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae

6 et 7. *equitet* - - *Temperet* BbSc,LCtF. (Indicativum firmant Tβ. — Pott. 4, 7, 11, 12 habent *equitat*, unus 23 *temperat*.)

Trist. 4, 6, 3: *Tempore paret equus lentis animosus habenis Et placido duros accipit ore lupos.*

7. *Temperat*] «moderatur, regit.» «*Παθητικωτέρα* fit oratio, si per interrogationem proferatur, quam si Lydiam narrare haec sibi iubeat *equitet* - - *temperet*.» BENTL.

8. «Cur natatione Tiberina, qua plerumque utebantur post alias *γυμνασίας*, abstinet?» — *olivum*] «Prosae scriptorem qui hanc formam usurpaverit praeter Apuleium inveni adhuc neminem.« FORCELL. «Cur abstinet luctâ?» ante quam oleo perfricabantur. «Hoc iam magis timet, quam sanguinem viperinum (Epod. 3, 6: *cruor viperinus.*), praesentissimum venenum.» «angue peius» in soluta oratione dixisset.

10. *arma* hic sunt ipse discus plumbeus vel ferreus et iaculum, quorum gravi pondere violentoque usu *lividae* vibices in brachiis oriuntur. — Contra Latinitatem quidam *livida* nuper interpretatus est «pallida naturâ atque enervata.» — *gestat - Brachia*] ut Ovid. Met. 5, 553: *ora gerere*, id est, «habere.»

11. «Cur abstinet a disco vibrando, a iaculando?» — *nobilis*] «saepe antea celebratus propter robur, quo iaculum ultra scopum constitutum validis lacertis *expediebat*, emittebat.» Sic omnes fere Romanorum exercitationes praeter pilam, quae lusui potius inserviebat, enumerat.

13. *Quid latet*] apud te? His haec immiscet Acron Nannii: «Hoc *ζηλοτυπώτερον* in rivalem dicit;» et initio: «in Lydiam dicit volgaris formae mulierem et sibi aliquando dilectam.» Sed est potius mollissimi iam hominis et mulierculae illi prorsus obnoxii iocosa derisio, sive in vivis is unquam fuit sive non.

14. Cfr. Welcker *Gr. Tragoedien* I. p. 193. Thetis, ne periret Achilles Troiam oppugnaturus, eum apud Lycomedem, Scyri insulae regem, in thalamo veste puellari indutum occultarat, ubi Deidamiae, regis filiae, amore captus est; mox, cum Ulixes mercatoris habitu inter alias merces arma puellis proposuisset, ille his cupide arreptis detectus est. Fabulam ignorat Homerus, qui tantum Iliad. τ, 326. Achilli haec tribuit: *ἠὲ τόν*, *ὅς Σκύρῳ μοι ἔνι τρέφεται φίλος υἱός*. Fundus

Funera, ne virilis
Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

15. *Funera*] *Tempora* Codex Vanderburgii. — *uiriles* T.

eius fuit in Cypriis et Iliade parva. Schol. Villois. ad l. l. Eandem tractavit Sophocles *ἐν Σκυρίαις*, in qua fabula Ulixes: *Σὺ δ' ὦ τὸ λαμπρὸν φῶς ἀποσβεννὺς γένους, ξαίνεις, ἀρίστου πατρὸς Ἑλλήνων γεγώς;* Item Bion in Epithalamio Achillis et Deidamiae, Idyll. 15. vel 2. Mein. v. 15: *Λάνθανε δ' ἐν κώραις Λυκομηδίσι μοῦνος Ἀχιλλεύς, Εἴρια δ' ἀνθ' ὅπλων ἐδιδάσκετο, καὶ χερὶ λευκᾷ παρθενικὸν κόρον* (al. *κόπον*) *εἶχεν.* Vide etiam Statium in Achilleide 2, 44 seqq. Cfr. Roulez ad Ptolemaeum Heph. p. 59. (Thetis elegantissime expressa est in Millingen *Mon.* Tab. X. p. 13.) — *sub lacrimosa*] paullo ante Graecorum expeditionem in Troiam, excidio iam tunc a diis damnatam. Mira autem interpolatio *lacrimosa tempora* pro *lacrimosa funera* in Codd. aliq. irrepsit.

15. «Ne virilis vestitus ipse Achillem incitaret ad expeditionem a Graecis regibus indictam una cum iis alacriter suscipiendam.»

16. *Lycii* Troianorum socii ducibus Sarpedone et Glauco. Est autem: «in caedem, quam facturae sunt Lyciae catervae.» Cfr. Dissen ad Pind. II. p. 595.

CARMEN IX.

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus

IX. Inscr. volg. *Ad Thaliarchum.* Om. ST. — 1. *candidus* Mallius Theodorus p. 539. Gaisf.

IX. De huius carminis argumento ita disputat Dillenburger: «A Iacobsio (Opp. T. V. p. 378.) ita ego dissentio, ut non credam parari a poëta coenam, sed iam accumbentes videam sodales sive apud Horatium sive apud alium ex amicis. Magistrum igitur convivii (*θαλίαρχον*, *συμποσίαρχον*) allocutus poëta admonet, ut quibus rebus in tanto frigore, quo omnis rerum natura contracta rigeat, maxime opus esse videatur, iis maiorem curam adhibeat, scilicet igne, quo extrinsecus, et vino, quo intrinsecus calor possit augeri, deinde ut cetera divis permittat.» Aliis *Thaliarchus* nomen videtur fictum adolescentis formosi (ut *Xanthias* ille *Phoceus)*, quem ad laetum vitae usum exhortetur. Quod Oberlini Codd. puerum hunc speciosum libertum fuisse tradunt, id unice propter Graecam eius appellationem esse factum videtur. Nihil autem in ipso carmine inest, quod nos cum interpretibus nonnullis statuere cogat, eius quasi scenam in adolescentis villa, non in urbe Roma a poëta collocatam esse. Tempus quo hoc carmen composuit, incertum est. Grotefend et Walckenaer referunt ad a. u. c. 724 vel 725, Kirchner ad a. 727, Dillenburger haud ita multo post Philippensem pugnam. Ceterum imitatus est Alcaeum apud Athen. 10. p. 430. (p. 954. Dind.) et Bergk Lyr. p. 578: *Τει μὲν ὁ Ζεύς, ἐκ δ' ὀρανῶ μέγας Χείμων, πεπάγασιν δ' ὐδάτων ῥοαί. Κάββαλλε τὸν χείμων', ἐπὶ μὲν τίθεις Πῦρ, ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως Μέλιχρον, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ Μαλθακὸν ἀμφι[τίθη] γνόφαλλον.* Qua ex imitatione ipsa equidem colligo totum argumentum esse ficticium ac liberae *φαντασίας* ludum.

1. *stet*] Per aestatem in caelo Italico montes longinquiores quasi per nebulam ac vaporem apparent, formis obscuratis ac prope extenuatis; hieme vero *stant*, id est, nive cum rigeant, toti nivei sint, clare conspiciuntur. *Stare* autem saepe de re horrida aut rigida. Exempla Virgiliana collegit Wagner ad Eclog. 7, 53. *Stant et iuniperi et castaneae hirsutae.* De monte ut hic positum est Aen. 6, 471: *Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.* 12, 407: *stat pulvere caelum*, «riget pulvere sive plenum est pulvere quasi immobili nec rursus desidente.» Wagn. in Ed. min. Audacius etiam, ut solet, Lucanus 2, 103: *Stat cruor in templis.*

2. *Soracte* mons MM. pedes altus in finibus Faliscorum, in quo Apollo colebatur (Aen. 11, 785: *Summe deum, sancti custos Soractis Apollo)* ultra XXIV. mil. pass. ab Urbe, sed ex ea (in qua, non ruri, scena carminis fingitur) facile

Silvae laborantes geluque
Flumina constiterint acuto.

Dissolve frigus ligna super foco
Large reponens atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

Permitte divis cetera, qui simul

4. *acuto?* (b) CtF. — 7. *Depone* T.

conspiciendus, hodie *Monte Tresto*, vel, ut alii volunt, *Monte di S. Silvestro*, vel *Monte di S. Oreste*. «*Sa forme isolée et singulière frappe les regards, quand on sort de la ville par une des deux portes du nord.*» Walckenaer I. p. 448.

3. *laborantes*] « nutantes atque sese inflectentes sub nivis onere.» Od. 2, 9, 6: *Aquilonibus querceta Gargani laborant.* — *geluque*] Livius 5, 13: *Insignis annus* (a. u. 355.) *hieme gelida ac nivosa fuit, adeo ut viae clausae, Tiberis innavigabilis fuerit.* Recentia exempla affert Schiller p. 44.

4. *acuto*] Pind. Pyth. 1, 39: *χιόνος ὀξείας*, quae frigore suo velut secat et pungit. Virg. Ge. 1, 93: *Boreae penetrabile frigus.* Glacie igitur adstricta flumina cursum morari videntur.

5—6. *Dissolve*] *κάββαλλε*, pelle. — *foco*] totius domus communis, ad quem, sarmentis et lignis large impositis, quicunque convivarum algebat, accedens calfacere se poterat; qui mos etiamnunc servatur in Italia. — *benignius*] scil. solito, largius, copiosius. Est comparativus copiae neque opponitur positivo *large*, ut opinatus est Sanadon.

7. *Deprome*] non tam «ex apotheca, cella vinaria» quam «ex ipsa diota haurito.» — *quadrimum*] satis igitur vetus ac dulce, quamvis Sabinum dumtaxat. Od. 1, 20, 1: *vile Sabinum* et *plumbeum* Martiali 10, 49. *Bimo* contentus est in sacrificio Veneri oblato Od. 1, 17; *horna* vina bibit Alfii agricola Epod. 2, 47. Alii *Sabina* minus recte interpretantur de vase tantummodo fictili, qualia ex ea regione Romam advehi solita sint. — *diota*] Plat. Hipp. mai. p. 288. D: *τῶν καλῶν χυτρῶν εἰσί τινες δίωτοι, τῶν ἓξ χόας χωρουσῶν.* Moeris p. 44: *ἀμφορέα, τὸν δίωτον σταμνόν.* «Amphora duarum aurium, id est, ansarum.» Lamb. Alii minus recte «vas, quo vinum e cadis haustum in minores cyathos defundebatur;» sed haec potius est trulla vinaria.

9—12. *cetera*] «reliqua omnia, quae aut antea sollicitos nos habuerunt, aut quia futura et incerta sunt, nunc certe nihil ad nos attinent nec laetitiae nostrae conveniunt.» Archilochi Fr. 49. Schneidew.: *Τοῖς θεοῖς τίθει δὲ πάντα.* Theogn. 1047: *Νῦν μὲν πίνοντες τερπώμεθα καλὰ λέγοντες· Ὅσσα δ' ἔπειτ' ἔσται, ταῦτα θεοῖσι μέλει.* Cfr. Epod. 13, 7. — Gratissima iam imago tranquillitatis a diis restitutae ac temporis verni opponitur frigori et procellae nunc

Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et,
Quem Fors dierum cunque dabit, lucro
Appone, nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas,

14. *Fors* bSTc,LCt et Bentl.: *sors* FM. — 16. *tu* om. $\mu\xi$.

saevienti. — *Stravere*] in prosa orat. «sedavere, tranquillavere.» — *Deproeliantes*] «Qui in turbido mari acerrime inter se luctantur.» — *nec cupressi*] Libente animo immoratur in gratissima imagine plenae rerum tranquillitatis a dis verno tempore post frigora et procellas restitutae. Monui, quia picturam, quae magnopere placere debebat Romanis, ut nunc quoque placet Italis, tamquam languidam atque otiosam acriter nuper vituperavit Scholasticus quidam; alius vero nos docuit recte Horatium usum particulis *nec - nec* ab illo itidem nescio cur reprehensis: «esse enim ornos altissimas, humiles contra cupressos;» quae quidem, ut in Italia sexcenties vidi, ad pedes usque LX. et amplius increscunt, *metas imitatae* Ovid. Met. 10, 106. Atque, ut credas etiam poëtis, Virg. Aen. 3, 680: *coniferae cyparissi - - lucus Dianae.* Theocr. 18, 29: *ἀνέδραμε κόσμος - - κάπῳ κυπάρισσος.* — *orni*] *Mannaeschen.* Cfr. Voss ad Ge. 2, 71. Linnaei *fraxini orni.*

13. 14. *cras*] Comparant Philetaeri illud Mein. Com. Ed. min. p. 642: *Τί δεῖ γὰρ ὄντα θνητόν, ἱκετεύω, ποιεῖν, Πλὴν ἡδέως ζῆν τὸν βίον καθ' ἡμέραν, - - Εἰς αὔριον δὲ μηδὲ φροντίζειν ὅ τι Ἔσται;* — *fuge*] in prosa orat.: «Omitte, noli de rebus futuris consulere astrologos.» — *Fors* huic loco unice convenit. Wagner ad Virg. Ecl. 9, 5: *Fors omnia versat,* alii *sors:* «Sors eventus est, non ipsa vis fati; quare non est Latinum *sors versat.* Contra *Fors* significat caecam quandam vim, res humanas temere ac nullo consilio regentem, nulla tamen adiuncta aut laedendi aut iuvandi notione, quare nullum usquam huic nomini adiicitur epitheton. Non sunt igitur huic plane synonyma *Fortuna* et *Fatum.*» — *cunque*] De tmesi cfr. Kritz ad Sal. Cat. 5, 3.

15. *Appone*] in pr. or.: «In lucro pone.» Cic. ad Fam. 9, 17: *De lucro prope in quadriennium vivimus.*

16. *puer*] «dum adolescentia frueris.» — *tu*] In hoc voc. offendit Iulius Caesar Scaliger, quasi pleonasmus esset; sed est sermonis familiaris ac benevolentiae; interdum etiam vim exhortationis auget in membro altero. Sic Graeci *σύ γε.* Plato Gorg. p. 527. D: *ἔασόν τινά σου καταφρονῆσαι — καὶ ναὶ μὰ Δία σύ γε θαῤῥῶν πάταξαι κτλ.* Tibull. 1, 1, 37: *Adsitis divi, nec vos de paupere mensa Dona nec e puris spernite fictilibus.* Lucan. 2, 627: *nec Pharnacis arma relinquas Admoneo, nec tu populos utraque vagantes Armenia.* Iuven.

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora,
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci.

21. *intumo* c. — 23. *direptum* ST et corr. b.

6, 172: *Parce, precor, Paean, et tu depone sagittas.* et Horatius ipse Epp. 1, 2, 63: *Hunc frenis, hunc tu compesce catena.*

17. *virenti*] florenti. Theocr. 27, 66: *χλοεροῖσιν-μελέεσσιν.* Epod. 13, 4: *dumque virent genua,* sicque *viridis senectus.* Mansit hic tropus Italis in *la verde età*, non item nobis.

18. *Morosus* contrarius est *morigero,* is, qui aliis morem gerere et obsequi recusat. — *Nunc*] «Ut convenit aetati, qua nunc es, adolescens.» Rufinus in Anth. Pal. I. p. 104: *Ζωῆς ἀνθρώποις ὀλίγος χρόνος· ἄρτι Λύαιος, Ἄρτι χοροὶ στέφανοί τε φιλανθέες, ἄρτι γυναῖκες.* — *areae*] loca publica, in quibus conveniebat iuventus, praesertim circa templa, ut erat Romae area Volcani, area Concordiae.

19. *sub noctem*] «per crepusculum.» Opponuntur haec ludis et exercitationibus diurnis in Campo Martio. — *susurri*] Scena haec est: Amator ad ianuam semiapertam amicae hora constituta susurrat, submissa voce eam appellat; puella nihil respondens intra domum, quo ludificetur adolescentem, sese occultat; mox autem ex angulo, ubi latet, cachinno sublato se prodit; amator intro se praecipitans armillam vel anulum, pignus amoris, deripit puellae simulanti se pertinacem esse ac reluctari, sed re vera se spoliari gaudenti.

20. *repetantur*] «crebro quaerantur.» Ex v. *repetantur* cogitatione elicienda alia risus proditoris et pignoris derepti magis propria: «Nunc hi quoque soliti amantium ioci vos delectare possunt.» Nolim enim supplere *est* ad v. *gratus risus* gratumque *pignus* cum aliis interpretibus.

24. *male pertinaci*] «non admodum pertinaci, quia tantummodo simulat se obniti.» Contraria significatione Prudent. Cathem. 11: *male pertinax vincendi studium subiacuit casibus asperis.* Cfr. Hand. Turs. III. p. 585. Tibull. 1, 9, 11. de simili puellae ioco: *Et latuit clausas post adoperta fores.* Pseudogallus s. Maximianus El. 1, 67: *Et nunc subridens latebras fugitiva petebat. Non tamen et fugiens tota latere volens, Sed magis ex aliqua cupiebat parte videri: Laetior hoc potius, quod male tecta foret.*

CARMEN X.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus et decorae

X. Inscr. volg. et S: *Ad Mercurium.* Om. T. — 1. *Mercuri facunde, nepos* T,LCt. — 2. *coetus* Withofius.

1. «Hymnus est in Mercurium ab Alcaeo lyrico poëta.» Porphyr. Pausan. 7, 20: *βουσὶ γὰρ χαίρειν μάλιστα Ἀλκαῖος ἐδήλωσεν ἐν ὕμνῳ τῷ εἰς Ἑρμῆν γράψας, ὡς ὁ Ἑρμῆς βοῦς ὑφέλοιτο τοῦ Ἀπόλλωνος.* Initium fortasse fuit Fragm. 2. Bergk: *Χαῖρε, Κυλλάνας ὁ μέδεις, σὲ γάρ μοι.* Noli tamen arbitrari cum G. F. Grotefendio, qui in Graecum convertit (Nov. Act. Soc. Lat. Lipsiae 1806. p. 223.), «*fidam* hanc esse Horatii versionem.» — Nonnus 26, 283: *ταυύπτερον υἱέα Μαίας, Γλώσσης ἡγεμονῆα, σοφῆς ἰθύντορα φωνῆς.* Mercurii autem *λογίου* Venerem propter Adonidis interitum consolantis pulchra imago est in Musei Borbon. Vol. I. T. 32. Aliud prorsus egregium Mercurii piscatoris simulacrum v. Vol. III. T. 41. et 42. (Tempus, quo hoc carmen compositum sit, omnino definiri nequit.)

1. *facunde*] Hic *λόγιος* (Orph. Hymn. 27, 4: *λόγου προφήτης*), v. 3 sq. *ἀγώνιος.* — *nepos Atlantis*] per Maiam. Poëtica ratio iubet v. *facunde* iungi cum v. *nepos*, non, ut alii fecerunt, cum v. *Mercuri*. Ovid. Fast. 5, 663. loco perquam simili: *Clare nepos Atlantis, ades, quem montibus olim Edidit Arcadiis Pleïas una* (Bentl. *uda*) *Iovi.*

2. *Cultus* cum significet omnem prope externam vivendi rationem et, ut h. l., mores, apud poëtas certe recipere potest epitheta huius modi, ut *ferus, asper, agrestis.* — *hominum recentum*] De statu primorum hominum cfr. Sat. 1, 3, 100: *mutum et turpe pecus.*

3. *Voce*] «*Ἑρμηνείᾳ* excoluisti homines rudes, eos docens distincte ac dilucide suas cogitationes exprimere.» Ovid. Fast. 5, 665: *Pacis et armorum superis imisque deorum Arbiter, alato qui pede carpis iter; Laete lyrae pulsu, nitida quoque laete palaestra, Quo didicit culte lingua favente loqui;* ubi describit Mercurii diem festum Id. Maiis celebrari solitum. (Noli tamen credere nupero cuidam interpreti, hymnum hunc in illius diei usum publicum compositum esse. Immo mera fuit lyricae facultatis et exercitatio et opus.) Alii accipiunt de musica, sed quod hac arte institutum est genus humanum, Apollini et Musis potius deberi videtur. — *catus*] Varro LL. 7, 46: *cata, acuta; hoc enim verbo dicunt Sabini; quare catus Aelius Sextus non, ut aiunt, sapiens, sed acutus. Catus* inseritur per parenthesin, nec iungi potest *catus voce et more.* — *decorae*] «quae decus et *εὐξίαν* addit

More palaestrae,

Te canam, magni Iovis et deorum
Nuntium curvaeque lyrae parentem,
Callidum, quidquid placuit, iocoso
Condere furto.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra

iuvenibus.» Hinc Ἑρμῆς φιλάεθλος Anth. Pal. II. p. 495.

4. *More*] «institutione, lege exercitationum.» Pind. Ol. 6, 69: τεθμῷ ἀέθλων. et ibid. 79: (Ἑρμῆς) ὃς ἀγῶνας ἔχει μοῖράν τ' ἀέθλων. Lucan. 4, 643: *perfudit membra liquore Hospes, Olympiacae servato more palaestrae.* — *palaestrae*] Hinc Παλαίστρα κατὰ προσωποποιΐαν filia est Mercurii Philostrato Imm. 2, 32.

6. *Nuntium*] διάκτορον. Virg. Aen. 4, 356: *interpres divom.* — *lyrae*] ex testudine factae et chordis intentae *parentem*, inventorem. Sic *parens philosophiae* Socrates Ciceroni, et Platoni in Sympos. 177. D. πατὴρ τοῦ λόγου, auctor sermonis. Cfr. Pausan. 8, 17, 4. Philostr. Imagg. 1, 10: Τῆς λύρας τὸ σόφισμα πρῶτος Ἑρμῆς πήξασθαι λέγεται κεράτοιν δυοῖν καὶ ζυγοῦ καὶ χέλνος, καὶ δοῦναι μετὰ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὰς Μούσας Ἀμφίονι τῷ Θηβαίῳ τὸ δῶρον.

7. *iocoso*] «ioci causa sic patrato, ut ii ipsi, quos spoliasti, ridere debeant.» Philostr. Imagg. 1, 26. de Mercurii furtis: οὔτι που ταῦτα πενίᾳ δρᾷν ὁ θεός, ἀλλ' εὐφροσύνῃ διδοὺς καὶ παίζων. Sic in Phoronide apud Etymol. M. p. 339: Ἑρμείαν δὲ πατὴρ Ἐριούνιον ὠνόμασ' αὐτός· Πάντας γὰρ μάκαράς τε θεοὺς θνητούς τ' ἀνθρώπους Κέρδεσι κλεπτοσύνῃσί τ' ἐκαίνυτο τεχνήεσσας. Hipponax apud Schneidewin Del. pag. 208. ad Mercurium: Φωρῶν ἑταῖρε. In Eur. Rhesi v. 217. vocatur φηλητῶν ἄναξ. (Nota sunt Mercurii epitheta δόλιος et κλώψ.) Temporibus autem heroicis furandi ac peierandi peritia pro callida sollertia in laudibus ingenii habebatur, ut Homericus ille Autolycus Od. τ, 395: ἀνθρώπους ἐκέκαστο Κλεπτοσύνῃ θ' ὅρκῳ τε· θεὸς δέ οἱ αὐτὸς ἔδωκεν Ἑρμείας.

9. *olim*] Ad omnes has tres actiones aeque pertinet hac constructione: «Olim (eodem die, quo natus es, statim post lyram a te inventam; v. Hom. Hymn. Merc. 20. ibique Franke), dum Apollo te puerum minaci voce terret, asseverans te a se punitum iri, nisi quinquaginta boves per dolum amotas reddidisses, subrisit, cum se a te spoliatum pharetra videret.» In Hymno quidem Homerico non furatur pharetram, sed tamen Apollo Νόμιος v. 514: δείδια, inquit, μή μοι ἅμα κλέψῃς κίθαριν καὶ καμπύλα τόξα. Schol. ad Iliad. ε, 256: Ἑρμῆς ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος εὗρε λύραν, καὶ τοὺς Ἀπόλλωνος βόας κλέψας εὑρέθη ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ τῆς

Risit Apollo.

Quin et Atridas duce te superbos
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
Castra fefellit.

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus virgaque levem coërces

17. *animas laetis* T.

μαντικῆς· ἀπειλουμένου δὲ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἔκλεψεν αὐτοῦ καὶ τὰ ἐπὶ τῶν ὤμων τόξα· μειδιάσας δὲ ὁ θεὸς ἔδωκεν αὐτῷ τὴν μαντικὴν ῥάβδον, ἀφ' οὗ καὶ χρυσόῤῥαπις ὁ Ἑρμῆς προσηγορεύθη. Lucian. Deor. D. 7. et maxime Philostr. l. l. (Cfr. Voss *mythol. Briefe* Ed. II. Vol. I. p. 104.)

11. 12. *viduus*] apud poëtas pro «privato, spoliato.» Virg. Culic. v. 374: *lacus viduos a lumine Phoebi.* — *Risit*] Philostr. l. l.: *ὁ ζωγράφος διαχεῖ τὸν Ἀπόλλω καὶ ποιεῖ χαίροντα, μεμέτρηται δὲ ὁ γέλως, οἷος ἐφιζάνων τῷ προσώπῳ θυμὸν ἐνικώσης ἡδονῆς.*

13 - 16. Atque idem deus tutor est hominum innoxiorum, ut Priamus ab eo custoditus noctu ad Achillem perrexit, ut Hectoris corpus redimeret. Iliad. ω, 334. (Priamum Achilli supplicem vide in Gerhard *Vaseng.* III. T. CXCVII. ac pulcherrimam senis imaginem ibid. T. CLXXXIX.) — Pro *divitis ἐπιθέτῳ* Scaliger pater malebat «maestum, infelicem», haud animadvertens illo significari Priamum pretiosissima dona secum portasse. Iliad. ω, 232: *χρυσοῦ δὲ στήσας δέκα πάντα τάλαντα κ. τ. λ.* — *superbos*] *μεγαλήτορας, μεγαθύμους* Homero. — *Ilio - - relicto* Libri, non *relicta*, ut sane est Od. 4, 9, 8: *Ilios vexata;* contra Od. 5, 4, 53: *cremato ab Ilio.* Cfr. Heins. ad Ov. Her. 1, 48: *disiecta - - Ilio.* Genus femininum hoc quoque loco sine ulla necessitate malebat Cuninghamius. — *ignes* cet.] excubiarum Myrmidonum et hostilia Graecorum castra.

17-19. *reponis*] «Idem utpote *ψυχοπομπὸς pias-animas* deducis, ubi in perpetuum tranquille habitaturae sunt. — *virga*] Virgam magicam *(potentem* Ovid. Fast. 5, 447.) ei donavit Apollo. Hymn. Merc. 530: *ὄλβον καὶ πλούτου δώσω περικαλλέα ῥάβδον, χρυσείην, τριπέτηλον, ἀκήριον, ἥ σε φυλάξει, πάντας ἐπικραίνουσ' οἵμους ἐπέων τε καὶ ἔργων.* Memoratur etiam Iliad. ω, 343: *εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.* Statius Theb. 1, 306: *Tum dextrae virgam inseruit, qua pellere dulces Aut suadere iterum somnos, qua nigra subire Tartara et exsangues animare assueverat umbras.* Haec igitur, ut ita dicamus, Homerica virga trifolio tantum ornata est; Mercurii caduceus *(κηρύκειον)* posteriore tempore et alis et serpentibus inter se nexis symbolum factum est pacis et commercii inter genus humanum. Martial. 7,

Aurea turbam, superis deorum
Gratus et imis. 20

19. 20. *Superis deorum gratus et imis Aurea turbam* T.

74: *Cyllenes caelique decus, facunde minister, Aurea cui torto virga draconе viret.* Cfr. Bötliger *Amalthea* I. p. 105. sqq. Pindarus autem Orco tribuit hanc virgam Olymp. 9, 33: *οὐδ' Ἀΐδας ἀκινήταν ἔχε ῥάβδον, βρότεα σώματ' ἃ κατάγει κοίλαν πρὸς ἀγυιὰν θνασκόντων.* Cfr. ad Od. 1, 24, 16. — *levem--turbam*] *εἴδωλα καμόντων.* — *coërces*] proprie de pastore, qui gregem prae se agens id simul spectat, ne dissipentur, sed uno agmine procedant pecora.

20. *imis*] (in prosa orat. *inferis*) quia et in caelo et in Orco versatur. Claudian. Rapt. Pros. 1, 89: *commune profundis et superis numen.*

CARMEN XI.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoë, nec Babylonios

XI. Inscr. volg. *Ad Leuconoen.* — *Ad L. suadens omittendam mathematicen* S. Om. T. — 1. *quaesieris scire, nefas* LCtM. — 2. *dederunt* δ et pr. κ.

XI. *Leuconoë* (al. *Leucothoë*) nomen fictum grati soni. Obversabatur poëtae imago puellae superstitiosae, saepe mathematicos consulentis, a qua stultitia eam ad laetum vitae usum avocat. Tunc nondum leges latae erant, quibus severissime interdictum erat astrologis, ne artes suas exercerent; quibus legibus aliquoties ex Italia expulsi sunt. Suet. Vesp. 14. Tacit. Hist. 1, 22: *genus hominum infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur.* Tempus carminis incertum est; nonnulli referunt ad a. u. c. 728.

1. «Tu, tam cara mihi (id quod inest in vv. *quem mihi, quem tibi*), tam florens adolescentula noli scrutari» cet., quae superstitio tunc vigebat. Sic Tacit. Ann. 3, 22: *quaesitum per Chaldaeos in domum Caesaris.* Cfr. ibid. 12, 52. Sidonius Apollinaris 8, 11: *Illud sane non solum culpabile in Lampridio fuit sed peremptorium* (nefas), *quod mathematicos quondam de vitae suae fine consuluit.* — Ipsa versus constructio iubet nos iungere non *quaesieris scire*, sed *scire nefas*, ut Epod. 10, 14: *nefas videre.* Lucan. 1, 126: *quis iustius induit arma, Scire nefas.* Statius Theb. 3, 562: *quid crastina volveret aetas, Scire nefas homini. (nefas,* vetitum a dis et a natura.) *Quaesieris* autem absolute, ut Od. 1, 9, 13. Propert. 2, 27, 1: *At vos incertam, mortales, funeris horam Quaeritis, et qua sit mors aditura via Quaeritis et caelo Phoenicum inventa sereno Quae sit stella homini commoda quaeque mala* cet. — Vv. *quaerere, scrutari, στοχάζεσθαι*, propria astrologorum, quos Philostratus V. Soph. p. 480. appellat *μυρίοις ἀστέρων στοχαζομένους τοῦ ὄντος.*

2. 3. *Finem*] vitae decursum usque ad obitum. — «*Nec* positum vides praecedente part. *ne*, ubi *neu* exspectes.» Regel. Reperitur sane omnibus in libris apud Aemilium Probum Pausan. 4, 6: *ne enuntiaret nec se proderet.* H. l. *nec B. T. n.* est quasi epexegesis vv. *ne quaesieris*, quod aliter fieri non poterat nisi consultis mathematicorum numeris. — *Babylonios-numeros*] Chaldaeorum (astrologorum), qui multis computationibus factis ex tabulis genethliacis atque ephemeridibus de siderum statu et oppositione, hominum qui eos consulebant, *γένεσιν* et horoscopum, atque per hunc vitae vicissitudines definiebant. Lucan. 1, 636: de Figulo astrologo loquens: *numerisque moventibus astra.* Iuv. 6, 576: *numeri Thrasylli*, mathematici; *ψηφῖδας* vo-

Tentaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati!
Seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare 5

3. *Temptaris* bSTc. — 4. *tribuet* e C2dd. F. — 5. *Qui* Codd. Blandinii.

cant Graeci; *rationes Chaldaicas* Cic. de Div. 2, 47. — *Tentaris* «sollicite exploraris.» Cfr. Od. 1, 28, 5. — *Ut melius*] «Quanto satius est etiam mala pati, ubi advenerint, quam iis ante explorandis maestitiam perpetuam tibi praeparare!» Salmas. ad Tert. de Pallio p. 322. comparavit ὡς πολλῷ ἄμεινον.

4. 5. Excipit protasin: *Seu plures - - mare Tyrrhenum*, apodosis *sapias*. Contra plerique puncto distinguunt ante v. *sapias*; ut nuper rursus fecit Regel. «Nam,» inquit, «vv. *quidquid erit* accuratiori egent explicatione, quae seqq. *Seu-seu* subiicitur.» Mihi vero huic opinioni maxime versus 6. caesura adversari videtur. — *hiemes*] annos; servata tamen primitiva significatione statim praesentis anni tempus hibernum depingit; quae hiems *nunc debilitat undas*, efficit, ut frangantur ad *pumices*, non tam proprie dictos, quam, ut est apud Plinium 36, 42: *appellantur quidem ita* (pumices) *et crosa saxa;* Virg. Aen. 5, 214: *columba, cui domus et dulces latebroso in pumice nidi*, (iterumque 12, 587.), *vesco sale saxa peresa* (Lucret. 1, 320.) et propterea pumicibus nativis similia. Sidonius Apoll. 11, 26: *Exterior non compta silex, sed prominet alte Asper ab assiduo lympharum verbere pumex.* — *oppositis*] «mari obiectis in extremo litore *fluctifrago* (Lucret. 1, 299).» Noli cum aliis cogitare de molibus arte factis ex pumice et pulvere Puteolano. (Vitruv. 2, 6. et 5, 6.) Lectt. Codd. Bland. *Qui* (Iuppiter) vel ideo reiicienda est, quia huius sententiae nulla omnino foret iunctura cum reliquo carmine; pingi contra debebat terribilis huius hiemis, eiusdem fortasse ultimae, impetus atque insania. *Debilitat* autem est «collidit, *zerschellt*,» dum undae ad pumices illos sese infringunt, non «tranquillat, coërcet,» ut nuper quidam explicavit.

6. *sapias*] «Omitte illam stultam sollicitudinem et, ut sapientem decet, fruere vita.» Imperativi habet vim, nec dictum est, ut volt Priscianus T. 2. p. 144. Kr., pro *si sapias*, vel potius in oratione directa *si sapis, si sapies*, ut est Ovid. Am. 1, 4, 29: *Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse iubeto.* — *liques*] Per colum nivarium, vel per sacculum linteum colabant sive saccabant vina, quo dempta faece et flore liquidiora fierent. Martial. 14, 103: *Setinos moneo nostra nive frange trientes; Pauperiore mero tingere lina potes.*

6. «Reputans tecum, quam breve vitae sit spatium, certum terminum siste nimiae spei de futuro tempore (*spei longae*, ut Od. 1, 4, 15.) et vive in praesentia. Iam dum doctrinam hanc tibi trado, fugit irreparabile tempus, quod laetitiae dedicare potuissemus.» Neoptolemus ap. Diod. Sic. 16, 92: ἄφαντος προσέβα Μαχρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας θανάτῳ Πολύμοχθος Ἅιδας. Ex iis est locis (ut fere Od. 1, 6, 1.) ubi ablativus absolutus et instrumentalis invicem se penetrant

Tyrrhenum, sapias, vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem quam minimum credula postero.

7. *diffugit* G. Fabricius.

et quasi miscent; potest enim resolvi vel «cum breve sit vitae spatium», ut Liv. 4, 41: *orans ne se, brevi reliquo vitae spatio, tam tristem nuntium ferre ad Cincinnatum paterentur;* vel «propter breve spatium.» — *reseces*] «prorsus ei renunties», ut apud Cic. ad Att. 1, 18, 2: *resecandae libidinis.*

7. 8. *Dum loquimur*] Adeo saepe haec formula apud Latinos reperitur (v. exempla ab Hofman Peerlkamp collecta: Ov. Pont. 4, 3, 58. Am. 1, 11, 15.: *Dum loquor, hora fugit.* Petron. 99. Auson. Ros. 38.), ut prope proverbialis fuisse videatur hac significatione: «hoc ipso temporis puncto atque longe citius, quam tu arbitreris.» — *fugerit*] futurum exactum. Sic Lucret. 3, 927: *brevis hic est fructus homullis; Iam fuerit, neque post unquam revocare licebit.* (Persius 5, 153: *hoc, quod loquor, inde est.*) — *Invida* autem est aetas, quatenus diuturnae voluptatis usuram denegat. «*Carpe* igitur *diem* (non tam ut florem vel fructum maturum, quam ut dicimus *oscula, cibum, viam carpere* cum celeritatis notione) nec fide sequenti.» Epp. 1, 4, 13: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Martial. 7, 47, 11: *Vive velut rapto fugitivaque gaudia carpe.* Atque hoc usu iam Lucilius Gerl. p. 68, 48: *Hiemem unam quamque carpam.* — Cum Od. IX. et hoc carmen quasi τύπος sit ac species tot similium, quibus poëta ad laetum sed simul sapientem temperatumque vitae usum nos exhortatur, indicatis saltem duobus similibus Eurip. Alcest. 782. Dind. et Palladae Anthol. Pal. II. p. 339. subiicere orientalis quoque sapientiae specimen iuvat. Ecclesiastic. 14, 14: *Μὴ ἀφυστερήσῃς ἀπὸ ἀγαθῆς ἡμέρας, καὶ μερὶς ἐπιθυμίας ἀγαθῆς μή σε παρελθέτω.* Tharapha Reiskii p. 25: *Heus tu, qui me vituperas, quod adsim voluptatibus, an tu immortalem me praestabis? Fatum si pellere non potes, sine modo praeveniam eo, quod manus mea possidet. - - Sine me caput mero implere, dum vivo, metu, ne nimis parum vivus ingeram. Vir nobilis adhuc vivus rigat se; cras cognosces, quis nostrum mortuus sitiat.*

CARMEN XII.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem deum? Cuius recinet iocosa
Nomen imago
Aut in umbrosis Heliconis oris 5

XII. Inscr. volg. *De Augusto.* — *De laudibus Deorum vel hominum* S. Om. T. Bland. ant. Pott. aliquot. — 2. *sumes* c,CLt. (non BbST,$\beta\gamma$, pr. x.) — 3. *recinit* Sc et corr. b, Pott. sex, item F. *(retinet* T.)

XII. Augustum insertum deorum, heroum et summorum ducum Romanorum ordini tamquam orbis terrarum dominum celebrat. Scriptum est carmen certe ante a. u. c. 734. De carminis consilio et forma v. Excursum.

1. *Quem virum aut h.* cet]. Pindar. Olymp. 2, 1: *Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;* Inverso ordine Horatius ut Isocr. Euag. §. 39: *οὐδεὶς οὔτε θνητὸς οὔθ' ἡμίθεος οὔτ' ἀθάνατος.* — *acri*] *λιγυρᾷ*, soni acuti. Theogn. 764. Bergk: *φόρμιγξ δ' αὖ φθέγγοιθ' ἱερὸν μέλος ἡδὲ καὶ αὐλός.* Pind. Isthm. 4, 29. Boeckh: *κλέονται δ' (ἥρωες) ἔν τε φορμίγγεσσιν ἐν αὐλῶν τε παμφώνοις ὁμοκλαῖς μυρίον χρόνον.* Nonn. 8, 377: *Πηκτίδος οὐ χατέω λιγυηχέος, οὐ χρέος αὐλοῦ.* Epitheton *acri* laudat Quintilianus 8, 2, 9. ut *proprie dictum, id est, quo nihil inveniri possit significantius.*

2. *sumis celebrare*] In pr. or. «suscipis celebrandum.» — *Clio* plerisque Musa historiae, sed ex nominis notatione etiam, ut hic, elogiorum.

3. 4. *Cuius recinet*] Manifesta est haec rursus interrogatio, atque necessarium futurum, quod tempus inest etiam in vv. *sumis celebrare* (mox) *Clio.* Nihil enim languidius minusque poëticum excogitari potuit, quam quod nuper commendavit Lübker: *cuius* (pron. relativ.) *recinit* (sic) - - *in Haemo* (sine interrogatione). Ad triplicem interrogationem verum sed celatum responsum est: «celebrabo Augustum,» apud Pindarum, «Theronem.» — Latini cum carerent vocabulo, quod *κυρίως* responderet Graecorum *ἠχοῖ*, eam *vocis imaginem* (Virg. Ge. 4, 50.) et *imaginem* simpliciter appellabant. Cic. Tusc. 3, 2: *laus bonorum virtuti resonat tamquam imago gloriae. Iocosa* autem, quia viatores quasi consulto ludificatur, unde auribus accidat, ignorantes.

5. 6. *Helicon* Boeotiae, *Pindus* Thessaliae, *Haemus* Thraciae montes, Musarum sedes. Ex Thracia autem prisci illi vates sacri, Orpheus, Linus, Musaeus, Thamyris, prodierant.

7. 8. *vocalem temere*] «canora voce praeditum *(chordae vocales* Tibull. 2, 5, 3) promiscue, sine ordine, ipsae, cur sectarentur cantorem,

Aut super Pindo gelidove in Haemo?
Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Quid prius dicam solitis parentis

9. *rabidos* γ ap. Kirchn. Nov. Quaestt. Horat. p. 36. — 10. *lapsos* B. — *celerisque* BT. — 13. *Quid prius? Dicam solitis Parentem* ex Acrone F. — *parentum* Sc et corr. b, βγκ. (Ut nos, BT et pr. b, Pottierii 1, 3, 14.)

vix sibi consciae.» Apollon. Rhod. 1, 26: *Αὐτὰρ τόν γ' ἐνέπουσιν ἀτειρέας οὔρεσι πέτρας θέλξαι ἀοιδάων ἐνοπῇ ποταμῶν τε ῥέεθρα. Φηγοὶ δ' ἀγριάδες - - - ἃς ὅ γ' ἐπιπρὸ θελγομένας φόρμιγγι κατήγαγε Πιερίηθεν.* Cfr. etiam Simonid. Schneidew. Del. fr. 9: *Τοῦ καὶ ἀπειρέσιοι Πωτῶντ' ὄρνιθες ὑπὲρ κεφαλᾶς, ἀνὰ δ' ἰχθύες ὀρθοὶ Κυανέου ἐξ ὕδατος ἄλλοντο καλᾷ σὺν ἀοιδᾷ.* Philostr. iun. Imagg. p. 10. Kays.: *Δένδρα ἀνασπάσας τῶν ῥιζῶν· — πάντα ξυμβαλόντα τοὺς πτόρθους οἷον χεῖρας περὶ τὸν Ὀρφέα ἔστηκεν.* Cfr. Dio Chrysost. Or. 78. p. 420. R. Riemer *Göthe* I. p. 480: *Orpheus auf einer alten Paste, die Göthe besass, scheu sich abwendend, vor dem Andrange aller der Stein-, Holz- und Fleischkörper, die sich um ihn versammeln.* (Eius imaginem vide in Museo Gregoriano Tab. LX. atque eundem apud inferos Gerhard *ant. Bildw. Nachtrag.* T. IV.)

9—12. «Arte canendi a Calliope matre donatus.» — *Blandum*] «tam blande canentem, ut duceret quercus attente auscultantes.» — V. *auritus* etiam apud Plautum hac significatione reperitur. Asin. Prol. 4: *Fac iam tu, praeco, omnem auritum populum.* Plerumque vero de leporibus cet. usurpatur. — *quercus*] Post silvas totas singulare nunc arborum genus memorat, et quidem omnium durissimum. Horatium, non librarios correxit H. Peerlkamp, *ducere cautes* proponens, ut Stat. Theb. 8, 233: *duras animantem Amphiona cautes.* Nec vero ita rara haec compositio apud antiquos, ut generi praeterea subiungatur species. Epp. 1, 12, 7: *Si - - herbis Vivis et urtica.* Ovid. Met. 16, 26: *et flores mille colorum liliaque.*

13. «Ante omnes igitur *solitis laudibus*, ut fit in re divina, rite celebrabo lovem *parentem*», ut Od. 2, 19, 21. Virg. Ge. 1, 328. Lucan. 4, 440: *magne parens mundi.* (Falsam lect. *parentum* explicabant: «Qui ex antiquo more maiorum nostrorum ante ceteros deos invocari solet.») Aliquanto plus est quam solita illa formula Alcmanis Fr. 34: *ἐγὼ δ' ἀείσομαι ἐκ Διὸς ἀρχόμενος.* Pindari Nem. 5, 25: (Musae) *πρώτιστον μὲν ὕμνησαν Διὸς ἀρχόμεναι σεμνὰν Θέτιν Πηλέα τε.* Arati Cic. 1. et Virg.

Laudibus, qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis?

Unde nil maius generatur ipso,

15. *ac*] *et* bcST,LCt. (Ut nos, B et «plerique mei.» Bentl.) — *terram* c, in quo a v. 16. usque ad Od. 15, 9. excisa sunt folia aliquot.

Ecl. 3, 60: *Ab Iove principium:* quia *laudibus,* id est, hymno, inest argumentum, summa Iovis potentia, subiunguntur autem alii dei. *Laudes* vero ut Tibullus 1, 3, 34: *tibi* (Isidi) *dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia.*

15. Iisdem prope verbis Virg. Aen. 1, 230: *o qui res hominumque deumque Aeternis regis imperiis et fulmine terres. — mundum*] caelum. Designatur autem per mare, terras et caelum universa rerum natura. Catull. 64, 205: *Quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt Aequora concussitque micantia sidera mundus.* Doer.

16. *horis*] Ex usu poëtico pro anni temporibus *variis*, sese invicem excipientibus ac natura sua distinctis. (Ars Poët. 302: *sub verni temporis horam.*) De Horis deabus, omnium vicissitudinum praesidibus, quae Parcis et consocientur et opponantur, nolim h. l. intelligere cum Lehrsio. *(Die Horen. Königsberg* 1846. p. 11.) Affert Pausan. 1, 40: (Megaris) *ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός εἰσιν Ὧραι καὶ Μοῖραι· δῆλα δὲ πᾶσι τὴν πεπρωμένην μόνῳ οἱ πείθεσθαι, καὶ τὰς ὥρας τὸν θεὸν τοῦτον νέμειν εἰς τὸ δέον.* «*Die stehenden Verhängnisse, die Moiren, werden im Laufe der Zeiten durch die (wechselnden,* variae) *Horen herbeigeführt und verwirklicht.*» — *Temperat*] «ordinat atque moderatur.» Ovid. Fast. 4. 94: *Illa* (Venus) *quidem totum dignissima temperat orbem.* Seneca Ep. 73: *Soli Lunaeque plurimum debeo temperantique annum deo obligatus sum.*

17. *Unde*] Non «quare»; sed «ex quo, (ut Od. 1, 28, 28: *unde potest, tibi defluat aequo Ab Iove.* Sat. 1, 6, 12: *Laevinus, Valeri genus, unde Superbus Tarquinius regno pulsus fugit.* Sat. 2, 6, 21: *Iano - Unde,* id est, «a quo.» Virg. Aen. 8, 71: *Nymphae, genus amnibus unde* cet. Etiam in prosa or. Sal. Iug. 14: *unde minime decuit, vita erepta est.* Cic. de Or. 1, §. 67: *ille ipse, unde cognovit.*) ex quo igitur, qui est optimus maximus, nihil ipso potentius generatur, cum omnes dii ei sint inferiores.» Poëticae rationi prorsus contraria est altera interpretatio: «quia ipse maximus est, nihil maius eo oritur.» — *generatur*] De Minervae ortu ex Iovis, postquam Metidem devorasset, capite cfr. Gerhard *Vasengem.* T. 1 — 4. Obstetricium autem hoc munus ab aliis tribuebatur Volcano, Prometheo ab aliis (Eurip. Ion. 465.), ab aliis utrique.

18-20. *Nec viget*] Ex v. *Unde* supple *Nec ei viget*, ut Cic. in Verr. 4, §. 9. *Mancipium quo et omnes utimur et non* (= nec id) *praebetur a populo,* ac similia collecta a Ruddimanno II. p. 27. et Madvigio de locis aliq. Iuven. II. p. 11. *viget* au-

Nec viget quidquam simile aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Proeliis audax neque te silebo

18. *Nec*] *Ne* T. — *aut*] *et* δ ap. Kirchn. l. l. p. 56. — 19. *occupabit* cum Rob. Stephano F. — 20. 21. *Pallas honores, Proeliis audax. Neque* Bentl.

tem, id est, «floret honore et potentia.» — «Cum itaque nullus ei sit vel *secundus* (id est, parvo atque adeo minimo intervallo ab eo distans), sed longe distet ceterorum potentia a summo Iovis imperio, Pallas tamen, sapientiae dea, *proxima, longo sed proxima intervallo* (Virg. Aen. 5, 320.) ad illum accedit.» Differentiam inter vv. *secundus* et *proximus* docent Cic. Brut. 47. Virg. l. l. Quintil. 10, 1, 53. ibique Spalding et Buttmann in Add. p. 709. Nonius p. 524. Merc.: *Proximum dicebant veteres non solum adhaerens et adiunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset.* — De Minervae dignitate cfr. Hesiod. Theog. 896: Ἶσον ἔχουσαν πατρὶ μένος καὶ ἐπίφρονα βουλήν. Callimach. Lav. Pall. 132: μούνᾳ Ζεὺς τόγε θυγατέρων Δῶκεν Ἀθαναίᾳ πατρώϊα πάντα φέρεσθαι. Plutarch. Symp. 2, p. 647. C.: ἡ δὲ Ἀθηνᾶ φαίνεται τὸν πλησίον ἀεὶ τοῦ Διὸς τόπον ἔχουσα. διαῤῥήδην δὲ ὁ Πίνδαρος λέγει· πῦρ πνέοντος ἄτε κεραύνου ἄγχιστα ἠμένη. Aristides in Ἀθηνᾷ p. 13 Dind.: Τοῦ πάντων δημιουργοῦ καὶ βασιλέως παῖς ἐστι μόνη δὴ μόνου. — μόνη βεβαίως γνησία τοῦ πατρός. Ib. p. 14: Ἔστιν αἰδέσιμος τῷ πατρὶ καὶ πάντων κεκοινώνηκε καὶ τὰ πρεσβεῖα μόνη κατείληφεν. Atque frequenter σύνναοι erant Iuppiter et Minerva, velut in Piraeeo. Paus. 1, 1, 3. (Aliis Iuno est proxima Iovi; Nonnus 8, 166: Μῆτερ Ἐνναλίοιο, Διὸς πρωτόθρονε νύμφη — — Πείθομαι, ὅττι θεοῖσι μετὰ Κρονίωνος ἀνάσσεις. Aliis Parcae; Eurip. Pelei Fr. 2: Κλύετ' ὦ Μοῖραι, Διὸς αἳτε παρὰ Θρόνον ἀγχόταται θεῶν ἑζόμεναι.) In Horatii autem verbis nihil inest, quod nos cogitare iubeat vel de Metide (Hesiod. Theog. 886. Apollod. 1, 3, 6: μίγνυται δὲ Ζεὺς Μήτιδι μεταβαλλούσῃ εἰς πολλὰς ἰδέας ὑπὲρ τοῦ μὴ συνελθεῖν, καὶ αὐτὴν γενομένην ἔγκυον καταπίνει φθάσας, ἐπείπερ ἔλεγε γεννήσειν παῖδα μετὰ τὴν μέλλουσαν ἐξ αὐτῆς γενέσθαι κόρην, ὃς οὐρανοῦ δυνάστης γενήσεται κ. τ. λ.) vel de Thetide (Ovid. Met. 11, 221. Fulgent. Mythol. 3, 7: *Iovem cum Thetide voluisse concumbere dicunt, sed prohibitum esse, ne maiorem se genuisset, qui eum de regno expelleret.*). — *occupavit*] «possedit, habet.» Qui legebant *occupabit*, interpretabantur: «Habebit in hoc meo carmine.»

21. Iam cum superiore illa laude satis ornetur Minerva, malim equidem vv. *Proeliis audax* iungere cum Libero quam cum illa; quamquam Minerva utique *bellipotens, belligera* poëtis. Virg. Aen. 11, 483: *Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo.* Bacchi autem celebrabatur et pugna adversus Gigantes

Liber et saevis inimica Virgo
Beluis nec te metuende certa
Phoebe sagitta.

Dicam et Alciden puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,

Defluit saxis agitatus humor,

28. *refulget* (e Chisiano A) F. *(Sidera fulgent* C2dd. Feae). — 29. *humos* T.

(Od. 2, 19.), et expeditio Indica. Ovid. Met. 4, 20: *Oriens tibi victus ad usque Decolor extremo qua tingitur India Gange.* Orpheus 44, 3. de Libero patre: ὃς ξίφεσιν χαίρεις καὶ αἵματι. Macrob. Sat. 1, 19: *Bacchus ἐννάλιος cognominatur, quod est inter propria Martis nomina. Colitur etiam apud Lacedaemonios simulacrum Liberi patris hasta insigne, non thyrso.* Atque ut nos, Val. Flacc. 5, 497: *quotque ante secuti Inde nec audacem Bacchum nec Persea reges.*

22. Diana venatrix, θηροκτόνος, ἰοχέαιρα. Theogn. 11: Ἄρτεμι θηροφόνη. De Venatrice Diana (Ἀγροτέρᾳ) cfr. Pausan. 1, 19, 7. et inspice Müller *Denkm.* II. 1, 158. seqq. Diana leonem per caudam ducens Gerhard *Vasengem.* T. 26. Eadem tamen ex altera parte etiam capreolorum cervarumque nutrix et amica, δορκαδοτρόφος, in Müller *Denkm.* II. N. 168.

23. Apollo κλυτότοξος, ἑκήβολος. — *certa*] «nunquam fallente.»

25. Herculem, Alcaei nepotem, et Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. (Iliad. γ, 237. et Odyss. λ, 300. Sat. 2, 1, 26.) Venustissimam Ledae cum cygno imaginem videsis in Inghirami *Gall. Om.* III. p. 202. Stasinus in Cypriacis apud C. G. Müller de Cyclo Gr. p. 90: Κάστωρ μὲν θνητός, θανάτου δέ οἱ αἶσα πέπρωται, Αὐτὰρ ὅ γ' ἀθάνατος Πολυδεύκης, ὄζος Ἄρηος.

26. *pugnis*] caestuum certamine, πυγμαχίᾳ.

27. *alba*] «lucida atque simul caelo serenitatem reducens,» ut Od. 1, 7, 13: *albus Notus.* Ovid. Trist. 3, 5, 56: *nitido - - Lucifer albus equo.* Hymn. Hom. in Dioscuros 12: navem periclitantem servaturi ἐξαπίνης ἐφάνησαν Ξανθῇσιν πτερύγεσσι δι' αἰθέρος ἀΐξαντες. Theocr. 22, 17: Ἀλλ' ἔμπας ὑμεῖς τε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας Αὐτρῖσιν ναύταισιν ὀϊομένοις θανέεσθαι. Αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα Ἄμ πέλαγος· νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλη. Aliter interpretatus est Doederleinius meus Lectt. Horat. XIV.: «quorum simulac stella ita nautis refulget, ut prosperam navigationem portendat.» Id vero semper fit, ut opinor, ubi Castores apparent, ut nautae prospere iam se navigaturos confidant; sed poëtam potius decet, quid, dum apparent, efficiant, id est, sudum, nobis ante oculos ponere.

Concidunt venti fugiuntque nubes, 30
Et minax — quod sic voluere — ponto
Unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos

34. *minas* T. — *quod sic* T, corr. Cod. Div., Aldus, LCt: *qui. sic* B, *quia sic* bS, omnes Pottierii, *quia* (omisso *sic*) μ, *qua sic* Cod. Gothanus et Pottier, H. Peerlkamp coni., *quae sic* corr. $\varkappa$, idem *di* inter versus, *nam sic* C2dd. Gemblac. apud Pulm., *cum sic* alii Codd., *di sic* (e Chisiano B) FMJ, *sic di* cum Mureto Bentl., *quis sic* Doederlein.

28. 29. «Quorum splendens dum oritur sidus, tempestates sedat.» — *Defluit*] «relabitur a saxis litori proximis spuma maris turbati.»

30. *Concidunt venti*] «placantur», ut Aen. 1, 154: *cunctus pelagi cecidit fragor.*

31. *quod sic voluere*] «propter id unum, quod Castoribus ita placuit;» quo loquendi modo magnam eorum potentiam graviter exprimit. Sincera haec lectio partim glossematis, partim quia v. *quod* pro pronomine relativo habebant, varie corrupta est, novissime in *qua*, «ubicunque tempestatem sedare voluerunt.» Inter ceteras falsas optimae sunt ea, quam praetulit Meineke: *di sic voluere* (sed ingratum praebet sonum) et nova Perryi *cui sic*, antiqua scr. *quoi sic; nam sic* etiam Cod. Franeq. Bosii. Formulae huius: *sic di voluere*, ac similium, quibus, ut ait Servius ad Aen. 3, 1., utuntur poëtae, quotiescunque ratio vel iudicium non apparet, multa exempla collegit Cuningh. Animadvv. p. 95. — *ponto*] in pedestri serm. «in pontum.» Sic Aen. 5, 451: *it clamor caelo;* contra Aen. 4, 665: *it clamor ad alta atria.*

Eos dumtaxat deos memorat, qui ex Iove geniti sunt, non Iunonem neque Neptunum; et ex illis numina tantum benefica, quapropter Mars silentio praetermittitur. His consociat reges ac duces Romanos, quasi *dubitans*, quos in tanta virorum summorum copia nominare, quos omittere debeat; cum dis autem et Romanorum regibus summisque ducibus mira arte Caesarem coniungit.

33. Liv. 1, 21: (Romulus et Numa) *duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt.* De vv. 33 — 48, quos sine ulla causa H. Peerlkamp expunctos voluit, antiquissimum exstat testimonium Quintiliani 9, 3, 18.

34. *superbos*] «magnificos et terrorem incutientes», utpote qui potestatis in vitam necemque hominum insignia essent. (Stat. Silv. 5, 2, 166: *cingique superbis fascibus.*) *Fasces* autem isti *superbi*, maxime conspicuum dominationis ac maiestatis regiae specimen, perquam apte hic commemorantur, siquidem Tarquinius Priscus eos ex Tarquiniis Romam intulisse ferebatur. (Strabo 5, 2. p. 346. Kram. Florus 1, 5, 6.) Hunc enim regem *pace et bello promptissimum* (Florus l. l.) merito praedicat vel propterea,

Tarquini fasces, dubito, an Catonis 35
Nobile letum.

Regulum et Scauros animaeque magnae
Prodigum Paullum superante Poeno

35. *anne Curti* malebat Bentl. — 38. *Poeno superante, Paullum* e *x* (Reginensi) Bentl. *(paulum* T.)

quod sub illo prisca Roma ante reges expulsos summum potentiae gradum attigit. Tarquinium Superbum (de quo alii interpretati sunt, ut nuper Bosscha et Estré Hor. Pr. p. 245.) dirum tyrannum inter heroas laudibus extollere non poterat. Neque vero afferri debebat illud quasi elogium apud Cic. Phil. 3, 4: *Tarquinius - - non crudelis, non impius, sed superbus habitus est et dictus. - - Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus.* Etenim, qui sceleratum, qui sordidum fuisse negat, ideo nequaquam laudat. — Callidior etiam fuit, qui nuperrime de utroque Tarquinio accepit, provocans ad Virg. Aen. 6, 818: *Vis et Tarquinios reges - - videre?*

35. *Catonis*] Neque hic nec Od. 2, 1, 24. Horatius audacior fuit Virgilio Aen. 8, 670: *Secretosque pios, his dantem iura Catonem;* Manilio 1, 794: *Et Cato Fortunae victor,* ubi iungitur cum Agrippa et Caesare; eodem 4, 87: *invictum devicta morte Catonem;* Valerio Max. 2, 10, 8: *Perfecta virtus effecit, ut quisquis egregium et sanctum virum civemque significare velit, sub nomine Catonis significet.* Seneca de Tranq. an. 15: *Cato, virtutum viva imago.* Quid, quod Augustus ipse *Catonem serio laudavit*? Macrob. Sat. 2, 4. Ac vel sub Domitiano Martialis 1, 8. scribere ausus est: *magni Thraseae consummatique Catonis Dogmata* cet. (Minime igitur, quod nonnulli, ut Weichertus Imp. Caes. Aug. scrr. Rel. Excurs. I., rati sunt, hoc elogium Augustum pungere poterat.)

36. *Nobile letum*] Adeo, ut ex mortis loco cognomen Uticensis ei in perpetuum manserit. Cic. ad Fam. 9, 18: *Pompeius, Scipio, Afranius in bello civili foede perierunt, at Cato praeclare.* — Vides, non magis in seqq. quam h. l. temporum ordinem servari; id tamen, ni fallor, spectavit, ut, quantum fieri posset, Catonem a Iulio sidere removeret. Nemini adhuc Bentleius probavit suam coni. omnino nimis audacem *anne Curti N. l.* «M. Curtium,» inquit, «intellige, qui re vera *nobilissimum* sibi *letum* pro patria conscivit, cum armatus et equo insidens in profundam voraginem, quae medio foro Romae repente nata est, insiluisset.» (a. u. c. 393. Liv. 7, 6. Val. Max. 5, 6, 2.) Innisus est praesertim Culicis v. 361. ed. Sillig, ubi inter alios duces Romanos, ut hic, memorantur Camillus, Curius, atque insuper *Curtius et, medius quem quondam sedibus Urbis Devotum bellis consumpsit gurges inundans.* De Curtio *triplex* erat *historia*, teste Varrone L. L. 5, 148. Totus autem de Curtio μῦθος originem debere videtur illi prorsus simili de Celaenitis et Anchuro, Midae filio, narrato a Callisthene apud Stob. T. 7. 69. I. p. 189. Gaisf. (Egregium specimen, quomodo corrigere non

Gratus insigni referam Camena
Fabriciumque.

Hunc et incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit et Camillum

41. *intonsis* (e Quintiliano 9, 3, 18.) F.

liceat, praebet Oebekii coni.: *Nobilitatem.)*

37. De M. Atilio *Regulo* v. Od. 3, 5. — *Scauros*] M. Aemilius Scaurus *lumen ac decus patriae* Val. Max. 5, 8, 4; consul a. u. c. 638., censor, princeps senatus. Cic. Off. 1, 30: *in M. Scauro multa severitas.* de Or. 1, 49: *M. Scaurus, vir regendae rei publicae peritissimus.* Pro Fonteio 7: *Ecquem hominem vidimus, ecquem vere commemorare possumus parem consilio, gravitate, constantia, ceteris virtutibus, honoris ingenii rerum gestarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuisse?* (De eius vitiis cfr. Sal. Iug. 15.) Propter ignotam nobis rationem *Scauros* memorat, cum Decios, Manlios, Claudios patricios, Fabios Maximos, Scipiones cet. omittat; verum similiter Iuven. 14, 90: *Cum tremerent autem Fabios durumque Catonem Et Scauros et Fabricios* Marcum inter severos censores memorat, ita ut hic quoque Horatius ad Scauri imprimis censuram videatur respexisse. Quid quod proverbii locum Scauri obtinent etiam in Ciceronis Apophthegmate? Plut. Mor. I. p. 2. p. 204 F.: *Τὸν Κικέρωνα ποιήσειν τῶν Κατώνων καὶ τῶν Κάτλων καὶ τῶν Σκαύρων ἐνδοξότερον.* De M. Scauro filio, a Cicerone defenso, propter num. plur. cogitare nolim. (Difficultates, quas utique offert haec Scaurorum mentio, exposuit Estré Hor. Pr. p. 246.) Ceterum quod plures non nominavit, sapienter, ut lyricus poëta, facit. Liberius evagari poterant Virgilius Aen. 6, 778—960, Claudianus de IV. Cons. Hon. 399—418.

38. *Prodigum*] L. Aemilius Paullus in Cannensi pugna pro re publica vitam generosissime edidit. (Ovid. Am. 3, 9, 64: *Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.* Cic. ad Fam. 4, 4, 3: *si vitam pro tua dignitate profundam.) — Paullum*] Scripturam per duplex *L* Horatii temporibus usitatam habes in hac Inscr. (Mur. 952, 8.): *FAVSTVS. MARCELLAE. PAVLLI. PISTOR.* Consul est a. u. c. 704.

39. *Gratus*] «Grato animo memorabo insignia omnium illorum, quos nominavi, de patria merita carmine sublimi ac talibus viris digno.» Cod. Vanderb. *Graccos ins.*, unde H. Peerlkamp: *Gracchum et ins.*

40. C. Fabricius Luscinus, Pyrrhi victor, et M'. Curius Dentatus, auri Samnitium integerrimus contemptor.

41. Cum prisci Romani barbati essent atque intonsi, a. u. c. 454. coeperunt tonderi et comi. Plin. 7, 59. Apud Quintil. 9, 3, 48. *intonsis* est *σφάλμα μνημονικόν*, quod h. l. recipiendum immerito nonnullis visum est. Sed cfr. Servium ad Aen. 12, 100: *Calamistrata coma etiam vituperationi est. Unde et contra ad laudem est positum ab Horatio*, incomptis Curium capillis.

42. *Utilem bello*] «praeclarum in bello ducem produxit.» Prop. 3, 9,

Saeva paupertas et avitus apto
Cum lare fundus.

43. *Sancta--arto* malebat Bentl. — *arto* habet iam Ed. Mediol. 1477., *arvo* N. Heinsius.

49: *Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.* Ovid. Fast. 3, 173: (Mars) *deus utilis armis.* Contrarium: *Critias et Alcibiades civitatibus suis non boni (χρηστοί).* Cic. de Or. 3, 34, 139. — M. Furius *Camillus*, liberator Urbis a Gallis captae.

43. *Saeva*] dura, multis molestiis comitata, sed heroicae virtutis severiorisque disciplinae mater. Plutarch. *κατὰ πλούτου*, apud Stob. 95, 17: *Ἀρκεσίλαος τὴν πενίαν λυπρὰν μὲν ἔλεγεν εἶναι, ὥσπερ καὶ τὴν Ἰθάκην, ἀγαθὴν δὲ κουροτρόφον, ἐθίζουσαν συνεῖναι λιτότητι καὶ καρτερίᾳ καὶ καθόλου γυμνάσιον ἀρετῆς ἔμπρακτον.* Similiter Epp. 1, 18, 54. *militiam* appellat *saevam*, et supervacaneae omnino sunt coniecturae, Bentleii altera *Sancta*, altera Withofii *Casta*. — *paupertas*] patrimonii mediocritas, distinguenda ab egestate, inopia, mendicitate. — *avitus*] hereditate acceptus, neque auctus nec imminutus. — *Aptus lar* est domus simplicitate sua mediocri fundo conveniens. Bentleii *arto* sine causa repetit *paupertatis* notionem.

45. *occulto*] «Sensim in dies crescit, sic, ut nemo arborum (quercúum puta et fagorum) incrementa per singulos annos animadvertit, at, ubi adultae sunt, earum altitudinem admiramur.» Pindar. Nem. η, 40: *αὔξεται δ' ἀρετά, χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ᾄσσει*, ubi tamen rapidum incrementum nonnullarum arborum exprimit, ut Virg. Ecl. 10, 73: *Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas, Quantum vere novo viridis se subiicit alnus.* Cfr. etiam Hom. Il. σ, 56. Thetis de Achille: *δ δ' ἀνέδραμεν ἔρνεϊ ἶσος· Τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα, φυτὸν ὣς γουνῷ ἄλωῆς κτλ.* Ovid. Met. 10, 519: *Labitur occulte fallitque volatilis aetas. (Occulto* autem *aevo* dativus esse nequit, ut volt Doederlein II. *Samml.* p. 244. Quis enim unquam dixerit arborem crescere in decus occulti aevi?)

46. *Marcelli*] interpretantur plerique unice de Octaviae filio, coniuge Iuliae Augusti, qui annos natus XVIII vel XX (ut Propertius 3, 18, 15: *Occidit, et misero steterat vigesimus annus)* Baiis mortuus est a. u. c. 734 medio. Vell. 2, 93. Dio Cass. 53, 30. Servius ad Aen. 6, 862. Sed, vere ut dicam, nimiam adulationis speciem habere mihi videtur commemoratio adolescentis, carissimi quidem Augusto, qui eum successorem sibi destinarat, multis utique praesertim modestiae atque abstinentiae dotibus laudati, sed nondum propriis rebus gestis illustris, nedum ullam *famam* adepti, quamvis per Augusti indulgentiam iam aedilis et pontifex factus esset. Nec ulla ratione Marcellus praecedere poterat Iulium Caesarem. Explico igitur praecipue de M. Claudio Marcello quinquies consule et Syracusarum expugnatore. Huius praedicatio utique etiam Marcello adolescenti huiusque amantissimo avunculo summopere placere debebat. Longe alius generis est splendidus ille locus, quo Virgilius deflet praematuram Marcelli mortem Aen. 6, 861.

Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli; micat inter omnes
Iulium sidus velut inter ignes

46. *omnis* B. — 47. *Iulium sidus*] *octaviani caesaris* supra versum ab ead. m. T. — *ignes* superscr. *i* B, *ignis* T.

Quodsi, ut libenter concedo Frankio et Lübkero, hoc carmen circiter a. 729. compositum est, haec Marcelli etiam iunioris non dicam recordatio, verum potius tacita ac modesta significatio, aptissima erat, post adolescentuli vero mortem sic sine ulla prorsus Augusti consolatione addita nimis frigida fuisset et negligens. *Διλογίαν* autem quandam, etsi odi Baxterianam hanc figuram, in vv. et *Fama Marcelli* et *Iulium sidus* agnoscamus prope necesse est. Dempto igitur ornatu poëtico hoc dicit: «Grata posteritas semper magis magisque honorat memoriam Marcelli illius antiqui, etiam propter Augusti ex sorore nepotem avunculo et populo tam carum.» — *inter omnes*] Ad *ignes* v. seq. referri nequit, sed hoc volt: «*inter omnes* duces Romanos eminet, excellit divus Iulius», qua sententia nihil detrahitur Augusto, orbis terrarum rectori, Caesaris filio adoptivo, quem ita irradiabat *Iulii sideris* splendor, ut cum pater proxime significaretur, ipse quoque eius laudum particeps fieret. (Sic Drusus et Germanicus Ovidio Trist. 2, 467: *sidus iuvenile.*)

47. *Iulium sidus* minus recte de Marcello, qui nunquam in gentem Iuliam adoptatus est ab Augusto, interpretati sunt Sanadonus et Ianus. Verum Iulium Caesarem prorsus praeterire et propter Augustum et propter ipsam poëticam rationem minus aptum fuisset. Parentis autem splendor una filium Augustum illustrat omnesque consanguinitate cum eo coniunctos, inter quos tunc eminebat. De Augusto solo interpretatus est Ouwens; contra de tota gente Iulia Lübker. De stella crinita, quae noctes septem post Caesaris caedem fulsit, quamque Caesaris animam fuisse in caelum evolantem ferebant (locus primarius est Plin. H. N. 2. S. 23., tum Festus in *Stella*. Servius ad Aen. 6, 790. Virg. Ecl. 9, 47: *Ecce Dionaei processit Caesaris astrum.)*, vv. *omnes* et *inter ignes Luna minores* nos interpretari vix sinunt, etsi eius ostenti diuturnum post tempus meminit Ovidius Met. 15, 749: Caesaris res gestae eum *in sidus vertere novum stellamque comantem*. — Ceterum memorabile est Divi Iulii claram certamque mentionem nusquam ab Horatio factam esse praeterquam Od. 1, 2, 44: *Caesaris ultor* sine ullo *ἐπιθέτῳ*, nullam a Propertio, tribus locis dumtaxat a Virgilio (Ecl. 9, 47. Ge. 1, 466. Aen. 6, 790.), quasi timuissent, ne illo magnifice celebrato Augusti laudibus officerent easque obscurarent. Ac pariter Iulium sub Augustum deprimit Ovidius Met. 15, 750: *neque enim de Caesaris actis Ullum maius opus, quam quod pater exstitit huius.* — *inter ignes*] Sappho Fragm. 3. p. 604 Bergk: *Ἄστερες μὲν ἀμφὶ κάλαν σελάναν Ἄψ ἀποκρύπτοισι φάεννον εἶδος, Ὅππότα πλήθουσα μάλιστα λάμπη Γᾶν [ἐπὶ παῖσαν] Ἀργυρέαι.* Quintus Smyrn. 1, 35: *Ὡς δ' ὅτ' ἄν οὐρανὸν εὐρὺν ἐν ἀστράσι δῖα σελήνη Ἐκπρέπει, ἐν πάντεσσιν ἀριζήλος γεγαυῖα.* In toto hoc loco verum vidit iam Gesnerus, quem in plerisque secutus sum.

Luna minores.

Gentis humanae pater atque custos
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho,

51. «A fatis *(εἱμαρμένη)* tibi custodia Caesaris commissa est: tu ita regas mundum, optamus, ut post te ille secundus sit orbis terrarum rector.» Ovid. Met. 15, 858: *Iuppiter arces Temperat aethereas et mundi regna triformis: Terra sub Augusto: pater est et rector uterque.* Archelaus in Anth. Pal. II. p. 661. Alexandro M. haec verba tribuit: *Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ, σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε.*

54. «Triumphans ante se *egerit* captivos.» *Iustus* autem *triumphus* ex formularum sermone «legitimus, meritus.» Cfr. Markland ad Stat. Silv. 1, 4, 84. Quare hoc *κύριον* v. nolim explicare: «quo vindicentur iniuriae ab iis imperio Romano illatae.»

55. 56. *orae*] Sic nostri, omnes Cruquii et Bentleii, qui ob *κακοφωνίαν* reprehendit Aldinum illud *oris* incertae auctoritatis, collato Od. 1, 26. 4. — *Seras*] subiacentes, habitantes ad ultimas Orientis oras; incolebant autem Buchariam minorem. Vid ad. Od. 3, 29, 27. — *Indos*] Vid ad. Od. 4, 14, 42.

57. *Te minor*] «semper agnoscens se tibi inferiorem esse tuamque tutelam sibi necessariam.» Od. 3, 6, 5: *Romane, dis te minorem quod geris, imperas.* — Ipse *ἐνθουσιασμὸς* poëticus efficit, in me saltem, ut adulationem vix aut omnino non persentiscamus neque ab ea abhorreamus. His ac talibus tamen veluti praelusit Plinianis illis Paneg. 4: *Saepe ego mecum P. C. tacitus agitavi, qualem quantumque esse oporteret, cuius dicione nutuque maria terrae, pax bella regerentur, cum interea fingenti formantique mihi principem, quem aequata dis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit similem huic, quem videmus.* — *latum*] «vastum», immensum; aptius h. l. *ἐπίθετον* quam *laetum*, quod explicant: «eo ipso laetum, quod tu eum regis ac gubernas.» — *aequus*] Non tam «propitius», ut dicitur *Iove aequo*, quam «iustus simul atque clemens.»

58. *gravis currus* est Iovis, ubi fulminat et tonat. Contra per sudum: *Iuppiter ipse levi vectus per inania curru.* Tibull. 4, 1. 130.

59. *parum*] pro negatione graviore h. l. habet Hand Turs. IV. p. 400. — *castis*] religionis vocabulum: *castum Cereris pro sacro.* Festus in v. *Minuitur. Luci parum casti* sunt ab impiis polluti ac profanati incestu et homicidiis. Teste Acrone ex librorum auguralium doctrina luci nonnisi polluti de caelo tangebantur. Tales autem luci expiabantur a Fratribus Arvalibus. Cfr. Marini *Atti Tav.* 43. p. CLXVII: *Quod vi tempestatis ictu*

Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

Te minor latum reget aequus orbem;
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

55. *ors* Aldus. — 56. *Saerus* (sic) T. — 57. *latum* bS,LCt, Bentl.: *laetum* BT, $\alpha\chi\omega$, pr. ν, ι pro var. lect., Pott. tres, FMJ. — *reget* BbT,LCT, Bentl.: *regat* S,FM. (non J.) — *aequos* antiqua scriptura B.

fulminis arbores sacri luci Deae Diae attactae arduerint, -- eius rei causa lustrum missum suovetaurilibus maioribus. — Operae pretium est videre, quomodo similem sententiam expresserit mediae aetatis poëta Galfridus de Wineralf *Poëtriam* suam *novam* Innocentio III. inscribens: *Non deus es nec homo, sed neuter es, inter utrumque, Quem deus elegit socium. Socialiter egit Tecum partitus mundum. Sibi noluit unus Omnia, sed voluit tibi terras et sibi caelum.*

EXCURSUS

Ad C. XII.

Ingeniosius quam verius Lübker arbitrari mihi videtur, Horatium antiquissimis illis Romanorum Canticis popularibus suae aetati convenientius hoc carmen substituere voluisse. Etenim nimis ille abhorrebat a toto *horridi illius Saturnii versus* genere, et omni cum prisca poësi Latina aemulatione constanter sese abstinuit. Atque sane *mos* ille *patrum* iamdudum obsoleverat, neque eum renovare quidquam attinebat. Adde, quod ex nativa ac prope necessaria popularis poësis indole, qualem eam novimus e Graecorum Scoliis, ex Arabum Hamasa, ex canticis *(Romances)* Hispanorum, Anglorum, Gallorum, Danorum, Slavorum, Neograecorum manifesto apparet eiusmodi $\tau\rho\alpha\gamma o\acute{\upsilon}\delta\iota\alpha$ singulorum heroum singulis fere facinoribus variisve vitae casibus vel praedicandis vel deplorandis destinata esse, sive praecesserint has epicolyricas cantilenas epica carmina, ut antiquus ille Hispanorum *Mio Cid Ruy Diaz el Campeador,* sive haec illas subsecuta sint, ut in Nibelungiade nostra factum videtur. Quocirca, nisi omnis analogia prorsus nos fallit, etiam carmina illa vetera Romanorum, quorum meminere

Cato, Varro, Cicero, Horatius Od. 4, 15, 29. (ubi locos ipsos memoravimus), huiuscemodi fuisse consentaneum est. Nullo igitur modo cum illis comparari potest hoc carmen, in quo, exordium sane a Pindaro mutuatus, mox vero proprium impetum secutus, nova prorsus inventione Romanis commendare Caesarem clareque docere studet eorum salutem ac bonum publicum unice in illo niti, potius quam, ut alii volunt, rectam dominandi viam ipsi demonstrare; tantum enim qui sibi arrogasset? *Principem* igitur cum dis immortalibus, cum heroibus, cum Romanorum clarissimis quibusque consociat, et egregia arte usus etiam feroces Catonis manes ei quasi placare conatur.

Scite notat Lübker per ternas semper strophas aequales carminis particulas constitui. Dignus etiam est qui de hoc c. legatur Buttmannus Mythol. 1. p. 26. — Anno autem circiter u. c. 729. vel 730., certe ante Marcelli adolescentuli mortem (a. 731.), compositum esse arbitror cum Frankio.

Curtzii Corbacensis opiniones de hoc carmine interpretando novi quadamtenus ex Lübkeri Supplementis p. 540. et Iahnii N. Annal. XXXIV. 1. p. 97., sed meas propterea mutare necesse non habui. Sunt illae tamen dignae, quae denuo examinentur. — In omnibus autem lectionibus controversis, ut video ex Iahnio, mecum facit, praeferens ipse quoque: *sumis recinet, parentis, terras, occupavit, Stella refulsit, quod sic voluere, reget.*

CARMEN XIII.

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, vae meum
Fervens difficili bile tumet iecur.

Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manent, humor et in genas

XIII. Inscr. volg. *Ad Lydiam.* — *Ad Lydiam de Telepho* S. Om. T. — 2. *cerea*] *lactea* e Flavio Capro p. 2242. Bentl. — 4. *iecor* T. — 5. *Tunc* BS,LCt et Bentl., sono admodum ingrato ante *nec* - - *nec*. — 6. *manet* B, Pottierii 4, 23, item cum C2dd. Pulmanni ac Veneta 1478. Bentl. et F., prob. Zumpt *Lat. Gr.* §. 374.

XIII. Poëtica φαντασίᾳ fingit a puella, quam amabat, sibi praelatum esse adolescentem rivalem, qua de re ζηλοτυπίᾳ agitatus vehementer queritur, Lydiam monet, ne Telepho nimis fidat, et sortem suam deplorans fideles amantes felices praedicat. Compositionis tempus incertum est.

2. *roseam*] «pulchre rubicundam.» Virg. Aen. 1, 402: Venus *rosea cervice refulsit.* Aen. 2, 593: *roseoque haec insuper addidit ore.* — *cerea*] non tam «mollia, flexibilia veluti cera,» quam «candida, ut cera alba» (sic enim malim cum Doeringio quam cum H. Peerlkamp: «tam pulchra, quam solent esse in imaginibus cereis»; affert Ennodium in vita Epiphanii p. 364: *frons cereae pulchritudinis.),* imagine quidem recentiorum linguarum indoli minus apta, unde interpretes in ea haeserunt; acriter poëtam reprehendit Scaliger pater, cupide Bentleius arripuit Capri σφάλμα μνημονικὸν *lactea.* (Stat. Silv. 2, 1, 50: *heu lactea colla brachiaque.* Cupidinis *cervices lacteas* praedicat Apul. Met. 5, 22.) Similis ἀντίθεσις in Pseudotib. 3, 4, 30: *Candor erat, qualem praefert Latonia Luna, Et color in niveo corpore purpureus.* — *Telephi*] Amatoris nomen identidem in ore habentem Lydiam hac iteratione describit.

3. 4. *vae*] Ad usum huius interi. absolutum conf. Virgilianum illud Ecl. 9, 28: *Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae!* Sententiam extenuavit Dan. Heinsius coniiciens *nae meum.* — *Fervens*] Aristoteles de anim. 1, 11: ὀργή τί ἐστιν; ὁ μὲν γὰρ ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως - - ὁ δὲ ζέσιν τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος ἢ θερμοῦ. — *difficili*] «morosa et truculenta» (Corn. Nep. Att. 5: *Q. Caecilius - - difficillima natura, cuius sic asperitatem veritus est* cet.), ut contra *facilis* idem fere interdum significat ac «mitis, comis». — *iecur*] sedes perturbationum animi, ut Sat. 1, 9, 66: *meum iecur urere bilis.* Iliad. ι, 642: οἰδάνεται κραδίη χόλῳ. Alibi sedes est vehementis amoris. Od. 4, 1, 12: *Si torrere iecur quaeris idoneum.*

6. 7. *manent*] «non sibi constant, sed identidem mutantur.» Apollon. Rhod. 3, 297: (οὖλος Ἔρως) ἀπα-

Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.

Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicae mero
Rixae, sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,

10. *immodice* (sic) T. — 12. *Inpr.* T. — 13. *audies* T.

λὰς δὲ μετετρωπᾶτο παρειὰς Ἐς χλόον, ἄλλοτ' ἐρευθος, ἀκηδείῃσι νόοιο. Servavi *manent* propter consensum Codd. meorum, quamquam Bentleius adnotat, ubi singularia duo coniungantur, cum utriusvis numeri verbo congruere, ubi disiungantur, singularem requiri. Productionem quidem brevis syll. *(manet)* in caesura versus defendit Od. 2, 13, 16: *Caeca timet aliunde fata. — humor - - Furtim*] «secretae lacrimulae.» — *arguens*] Asclepiad. in Anth. Pal. II. p. 492: ἐρᾷν ἀρνεύμενον ἡμῖν ἤτασεν ἐν πολλῇ Νικαγόρην προπόσει.

8. *lentis*] «per diuturnum tempus occulte me consumentibus.» Tibull. 1, 4, 81: *Heu heu quam lento Marathus me torquet amore!* Ovid. A. A. 3, 573: *Ignibus hic lentis uretur ut humida taeda. — macerer*] Proprie linum aqua *maceratur*, ita mollitur, ut tela cellulosa putrefacta filatim solvi facile possit. Hinc significat *consumere*. Utramque significationem conservarunt Itali. Cfr. Plaut. Cas. 2, 8, 9: *illorum me alter crucial, alter macerat.*

9. *Uror*] Non significat: «Doleo te male mulcatam a Telepho;» sed «ζηλοτυπίᾳ excrucior certis ex notis animadvertens te post rixam in eius potestate fuisse»; nam eiusmodi rixas plerumque sequitur amplexus et gratiae reconciliatio. In his omnibus quanto vehementiores nobis sint populi meridionales, nunquam obliviscendum est. Atque nimis profecto delicati sunt interpretes, qui de verberatione puellae nos cogitare vetant. Tibull. 1, 10, 55: (puella) *Flet teneras subtusa genas; sed victor et ipse Flet sibi dementes tam valuisse manus.* Propert. 2, 15, 19: *Quin etiam, si me ulterius provexerit ira, Ostendes matri brachia laesa tuae.*

10—13. *Turparunt*] maculis lividis, ex verberibus ortis. — *immodicae mero Rixae*] «per largiorem compotationem inter vos excitatae et ultra modum progressae.» — *memorem*] ita, ut morsiuncularum notae impressae maneant. Tib. 1, 6, 14: *livor, Quem facit impresso mutua dente Venus.* Ovid. Amor. 1, 8, 98: *Factaque lascivis livida colla notis. — Non - - Speres*] ut Sat. 2, 5, 91: *Non etiam sileas.* Epp. 1, 18, 72: *Non ancilla tuum iecur ulceret.* A. P. 460: *Non sit qui tollere curet.*

14. 15. *perpetuum*] «constantem ac fidum amatorem.» — *oscula* pro labellis ipsis, quibus tu eum oscularis. Catull. 99, 2: *Saviolum dulci dulcius ambrosia.*

15. 16. Duae potissimum sunt huius loci interpretationes, inter quas fluctuare possimus: 1) «Quae savia Venus mellita reddit.» Pro his

Speres perpetuum, dulcia barbare
Laedentem oscula, quae Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.
Felices ter et amplius,
Quos irrupta tenet copula nec malis
Divolsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

16. *Quanta - - imbuit!* Ramirez de Prado, *Multa* Paldamus. — 18. *inrupta* bST. — 19. *Divolsos* malebat Bentl. (Sic iam Muretus.)

tropice: «*quae parte sui nectaris imbuit*», certe Graecum aliquod exemplum secutus dixit. Iam *pars* definienda erat praeeunte Ibyco Schneidew. p. 127., qui mel ἔνατον μέρος τῆς ἀμβροσίας dixit, pariterque ille, cuius sententiam servavit Schol. Pind. ad Pyth. ϑ, 146: τὸ μέλι τῆς ἀθανασίας δέκατον μέρος ᾠήθησαν εἶναι. Similiter igitur *quintam*, satis amplam partem Venerei nectaris, immo duplam mellis dulcedinem, in basiis inesse dicit; quae sane saepe cum melle comparantur. Meleager Anth. Pal. II. 492: φίλημα τὸ νεκτάρεον Γανυμήδευς - - ψυχῆς ἡδὺ πέπωκα μέλι. 2) Doctior tamen est altera ratio, quam sequor cum Wyttenbachio ad Eunap. p. 120. et Webero: «*quinta*, id est, absolutissima. Transfert ad amantium oscula τὸ πέμπτον ὄν, τὴν πέμπτην οὐσίαν Pythagoreorum, qui est aether.» (Cfr. Meursii Denarius Pythagoricus. Opp. edit. Flor. 1744. Vol. IV. p. 46. Boeckh. *Philolaus* p. 161.) Hanc denominationem renovarunt Sec. XVI. *quintae essentiae (Quintessenz)* nomine utentes de succis odoratis ac medicamentis subtilioribus. (Cfr. etiam Boettiger *Sabina* I. p. 183.)

17. *Felices ter*] τρισμάκαρες, τρισύλβιοι, alibi *terque quaterque*.

18. *irrupta - copula*] Iliad. o, 19: δεσμὸς ἄῤῥηκτος. h. l. perpetuum et certissimum amoris vinculum. Ceterum v. *irruptus* videtur nunc esse ἅπαξ λεγόμενον.

20. Proprie solvitur amor, h. l. ipse soli morti cedens et ab ea finitus amantes separat, nunquam antea *divolsus*, violenter distractus pravis querimoniis et iurgiis. Est quasi dixisset: «inter quos nunquam ante mortem discidium amoris ex altercationibus oritur.» Similis locutionis conformatio est Od. 3, 24, 59: *Cum periura patris fides Consortem socium fallat et hospitem. Divolsus* autem melius respondet v. *irrupta*, quam *divolsos*, quod praeterea auctoritate destitutum est. — *Suprema citius*] rarior constructio pro: «*citius* quam suprema die.» Cfr. Firnhaber in Zimmermann *Zeitschr.* 1840. p. 12. (Weissenbornius: «citius quam suprema dies solvit.» Verum gratiorem sententiam praebet altera ratio.) Ceterum non intelligo, quomodo Criticus Leidensis proponere potuerit *Suprema haud citius*, cum v. *nec* pertineat ad v. *solvet*, non ad v. *divolsus*. Idem ex uno Cod. Vanderburgii praefert *solvit*; sed futurum longe aptius est ad significandum amorem quam maxime diuturnum.

CARMEN XIV.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus! O quid agis? Fortiter occupa

XIV. Inscr. volg. *Ad rem publicam. — Contra navem. Allegoricos.* S. Om. T. (Cfr. tamen Excursum.) — 1. *referunt* cum Codd. aliq. Gesner-Bothe. — 2. *Fluctus? o* bT, cum Veneta 1478. Bentl., F.

XIV. Allegorica est comparatio rei publicae intestinis turbis exagitatae cum nave in procella periclitante. Agnoscit allegoriam iam Quintilianus 8, 6, 44. ex vetere, ut opinor, fama ad eum usque propagata: *Ἀλληγορία, quam inversionem interpretantur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, etiam interim contrarium. Prius, ut* O navis - - Portum *totusque ille Horatii locus, quo navem pro re publica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit.* «Qua in re id maxime cavendum, ne singulas imaginis partes curiose rimantes similitudinem nimis urgeamus, ut hic in singulis ad rem significatam referendis mirifice nugantur veteres interpretes, in primis Antonius Mancinellus (a. 1492) v. c.: *celeri Africo*] id est, saevo proelio. *Antennae*] id est, exercitus. *sine funibus*] id est, sine rectore et militibus. *carinae*] id est, acies et turmae.» Verba sunt reverendi magistri mei Hottingeri Opuscc. phil. p. 265. Nolim ego ne *Ponticam* quidem *pinum* referre ad Cn. Pompeium M., Pontici regni victorem.

1. Praestat sine interrogatione haec efferri: *O navis - - portum!* «Lacera navis, quam ex litore conspicio periclitantem, vae! tempestatum vi rursus in altum mare abripiere.» — *referent* firmat Diomedes p. 510. Gaisf.

2. Iam sequitur interrogatio: «Ecquid te fiet?» — *Fortiter occupa*] «Omnibus viribus nitere, ut in portum quam ocissime inveharis, in eoque tuto te recondas.» Hoc enim, non «remanere in portu» significat v. *occupare*, ut Epp. 1, 6, 32: *cave, ne portus occupet alter*, sicque Statius Silv. 1, 2, 203: *prendisti portus.* Rem conficiunt ipsae imagines; nam in tali statu ex portu evehi ultimae fuisset insaniae. Contra dolere poterat periculum navis conquassatae, quae in portus conspectu a novis fluctibus invita in mare altum abripiebatur.

3. 4. *ut*] Alii explicant: «*ut nudum sit r. l.*, miro zeugmate ex v. *gemant* v. *sit* elicientes; ego haec omnia ad v. *gemant* refero, id quod mihi longe *ποιητικώτερον* videtur. Nec quisquam, puto, iam offendet in zeugmate: *vides ut* - - *gemant.* Callimachus h. in Apoll. 4: *Οὐχ ὁράᾳς; ἐπένευσεν ὁ Δήλιος ἠδύ τι φοινιξ Ἐξαπίνης, ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει.* — *Nudum remigio*] «Omnibus remis detersis, fractis, nudatum est latus.»

5. 6. *Antennaeque*] Plinius Epp. 9, 26: *Stridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt.* Uterque scriptor non sine arte miscet cernendi et audiendi sensus, qua in figura

Portum! Nonne vides, ut
Nudum remigio latus

Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant ac sine funibus
Vix durare carinae

4. *latus? Et* disting. censuit Bentl. probans *μ* et al. *gemunt* - - *possunt*, ut edidit F. *(possunt* etiam *δκ.)* — 6. *ac*] *iam* ex Flor. 1482. F.

immerito haesit Bentleius ad Od. 2, 4, 24. et 3, 10, 5. Contra eum egregie disputant Iac. Grimm in Haupt *Zeitschr.* VI. I. p. 4. et Lobeck *Verb. graec. et Nom. verb. Technol.* p. 339 sqq. Etiam Lübker multa in h. l. sine ulla causa vituperat. De seqq. idem copiose disputat in Horatianis p. 7., ipse quoque ad coniunctivos propendens. — *gemant* - - *possint*] Coniunctivos recepi propter auctoritatem Codd. meorum antiquiss. Sic Od. 4, 9, 4: *Vides, ut alta stet* cet. Sat. 2, 2, 76: *Vides, ut desurgat.* Tibull. 2, 4, 26: *viden, ut* - - *significet.* Propert. 2, 34, 55: *Adspice me, ut regnem.* Rectissime tamen de re prorsus certa, quam se videre negare prorsus nequeat is, qui appellatur, ponitur indicativus: Virg. Ecl. 5, 7: *Adspice - ut sparsit.* Id. Ecl. 4, 52: *Adspice - laetantur ut omnia.* Al. *laetentur.* Vide Wagnerum. Virg. Aen. 6, 780: *Viden, ut geminae stant vertice cristae Et pater ipse suo superum iam signat honore!* Al. *stent - signet.* Quodsi legas *gemunt*, nihilominus (id quod nonnulli addubitarunt) pendet a v. *vides.* Videmus malum infractum, simulque audimus *gemitum*, continuum illius et antennarum inter se collidentium fragorem. — *Volneratam navem* dixit etiam Livius 37, 24. et Graeci *νῆας τραυματισθείσας*. — Imitatus est Horatium Claudian. de Cons. Honor. VI. 132: *Qualis piratica puppis* - - *viduataque caesis Remigibus, scissis velorum debilis alis, Orba gubernaclis, antennis saucia fractis Ludibrium pelagi vento iactatur et unda.* — *sine funibus*] scil. pice illitis, quibus cingunt carinam et latera, ut iuncturae contineantur, quemadmodum est Act. Apost. 27, 40: *ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον.* Sunt igitur *τὰ ὑποζώματα τῶν τριήρων* apud Plat. de Rep. 10, 616. C. collato Apollonio Rhod. 1, 367: *Νῆα δ'* - - *Ἔζωσαν πάμπρωτον ἐϋστρεφεῖ ἔνδοθεν ὅπλῳ Τεινάμενοι ἑκάτερθεν.* Alii explicant de rudentibus, qui ipsi quoque iam rupti sint; alii de remulco. De retinaculis, *πείσμασι*, qui interpretati sunt, non cogitarunt hic de alto mari, in quo nec retinaculis neque ancoris nautae uti possunt, non de portu agi; quamquam per se *funis* recte dicitur de retinaculis. Propert 4, 8, 44: *Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena.* Id. 3, 7, 49: *Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis Omnia detrito vincula fune cadunt.* («Cfr. Boeckh *Urk. d. att. Seew.*, p. 436.» Halm.)

7. *durare*] «perferre, sustinere. Virg. Aen. 8, 577: *quemvis durare laborem.* Val. Flacc. 8, 338. Stat. Silv. 5, 2, 153: *Durabis quascunque vias.*» Bentl. — *carinae*] Omnes

Possint imperiosius
Aequor? Non tibi sunt integra lintea,
Non di, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,
Iactes et genus et nomen inutile;

10. *prensa* N. Heinsius. — 13. *genus inutile nomen* (omisso altero *et*) T.

hae imagines ad unam navem manifesto referuntur, neque inter huius *antennas* et *lintea* plures *carinae*, (id est, ut voluit nonnemo: «quaecunque aliae naves praeter te funibus carent:») interponi poterant. Necessario igitur statuendum adversus volgarem consuetudinem, exemplo fortasse alicuius antiquioris poëtae, plurali numero usum esse Horatium, ut saepe *limina, tecta* de una domo. Legebatur olim apud Cic. de Or. 1, 46, 180: *Quid tam in navigio necessarium quam latera, quam carinae, quam prora, quam puppis* cet. Sed nunc ex Codd. auctoritate editur *cavernae*, id est, teste Servio ad Aen. 2, 19., fustes curvi navium *(die Rippen)*, quibus extrinsecus tabulae affiguntur. Nolim tamen etiam h. l. legere *cavernae*. (Fidentius nunc de una carina accipio, ut Virg. Ecl. 6, 76. *Dulichias rates* de una Ulixis nave dixit, Aen. 2, 53. *cavernae* pro una caverna; *arae* imprimis crebro pro ara una. Aen. 2, 202. 3, 63. Graeca huius usus exempla multa collegit Lobeck ad Soph. Aiac. 231.)

8. *imperiosius*] «nimis imperiosum, saevum, cuius caeco imperio iam parere debes nec resistere potes.»

10. *di*] Recte plerique interpretantur de tutela navium. Ovid. Her. 16, 112: *Accipit et pictos puppis adunca deos.* Pers. 6, 30: *iacet ipse in litore et una Ingentes de puppe dei.* Altera explicatio haec est: «Nec iam di tibi favent (universi, non solum marini et Castores, ut volt HP.): frustra ergo eos invocaveris.» Prior monente Halmio ideo praestare videtur, quia in praecedd. reliquae navis partes enumerantur. — *pressa*] «Cum rursus periculum te urgebit.» Placuit nonnullis Nic. Heinsii coni. *prensa* (in Codd. Franeq. est *pssa* cum lineola, id est *pressa.)*; sed ut recte dicitur navis *prensa, deprehensa* vel absolute (Od. 2, 16, 2.) vel *deprehensa tempestate, procella*, sic minus apposite diceres *prehensam malo.* Ovid. Fast. 4, 300: *Sedit limoso pressa carina vado,* ubi Heinsius item voluit *prensa.*

11. *Pontica*] Quia in Ponto praestantis materiae magna erat copia. Catull. 4, 9: *trucemve Ponticum sinum, Ubi iste post phaselus antea fuit Comata silva.*

12. *filia*] Ad Orientalium genus dicendi accedit; verum etiam Pind. Olymp. 10, 2: *οὐρανίων ὑδάτων Ὀμβρίων, παίδων νεφέλας.* — *nobilis*] «notae et ab omnibus celebratae»; melius enim, praeeunte Marklando ad Stat. Silv. 4, 2, 64. iungitur cum v. *silvae* quam cum v. *filia.* — *Quamvis - - Iactes - - inu-*

Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.

Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium curaque non levis,

14. *tumidus* ξ, ut voluerat Iulius Caesar Scaliger.

tile] Etiam in his turbas nonnulli concitarunt, quamquam constructio est facillima: «*Quamvis* tu, utpote quae sis *pinus Pontica* adeoque *filia silvae nobilis, iactes genus* tuum:» (monendum hoc erat propter HP., qui distinxit: «*Quamvis, Pontica pinus, Silvae filia nobilis Iactes,* id est: «te iactes filiam cet.»): «*iactes et nomen*, quae nihil omnino te iuvant.» In v. *iactes* sane lenis est reprehensio, nequaquam tamen quasi delicti, propter quod commissum deorum pace et auxilio indigna facta sit. Incredibile prope est, propter hoc, puto, verbum, Scaligero placuisse *tumidus*; quamquam idem repertum est in uno Cod. Leid.

13. 14. *nomen*] *κυρίως*, «antiquam rei publicae gloriam.» — *pictis*] Puppes intrinsecus et extrinsecus variis coloribus pingebantur. Iam apud Homerum Il. *β*, 637: *νῆες μιλτοπάρῃοι*. Et *pictus* solitum est navium *ἐπίθετον* apud Virgilium. (Aen. 7, 434. 8, 93.) Ovid. Fast. 4, 275: *picta coloribus ustis - - puppis*, quod explicat Plin. H. N. 35, 44. Seneca Ep. 76: *Navis bona dicitur non quae pretiosis coloribus picta est, nec cuius tutela ebore caelata est, — sed stabilis et firma.* Dempta imagine: «Vana virium specie nemo confidit.»

16. *Debes*] ut *ὀφλισκάνειν γέλωτα, δίκην*. Eurip. Helen. 67: *μή μοι - - αἰσχύνην ὄφλῃ*. In prosa orat. «cave, ne debeas»; hic autem miscet duas constructiones: illam, et «nisi mavis perire, cave.» Aliis fortasse magis placebit Dillenburgeri ratio, qui cum Edd. vett., etiam Aldinis, utraque virgula deleta: «Est rursus», inquit, «illud poëtae artificium, quo idem nomen inter duo verba collocatum utriusque obiectum est quod vocant: Cave ludibrium, nisi debes ludibrium. Dicimus enim Latine *cave canem*, similia. Cfr. Sat. 1, 4, 85.» Nolui tamen oblitterare meam, utraque ut denuo ab aliis expendatur.

17–20. *taedium*] «Post cladem Philippensem aegritudo cum satietate militiae ac rerum civilium me ceperat» (multa enim perverse et imperite in partibus Brutinis gesta erant), «nunc, cum salus tua denuo agitur, magnam mihi, curam iniicis ac *desiderium*.» Recte, puto, Lübker: *Horaz spricht den Wechsel seiner besondern politischen Gesinnung von der eigenen verunglückten Theilnahme bis zu seiner gegenwärtigen innigen, aber stillen Liebe zum Staate aus.* Sollicitum taedium *drückt seinen eignen Antheil an der Kriegsarbeit des Staates aus. — non levis*] per solitam *λιτότητα* «gravis-

Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas. 20

19. *nitentis* bST.

sima.» – «Ne naufragium facias, vita mare, quod fluctuat inter *Cycladas*, (Schol. Plat. p. 943. Ed. nostrae: *διὰ τὸ τὴν Δῆλον κυκλοῦν οὕτω καλοῦνται.*) insulas marmore *nitentes.*» (Od. 3, 28, 14: *Fulgentes Cycladas.* Dionys. Perieg. 530: *νῆσοι δ' ἐξείης Σποράδες περιπαμφανόωσιν, οἷον ὅτ' ἀνεφέλοιο διʼ ἠέρος εἴδεται ἄστρα.*) Sic Paros Ovid. Met. 7, 465. *marmorea*, Virgilio Aen. 3, 126. *nivea* dicitur. Sine imagine: «Bello civili, patria, finem impone, ne pervertaris.»

EXCURSUS

Ad C. XIV.

Pensitatis interpretum sententiis de huius carminis argumento ac tempore (quas opiniones perbene collegit diiudicavitque Luebker) id lucramur, ut ex incertis incertiores etiam fiamus. Illud maxime probabile nunc mihi videtur, ut cum Walckenaerio I. p. 351. ad initia belli Actiaci a. u. c. 723. referatur. Quamquam tota quaestio indubitata ratione nunquam definiri poterit, quia nihil prorsus in hoc carmine inest, quod certas personas ac tempora clare certeque significet: etenim aequo fere iure ad omnes illas turbas civiles post pugnam Philippensem usque ad stabilitum Octaviani principatum referri omnia possunt. Forma igitur totius carminis imaginumque praestantia magis respicienda est quam argumentum aliquod historicum vix extricandum.

Ceterum antiquissima est comparatio rei publicae cum navi et bellorum cum procellis. Archiloch. Fr. 49. Bergk p. 477: *Γλαῦχ', ὅρα, βαθὺς γὰρ ἤδη κύμασιν ταράσσεται Πόντος, ἀμφὶ δ' ἄκρα Γυρέων ὀρθὸν ἵσταται νέφος, Σῆμα χειμῶνος· κιχάνει δ' ἐξ ἀελπτίης φόβος.* Aeschyl. S. adv. Th. 1: *Κάδμου πολῖται, χρὴ λέγειν τὰ καίρια, Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως, Οἴακα νωμῶν, βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ.* Theogn. 671. Bekk.: *Οὔνεκα νῦν φερόμεσθα καθʼ ἱστία λευκὰ βαλόντες Μηλίου ἐκ πόντου νύκτα διὰ δνοφερήν· Ἀντλεῖν δ' οὐκ ἐθέλουσιν· ὑπερβάλλει δὲ θάλασσα Ἀμφοτέρων τοίχων· ἢ μάλα τις χαλεπῶς Σώζεται, οἳ' ἔρδουσι. Κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν Ἐσθλόν, ὅτις φυλακὴν εἶχεν ἐπισταμένως.* Plato Polit. 302. A.: *Πολλαὶ μὲν πόλεις ἐνίοτε καὶ καθάπερ πλοῖα καταδυόμενα διόλλυνται καὶ διολώλασι καὶ ἔτι διολοῦνται κτλ.* Polybius 6, 44. Athenien-

sium civitatem nimis utique verbose confert *τοῖς ἀδεσπότοις σκάφεσι*. Cic. ad Att. 7, 13, 2. Sed ante omnes inspiciendus Alcaeus fr. 18. Bergk p. 574: *Ἀσυνέτημι τῶν ἀνέμων στάσιν· Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται, Τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον Ναὶ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ, Χειμῶνι μοχθέντες μεγάλῳ μάλα· Πὲρ μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει, Λαῖφος δὲ πᾶν ξάδηλον ἤδη, Καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' αὖτο· Χόλαισι* (id est, *χαλῶσι*) *δ' ἄγκυραι*. — quod carmen admodum probabile est obversatum esse poëtae (cf. Welcker ad Theogn. p. 41.), etsi initium tantummodo imitatus videtur, atque alio metro usus est. Proprie de navi aliqua vel Horatii vel amici lacera accipiendum esse acriter contenderunt Muretus, Faber, Bentleius; sed ita nervis et argumenti pondere careret totum carmen. Quodsi hoc voluisset, procul dubio nominibus aliquot aut hominum in hac navi vectorum aut locorum, ubi prius pericula perpessa esset, rem singulatim distinxisset nobisque ante oculos proposuisset, ut Catullus in Phaselo.

* * *

Subiiciendum nunc duximus argumentum, quod huic carmini in codice T ab eadem, qua poëtae verba scripta sunt, manu in margine adpictum est:

Hac oda alloquitur marcum brutum qui apud phylippos macedoniae urbem fusus uidebatur rursus pugnam instruere. Merito autem pro eo per allegoriam poeta metuere se testatur, quia sub eo militauerat.

CARMEN XV.

Pastor cum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio

XV. Inscr. Volg. *Nerei vaticinium de excidio Troiae. — Ad Alexandrum Paridem* S. Om. T. — 2. *Helenam* Cruquii tres (etiam Bland. antiq.), Pottierii quattuor. — 3. *celeres*, sed superscr. (ab ead. m.) *i*, T.

XV. Vide Excursum.

1. *Pastor*] Paris, expositus in Ida monte educatusque a pastoribus, ipse aliquando pastor. Bion 15, 10: *Ἅρπασε τὰν Ἑλέναν πόθ' ὁ βουκόλος, ἄγε δ' ἐς Ἴδαν Οἰνώνᾳ κακὸν ἄλγος.* Virg. Aen. 7, 363: *At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbes.* Pastorem monstrant Paridem aliquot monumenta antiqua, velut Millingen *Uned. M.* I. 17. (Ceterum de Paride consule omnino O. Iahnii egregium opusculum: *Paris und Oenone. Greifswald* 1844. Gerhard *Vaseng.* III. p. 56. seqq.) — *traheret*] utique Helena ipsa consentiente. Od. 4, 9, 13. Cfr. Odyss. *γ*, 264. Raptum ipsum Helenae quadrigis a Paride avectae vide apud Winckelm. *Monum. ined.* N. 117. Böttiger *kl. Schriften* II. p. 194. — Frequens v. *trahere* de feminis raptis verbum, ut *ἕλκειν*. Tac. Ann. 2, 43: *militem tracturum coniuges.* — *navibus*] plures enim habebat. Iliad. *γ*, 443: *ὅτε σε πρῶτον Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς Ἔπλεον ἁρπάξας ἐν ποντοπόροισι νέεσσιν.*

2. *Helenen*] «In Iambis, Sermonibus et Epistolis Latinis declinationibus libentius utitur Horatius, in Carminibus Graecis.» Bentl. ad Epod. 17, 17. Hoc quidem loco Codd. mei Graecam formam exhibent. — *hospitam*] Quam vel hoc nomine corrumpere secumque ducere non debuisset. Eurip. Troad. 865. Menelaus de Paride: *ὃς ἐξ ἐμῶν Δόμων δάμαρτα ξεναπάτης ἐλήσατο.* Od. 3, 3, 26: *famosus hospes.* Propert. 2, 34, 7: *Hospes in hospitium Menelao venit adulter.*

3. *Ingrato*] molesto ipsis ventis semper inquietis, non Paridi atque Helenae. — *obruit*] «De improviso ventos otio oppressit, eos sopuit, coërcuit, ut etiam inviti Paris et Helena funestum hoc vaticinium opperiri cogerentur.» — Eandem potestatem ventos in terrae gremium includendi Nereo tribuit Orpheus Hymn. 23, 5: *Ὃς κλονέεις Δηοῦς ἱερὸν βάθρον, ἠνίκα πνοίας Ἐν μυχίοις κευθμῶσιν ἐλαυνομένας ἀποκλείεις.*

5. *Nereus*] Ponti et Telluris filius, Doridis conjux, pater Nereidum. Hesiod. Theog. 233: *Νηρέα τ' ἀψευδέα καὶ ἀληθέα γείνατο Πόντος, Πρεσβύτατον παίδων· αὐτὰρ καλέουσι γέροντα, Οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος· οὐδὲ θεμιστέων Λήθεται, ἀλλὰ δίκαια καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν.* Eius imagines reperies in Gerhard *Vaseng.* I. T. VIII., ubi Tritoni insidens tri-

Ventos, ut caneret fera
Nereus fata: Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.

Heu heu quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti! Iam galeam Pallàs et aegida

9. *Ehou* b,LCt et Bentl., *Euheu* c.

dentem gestat, solus praeter Neptunum inter deos marinos. T. CXII. CXXII., in qua vocatur *ἅλιος γέρων* ex Iliad. *σ*, 144. T. CXLVII. III. T. CLXXIX. — *Mala - avi*] Pind. Nem. 9, 44: *αἰσιᾶν οὐ κατ' ὀρνίχων*, infaustis auspiciis. Od. 3, 3, 6: *alite lugubri*. Epod. 10, 1: *mala alite*. Contra Catull. 64, 20: *bona alite*. Propert. 3, 10, 14: *felicibus edita* (nata) *pennis* Cynthia.

7. *Coniurata*] Copiose hanc coniurationem exponit Eurip. Iphig. in Aul. 50. seqq. Schol. Venet. ad Iliad. *β*, 339: *τῶν ἐξ Ἑλλάδος ἀρίστων ἐπὶ μνηστείαν τῆς Ἑλένης παρόντων διὰ τὸ γένος καὶ τὸ κάλλος, Τυνδάρεως ὁ πατὴρ αὐτῆς φυλασσόμενος, μή ποτε ἕνα αὐτῶν προκρίνας τοὺς ἄλλους ἐχθροὺς ποιήσηται, κοινὸν αὐτῶν ἔλαβεν ὅρκον, ἢ μὴν τῷ λῃψομένῳ τὴν παῖδα ἀδικουμένῳ περὶ αὐτὴν σφόδρα πάντας ἐπαμυνεῖν. Διόπερ Μενελάῳ αὐτὴν ἐκδίδωσι· καὶ μετ' οὐ πολὺ ἁρπασθείσης αὐτῆς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἐκοινώνησαν τῇ στρατείᾳ διὰ τοὺς γενομένους ὅρκους. Ἱστορεῖ Στησίχορος.* — Alteram coniurationem significat Dido apud Virg. Aen. 4, 425: *Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem Aulide iuravi.* (Constructio eadem etiam in prosa or. Sal. Cat. 52. *coniuravere patriam incendere.* Liv. 22, 38.)

8. E verbo *rumpere* (dissolvere, dirimere nuptias illicitas) eliciendum «evertere» *regnum*. Seneca tamen Herc. fur. 79: *Titanas ausos rumpere imperium Iovis.*

9. *Heu heu*] Immerito H. P. *heu heu* pro mero librariorum commento habet, cum firmetur a Codd. antiquissimis. — *viris Sudor*] Iliad. *β*, 388: *ἱδρώσει μέν τευ τελαμών — ἱδρώσει δέ τευ ἵππος.* «Imitatus est Statius Theb. 3, 210: *Quantus equis quantusque viris in pulvere crasso Sudor!*» BENTL.

10. «Quantam cladem praeparas Troianis!» Sic Od. 4, 1, 2: *bella moves*. Plaut. Amphitr. 1, 1, 40: *multa Thebano populo acerba obiecit funera. — Dardana gens* pro *Dardania*, ut Carm. sec. 47: *Romula.*

11. *aegida*] Apud Homerum *αἰγίς* est Iovis clipeus, quo utitur interdum etiam Minerva, Iliad. *ε*, 738. eamque significationem retinuit Seneca Herc. fur. 905: *belligera Pallas, cuius in laeva ciet Aegis feroces ore saxifico minas.* Posteriore tempore est Minervae lorica, ut hic, de qua locus exstat primarius in Eurip. Ione v. 996., Ovid. Met. 6, 78: ubi dea sibi dat *clipeum, hastam, galeam; defenditur aegide pe-*

Currusque et rabiem parat.
Nequicquam Veneris praesidio ferox
Pectes caesariem grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides; 15

13. 16. *Nequiquam* BTc,Ct. — 15. *Imbelli* T.

ctus. Maxim. Tyr. 14, 6: *Ἀθηνᾶν αἰγίδα ἀνεζωσμένην - - ἀσπίδα ἔχουσαν.* Iovi tribuit Virg. Aen. 8, 354. ac mox Minervae et quidem cum Gorgone Ibid. 435. Cfr. Martial. 7, 1. Thorax item est, non clipeus, in antiquissimis artis operibus apud Millingen *Uned. Mon.* I. T. 1. et Winckelmanni *Mon. ined.* I. p. 18. in Minerva Albana. Optime expressa est aegis in Minervae statua *Mus. Borbon.* IV. T. 7., in *Museo Gregor.* T. X. et in vase Vulciniensi *Bollet. dell' Inst. archeol.* 1838. p. 9., ubi imago est Minervae Musicae, cum galea et aegide. Raro autem aegis (thorax) ab artificibus ita expressa est, ut, quemadmodum fere apud poëtas, in eius medio sit Medusae sive Gorgonis caput, et quidem stellis circumdatum, uti apud Gerhard *Kunstwerke* I. T. 8. Aegida cum luna et stellis offert Gerhard *Vaseng.* III. T. CCXVIII.

12. *Currus*] Cic. de N. D. 3, 23: *Minervam Coriam quadrigarum inventricem ferunt.* — *rabiem*] «summum irae furorisque bellici gradum.» Hinc Val. Flacc. 5, 627. ausus est dicere *rabidam Pallada.* Iungitur hic notio abstracta cum concretis, ut Od. 1, 35, 33: *cicatricum et sceleris.* Generis huius antiquissimum est exemplum apud Hom. Il. δ, 447: *Σὺν ῥ' ἔβαλον ῥινούς, σὺν δ' ἔχχεα καὶ μένε' ἀνδρῶν.* Indicavit mihi Halmius. Adde Hesiod. Sc. Herc. 132: Herculis sagittae *Πρόσθεν μὲν θάνατόν τ' εἶχον καὶ δάκρυσι μῦρον.* Et similes iuncturas amat Tacitus. A. 1, 68: *ira et dies.* 13, 15: *nox et lascivia* cet. Ariosto Satira 5, 226: *Tutto di polve e di paura bianco.* Nimius est in hac ceteroquin elegantissima figura Ovidius, veluti Met. 2, 146: *consiliis, non curribus, utere nostris.* Ibid. 312: *pariterque animaque rotisque Expulit auriga.*

13. Venus inde ex pulchritudinis illo iudicio, quod Paris secundum eam tulerat, ei favebat. Hector Paridi Iliad. γ, 54: *Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης, Ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.*

14. *caesariem*] Si colligere licet ex voc. Italico inde ducto *zazzera*, proprie significat non crines generatim, sed crines verticis *(Haarschopf).* Est fere poëtarum. — *feminis*] Contemptim: «feminae, non bellatores, cantu delectantur.» Mire nonnulli iunxerunt unice cum v. *divides*, ut esset: «modo hanc, modo illam cantu oblectabis»; frustra appellantes Anthol. Lat. 1, 9. p. 4: *Cygneas genitor gestans post fulmina pennas Dulcia diffundit carmina virginibus;* quod prorsus diversum est; iungendum enim: *diffundit carmina dulcia virginibus.* Vide mox.

15. *Imbelli*] ut Od. 1, 6, 10: *imbellisque lyrae Musa potens*, id est, «paci et otio aptae, non bello»; nec vero opponitur bellicosae Achillis citharae Iliad. ι, 186. — *divides*] usu admodum singulari sic

Nequicquam thalamo graves
Hastas et calami spicula Cnosii
Vitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem; tamen heu serus adulteros

16. *gravis* BST. — 17. *gnosii* BbSTc,J.

explicando: «Cantus vocalis et citharae soni inter se coniuncti totam efficiunt symphoniam; iam singulatim spectatis his partibus, *ἀοιδὴν dividit* citharae cantus, *ἀοιδὴ* citharae sonos, id est, altera utra dimidia totius symphoniae pars est.» Ad v. *dividere* compara Propert. 2, 1, 9: *Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis.* Sed pleni commentarii instar est illud Luciani Imagg. 14: *εὐκαίρῳ τῇ ἄρσει καὶ θέσει διαμεμετρῆσθαι τὸ ᾄσμα καὶ συνῳδὸν εἶναι τὴν κιθάραν καὶ ὁμοχρονεῖν τῇ γλώττῃ τὸ πλῆκτρον.* Licet hic quoque duplicem statuere constr. v. *feminis grata* et *divides feminis*, alio tamen sensu quam illo, quem supra reiecimus: «lyram pulsabis simulque cantabis, ita ut cum Helena omnes tuae sorores atque fratrum mulieres dulcem sonum percipiant.» Minus accurate explicant aut: «alternabis carmina voce assa cantata sonitu citharae»; aut: «carmina numeris suis dimetieris»; etenim tam late non patet verbi *dividere* significatio.

16. *thalamo*] Rursus contemptim de homine effeminato illic cum adultera se abscondente. Venus Paridem Iliad. γ, 384: *ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ Κὰδ δ' εἶσ' ἐν θαλαμῳ εὐώδεϊ, κηώεντι.* — *graves*] «ponderosas;» hoc magis poëticum est quam, ut alii exponunt, «exitiosas, mortem afferentes.» Recordare Homeri *ἔγχος βριθύ, μέγα, στιβαρόν* et Iliad. ζ, 318: *ἐν δ' ἄρα χειρὶ ἔγχος ἔχ' ἑνδεκάπηχυ.*

17. *calami*] Harundo Cretensis, ex qua sagittas faciebant, perquam erat dura, nodis longe inter se distantibus. Non tamen h. l. cogitandum de Idomeneo, qui non fuit sagittarius. — *spicula*] apud poëtas sagittae. Virg. Ecl. 10, 59: *libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula.* — In numeris est *ΚΝΩΣΙΩΝ*, unde praestare videtur scriptura *Cnosii*; al. *Gnosii*. Illam praetulit etiam Hertzberg ad Prop. 2, 12, 10. ac nemo profecto 1, 21, 8. recipiet *Gragi* ex BbSTcd.

18. *celerem sequi*] Iliad. β, 527: *Οἰλῆος ταχὺς Αἴας.* Imprimis autem hic eius mentio quadrat post v. *hastas*, etenim Homerus ibid. v. 530: *ἐγχείῃ δ' ἐκέκαστο.* Alii de Aiace maiore, Telamonis filio, interpretantur; qui sane apud Homerum est potius statarius bellator, praesertim ubi lentissime e pugna recedens cum asino comparatur Iliad. λ, 558.

19. *tamen*] «Etsi Veneris praesidio fretus diu mortem vitabis, tamen aliquando (decem post annos), adulter, occides.» — *serus*] Adiectiva temporalia saepe pro adverbiis. Iliad. α, 424: *χθιζὸς ἔβη.* Epod. 16, 51: *vespertinus ursus.* Epp. 2, 1, 161: *Serus enim Graecis admovit acumina chartis.* Virg. Eclog. 1, 28: *Libertas, quae sera, tamen respexit inertem.* Tib. 1, 94: *Sera, tamen tacitis poena venit pedibus.* Propert. 3, 15, 35:

Crines pulvere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuae
Genti, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius
Teucer et Sthenelus sciens

20. *Crines*] *Cultus* c, mg. S. Pottierii 2, 6, 7, 8, 13, item FJ. *Crines* cum plerisque firmat Bland. antiquiss. (Exciderunt e Cod. B. vv. 20—32.) — 21. *Num - - num* e Vaticano Reginae F. — *lartiaden* (sic) T. — *excidium* βx. — 22. *Gentis* bSTc, Pott. sex, LCt, Bentl. FJ. *(Genti* tres Blandd., βx, ceteri Pottierii.) — 23. *inp.* T. — 24. *Teucer et* bST: *Teucer te* c,LCtM, *Teucerque et* «cum C1d. recentissimo» (Codd. Torrentii?) Aldo et Glareano Bentl.

Sera, tamen pietas (rediit); quamvis sero. Alii aliam rationem inierunt, quam sequi nos vetat etiam v. caesura, iungentes: *tamen, heu serus*, «aliquando tamen moriere, sed, quod dolendum est, sero;» quae quidem nimia acerbitas atque iracundia deo perquam indigna videtur; nec vero est miseratio, quam Paris non merebatur, sed potius luctuosa exclamatio, funestum Paridi interitum minitans; in prosa or. «vae tibi!»

20. *Crines*] Hanc lectionem praefero alteri *cultus*, et propter locum Homericum ad v. 13. exscriptum, et propter Codd. antiquiss. auctoritatem. Similiter Iliad. π, 795: *μιάνθησαν δὲ ἔθειραι αἵματι καὶ κονίῃσι.* Pind. Nem. α, 104: *φαιδίμαν γαίᾳ πεφύρσεσθαι κόμαν.* De Nireo Quintus Sm. 6, 376: *Δεύετο δ' ἀγλαὸν εἶδος ἅμ' εὐθαλέεσσι κόμῃσι.* Virg. Aen. 2, 277. de Hectore: *concretos sanguine crines.* 12, 99: *Da sternere corpus, Semiviri Phrygis et foedare in pulvere crines.* Praeterea perquam ingratus teretioribus auribus accidit triplex ululantis litterae u sonus. Ceterum *Cultus* referretur ad illa Eurip. Iphig. in Aul. 73: *(Πάρις) ἀνθηρὸς μὲν εἱμάτων στολῇ, χρυσῷ τε λαμπρός, βαρβάρῳ χλιδήματι.* (Paridis venenata sagitta a Philocteta percussi lugubrem interitum vide apud Parthenium Narr. 4. et Quintum Smyrnaeum 10, 223.)

21. *exitium*] Sic mei Codd., al. *excidium*, quod et minorem habet fidem a libris et minus aptum videtur, cum de urbium potius eversione quam de populorum internecione usurpari soleat. — *Genti*] exquisitius quam *gentis*. Sic Eurip. Troad. 811: Hercules *χερὸς εὐστοχίαν ἐξεῖλε ναῶν, Λαομέδοντι φόνον.* Tragicus apud Cic. de Divin. 1, 21: *Eum* (Paridem) *esse exitium Troiae, pestem Pergamo.* Plaut. Bacch. 4, 8, 131: *fore me exitium Pergamo* (sic omnes libri.) Silius 5, 460: *Exitium trepidis - - Sichaeus erat.* Tacitus Ann. 1, 3: *subsidia dominationi.* 1, 24: *rector iuveni.* 2, 60: *dona templis.* 2, 64: *causas bello.* Cf. Roth ad Tac. Agr. p. 151. Alteram lectionem defendunt locis Ovid. Met. 13, 500: *Exitium Troiae nostrique orbator Achilles.* Senec. Herc. fur. 358. Megara de Lyco: *Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues, novi parat?* Sed Codd. Blandinii et βx, qui praebent dativum, praestantissimis adnumerandi sunt. Bentleius quidem praetulit *gentis*; «praecesserat enim *genti* v. 11.» — Contra Latinitatem Fea *Num* -

Pugnae, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger; Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre,
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.

26. *merionē* T.

num -? Sic enim respondendum esset: «Non respicio.» — «*Non respicis* eos, qui tibi iamiam fugienti instant?»

24. *Teucer et*] H. l. et v. 36. in basi est trochaeus pro solito spondeo; quod non solum defenditur Graecorum poëtarum more, sed etiam, quod utrobique licentia hac usus est in nominibus propriis. Fulcra metri invenerunt corrigentes partim *Teucer, te,* qua ratione nimia vis tribuitur pronomini et ex Horatii consuetudine potius requireretur *urget;* partim *Teucerque et,* iunctura satis ingrata pro *Salaminiusque Teucer.* — *Sthenelus*] Capanei filius, auriga Diomedis. — *sciens*] «scitus pugnandi» explicat Quintil. 9, 3, 10. Iliad. ε, 549: *μάχης εὖ εἰδότε πάσης.* Odyss. ι, 49: *ἐπιστάμενοι μὲν ἀφ' ἵππων Ἀνδράσι μάρνασθαι, καὶ ὅτε χρὴ πεζὸν ἐόντα.*

26. *Merionen*] Iliad. ϑ, 263: *ὀπάων Ἰδομενῆος, Μηριόνης, ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ.* Eurip. Iphig. Aul. 210: *Μηριόνην, Ἄρεως ὄζον, ϑαῦμα βροτοῖσιν.*

27. *furit te reperire*] Sic scil. iungendum, non *atrox reperire.* Iliad. ν, 182: *μεμαὼς ἀπὸ τεύχεα δῦσαι.* Euripid. Phoeniss. 1247: *μαργῶντ' ἐπ' ἀλλήλοισιν ἰέναι δόρυ.* Theocrit. in Adonide 30: *Γυμνὸν τὸν εἶχε μηρὸν Ἐμαινόμαν φιλᾶσαι,* in quibus v. *furere* summum cupiendi gradum exprimit. — *atrox*] *ἄγριον αἰχμητὴν* eum vocat Hector Il. ζ, 97.

28. *melior, fortior, patre*] Iliad. δ, 405. Sthenelus: *ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.* — Egregiam Diomedis imaginem invenies in gemma *(cammeo)* Worsleyana apud Inghirami *Gall. Om.* I. T. 73.

29–31. «Ut cervus pascuo celeriter relicto fugit, ubi vel in opposita vallis parte (sibi e regione) lupum conspexit.» Virgilius Ecl. 8, 2: *immemor herbarum - - iuvenca.* — *Sublimi*] *μετεώρῳ.* «Qui in praecipiti fuga anhelat in altum erecta cervice et ore sublato ad spiritum captandum.» Stat. Theb. 11, 239: *Nuntius exanimi suspensus pectora cursu.* (Comparat Meinekius Menandr. p. 12. *μετεώρῳ πνεύματι.* REGEL.) — *mollis*] «ignavus,» non, ut alii volunt, «cursu exhaustus, defatigatus.»

32. *tuae*] Amaro probro: «longe alia facinora pollicitus eras adulterae tuae.» Iliad. γ, 430: *ἦ μὲν δὴ πρίν γ' εὔχε' Ἀρηϊφίλου Μενελάου Σῇ τε βίῃ καὶ χερσὶ καὶ ἔγχεϊ φέρτερος εἶναι. Tuae* autem

Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei;
Post certas hiemes uret Achaïcus
Ignis Iliacas domos.

35. *Achaius* e Codd. F. — 36. *Iliacas*] *Pergameas* FM.

ut apud Ovid. Remed. Am. 492: *Frigidior glacie fac videare tuae.* 573: *Ut posses odisse tuam, Pari, funera fratrum Debueras oculis sustinuisse tuis.*

33. Hac quidem stropha, sine causa a nonnemine reprehensa, nihil profecto aptius neque efficacius ad carmen concludendum invenire poterat. Reminiscitur autem poëta Homerici illius Iliad. ζ, 448: *Ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἂν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἰρὴ καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.* «Ira quidem Achillis propter Briseidem ab Agamemnone sibi ereptam in causa erit, ut retardetur aliquantum Troiae dies fatalis, ultimus; verumtamen post annorum numerum a fato destinatum comburetur.» — *Iracunda - - classis Achillei* satis poëtice dicitur, quasi eius omnes milites eadem ducis ira incensi fuissent, neque profecto intelligo, quomodo haec tam acriter vituperare potuerit Editor Leidensis. — *proferet*] «differet». Etiam hoc notandum erat, quia nuper parum recte quidam explicavit: «Ultrix Achillei classis, irata Troiae, eam evertet»; verum *proferre* non esse «afferre» vel «inferre» nemo ignorat.

34. 35. *Achillei*] ut *Ulixei* a forma *Achilleus*. — *Post certas*] «inde ab Helenae raptu, quo scelere tu te polluisti.» *Denas* malebat Marklandus (ad Stat. p. 349.) At vide sapientiam poëtae. Nam *denas* si scripsisset, novem saltem per annos securi vixissent adulteri; sic vero cum dicit: «post annos iam nunc a fato praefinitos, quorum tamen numerum vos non nostis,» vel antequam ad litus Troianum appellerent, perpetuis sollicitudinibus ac timoribus eos agitari necesse erat. — Sed illud quoque auget carminis praestantissimi pulchritudinem, quod, qui fuerit triste hoc vaticinium audientium sensus, prorsus tacetur.

36. *Ignis Iliacas*] Vide ad v. 24. Substituerunt *Pergameas*, ex quo Glareanus: «alii Codices *Pergameas*;» et Pulmannus: «alii Codd. *Pergameas*, teste Glareano.» Sed cum a nemine recentiorum haec lectio in libris scriptis reperta sit, suspicor Glareano ipsi hanc coni. deberi; certe in nulla praecedd. editionum, ne in Aldinis quidem, repperi *Pergameas*. (Inesse tamen hanc lectionem in editione rarissima *Petri van Os, Zwollis,* in 4to, quae anno 1500. assignatur, testatur Kirchnerus *Nov. Quaestt. Horat.* p. 57.) Huius autem lectionis auctor, quicunque fuit, non satis perspexit, quam putida ita foret variatio inter *Ilion* et *Pergamum*. Praestarent prope conjecturae aeque arbitrariae Anonymi apud Ionesium *Dardanias* vel Withofii *barbaricas*, si quicquam mutandum esset. (Cfr. Hermanni Elem. doctr. metr. p. 436. Lachmann in Frankii F. H. p. 238.)

EXCURSUS
ad C. XV.

Hac ode Bacchylidem imitatur; nam ut ille Cassandram facit vaticinari futura belli Troiani, ita hic Nereum. PORPHYR. Nihil autem praeter vaticinii formam commune fuisse carmini Bacchylideo cum Horatiano confitendum est, si tamen illius pars re vera fuit Fragm. 29. Bergk p. 828: *Ὦ Τρῶες Ἀρητῖφιλοι, Ζεὺς ὑψιμέδων, ὃς ἅπαντα δέρκεται, Οὐκ αἴτιός θνατοῖς μεγάλων ἀχέων· ἀλλ' ἐν μέσῳ κεῖται κιχεῖν Πᾶσιν ἀνθρώποισι Δίκαν ὁσίαν, ἁγνὰν, Εὐνομίας ἀκόλουθον καὶ πιντᾶς Θέμιδος· Ὀλβίων παῖδές νιν εὑρόντες σύνοικον.* — Ceterum Nereo (cuius nomen ductum ab adi. *νηρός, ναρός, fluidus, humidus,* proprie significat *Wassermann)* vaticinandi partes a poëta datae sunt, quatenus antiquissimus habitus est inter deos maris, quibus omnino vaticinandi peritiam poëtae attribuebant, veluti Proteo Hom. Od. *δ*, 384. et Virg. Ge. 4, 387., Glauco Eurip. Orest. 364: *Νηρέως προφήτης Γλαῦκος.* et Apoll. Arg. 1, 1310: *Τοῖσιν δὲ Γλαῦκος βρυχίης ἁλὸς ἐξεφαάνθη, Νηρῆος θείοιο πολυφράδμων ὑποφήτης. (ὃς μαντεύεται πάντα φαῦλα* apud Schol. Plat. p. 936. Ed. nostrae, prorsus ut hic Nereus.) Adde de hoc deo Hesiod. Theog. 233. Apoll. Arg. 4, 771: *ἐνὶ πόντῳ Αἰγαίῳ, τόθι πέρ τε δόμοι Νηρῆος ἔασιν.* Dictum huius *ἁλίοιο γέροντος*, ex Cyclico, ut arbitror, aliquo poëta petitum, memorat Pind. Pyth. 9, 94. — Vaticinationem autem ideo diis marinis tribuisse videntur prisci homines, etiam Germani (recordare Virgines illas fluviatiles in Nibelungiade), quia nautae cotidianis periculis expositi, singula tempestatum signa attente observantes, undis ac ventis voces divinas et quasi oracula tribuebant. — Singularem Nerei equo marino vecti imaginem praebet Gerhard *Vasengem.* T. 8. Idem Peleum, Thetidem dum rapit, intuens, senex calvus, barbatus, scipionem manu tenens, est apud Raoul-Rochette *Mon. inéd.* I. T. 2. — Mera est autem haec *φαντασία* lyrica, ex Graeco aliquo carmine ducta; neutiquam vero allegoria de Antonio et Cleopatra, ut arbitratus est Scholiasta apud Vanderbourg I. p. 334. Landinus et Weber *Horaz* p. 118. neque per ullam dilogiam in transversum actus egregium hoc *εἰδύλλιον* composuit. Quid, quod amabat huiusmodi, ut ita dicam, picturas mythologicas, ut sunt Hypermnestra (3, 11.) et Europa (3, 27.)? in quibus nulla sane est allegoria. — Compositionis tempus definiri non potest. Nonnulli allegoriam illam amplexi referunt ad a. u. c. 723.

CARMEN XVI.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cunque voles modum

XVI. Inscr. volg. *Palinodia.* — *Ad Tyndaridem* S. — *Ad Tindariden faciens iamborum potest.* T. — *Palinodia Gratidiae ad Tyndaridem amicam* Codd. duo Torrentii.

XVI. Amicam Archilochiis iambis a se offensam, erratum confessus, reconciliare sibi studet. Quod Scholiastae Tyndaridem illam fuisse dicunt habentque Codd. nonnulli *ad Tyndaridem*, id vero etsi probat Walckenaer, precario sumptum est e carmine sequente; minus etiam probabile Schol. Cruq. commentum, Gratidiam s. Canidiam sagam significari. «Quod autem Acron dicit: *Hanc oden in satisfactionem facit amicae suae--, imitatus Stesichorum* cet.: Horatium idem fecisse, quod antea fecerat Stesichorus, narrat; minime dicit illum Himerensis poëtae palinodiam imitatione exprimere voluisse» (ut acceperunt nonnulli Interpretes). Estré Hor. Pr. p. 33. Recte hac de re disputavit Hofman Peerlkamp ad v. 13. Ita ergo dumtaxat intelligendum celebratissimum palinodiae exemplum fuisse illud, quo Stesichorus Helenae criminoso carmine laesae deprecatus est. V. ad Epod. 7, 12. Nam utriusque *παλινῳδίας* toto genere atque argumento spectato, quovis pignore contendere licet, ex Stesichoro nihil prorsus mutuari potuisse Horatium. (De inscr. Codd. Torr. cfr. Weber *Horaz* p. 159.) Tempus incertum remanet; Franke a. u. c. 725, Kirchner 726, Walckenaer 727.

2. 3. *criminosis*] *ὑβριστῆρας ἰάμβους* Archilochi vocat Meleager Ep. 119, 7. Art. poët. 79: *Archilochum proprio rabies armavit iambo.* Catull. 36, 5. *Criminosissimum librum* dixit etiam Suet. Caes. 75. Ceterum cum totum argumentum fictum esse videatur, hos quoque iambos contumeliosos nunquam ab Horatio scriptos esse consentaneum est. Frustra certe eos quaeres in Epodis; quamquam Grotefend refert ad Epod. 15., Franke ad Epod. 17. (v. 42.) Est inter multas eas res, quas nunc prorsus ignoramus, quaeque ad ipsius carminis intelligentiam nihil attinent. Cfr. Dillenburgerum p. 40. — *modum*] Sive fictum est argumentum seu verum, hoc dicit: *modum*, «finem impone meis in te carminibus.» Nam quibus rebus modus ponitur, ut irae, luctui, amori, desiderio (Od. 1, 24, 1.), eae simul finiuntur. Hanc rationem volgarem «felici audacia» transtulit etiam ad carmina. Cic. Verr. 2, 2, 48: *modum et finem facere.* Est igitur: «Abole illos, ut voles, sive cremando sive in mare deiiciendo.» Iuvat memorare mirificam Hofm. Peerlkampii coni.: *Quas criminosis cunque voles modis Poenas parabis* cet. Talia enim magis etiam exhilarent lectorem necesse est iocoso in carmine, cuiusmodi hoc est; in serio huiusmodi hariolationes referre piaculum foret. — *iambis*] Sic pro poë-

Pones iambis, sive flamma
Sive mari libet Hadriano.

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta

4. *adriano* d. — 5. *adyti* Hemsterhusius. — *quatis* B. — 6. *Mentis* Dorvillius.

matis iambicis Quintil. 10, 1, 9: *scriptores iamborum.*

4. *Hadriano*] Haec forma proprie de incolis Hadriae oppidi usurpatur. *Hadriaticum* autem mare non nominat tamquam ceteris impetuosius, sed ut Od. 1, 1, 14. 15. *Myrtoum* et *Icarium;* Od. 1, 26, 15. *Creticum*, ex poëtarum more, ut certi alicuius maris imaginem nobis ante oculos ponat. (Cfr. Tibull. 1, 9, 49: *Illa velim rapida Volcanus carmina flamma Torreat et liquida deleat amnis aqua.)*

5. *Dindymene*] Cybele s. Rhea a Dindymo, Phrygiae monte prope Pessinuntem, ubi potissimum colebatur. — *Non adytis*] Caesar B. C. 3, 105: *Pergami in occultis ac remotis templi, quo praeter sacerdotes adire fas non est, quae Graeci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt.*

6. «Apollo, adyti Delphici et Deliaci incola, divino afflatu concitat ὑποφητῶν suorum mentem.» Sic Catull. Epith. Pel. 229: Minerva *incola Itoni.* In Horatio nimis audacter alii interpretati esse mihi videntur: «incola mentis sacerdotum»; et, si apud Senecam Med. 383. legimus *recepto Maenas insanit deo*, hoc multo minus tumidum est in poëta ceteroqui luxuriante quam *deus incola mentis* foret apud Horatium: nam, cum Od. 3, 10, 3, *Aquilones* regionis septentrionalis *incolas* dicit, id quoque ad spatium quod dicimus corporeum refertur. Tumorem igitur istum relinquamus Eumenio Paneg. Constant. 17: *quantus illos caelestis spiritus intravit habitator!* Nec tamen propterea leg. *adyti*, quae ratio pedestri sermoni foret aptior. Est vero: «*Pythius* (quod nominis pr. vicem sustinet, ut *Cynthius* Od. 1, 21, 2.), qui incolit adyta, in his quatit cet.» — Ad seqq. cfr. Claudian. Rapt. Pros. 1, 208: *Corybas non impulit ensem; Non buxus, non aera sonant.*

7. «Non aequo furore stimulantur Galli Cybeles, Bacchae Liberi, Pythia ac Sibylla Apollinis instinctu, nec pari mentis tumultu agitati Corybantes, Cybeles ministri, in choreis suis cymbala iteratis ictibus pulsant, ut ira abrepti nos exagitari ac furere solemus, omnia terricula spernentes.» Ita si locum interpretamur, ut post nos fecit etiam Regel et Lübker, quatuor vehementissimi, utpote fanatici, furoris exempla proponuntur. Bentleii vero coniectura *si geminant*, id est, «cum geminant», poëticam loci vim admodum debilitat. Priore autem loco, ne bis idem dicatur, Dindymenes sacerdotes intellige Gallos, quorum insanias cotidie Romae videbat Horatius, ut Fanaticorum ex aede Bellonae (Inscr. m. Lat. N. 2347.). Lucan. 1, 564: *crinemque rotantes Sanguineum* - -

Sic geminant Corybantes aera,
Tristes ut irae, quas neque Noricus
Deterret ensis nec mare naufragum
Nec saevus ignis nec tremendo

8. *Si* Bentl. coni. et FMJ. — 9. *Irae* Unger.

Galli. Corybantes e poëtis dumtaxat noverat et ex Platonis Ione p. 533. E: *ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες οὐκ ἔμφρονες ὄντες ὀρχοῦνται, οὕτω καὶ οἱ μελοποιοί.* De Corybantibus v. Lobeck Aglaoph. p. 514 et 546. Ceterum Attis apud Catull. 63 (61), 19: *simul ite, sequimini Phrygiam ad domum Cybebes, Phrygia ad nemora deae, Ubi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant* cet. Nonnus 8, 387: *Κυβηλίδος ὄργανα Ῥείης Κύμβαλα χαλκεόνωτα.* Markland ad Stat. Silv. 5, 2, 134. minus apte *aera* de clipeis exposuit, ut est apud Nonnum 9, 162: *τροχαλοὶ Κορύβαντες - - ξίφεα κτυπέεσκον, ἀμοιβαίῃσι δὲ ῥιπαῖς Ἀσπίδας ἐκρούσαντο κυβιστητῆρι σιδήρῳ.* Ovid. Fast. 4, 209: (prope lovem infantem) *Pars clipeos sudibus, galeas pars tundit inanes: Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus;* verum statim v. 211: *priscique imitamina facti Aera deae comites raucaque terga movent: Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant.* Cfr. Philostr. Ep. 15. p. 6. Boisson. Voc. autem *aera* simpliciter clipeos significare vix potest. Hyperbolicam autem *εἰρωνείαν* qui in hoc loco agnoscere non potuerunt, suis interpretationibus misere eam vexarunt. — *geminant*] Comparat Bentl. Lucr. 2, 635: *Cum pueri circum puerum pernice chorea Armati in numerum pulsarent aeribus aera.* Cybelen cum Corybante vide in Gerhard *ant. Bildw.* T. XXII.

9. 10. *Tristes ut irae*] «vehementia ac furore suo perniciem afferentes», ut Virg. Aen. 2, 337: *tristis Erinys.* V. *irae* propter seqq. imagines sensibus subiectas sane accedit ad *προσωποποιίαν*, sed cum *irae* ipsae hic corpus non induant, ut apud Statium Theb. 2, 287: *Luctus et Irae;* 4, 664: *Ira Furorque*, nolui scribere *Irae.* — *Noricum* ferrum, quod erat praestantissimum, rursus, ut *mare Hadrianum*, poëtice pro quovis ferro. — *Deterret*] a violentis facinoribus. — *naufragum*] transitive apud poëtas. Sic Virg. Aen. 3, 553: *navifragum Scylaceum.* Tibull. 2, 4, 10: *Naufraga - - unda maris.*

11. *ignis*] non de fulmine accipiendum, sed dictum est ut Epp. 1, 1, 46: *per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.* Sat. 1, 1, 39: *ignis, mare, ferrum.* Sat. 2, 3, 54: *ut ignes, Ut rupes fluviosque in campo obstare queratur.*

12. «*Ζεὺς καταιβάτης* (*μαιμάκτης*) per tonitruum fragorem in terras irruens, impetuose descendens.» Cfr. Epod. 13, 2: *imbres Nivesque deducunt Iovem.*

13–16. *Ὀβελίζει* hos vv. H. Peerlkamp, quem non tamen sine quadam cautione sequitur Lübker, miro acumine significans hunc *μῦθον* Christianum prodere versificatorem. Construunt nonnulli: «*Prometheus coactus* (necessitate) *fertur addere* cet. *et* (atque) *apposuisse*»: ut est Od. 3, 20, 11: *posuisse fertur et recreare.* Propert. 3, 14, 19: *In-*

Iuppiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus, addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, et insani leonis

14. *coactam* malebat Bentleius.

ter quos (fratres) *Helene nudis capere arma papillis Fertur nec fratres erubuisse deos.* Sed praestat sic: «*Prometheus addere coactus* cet., *fertur et* (etiam, ut Epp. 1, 10, 4.) *apposuisse* cet. — *addere - - coactus*] Cum in reliqua animalia vel ipse vel Epimetheus consumpsisset creandi elementa, necesse habuit *undique*, id est, ex omnibus animalium generibus denuo *particulam* hanc vel illam sumere, quo homo perfectus evaderet et exemplari, quod fictori ante oculos versabatur, responderet. — Fabula de hominibus a Prometheo ex limo et aqua creatis, Homero et Hesiodo ignota, primum significatur ab Erinna Anthol. Pal. I. p. 304. Ep. 352. (Lucian. Prometh. 3: *Συνειργάζετο αὐτῷ καὶ ἡ Ἀθηνᾶ ἐμπνέουσα τὸν πηλὸν κτλ.*) Horatii vero *ἀνθρωπογονία* procul dubio e Graeco aliquo poëta, non tamen e Stesichoro, ut ratus est Gesnerus, repetita hodie apud neminem antiquorum scriptorum exstat; proxime tamen accedit Protagorae *μῦθος* de Prometheo in cognomine dialogo Platonico p. 320. Addit Schol. Cruq. ex antiquiore aliquo, ut opinor, interprete: «Sic timorem deprompsit a lepore, a volpe astutiam.» Neque magnopere abhorret carmen Simonidis Amorgini de mulieribus variorum animalium indolem referentibus. Advocat quidem Ianius Fulgent. Mythol. 3, 7. Sed quae ibi leguntur: *etiam Tiberianus* (fictum, ut videtur, scriptoris nomen) *in Prometheo ait deos singula sua homini tribuisse;* huc non faciunt. Differt etiam locus Philemonis Fragm. incert. 3. p. 392. Mein.: *Τί ποθ' ὁ Προμηθεύς, ὃν λέγουσ' ἡμᾶς πλάσαι Καὶ τἄλλα πάντα ζῷα, τοῖς μὲν θηρίοις Ἔδωχ' ἑκάστῳ κατὰ γένος μίαν φύσιν; Ἅπαντες οἱ λέοντές εἰσιν ἄλκιμοι, Δειλοὶ πάλιν ἐξῆς πάντες εἰσὶν οἱ λαγοί. Οὐκ ἔστ' ἀλώπηξ ἡ μὲν εἶρων τῇ φύσει, Ἡ δ' αὐθέκαστος, ἀλλ' ἐὰν τρισμυρίας Ἀλώπεκάς τις συναγάγῃ, μίαν φύσιν Ἀπαξαπάσαις ὄψεται τρόπον θ' ἕνα· Ἡμῶν δ' ὅσα καὶ τὰ σώματ' ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν Καθ' ἑνός, τοσούτους ἔστι καὶ τρόπους ἰδεῖν.* Ceterum Promethei et Psyches vicissitudines resque gestas, etiam hominis creationem, ingeniose expressas videbis in sarcophago apud Müller *Denkm.* I. N. 406. Atque Prometheus hominem fingens, quem papilione ori admoto in vitam vocat Minerva, est in Visconti *Mus. Pio-Clem.* IV. 34. Alia eiusdem imago Gerhard *ant. Bildw.* T. LXI. — *principi Limo*] «ex quo primum hominem finxit.» Sophocl. in Pandora Fr. 432: *καὶ πρῶτον ἄρχον* (Huschk. *ἀρχὸν*) *πηλὸν ὀργάζειν χεροῖν.*

15. *insani leonis Vim*] «iracundam saevitiam», non, ut quidam calumniatus est, ut hanc stropham suspectam redderet, «robur leonis.»

Vim stomacho apposuisse nostro.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere et altis urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem: me quoque pectoris

22. *Comp.* T.

16. *stomacho*] Aliis cor (Theogn. 456: *δειλῶν τοι τελέθει ὀξυτέρη καρδίη·* mox v. 22: *pectoris fervor:*) aliis iecur, h. l. stomachus sedes irae, ut Od. 1, 6, 6: *gravem Pelidae stomachum;* unde *stomachari*. Ceterum haec stropha callidam continet irae, in quam proruperat Horatius, excusationem, quippe quae humanae naturae congenita et insita sit.

17. Irae inter Thyestem et Atreum, qui fratri filios epulandos apposuit. Rursus autem facile intelliges hyperbolarum harum *εἰρωνείαν*.

17—19. *exitio gravi*] Dio Chrysost. Or. 66. p. 700 Emp.: *ὅτι διὰ χρυσοῦν πρόβατον ἀνάστατον συνέβη γενέσθαι τηλικαύτην οἰκίαν τὴν Πέλοπος, οἱ τραγῳδοί φασιν*. Deinde enarrat Pelopidarum facinora omnia. — *ultimae*] «ab ultimo initio repetitae, et propterea praecipuae.» *(die ursprünglichsten.)* Similiter Cic. de Inv. 2, §. 5: *ab ultimo principio huius praeceptionis*. Philo Legat. ad Caium 30: *τὴν ἀνωτάτω καὶ πρώτην αἰτίαν*. — *Stetere*] «exstitere.» Virg. Aen. 7, 553: *stant belli causae*.

21. *aratrum*] Modestinus Pand. VII. Tit. 9. L. 21. ait Karthagini eversae aratrum impressum esse, notante Lamb. Isidor. Origg. 15, 2: *Urbs aratro conditur, aratro vertitur*. Vetustissimum autem est eversionis symbolum etiam apud Orientales. Ieremiae 26, 8: *Σιὼν ὡς ἀγρὸς ἀροτριαθήσεται*. Hieronym. in Zachar. c. 8: *Aratum templum Hierosolymitanum in ignominiam gentis oppressae*. Propert. 3, 9, 44: *Moenia — Graio Neptunia pressit aratro Victor Palladiae ligneus artis equus. — insolens*] Epod. 16, 14.

22. *Compesce mentem*] «Coërce, rege animum, *θυμόν, μένος*.» Theogn. 355: *ἴσχε νόον*.

23. *Tentavit*] tentamur, uti morbo (Epp. 1, 6, 28: *si latus aut renes morbo tentantur.)*, sic h. l. animi perturbatione. — *in dulci iuventa*] Cum haec quoque vv. vel infeliciter tentata *(indulci, heu dulci)* vel reprehensa fuerint, monendum hoc simpliciter dicere voluisse poëtam: «in iuventa, cuius grata recordatio etiamnunc animum meum mulcet atque exhilarat.» Subtilioris utique, sed vix verioris, interpretationis auctor exstitit Dillenburger: «in iuventa, quae sua dulcedine tam obstrictos tenet homines, ut omnium aliarum rerum securi omnia sibi licere putent suaeque indulgeant temeritati.» Cfr. Od. 3, 14, 27: *Non ego hoc ferrem calidus iuventa Consule Planco*.

Tentavit in dulci iuventa
Fervor et in celeres iambos
Misit furentem; nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis animumque reddas.

23. *Temptavit* Td. — 28. *Obprobriis* Td.

24. *celeres iambos*] Cum ἐπίθετον simpliciter ornans h. l. tam otiosum foret, quam rectum est in definitione A. P. 251: *iambus, pes citus,* hic explicandum duco «concitatos (Cic. de Or. 2, 88: *oratione celeri et concitata.*), impetuosos, *rasch*», et hic quidem, ut per se intelligitur, «irâ». Sic Epp. 1, 18, 89: *oderunt - - sedatum celeres.*

25. *Misit*] «incitavit ad iambos componendos.» — «*Nunc* studeo *tristia*, nimis amara atque aspera, relinquere, *mitia* vero persequi et amplecti.»

26. «Dummodo mecum te reconcilies, benevolentiam tuam mihi restituas, retractatis iam a me opprobriis.»

CARMEN XVII.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis pluviosque ventos.

Impune tutum per nemus arbutos 5

XVII. Inscr. volg. *Ad Tyndaridem. — Ad eandem meretricem* ST. — 5. *totum* cum Codd. Lambini Bentl. (Nostri omnes *tutum.)*

XVII. Amicam in Sabinum suum invitat. Tempus, quo compositum sit carmen, definiri nequit; referunt autem alii ad a. u. c. 725., alii ad a. 727.

1. *Faunus*, Latinorum priscorum deus silvestris, oracula fundens, Horatio idem fere est cum Graecorum Pane, ut Ovid. Fast. 2, 424: *Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.* Cfr. imprimis Gerhard *del dio Fauno e de' suoi seguaci. Napoli* 1825., qui p. 27. apposite affert vv. Rutilii 1, 230: *Hoc Inui Castrum fama fuisse putat; — Seu Pan Tyrrhenis mutavit Maenala silvis, Sive sinus patrios incola Faunus init.* Voss ad Virg. Ecl. 6, 27. Itaque ex Lycaeo (Schol. ad Theocr. 1, 123: *ὄρος τῆς Ἀρκαδίας κληθὲν ἀπὸ Λυκάονος τοῦ Πελασγοῦ, ἐν ᾧ μαντεῖον Πανός.)* saepe migrat in Lucretilem, Sabinorum montem, villae Horatianae vicinum, partem hodierni *Monte Gennaro.* Pan autem *ὀρειβάτης*, *montivagus.* Eurip. apud Dion. Hal. de compos. p. 426. Sch. *ὅς τε πέτρον Ἀρκάδων δυσχείμερον ἐμβατεύεις.* Ovid. Fast. 2, 285. de eodem: *Ipse deus velox discurrere gaudet in altis Montibus.* Et Nicias Ep. 6. Anthol. T. 1. p. 181. Ed. Lips. de Pane: *μίμνω Ἐνθάδε Μαινάδων κλιτὺν ἀποπρολιπών.* Pulcherrima Fauni imago est in *Museo Borbon.* Vol. VIII. T. 20.

2. Ex nostrarum linguarum ratione *mutamus* eum tantummodo locum, quem relinquimus, cum eo, quo proficiscimur; Latini de utroque v. *mutare* usurpant. Hinc iam Priscianus 18. T. 2. p. 192. Kr. explicat: «pro: Lycaeum mutat Lucretili.» *Mutare* scil. est et *vertauschen* et *eintauschen.* Cfr. Ovid. Fast. 4, 803: *Mutantesque domum tectis agrestibus.* Vide ad Od. 2, 16, 19.

3. *Defendit*] «propulsat, arcet,» ut Virg. Ecl. 7, 47: *solstitium pecori defendite.* Reperitur hic usus etiam in pedestri oratione. Cic. Cat. 15: *nimios solis defendit ardores.* pro S. Roscio 4: *iniuriam putant oportere defendi.* Cfr. nos ad Tac. Agr. 30. Sic *ἀμύνειν* cet.

4. *Usque* apud poëtas pro v. *semper*, proprie usque ad terminum infinitum. Iam *semper* et *saepe* pugnare ratus H. Peerlkamp proposuit *ipse.* Omnes ante eum lectores cogitando suppleverant: «*usque* (semper), cum adest.»

5. 6. «Cum Fauni praesentia *tutum* sit nemus, *impune*, sine ullo periculo, illud pervagantur *deviae*, saepe, ut solent, a tramitibus deerrantes, caprae.» — *Impune tutum*] Haec cumulatio summam gregis

Quaerunt latentes et thyma deviae
Olentis uxores mariti,
Nec virides metuunt colubras,
Nec Martiales Haediliae lupos,
Utcunque dulci, Tyndari, fistula

8. *viridis* BT. — *colubros* C3dd. Vanderb. et recentiores H. Peerlkampii. — 9. *martialis* BT. — *Haediliae* Bb,$\beta\gamma\varkappa$, Pottierii 2, 3, 4, 13. 14: *haedilia* STcd,LT, *haeduliae* C, *haeduleae* Bentl. coni. et FM. (*Haediliae* mecum J.) — *lupus* T.

securitatem exprimit. Pedestrem orationem redolet *totum nemus*. *Totum* quidem praetulit Bentleius, quia nil mirum sit impune a capellis arbutos quaeri, si *tutum* sit. Sed nil frequentius poëtis, quam rationem verbi vel adverbii reddere tali $\dot{\varepsilon}\pi\iota\vartheta\acute{\varepsilon}\tau\omega$. Cfr. Ianium ad h. l. REGEL. — *arbutos - latentes*] inter alias arbores picei generis, cupressos, taxos, quas caprae respuunt, dispersas. Virg. Ge. 3, 300: *iubeo frondentia capris Arbuta sufficere*. Ceterum eadem etiamnunc facies est nemoris amoenissimi, arbutis, lauris, lavendula, thymo consiti.

7. 8. *uxores*] Theocr. 8, 49: $\tilde{\omega}$ $\tau\rho\acute{\alpha}\gamma\varepsilon$, $\tau\tilde{\alpha}\nu$ $\lambda\varepsilon\upsilon\varkappa\tilde{\alpha}\nu$ $\alpha\dot{\iota}\gamma\tilde{\alpha}\nu$ $\ddot{\alpha}\nu\varepsilon\rho$. Leonidas Tar. Ep. 61, 1: $\ddot{\iota}\xi\alpha\lambda\circ\varsigma$ $\varepsilon\dot{\upsilon}\pi\omega\gamma\tilde{\omega}\nu$ $\alpha\dot{\iota}\gamma\grave{\circ}\varsigma$ $\pi\acute{\circ}\sigma\iota\varsigma$. Virg. Ecl. 7, 7: *Vir gregis ipse caper*. Ovid. Fast. 4, 334: *lanigerae coniuge - ovis*. — In v. *Olentis* recentiores interpretes fere offendunt; ex Horatii vero iudicio, in quo facile acquiescere possumus, nihil habebat inepti aut molesti. Scil. est verbum medium omnes et gratos et foetidos odores significans. — *virides*] Haud insolitum venenatorum animalium $\dot{\varepsilon}\pi\acute{\iota}\vartheta\varepsilon\tau\circ\nu$. Claudian. in Rufinum 1, 290: *Lernaeamque virens obsederat hydra paludem*.

9. *Martiales*] Ut ceteri di suum quisque habent inter animalia famulum, ministrum, sic Mars lupum. Virg. Aen. 9, 5, 563: *Martius - - lupus*. — *Haediliae*] Restitui librorum lectionem, secutus glossam antiquissimi Cod. B. «*mons*» (sive silva fuit, ut Litana cet.), Lucretili et Usticae vicinus; et *Haediliae lupi*, qui in Haedilia sua lustra habent. *Haediliae* quid significaret cum prorsus nesciretur, *hinnuleae* substituere malebant, haud cogitantes de cicuribus animalibus, non de feris, hic agi. Ingeniosius sane Bentleius ad analogiam v. *hinnuleus* novum voc. finxit *haeduleae*, pro simpliciore forma *haedulus* (Iuven. 11, 65.) et *haedula* (Not. Tiron.). At mihi certe intolerabile videtur ter sic ingeri caprinum pecus: *capellis, olentis mariti, haeduleae*. Schreiberi autem interpretatio, ut *haeduliae* (quemadmodum scriptum volt) significet «haedorum stabula», vix ulli probari potest, quippe prorsus precaria.

10. *Utcunque*] quandocunque, simul ac Fauni *fistulâ*, $\sigma\acute{\upsilon}\rho\iota\gamma\gamma\iota$ cet. Virg. Ecl. 2, 32: *Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit*. Eurip. Iph. Taur. 1052: $\Sigma\upsilon\rho\acute{\iota}\gamma\omega\nu$ δ' $\grave{\circ}$ $\varkappa\eta\rho\circ\delta\acute{\varepsilon}\tau\alpha\varsigma$ $K\acute{\alpha}\lambda\alpha\mu\circ\varsigma$ $\circ\dot{\upsilon}\rho\varepsilon\acute{\iota}\circ\upsilon$ $\Pi\alpha\nu\grave{\circ}\varsigma$ $\varkappa\tau\lambda$. — *Tyndaris* autem quasi «altera Helena», nomen utique fictum.

Valles et Usticae cubantis
Levia personuere saxa.

Di me tuentur, dis pietas mea
Et Musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno

14. *hinc* BbScd, Pott. omnes, LCtJ. (Ut nos, T.) — Vv. 15 et 16 desunt in B.

11. *Ustica* vallis prope Horatii Sabinum. Sic Nibby *Viaggio* 2. p. 194. Alii minus recte montem esse volunt, ut *cubans* sit «acclivis, supinus.» Montem et vallem facit Acron. *(Val d'Ustica* etiamnunc appellatur, teste Tullio, rev. archipresbytero vici *Licenza* ad Digentiam rivum siti, quocum ibi collocutus est Dr. Io. Horkelius, Berolinensis. Verum talia nomina antiqua interdum a peregrinatoribus eruditis renovata sunt et deinde ab accolis grate excepta atque in posteros propagata. Sic e diverso testimonio Hollandii *(Transactions of the society of literature* III. p. 119.) nunc vocatur *Iustina. (Giustina?) — cubantis*] Theocr. 13, 40: *ἡμένῳ ἐν χώρῳ*. Lucret. 4, 548: *cubantia tecta. (sanft abgedacht.)*

12. *Levia*] Non tam aquarum cursu attrita et levigata, quam natura *λεῖα*, ut sunt rupes calcareae. Scaliger suo exemplari adscripsit: *λισσάδες πέτραι*. (Aesch. Suppl. 794.)

14. *Hic* requiritur et propter triplicem *ἀναφορὰν* et quia accuratius significat, «in ipso Sabino his naturae muneribus usuram esse Tyndaridem.» De anaphora autem frequentissima illa apud Tibullum cfr. Dissen de poësi Tib. p. CLI. Olim *hinc*, quod significaret «ex agro isto etiam in Urbe eam donis illis quomodocunque frui posse.»

15. *ad plenum*] affatim, ubertim, *zur Fülle*. Virg. Ge. 2, 243: *ager -- dulcesque -- undae Ad plenum calcentur*. Consulto in his accumulavit pleraque abundantiae verba: «*hic opulenta ruris honorum copia tibi* (in gremium tuum) *manabit ad plenum* (ex) *benigno* (largo) *cornu.*»

16. *Ruris honorum*] Sunt flores, poma, fruges, denique omnia, quibus rus *honestatur*, ornatur. Sat. 2, 5, 12: *dulcia poma Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores*. Sil. 3, 487: *Nullum ver usquam nullique aestatis honores*. Stat. Theb. 10, 783: *veris honor*. Etiam de frondibus; Epod. 11, 9: *Silvis honorem decutit. — cornu*] «Cornu Fortunae, quod Hercules detractum» (in luctando abruptum) «Acheloo victor dicitur donasse Fortunae, quod volgo *cornu copiae*, quo dicitur divitias Fortuna consuesse largiri.» Schol. Cruq. Sidon. Carm. 11, 110: *patulo* (ut hic *benigno) Fortunae copia cornu*. (Graecis *κέρας Ἀμαλθείας*, de quo cfr. Eustath. ad Dionys. 431. Ovid. Met. 9, 85. Fast. 5, 115. «*Die Idee des Füllhorns war bereits so verbreitet, dass das Bildliche davon allmählig völlig verschwand und die copia also durch das Hinzutreten desselben keineswegs zu einem symbolischen Wesen wurde.*» Lübker.

17—19. *reducta valle*] «convalle longe in montes recedente ac pro-

Ruris honorum opulenta cornu.

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus et fide Teïa
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen;
Hic innocentis pocula Lesbii

19. *Dices* δξ̣ et x sec. m.

pterea secreta, sinuosa, flexuosa.» Sic etiam Epod. 2, 11. Virg. Ge. 4, 420. Aen. 9, 703. Aen. 8, 598: *lucum undique colles Inclusere cavi.* «Verba cum *re* composita saepe significant id, quod cursum suum mutat, a recto itinere deflectit; sic *refusus, reductus.*» Wagner ad Ge. 2, 163. De totius silvae huius tractu cum fructu consules Eichholzium apud Feam-Bothe p. 182. — *fide*] «lyra *Teïa*, a Teo, Ioniae urbe; est igitur: «carminibus et modis, qui Anacreonteis sint similes.» Fuerunt (Acron ad Od. 4, 9, 9.), qui cogitarent de aliquo tunc noto carmine Anacreontis vel Anacreontico, quo celebratae essent Penelope et Circe *laborantes amore*, ἔρωτι πονοῦσαι, amore flagrantes *in uno* eodemque Ulixe. Nec vero explicandum de ipsa, quae nunquam vixisse videtur, Tyndaride poëtria, ut nobis narrant Interpretes; sed mera videtur φαντασία poëtica. Ad variam lectionem nonnullorum Codd. *Disces* Oudendorpius putabat pertinere glossam Comm. Cruq.: «Repromittit amicae in agello suo se lyricum carmen decantaturum.»

20. *vitream*] quippe quae nympha marina, certe insulam habitans, ab aquae colore ὑαλίνῳ, caeruleo. Od. 4, 2, 3: *vitreo - - ponto.* Sic certe accepit iam Stat. Silv. 1, 3, 85: *vitrea iuga Circes* et 1, 5, 15: *Ite, deae virides, liquidosque advertite voltus Et vitreum teneris crinem redimite corymbis.* Neque obliviscenda Thetis, Achillis *mater caerulea* Epod. 13, 16. Propert. 2, 9, 15. Claudian R. Pros. 2, 53: *soror vitrei libamina potat Uberis* (h. l. Thetyis). Qui explicant: «nitentem, candidam ac propterea formosam,» comparant Rufini illud Anthol. Palat. I. p. 97: ὄμματα μὲν χρύσεια καὶ ὑαλόεσσα παρειή. Minime autem interpretari possumus: «fragilem (in amore), infidam.» Comparatio haec aliquanto magis nostrarum linguarum indoli repugnat, quam vv. *roseus, eburneus, marmoreus, niveus*, a poëtis tropice usurpata. Recordare *vitrum* tunc rarius et pretiosius fuisse quam nunc est. Penelopae maerentis imago est in Raoul-Rochette *Mon. inéd.* I. T. 32, 1.

21. *innocentis*] «lenis et caput minime laedentis,» quod ideo per aestatem potabant. Prop. 1, 14, 2. Λέσβιον οἰνάριον vocavit Alexis comicus apud Athen. 1, 22. et Eubulus ibidem Λέσβιον γέροντα νεκταροσταγῆ. Est ἀπόφθεγμα Aristotelis apud Gell. 13, 5: *Rhodium et Lesbium oppido bonum, sed* ἡδίων ὁ Λέσβιος. Longus Past. 4, 10: ἦν ἐν τοῖς δώροις καὶ ἀνθοσμίας οἶνος Λέσβιος, ποθῆναι κάλλιστος οἶνος.

Duces sub umbra, nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia, nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari

22. *semelius* B. — 25. *nec* BT.

22. 23. *Duces*] Propert. 2, 9, 24: *multo duxistis pocula risu;* itemque cum voluptatis notione 4, 4, 13: *et quae Gaudia sub tacita ducere veste libet.* Apul. Met. 10, 5: *poculum - continuo perduxit haustu.* Epod. 14, 4: *Pocula - si traxerim.* Eurip. in Cycl. 417: ἔσπασέν τ' ἄμυστιν ἑλκύσας. Etiam in prosa orat. Cic. Tusc. 4, 40: *venenum obducere.* — «Nec a poculis, rixis incalescentibus, ad ferrum et sanguinem venietur.» Iunguntur duo μητρωνυμικά, quod imitatus est poëta Anthol. Lat. 4, 21: *Semeleïe Bacche - - laete Thyoneu.* Apollod. 3, 3: ὁ Διόνυσος ἀναγαγὼν ἐξ Ἅιδου τὴν μητέρα καὶ προσαγορεύσας Θυώνην, μετ' αὐτῆς εἰς οὐρανὸν ἀνῆλθεν. Semele a Baccho in Olympum ducta est in speculo Etrusco apud Müller *Denkm.* I. N. 308. Cfr. Welcker *Semele-Thyone. N. Rh. Mus.* I. p. 432. — Ut dicunt *miscere proelia,* sic h. l. *confundere,* et παροινίαν confert proelio inter Bacchum et Martem orto.

24. *nec metues*] «Hic mecum degens tuta eris a Cyro, importuno illo amatore, qui in Urbe te persequi solet.» Cyrus, frequens servorum et libertinorum nomen, recurrit 1, 33, 6.

25. *Suspecta*] «Cyro, suspicanti alium a te amari.» Pro *suspicaci* apud posteriores tantum aliquoties reperitur. — *male dispari*] Epp. 1, 3, 34: *male laxus calceus.* Catull. 10, 3, 3: *insulsa male et molesta.* Tibull. 4, 10, 2: *male inepta,* ubi, ut h. l., est homonymum vv. «valde, admodum,» cum vocabulo ingratae qualitatis. Est igitur «nimium dispari, viribus longe inferiori»; non: «in amore non consentienti.» Hand Turs. III. p. 584.

26. *Incontinentes*] non tam de libidine interpretor, quam de iracundia et παροινίᾳ. Cfr. Tibull. 1, 10, 53: *dementes manus.* Agathias in Anthol. Pal. I. p. 147. 218, 3: Πολέμων τὰ Ῥοδάνθης Βόστρυχα παντόλμοις χερσὶν ἐληΐσατο - - Μάστιξεν ῥαδινῆς ἄψεα θηλυτέρης. Paulus Sil. in Anth. Pal. I. p. 158: Ὦ παλάμη πάντολμε, σὺ τὸν παγχρύσεον ἔτλης Ἅπριξ δραξαμένη βόστρυχον αὐερύσαι. — *iniiciat manus*] «intentet manus;» ut Ovid. Am. 1, 4, 40: *iniiciamque manus.* Pulsatio amicarum, ut iam vidimus Od. 1, 13, 9., a moribus iuvenum Romanorum minime abhorrebat. Propert. 2, 5, 21: *Nec tibi periuro scindam de corpore vestem, Nec mea praeclusas fregerit ira fores, Nec tibi connexos iratus carpere crines, Nec duris ausim laedere pollicibus.* Ovid. Am. 1, 7, 3: *Nam furor in dominam temeraria brachia movit; Flet mea vesana laesa puella manu. - - Ergo ego digestos potui laniare capillos?* Lucian. Dial. mer. 8. init.: ὅστις δὲ μήτε ζηλοτυπεῖ, μήτε ὀργίζεται, μήτε ἐῤῥάπισέ ποτε ἢ περιέκειρεν ἢ τὰ ἱμάτια περιέσχισεν, οὐκέτι ἐραστὴς ἐκεῖνος ἐστίν;

Incontinentes iniiciat manus
Et scindat haerentem coronam
Crinibus immeritamque vestem.

26. *Incontinentis* BT. — *iniciat* BbSTcd.

27. *haerentem*] impositam et fasciola, ne decidat, alligatam.

28. *vestem*] Tibull. 1, 10, 64: *Sit satis e membris tenuem discindere vestem. Immeritam* autem ut Sat. 2, 3, 7: *paries immeritus*. Prop. 2, 4, 3: *Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues*. Est ergo: «Quae nihil commisit, cur discinderetur.» Monendum erat propter Vossium vertentem: das schöne Gewand der Unschuld.

CARMEN XVIII.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis et moenia Catili.

XVIII. Inscr. volg. *Ad Quinctilium Varum.* — *Ad Varum Quinctilium* S. — *Alloquitur Varum Quintilium de vitibus summam dicens vini sed cum modo voluptatem* T. — 1. *Vare*] *vere* Acr. Porphyr. — *cathilli* T.

XVIII. Alcaei carmen, cuius primus versus superest (Fragm. 44. Bergk: *Μηθὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδριον ἀμπέλω·*), imitatus eiusque vel metrum servans, novus tamen in eo est, quod Varum appellat Tiburisque meminit; rebus igitur praesentibus et Romanis antiquum Graecum exemplar popularium suorum mentibus veluti appropinquat. (a. u. c. 726?) «Quis *Varus* hic fuerit, non satis constat. Apparet non posse intelligi *P. Quinctilium Varum*, a. 741. consulem, qui a. 763. in Germania periit; nec *P. Alfenium Varum* ICtum clarissimum, cos. suff. a. u. c. 745. (cfr. Biondi *Dissertaz. dell' Acad. Rom. d'archeol.* Vol. VI. p. 304.) neque huius filium eiusdem nominis, cos. suff. a. u. c. 755. (Ceterum scriptura *Alfenius* pro falsa *Alfnius* (Laurent Fasti cons. a. 755.) et volgari, item falsa, *Alfenus* (Sat. 1, 3, 130.) nititur marmore apud Visconti um *Monum. Gab.* p. III.) Neque videtur *Q. Atius Varus*, qui a Caes. B. G. 8, 28. et B. C. 3, 37. commemoratur. Multi *L. Varum* intelligunt, quem Quintil. 6, 3, 78. philosophum Epicureum et C. Iulii Caesaris amicum appellat. Mihi videtur esse *Quinctilius*, quem Schol. Horat. et Serv. ad Virg. Ecl. 5, 20. *Varum* appellant. Fuit is Virgilii et Horatii amicus, et acutus severusque carminum iudex (A. P. 438.), quem a. 730. mortuum Horat. Od. 1, 24. deflet. Idem haud dubie est, qui Epod. 5. commemoratur.» Iahn. At amicum nunquam profecto ita derisisset Horatius, ut ibi a saga exagitatur Varus aliquis ignotus. Cfr. Weichert de L. Varii et Cassii Parm. vita cet. p. 121. seqq.

1. *sacra vite*] Sic iam Ennius in Athamante Ed. Columnae Neap. p. 405: *Lyaeus vitis inventor sacrae*, propter vini libationes in re divina facienda. — *Serere* de vitium plantatione verbum proprium. — *arborem*] Plin. H. N. 14, 1. *Vites iure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur.*

2. *Tiburis*] *Quo te bis decimus ducit ab Urbe lapis.* Mart. 4, 57, 4. — *Catili*] Licentia usus est Horatius, nam Virg. Aen. 7, 672. et Silio 8, 364. est *Catillus*. Solinus c. 2: *Tibur, sicut Cato facit testimonium, a Catillo Arcade, praefecto classis Euandri, sicut Sextius, ab Argiva iuventute. Catillus enim, Amphiarai filius, post prodigialem patris apud Thebas interitum Oeclei avi iussu, cum omni fetu ver sacrum missus tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido incolis veteribus Sicanis a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt. Tibur* igitur *et moenia Catili* est: «Tibur,

Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat? 5
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At, ne quis modici transiliat munera Liberi,

5. *increpat* cd et pr. b, item γδ teste Kirchn. N. Q. H. p. 36 et 56. *(increpet* Aldus.) — 7. *Ac* BbSd,βγμξ, Bentl. et J; *Aut* T. *(At* Pott. 4, 12, 22.)

quod oppidum Catillus condidit.» Cfr. Heynii Excursum VIII. ad. Aen. VII. — Alii distinguere malebant, ut, cum Servius ad Aen. 7. 672. *montem Catilli [iuxta Tibur]* memoret, is hic quoque significaretur, sed hoc vetat v. *moenia*. In Tiburis igitur solo fertili et aëris temperie grato fundum habebat Varus. Eius villae parietinas reperisse sibi visus est Fea prope Tibur in regione a *Quinctilio* etiamnunc nomen *Quintigliolo* gerente.

3. *Siccis*] sobriis, abstemiis. Etiam apud Cic. Acad. 2, 27. *vinolentis* (madidis, humidis) opponuntur *sicci*. — *dura*] Mitscherlichii explicationem «gravissima quaeque humanae vitae mala» probat Dillenburger in *Ztschrft für Alterth.* 1838. p. 1840. Equidem malim: «deus omnia, quae sicci incipiunt, operosa, ingrata, nimis difficilia reddere solet, etiam ea, quae per se talia non sunt.» (Od. 3, 21, 13: *Tu* (vinum) *lene tormentum ingenio admoves plerumque duro.)*

4. *Mordaces*] *δακέθυμοι, θυμοβόροι μελεδῶνες*, quae et animum rodunt et corpus enecant, ut Paulus Sil. Anth. Pal. I. 165: *ἐμεῖο ἄψεα γηράσκει φρονίδι γνιοβόρῳ*. Od. 2, 11, 18: *edaces curae*. Virg. Aen. 1, 264: *quando haec te cura remordet*. — *aliter*] «nisi large hausto vino,» ut ratio ipsa quemvis non prorsus hebetem ingenio illico edocet, etsi in his quoque nonnulli mire tricati sunt, ita ut suppleverint etiam: «quodsi vites non plantas, haud diffugiunt sollicitudines.»

5. 6. *crepat*] *κραγεῖ*, ut in proverbio apud Plat. Euthyd. p. 293. D. *καλὰ δὴ κραγεῖς*. Epp. 1, 7, 84: *vineta crepat mera*. «Quis bene potus militiae aut paupertatis incommoda in ore habet ac propterea queritur?» Ex v. autem *crepat* ad seq. vers. quivis cogitatione supplebit: «Bacchum et *decentem (χαρίεσσαν*, amabilem) Venerem in ore habet atque assiduis laudibus praedicat.»

7. *At ne*] Commemoratis potationis commodis transituro ad opponenda his mala, quae ex ea, si usque ad temulentiam progredimur, oriri solent, necessaria erat particula adversativa. Contra in exemplis a Bentleio allatis (Epp. 1, 1, 13. 1, 19, 26. Epp. 2, 1, 208. Ovid. Rem. Am. 465: *Ac ne forte putes nova me tibi condere iura.)* partt. *ac ne* novas propositiones copulant cum praecedd. sine ulla oppositione. — *modici*] «modum amantis, verecundi», ut vocatur Od. 1, 27, 3. Cfr. Hand Turs. I. p. 486. — *transiliat*] «aviditati cedens omnem in bibendo excedat modum.»

Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata, monet Sithoniis non levis Euius,
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam, nec variis obsita frondibus

9. *euhyus* T. — 11. *basse reu* T.

8. Pugna orta inter Lapithas et Centauros in nuptiis Pirithoi, regis Lapitharum, cum Hippodamia. *(Eurytus Hippodamen, alii quam quisque probarant aut poterant, rapiunt.* Ov. Met. 12, 224.) Centaurorum vero magna strages edita. Odyss. φ, 295 sqq. Phidiae autem *Κενταυρομαχία* in Parthenonis metopis aliaque artificum opera eandem exprimentia Horatii aetate omnium oculis obversabantur. Vide Millingen *Coghill.* T. 35 et 40. Inghirami *Gall. Om.* III. 125. — *super mero*] Ex consuetudine Latina hoc nihil aliud significare potest quam *de mero*, propter merum. Hoc scilicet, non tam de uxoribus raptatis quam de vino a Centauris avide appetito certatum esse, tamquam suum ad propositum aptius finxit Horatius. Notabilis tamen est atque elegans Oudendorpii coniectura *super merum*, «inter compotationem.» (Flor. 4, 2: *super pocula.* Curtius 8, 4: *super vinum.* Iuvenal. 15, 14: *super coenam narravit.*): quam ipsam significationem Codicum lectioni docte vindicare studet J. G. Steiner *Comm. Horat. Spec. sec.* p. 16 sq.

9. *Debellata*] «armis diiudicata.» — *Sithoniis*] populus Thracicus ad Salmydessum fl. Thracum autem compotationes non nisi caedibus finiri solebant (Od. 1, 27, 1.), quas poenas a Baccho iis *non levi*, immiti, irato, impositas esse volt. — *Euius* ab acclamatione *εὐοῖ, εὐάν.*

10. 11. *exiguo fine*] «illo pertenui discrimine, quod inter fas et nefas statuere, servare solent libidines, quae saepenumero prorsus confundunt ac miscent utrumque.» *Avidi* autem absolute ut saepe; Od. 1, 28, 18: *avidum mare.* Od. 3, 4, 58: *avidus* (pugnae) *Volcanus.* Sat. 2, 3, 151: *avidus heres.* Noli iungere *avidi libidinum*, id quod mirum in modum langueret.

11. *candide*] Ovid. Fast. 3, 772: *Candide Bacche.* Pseudotib. 3, 6, 1: *Candide Liber ades.* Sic etiam Epod. 3, 9. *candidum ducem* vocat Iasonem. Est «pulchritudine splendens, formosus», non «simplex et apertus.» Cfr. Virg. Ge. 2, 392. de Baccho: *Et quocunque deus circum caput egit honestum.* — *Bassareu*] *βασσαρίς*, pellis volpina, a *βασσάρα*, quae Thracibus volpes. Alibi Bacchae, quae itidem *Βασσάραι* (Orph. Hymn. 44, 2.), gestant *νεβρίδας.* Macrob. Sat. 1, 18: *Liberi patris simulacra partim puerili aetate, partim iuvenili fingunt, praeterea barbata specie, senili quoque, uti Graeci eius, quem Bassarea, item quem Brisea appellant, et ut in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes.*

12. *quatiam*] *κινήσω, οὐ σοῦ ἄκοντος βασσαρήσω.* In orgiis proprie thyrsi *quatiuntur* et per Bacchicam pompam tumultuosam et cum saltatione coniunctam cistis circumlatis *sacra commoventur* (Virg. Aen. 4, 301: *qualis commotis excita sacris Thyas* cet.) Est igitur: «Non invito te, leges tuas sacratas violans, orgia tua celebrabo, nec sacri-

Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus Amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem,

13. *dium* Glareanus. — *bene cynthio* T. — 15. *Extollens* Pott. quattuor, *Attollens* Pott. 4, 9, Glareanus et Cuninghamius. *(Ettollens* uno tenore T.)

lego conatu arcana tua in cistis mysticis reposita et *variis (ποικίλοις)* omnis generis frondibus, pampinis maxime atque hedera, involuta, ex iis promam et *sub divum*, caelum apertum, in profanorum etiam conspectum protraham»; quod in orgiis ac mysteriis celebrandis inexpiabile erat scelus, ut Penthei apud Theocr. 26, 13: *σύν τ' ἐτάραξε μανιώδεος ὄργια Βάκχου*. Catull. Epithal. P. et Th. 259: *Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis, Orgia, quae frustra cupiunt audire profani.* Imago cistae Bacchicae *frondibus obsitae* est in Musei Borbonici Vol. VII. T. 36. *Plenas formidine cistas* tales vocat Valer. Flacc. 2, 267. Inerat in his praecipue *δράκων, ὄργιον Διονύσου Βασσάρου -- φοιαὶ - καὶ μήκωνες κτλ.* Clemens Alex. Protr. p. 49. Item *φάλλος* velatus. Millin *Gal. Myth.* 64, 243.

13. *Sub divum*] Al. *sub dium*. Sed etiam in Cic. Verr. Acc. 1, 19. Zumptius cum Codd. antiquiore scriptura *sub divo*, al. *sub dio*, quod praetulit Garaton. — *Saeva*] propter terribilem sonum. Virg. Aen. 9, 618: *saeva sonoribus arma.* — *tene*] Nescio quomodo Vossius vertere potuerit: *Hemm mir den Lerm! hemm berecyntisches Horn und Trommelgeroll!* quasi sodales alloquatur. Est potius: «Sed tu quoque, Liber, contine, cohibe, tempera cornuum strepitum» cet., id est, «noli nimis mentem nostram concitare, ne in furorem acti eos in errores incidamus, quos statim enumerat, *φιλαυτίαν, gloriam*, iactantiam, *ἀπιστίαν.*» — *Berecyntio*] A Berecynto, Phrygiae monte, ubi Cybeles sacra eodem quo Bacchi orgia furore peragi solebant. *Cornua* in Bacchanalibus habet etiam Catull. l. l. v. 263: *Multis raucisonos efflabant cornua bombos;* quo ex loco hic quoque *cornu* malim explicare *Blasehorn*, quam cum aliis de *κεραοφόρῳ αὐλῷ*, tibia Phrygia agglutinato cornu ad sonum exasperandum. Lucian. Dial. Deor. 12: *ὁ δὲ αὐλεῖ τῷ κέρατι.* Ovid. Fast. 4, 184: *Protinus inflexo Berecyntia tibia cornu Flabit.* Met. 3, 533: *adunco tibia cornu.* Sed Horatius vix tibiam simpliciter *cornu* vocasset, ut fecit sane Iuvenalis 2, 90: *gemit hic tibicina cornu.*

15. *vacuum*] «caput inane, vanum.» Loquitur ergo de vana hominum volgarium iactantia, qui frustra de suis meritis gloriantur; «otiosum, qui nullodum labore gloriam meruit» (Doederlein Heptas N. 12. p. 4.), significare vix potest: nam quod contrarium videtur apud Ovid. Pont. 2, 7, 77: *Sustineas ut onus, nitendum vertice pleno est, At flecti nervos si patiare, cadet,* id Horatii *vacuo vertici* minime opponitur, cum significet «verticem omnibus suis viribus contendentem, ut onus sustineat.» — *plus nimio*] *ὑπεράγαν.* Est iam apud Plautum Mil. Gl. 2, 6, 106. Bacch. 1, 2, 42. Erat etiam sermonis cotidiani. Antonius ad Cic.

Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro.

Ep. post Ep. 8. Lib. 10. ad Att.: *nimio plus te diligo*. Explica: «nimium est; quid autem dico? plus etiam quam nimium.»

16. Recordari iuvat proverbii apud Schol. Plat. p. 960. Ed. nostrae: *Τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος ἐπὶ τῇ γλώσσῃ τοῦ μεθύοντος*. «Ebrietas efficit, ut arcana fidei nostrae commissa *prodigamus*, imprudenter prodamus et cum primo quoque communicemus.» Fides prius, ante vina, servata, cum effutit arcana, fides esse desinit. Od. 3, 24, 59: *fides periura* scil. facta / — *perlucidior*] Vino succumbentes pectus sic aperimus, ut, quaecunque in eo latent, convivarum oculis patefiant. Gnom. Brunck. p. 284: *κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ*. Notanda caesura in voc. composito, ut C. 2, 12, 25: *Dum flagrantia detorquet ad oscula*.

CARMEN XIX.

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque iubet me Semeles puer
Et lasciva Licentia
Finitis animum reddere amoribus.

XIX. Inscr. volg. *De Glycera.* — *Ad puerum suum de Glycera* BS. — *Ad puerum suum de Glicerae amore* T. — 2. *iubent* quinque Cruquii, B, *γκλμ. (iubet* ceteri nostri et *βω.)* — *Semelae* bSc, item *γ* teste Kirchn. N. Q. H. p. 36., LtJ. *(Semele* Td.) — 3. *Libentia* malebat Bentl.

XIX. Finitos cum crederet amores, amore Glycerae denuo captum se profitetur. Compositum videtur hoc carmen a. 729 vel 730.

1-3. *saeva*] «imperiosa, cui nemo resistere potest;» summam enim violentiam in miseros amantes exercet. Hunc versiculum hoc ipsum carmen significaturus consulto repetiit Od. 4, 1, 5. — *Cupidinum*] Recentiores poëtae, amorum varietatem respicientes, multos Cupidines Veneris comitatui adiungunt. Cfr. Stat. Silv. 1, 2, 61: *Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis Ore manuque levi nunquam frustrata sagitta.* Claudian. de Nupt. Hon. 72: *Mille pharetrati ludunt in margine fratres, Ore pares, similes habitu, gens mollis Amorum. Hos Nymphae pariunt, illum Venus aurea solum Edidit.* Philostr. Imagg. 1, 6: *εἰ δὲ πλῆθος Ἐρώτων, μὴ θαυμάσῃς· Νυμφῶν γὰρ δὴ παῖδες οὗτοι γίγνονται.* Venus a duobus Cupidinibus per aërem sublata est in elegantissimo vase picto apud Millingen *Mon.* I. T. 13. — *iubet*] In meis Codd. est singul. nec pluralem ex suis memorat Pottierius. «Et amat Horatius in eiusmodi constructione singularem numerum. Vide ad C. 1, 24, 8.» BENTL. — *Semeles* et propter Horatii usum in carminibus lyricis et propter *εὐφωνίαν* post *Thebanae* praeferendum videbatur, etsi Codd. consensus favet formae *Semelae.* Eadem controversia est apud Tibull. 3, 4, 45: *Proles Semeles Bacchus.* Cfr. Oudend. ad Apul. Met. p. 97. A. (Semelen et Bacchum inter se colloquentes v. *Mon. dell' Inst.* 1. 56. A.) Bacchus autem saepe Veneris et Amoris comes ac sodalis. Anacr. Fragm. 2. Bergk. ad Bacchum: *ὦναξ, ᾧ δαμάλης Ἔρως – – πορφυρέῃ τ' Ἀφροδίτῃ συμπαίζουσιν.* Rufinus in Anthol. Pal. I. p. 109. Bacchum *Ἔρωτος βοηθόν* vocat. — *Licentia*] Est *Ὕβρις* dea. Cic. de Legg. 2, 17. *τροπικῶς:* (a Clodio) *in meorum Larium sedibus exaedificatum templum Licentiae.* Non omisit eam in Veneris comitatu Claudianus l. l. 78: *nullo constricta Licentia nodo.* (Bentleii suspicio *Libentia* nemini se adhuc probavit; et merito. Plauti enim et Gellii loci, quos affert, satis monstrant apud Horatium antiquiori huic vocabulo locum non esse.)

4. *Finitis*] Satis iocose, cum iuvenis etiamtunc esset, semel, ut ait, sibi proposuerat renuntiare amori, in quem statim relabitur. Alcman Fr. 20. Bergk: *Ἔρος με δαῦτε Κύπριδος ἔκατι Γλυκὺς κατείβων καρδίαν ἰαίνει.* — *animum reddere*] «denuo dedere me

Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius;
Urit grata protervitas
Et voltus nimium lubricus adspici.

In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit, nec patitur Scythas

amori, quem iam excussum arbitrabar.»

5-7. *Glycerae*] Eodem nomine utitur Od. 1, 30, 3. idemque tribuit Tibulli amicae Od. 1, 33, 2. — *Pario*] Haud infrequens comparatio. Posidippus Anthol. Pal. I. p. 139: *Ἐκ τριχὸς ἄχρι ποδῶν ἱερὸν θάλος, οἷά τε λύγδου Γλυπτήν.* Ovid. Fast. 4, 135: *Aurea marmoreo redimicula solvite collo.* Anthol. Lat. Burm. 3, 171: *Caballina - quamvis facie micet rubenti Et vibret Parium nitens colorem* cet. — *grata protervitas*] «iocosa petulantia», quae tantum abest, ut offendat, ut alliciat amatorem. Est Graecorum λαμυρία. Asclepiades Epigr. 17: *Ἡ λαμυρή μ' ἔτρωσε Φιλαίνιον.*

8. 9. *lubricus adspici*] *σφαλερὸς βλέπεσθαι.* Eadem constr. Virg. Aen. 6, 49: *maiorque videri.* «Veluti in via lubrica pes labitur, ita in eius voltu propter nimias illecebras oculi tuto figi vix possunt; sed in eo aspiciendo propter hoc ipsum periculum est, ne amoris igne flagres.» Pro *ὑγρῷ*, molli, lascivo, haberi nequit vel propter additum v. *adspici*, quod minime otiosum est. — *ruens*] Eurip. Hippol. 443: *Κύπρις γὰρ οὐ φορητόν, ἢν πολλὴ ἥνῃ.*

10—12. Alcman Fr. 10. Bergk: *Κύπρον ἱμερτὰν λιποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν.* — «Amore abreptus et Veneris veluti praeda nequeo carmine dicere Scythas incursiones semper in nos facientes et semper repulsos, nec Parthos eo ipso animosos, quod callida fuga hostem eludunt denuoque aggrediuntur»; tum *παρὰ προσδοκίαν nec quae nihil attinent* ad me amoresque meos, quasi cetera omnia merae sint nugae. — *Scythas*] «Istri accolae a poëtis et imprimis ab Horatio tum maxime commemorantur, cum de gravissimis et pertinacissimis Romanorum hostibus dicendum est, ita ut Scytharum, Massagetarum, Gelonorum, Thracum Dacorumque nomina pariter atque Medorum, Persarum Parthorumque apud Horatium vere *θετικὰ* haberi queant. Ita in hoc carmine non ob singulare aliquod factum Scytharum facta mentio est, sed quod noti et sat odiosi hostes essent.» Franke. De Scythis copiose et sagaciter disseruit J. Grimm *Gesch. der d. Spr.* I. p. 218 sqq. — *versis - equis*] Virg. Georg. 3, 31: *Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis. Versis equis* omnino significat «ab hoste aversis» (Ovid. A. A. 3, 786: *Ut celer aversis utere Parthus equis.)*, non «ad hostem conversis.» — *quae nihil attinent*] Sic absolute etiam Scr. ad Her. 1, 1, 1: ea *conquisierunt, quae nihil attinebant.*

13. *vivum - caespitem*] virentem et

Et versis animosum equis
Parthum dicere nec quae nihil attinent.

Hic vivum mihi caespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite thuraque
Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hostia.

11. *Aversis* tres Bland. prob. Cruquio. — (Vv. 11, 12, 13 et 15 desunt in B.) — 12. *attinet* unus Bland. in litura. — 14. *turaque* T.

nunc ipsum dolabra recisum ab humi superficie, ex quo saepe temporarias struebant aras. Stat. Silv. 1, 4, 130: *saepe deis - - Caespes et exiguo placuerunt farra salino.* (De voc. scriptura v. Wagner Virg. Vol. 5. p. 420. In Actis tamen Fratr. Arv. est *cespes.)*

14. Od. 4, 11, 7: *ara castis vincta verbenis.* Contra Virg. Aen. 12, 118: *In medioque focos et dis communibus aras Gramineas: alii fontemque ignemque ferebant, Velati limo et verbena tempora vincti. Verbenae,* pontificum sermone *sagmina,* herbae purae ex loco sancto arcessitae, ut ait Festus. Virg. Ecl. 8, 65: *Verbenasque adole pingues et mascula tura!* Verbena *heisst alles Grün, sowohl Laub als Kraut, das zu heiligem Gebrauch und zur Arznei diente, und begriff auch das kräftige Eisenkraut* (verbenaca). Voss. Cf. Grimm Gesch. der d. Spr. I. p. 124. — *thuraque*] Haec scriptura ubique obtinet in Inscrr. Avellino *Bull. arch. A.* II. p. 56: *THVRARIVS.* Cf. ad Epp. 1, 14, 23.

15. 16. *meri*] quod solum in sacris adhiberi licebat, non *spurcum,* (ex pontificum formula) «*cui aqua admixta est, defrutumve.*» Festus in *Spurcum.* Plin. H. N, 14, 19, 23: *Prolibare diis nefastum habetur vina, praeter imputatae vitis, fulmine tactae; - - item Graeca, quoniam aquam habeant. — veniet*] Non Glycera, ut mire explicant Scholiastae, sed: «Post rem divinam rite factam Venus quasi *ἐπιφανὴς* mihi ac propitia huc adveniet.» Anacr. Fragm. 2. B. ad Bacchum: *σὺ δ' εὐμενὴς Ἔλθ' ἡμῖν.* Stat. Silv. 3, 1, 39: *Placatus mitisque veni* (Hercules). Ceterum Schol. Cruq.: «Venus non placatur sanguine.» Et Catull. 66, 90: *Placabis festis luminibus Venerem Sanguinis expertem.* Optime controversiam componit Tacitus Hist. 2, 3: *Paphiae Veneri hostiae, ut quisque vovit, sed mares deliguntur. Sanguinem arae offundere vetitum; precibus et igne puro altaria adolentur.* Mactabantur ergo utique Veneri hostiae; sed sanguine earum non cruentabatur ara. Atque ut Horatius, Martialis 9, 94, 16. Venerem alloquitur: *Et cum ture meroque victimaque Libetur tibi candidas ad aras Secta plurima quadra de placenta.* Voc. *hostia* vero nunquam significat id quod nimis callide nuper aliquis excogitavit: «*Es ist bloss anderer Ausdruck für* merum.»

CARMEN XX.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa

XX. Inscr. volg. *Ad Maecenatem.* — *Maecenatem ad cenam invitat* S. Om. T. — 1. *Vile*] *Dulce* Medenbach Wakker.

XX. Maecenatem suum ad convivium minime sumptuosum invitat. Scilicet testibus Scholiis apud Cruq. et Vanderb. Maecenas iturus in Apuliam significavit Horatio ei se ante profectionem convivam esse velle: nisi vero hoc totum commentum antiquorum est interpretum. Quis enim Horatii aequalium hoc litteris mandasset? Plerique, ut Walck., hoc carmen compositum esse putant a. u. c. 735. Franke et Lübker referunt ad a. 729 vel 730., probabilius Weber *Horaz* p. 261. ad a. 726 vel 727.

1. *Vile*] Modeste simul et iocose loquitur de Sabino nequaquam comparando cum Caecubo cet. v. 9. Erat autem οἶνος πάντων κουφότερος, teste Galeno apud Athenaeum 1, p. 27 b: ἀπὸ ἑτῶν ἑπτὰ ἐπιτήδειος πίνεσθαι μέχρι πεντεκαίδεκα, crudum austerumque Plin. H. N. 14, 2. Hoc, de quo loquitur, bimum fuisse putat Franke F. H. p. 162. — *modicis*] parvis (ut Sat. 1, 5, 2: *hospitio modico.* Epp. 1, 5, 2. *modica patella.*) «quippe cum ab tenui mea domo absit omnis profusio.» Ἐπίθετον *modicis* consulto videtur delectum, quia, ut exemplis demonstravit Hofman Peerlkamp, cantharus, poculum ansatum maius, multibibis potissimum placebat.

2. *Cantharis*] poculi genus erat ansatum, sic nominatum, ut aiebant, a figulo inventore. Cfr. Athen. 11. p. 474 d: ὅτι καὶ ἀπὸ Κανθάρου κεραμέως ὠνομάσθη τὸ ἔκπωμά φησι Φιλέταιρος. (Lenormant *le héros Cantharus.* Ann. dell' Inst. 4. p. 311.) Virg. Ecl. 6, 17: *attrita pendebat cantharus ansa.* Huiuscemodi poculis maioribus in laetis occasionibus utebantur. Plin. H, N. 33, 11: *C. Marius post victoriam cantharis potasse Liberi patris exemplo traditur.* Macrob. Sat. 5, 21: *Scyphus Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus.* Hinc saepissime conspiciuntur in vasis Bacchicis. Cfr. Gerhard *Vsgmlde.* I. T. 47. — *Graeca — testa*] amphora vino Graeco prius imbuta, quo aliquando melius fieret Sabinum. Otiosum videtur de vase Cumano vel Samio interpretari, quippe quod nihil ad rem faciat. — *ego ipse*] «non per puerum aliquem meum, sed summa cum cura, quia tibi destinaram.» Hac amicitiae demonstratione augetur pretium doni per se exigui. Sic Rufinus in Anth. Pal. I. p. 105: Πέμπω σοί, Ῥοδόκλεια, τόδε στέφος, ἄνθεσι καλοῖς Ἀὗτὸς ὑφ' ἡμετέραις πλεξάμενος παλάμαις.

3. 4. *levi*] Oblinere solebant corticem in collo amphorarum pice et gypso. Od. 3, 8, 9: *Hic dies — Corticem adstrictum pice dimovebit*

Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,

Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

3. *elevi* Pott. septem. — 5. *Care* BbSTcd,LCtF: *Clare* ex uno λ Bentl. et M. (Ut nos, J.)

Amphorae. «*Levi* igitur ego, summa laetitia elatus, cum plausu exceptus esses in theatro»; (ut Od. 2, 17, 25., qui plausus idem esse videtur cum eo, quem hic memorat; nam per utriusque carminis tempus utique hoc statui licet:) «iam tunc hoc vinum tibi tacite pollicitus, ubi aliquando meus conviva esse velles.»

5. *Care*] In tali odario familiaris ac blanda allocutio unice apta, ut Od. 2, 20, 7: *Dilecte Maecenas,* Epod. 1, 2: *Amice Maecenas;* non *clare*, ut coniecit Lamb. ad Od. 2, 20, 7. recepitque ex uno Cod. Bentleius. Hoc enim ipso molesto epitheto Maecenatis prudentem laesisset modestiam. Neque appellari debebat pro lect. *clare* Od. 3, 16, 20: *Maecenas, equitum decus;* partim, quia totum illud carmen sublimioris est indolis, partim quia sic vocari poterat quivis fere eques Romanus illustris. — *eques*] «qui equestri ordine contentus, nunquam inhiasti honoribus, quibus tamen, si cuperes, te libenter extolleret Caesar.» Hac enim modestia usus et liberius vivebat homo mollitiei studens atque inanem fastum, quem honores ei imposuissent, devitans, et magis popularem se praebebat aliorumque procerum invidiam minus excitabat. Propert. 3, 9, 1: *Maecenas eques Etrusco de sanguine regum, Intra fortunam qui cupis esse tuam.* Vellei. 2, 88: *vixit angusti clavi fine contentus.* — *paterni*] Tiberis ab Etruria urbem influit. *Tuscum alveum* vocat Od. 3, 7, 28. *Lydius Tibris* est Virgilio Aen. 2, 781. Cilnia autem gens ex Arretio, Etruriae oppido. Od. 1, 1, 1.

7. *Vaticani*] Echo ad Ianiculum, collis Vaticani partem, quae e regione erat theatri Pompeii lapidei in Campo Florae, medio inter utrumque Tiberi.

8. *imago*] ut Od. 1, 12, 3: *iocosa imago,* neutro loco addito *vocis*, ut Virg. Ge. 4, 50: *vocisque offensa resultat imago. Montis imago* est, quae velut in monte sedem habeat et inde vocem reddat. Seneca Troad. 409: *habitansque cavis montibus Echo.* Bosscha. Atque omnino, quidquid contra disputat H. Peerlkamp, rectissime sic dicitur sonus repercussus a monte, ut Ausonius Epist. 25, 9: *Respondent et saxa homini; percussus ab antris Sermo redit, redit et nemorum vocalis imago. Vaticani* antepenultima brevi, cum apud Martialem et Iuvenalem sit longa, ideo usurpasse videtur, quia nonnulli Festo auctore et Gellio 16, 17. huius nominis originem a *vaticiniis* repetebant, vel simplicius etiam dicamus, ea licentia h. l. usum esse, quam haud raro in nominibus propriis sibi

Caecubum et prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

9. *Caecubam* cum Codd. Lambini F. — 10. *Tu*] *Tum* Doederlein, *Non* Schwenk. — *foronani* T.

concedebant poëtae. Exempla complura collegit Iahnius ad Od. 3, 4, 10. (Cfr. etiam Böttiger *kl. Schriften* I. p. 335.)

9. *prelo*] Hac scriptura, non *prael.*, Wagner Virg. Ge. 2, 242. — *domitam*] in prosa orat. «pressam.»

10. *Tu bibes*] Sententiae sic procedunt: «Domi meae pro amicitia tua mihi penitus nota te contentum fore satis scio vino Sabino; nam generosiora (quorum quattuor memorat) non habeo, qualia tu domi tuae bibere soles.» Vide Lübker. *Bibes* autem simpliciter est futurum concessivum: *Du magst immerhin sonst trinken.* Ac similia sunt futura Od. 1, 6, 1: *Scriberis Vario fortis.* Od. 1, 7, 1: *Laudabunt alii claram Rhodon.* Od. 3, 23, 13: *Victima pontificum secures tinget;* item Virgilii illud Aen. 6, 848: *Excudent alii spirantia mollius aera; Orabunt - - Describent - - dicent. — Caecubus ager* Latii iuxta Fundos ad viam Appiam. — *Cales* Campaniae oppidum, hodie *Calvi*; ager *Falernus* item in Campania ad radices Massici montis; *Formiae* Latii municipium in Auruncis prope Caietam, hodie *Mola di Gaeta.*

11. *Temperant*] «producunt vinum, quod meis in poculis cum aqua *temperetur*, misceatur.» — Interpunctioni a Bothio excogitatae, *Vile potabis - - imago?* «ut quaerat Horatius, an contentus Maecenas sit futurus vino vili Sabino; sed statim secum reputans plane indignum hoc esse Maecenate, addit: Caecubum et Calenum apud me bibes; curabo, ut ea vina adsint, cum venies; nam hic quidem non crescunt:» — huic, inquam, interpunctioni repugnat tota clausulae conformatio magisque etiam sententia, quae tum sic procederet: «Vile Sabinum meum vix potabis: dabo tibi aliquanto melius, sed medii tamen generis, Caecubum et Calenum, quippe cui negata sint optima, Falernum et Formianum:» cum tamen manifesto uni vino Sabino opponantur quattuor longe generosiora. Nec magis et familiaritatem et iocum spirare totam hanc excusationem *Vile - - colles* perspexit is, qui proposuit *dulce* pro *vile.* (Doederleinii coni. vide II. *Sammlung* p. 213. *Tum* illud, ut ait, significat: «post vile Sabinum apud me bibes pretiosiora vina et palato respondentia.» Verum mira haec accidit apud lyricum poëtam narratio: «Duo quidem vina generosa habeo; duo alia non.»

CARMEN XXI.

Dianam tenerae dicite virgines,
Intonsum, pueri, dicite Cynthium

XXI. Inscr. volg. *In Dianam et Apollinem.* — *Ad chorum virginum* S. — *Laudes ad chorum virginum ad puerum* (immo *ac puerorum*) T.

XXI. Exhortatur puerorum ac virginum chorum ad celebrandos riteque placandos Apollinem et Dianam. De simplicissimi autem huius carminis argumento, forma ac tempore diversissimae exstant interpretum sententiae. Iamdudum explosae sunt opiniones Scholiastarum, esse tamquam prooemium Carminis secularis, et Duhamelii, qui in eo vidit carmen *ἀμοιβαῖον;* absurda enim esset ista cantantium allocutio ad semet ipsos *Vos - - Vos.* Neque vero assentiri possumus Bentleio in Praefat. pag. penult.: «Hoc carmen aut ad Dianae aut ad Apollinis festum spectat, quorum illud Ibid. Aug., hoc pridie Non. Iulias usque ad V. Idus singulis annis celebrabatur.» Etenim totum carminis argumentum mirifice respondet antiquissimo cultui Romano, ex quo a. u. c. 355. *lectisternio tunc primum in urbe Romana facto X. Viri Sac. Fac. per dies VIII. Apollinem Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum stratis lectis placavere.* Liv. 5, 13. Nostris autem temporibus duae potissimum invaluerunt sententiae, altera Kirchneri et Walckenaerii, referri carmen ad calamitates ann. 731 et 732., Frankii altera, qui ita disputat p. 463: «Mihi persuasissimum est decantatum esse in prima celebratione ludorum Actiacorum quinquennalium a. u. c. 726. eoque trahit locum Comment. Cruq. qui temere hinc in Scholia ad Carmen seculare videtur esse translatus:» cetera vide apud ipsum. Huic acriter oblocutus est Lübker. Equidem, utpote in re prorsus incerta, definire nihil ausim; hoc unum addam, in pompa ludorum sollemni vel in supplicatione decantatum esse probabile mihi non videri; nam si hunc ad finem compositum esset, *concinuisset maiore poëta plectro et Caesarem* et deos, quos pie veneratur. Videtur potius facultatis poëticae liberum exercitium, cui sane occasionem dedisse videtur extraordinarium aliquod sollemne, velut illud anni 726. Minime autem probare possum Lübkeri opinionem, inchoatum tantum atque mancum esse carmen; clausula enim, qualis est, perquam apte simplicissimum hunc hymnum finit atque quadrat.

1. *Dianam*] «ut apud Virg. Aen. 1, 499: *Exercet Diana choros, Dianae* syllaba prima producta est, cum corripi debeat.» Diomed. 2. p. 436. P. Haec licentia locum habet in nominibus propriis. Cfr. Iahnium ad Od. 3, 4, 4. — *dicite*] Sic saepe Latini, ubi recentiores linguae requirunt *canere, praedicare, laudibus extollere.*

2. *Intonsum*] *ἀκερσεκόμην.* Epod. 15, 9. Tibull. 1, 4, 37: *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventa: Nam decet intonsus crinis utrumque*

Latonamque supremo
Dilectam penitus Iovi.

Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecunque aut gelido prominet Algido,

5. *comam* BT et Bentl. e C4dd. Bland. ac *β*. (item Pott. septem. Ceteri nostri *coma.)*

deum. Id. 2, 5, 121: *Annue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli! — Cynthus*, Deli mons.

3. Callim. Hymn. Apoll. 14: *Χαῖρε μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα.* Ovid. Metam. 6, 160: *Et date Latonae Latonigenisque duobus Cum prece tura pia.* Sol et Luna mortalibus *σωτῆρες*, *ἀλεξίκακοι*. Latonae imago est in Gerhard *ant. Bildw.* I. T. 14., alia in Müller *Denkm.* I. N. 46. atque pulcherrima Apollinis et Dianae *Ἀγγέλου*, quo nomine Syracusis colebatur, cum caduceo et patera in *Annali dell' Inst. arch.* V. p. 172. — *supremo*] Ex formularum usu Pind. Nem. 1, 90: *Διὸς ὑψίστου προφάταν*. Terent. Adelph. 2, 1, 42: *Pro supreme Iuppiter!* Athenis in arce erat *Διὸς βωμὸς Ὑπάτου*. Paus. 1, 26, 5.

4. *penitus*] «*κηρόθι*, intimis sensibus.»

5. Dianam, quae fluviis delectatur et nemoribus. Catull. 34, 5: *O Latonia, maximi Magna progenies Iovis, Quam mater prope Deliam Deposivit olivam, Montium domina ut fores Silvarumque virentium Saltuumque reconditorum Amniumque sonantum.* Orpheus Hymn. 31, 4: *ἥ τε διαίσσεις ὄχθους ὑψαύχενας ἀκρωρείους Ἠδ' ὄρεα σκιόεντα νάπῃσί τε σὴν φρένα τέρπεις.* Atque Diana erat numen etiam fluviatile. Pind. Pyth. 2, 6: *Ὀρτυγίαν, ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος.* Hinc *Ἄρτεμις Ποταμία* in nummis Siculis (Müller *Denkm.* I. N. 201.) et *λιμνᾶτις* Paus. 4, 4, 2. Diana Ephesia in nummis Cenchrium et Caystrum fluvios pro pedibus habet decumbentes. Streber Numism. Gr. p. 143. — *coma*] Odyss. *ψ*, 195: *ἀπέκοψα κόμην τανυφύλλου ἐλαίης*. Soph. Antig. 419: *φόβην ὕλης πεδιάδος*. Eurip. Alc. 172: *πτόρθων μυρσινῶν φόβην*. Catull. 4, 10: *iste, post phaselus, antea fuit Comata silva; nam Cytorio in iugo Loquente saepe sibilum edidit coma:* frequens apud antiquos de arboribus tropus etiam in prosa oratione. Lucian. Amor. 12. *δένδρα ταῖς κόμαις εὐθαλέσιν μέχρι πόρρω βρύοντα*. Achill. Tat. 2. p. 44. Iacobs. de floribus: *αἱ τῶν λειμώνων κόμαι*. Atque fortasse nimis etiam explicata imagine Ovid. Met. 10, 103: *succincta comas - - pinus*. Figuram hanc frustra nostratibus commendare conatus est Bodmer, dicens alicubi in Noachide: *die Locken der Bäume*. Cfr. Sadi Rosarium Gentii p. 23: *Viridi foliorum tunica amictae erant arbores.* — Lectionem *coma* magnopere commendat ipsa constructionis facilitas *laetam fluviis et coma*. Qui *comam* praeferunt, explicant: «Dianam canite et nemora Algidi cet.» Sed falsa haec lectio, uti paret, orta est ex prava accommodatione ad v. *laetam*.

6. «Quod *nemus* (pars silvae

Nigris aut Erymanthi
Silvis aut viridis Cragi;

Vos Tempe totidem tollite laudibus
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.

8. *Gragi* BbSTcd,C.

amoenior cum pascuis) *prominet*, est in iugo aliquo editiore montium, quos nominat, et propterea late conspicitur.» Ad usum vv. *silva* et *nemus* cfr. Virg. Aen. 1, 164: *tum silvis scena coruscis Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra*. Ovid. Met. 1, 568: *Est nemus Haemoniae* (Tempe), *praerupta quod undique claudit Silva*. Id. A. A. 3, 689: *Silva nemus non alta facit*. — *Algidus*, mons Latii inter Tusculum et montem Albanum, circiter XX. M. P. a Roma distans, quem *Diana tenet* (Carm. sec. 69.), hodie *Monte Porzio, Compatri* et *Rocca Priora*. *Nivalem* vocat Od. 3, 23, 9.

7. *Nigris*] umbrosis. Od. 4, 4, 58: *nigrae feraci frondis in Algido*. Od. 4, 12, 11: *nigri colles Arcadiae*. Ovid. Fast. 3, 295: *Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra*. Virg. Aen. 1, 165: *atrum nemus*. — *Erymanthus*, mons Arcadiae, ubi D. venatur. Odyss. ζ, 102: *Οἳ δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα, Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον*. Hodie *Olonos*, aliis *Dimitzana*.

8. *Cragus*, Lyciae mons, in quo *θεῶν ἀγρίων ἄντρα*. Stephanus in v. Hodie *Yedi Bouroun*, id est, septem capita; octo vertices ei tribuit Strabo 14. p. 665. — *Viridis* consulto videtur opponi *nigris Erymanthi silvis* propter diversum arborum genus, quibus uterque mons obsitus erat, Cragus quercubus, fagis cet., ille abietibus, pinis.

9. *Tempe*, amoenissima convallis inter Olympum et Ossam. Aelian. V. H. 3, 1: *ἐνταῦθά τοί φασι παῖδες Θετταλῶν καὶ τὸν Ἀπόλλωνα τὸν Πύθιον καθήρασθαι κατὰ πρόσταγμα τοῦ Διός, ὅτε τὸν Πύθωνα τὸν δράκοντα κατετόξευσεν ἔτι φυλάττοντα τοὺς Δελφούς, τῆς Γῆς ἐχούσης τὸ μαντεῖον*. Quod nonnulli Tempe Musarum sedem vocant, nititur falsa lectione Catulli 64, 287.

10. *mares*] Soph. Trach. 207: *ἐν δὲ κοινὸς ἀρσένων ἵτω κλαγγά*. Manifesto v. 5. alloquitur *virgines*; hic se ad *pueros* convertit, adeoque operam lusit, qui pro *mares* proposuit *sacram*. — *Delos* prisco nomine Ortygia, quod idem erat gemellorum nutricis. Vide insigne monumentum Latonae cum liberis ac nutrice in *Annali dell' Inst. arch.* 1829. p. 395.

11. *Insignem*] Construe: *Laudate Apollinem insignem humerum* (accusativo Graeco), non vero: *humerum insignem Apollinis*. Cfr. Pind. Pyth. 9, 26: *εὐφαρέτρας - - Ἀπόλλων*.

12. *Fraterna*] quam a fratre Mercurio, illius inventore, dono accepit; ex reconditiore vero fabula Mercurio lyram eripuit Apollo. Pausan. 9, 30, 1: *Ἀπόλλων χαλκοῦς ἐστιν ἐν Ἑλικῶνι καὶ Ἑρμῆς μαχόμενοι περὶ τῆς λύρας*.

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

13. *Haec bellum* malebat Duhamel rursusque Bentl. — 14. *a populo, principe* Ios. Scaliger ac rursus Medenbach Wakker. (Sic iam Editio Petri van Os, Zwollis, in 4to, ad annum 1500 relata. Vid. Kirchn. Nov. Quaestt. Horat. p. 57.) — *in* om. T. — 16. *agit* B.

13. Ne nullae Dianae in averruncandis malis partes essent, Duhamel et Bentleius probante F. A. Wolfio voluerunt *Haec bellum*. Sed nec Diaana hic ullam vim exercet et praestat *ἀναφορὰ hic — hic*, «ille Augusti custos Apollo.» — *lacrimosum*] Iliad. ε, 737: *ἐς πόλεμον δακρυόεντα*. Anacreon Fragm. 28. Bergk.: *δακρυόεσσάν τ' ἐφίλησεν αἰχμάν*, amavit *lacrimabile bellum* Virg. Aen. 7, 604. — *miseram*] Cic. ad Att. 5, 21: *famem, qua nihil miserius est*. Pariter autem Graeci coniungere solent *λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν*. Hesiod. O. et D. 243. Apollo et Diana *ἐπικουρίων Θεῶν* cognomine colebantur in templo Bassensi apud Phigaliam. Stackelberg *Tempel des Apollo* T. 7-9. Müller *Denkm.* I. N. 123. Pausan. 8, 41, 8: *τὸ δὲ ὄνομα τοῦ Ἐπικουρίου ἐγένετο τῷ Ἀπόλλωνι ἐπικουρήσαντι ἐπὶ νόσῳ λοιμώδει*.

14. *et principe*] Scaliger delendum censuit *et*, ut sit non tam «dum Caesar est princeps», quam: «propterea quod princeps est Caesar»; suntque similia Epp. 2, 1, 256: *Et formidatam Parthis te principe Romam*. Od. 3, 14, 15: *tenente Caesare terras*. Od. 4, 15, 17: *custode rerum Caesare*. Sed Codd. lectio teneriorem praebet sensum, quia Caesar ita cum populo Romano artissime coniungitur. «Frequens usus est Horatii, ut particulis *et* et *que* universis rerum generibus singulae partes vel res subiiciantur. Od. 1, 3, 9. 1, 4, 1. 1, 8, 16. 1, 17, 6. 2, 2, 21. cet.» DILLENBURGER.

15. *Persas*] Parthos. — *Britannos*] Od. 1, 35, 29: *Serves iturum Caesarem in ultimos Orbis Britannos*. (a. u. c. 727.) Utrumque populum ut hostes imperii Romani, non ut remotum dumtaxat hic quoque designare videtur. Philippus in Anth. Pal. I. p. 246: *Ζηνὸς καὶ Λητοῦς θηροσκόπε τοξότι κούρη, Ἄρτεμις, ἣ θαλάμους τοὺς ὀρέων ἔλαχες, Νοῦσον τὴν στυγερὴν αὐθήμερον ἐκ βασιλῆος Ἐσθλοτάτου πέμψαις ἄχρις Ὑπερβορέων· Σοὶ γὰρ ὑπὲρ βωμῶν ἁτμὸν λιβάνοιο Φίλιππος Ῥέξει, καλλιθύτων κάπρον ὀρειονόμον*.

CARMEN XXII.

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra,

Sive per Syrtes iter aestuosas
Sive facturus per inhospitalem

XXII. Inscr. volg. *Ad Aristium Fuscum.* — *Ad Fuscum* ST. — 2. *Mauri* d, corr. x, unus Pulmanni, Aldus. (Ut nos, ceteri nostri, *βγδω*, pr. x. quattuor Bland., Pott. octo.) — *neque*] *nec* bST. — 5. *Syrtis* bT.

XXII. Securitatem poëtae nullius culpae sibi conscii et a dis vel inter maxima pericula benigne custoditi praedicat. Eadem est sententia atque Od. 1, 17, 13: *Di me tuentur, dis pietas mea Et Musa cordi est.* Tempus, quo carmen compositum sit, definiri nequit; Walckenaer refert ad a. u. c. 724., Grotefend ad a. 730. Vid. Excursum.

1. *Integer vitae*] Frequenter sic construunt poëtae. Sat. 2, 3, 220: *Integer est animi.* Virg. Aen. 9, 253. et Ovid. Met. 9, 444: *integer aevi.* — *scelerisque purus*] Sic *καθαρὸς ἀδικίας*. Contra ex usu prosae orat. Sat. 2, 3, 213: *purum vitio cor.*

2. 3. *Mauris*] Mauretanicis, ut Od. 3, 10, 18: *Mauris - - anguibus*, et Od. 1, 1, 28. *Marsus aper* pro Marsico. Pedestrem orat. referret *Mauri*, ut Ovid. Fast. 5, 580: *Persequitur Partha signa retenta manu*, alii male *Parthi.* — *gravida*] plena. Cum abl. item Ov. Fast. 4, 633: *gravidae semine terrae;* cum genit. Sil. 2, 220: *Mellis apes gravidae.* — «De Maurorum armis vid. Hirtii Bell. Afr. c. 7. Strab. 17, 3. p. 482. Herodian. 1, 15.» SCHROETER *Quaestt. Horatt.* Saarbr. 1847. p. 6.

4. *Fusce*] Intimos animi sensus hac simplici allocutione cum carissimo amico communicat, de quo vide Sat. 1, 9, 61. Epp. 1, 10.

5. *Syrtes - aestuosas*] Explico de ora litorali arenosa Syrtibus vicina, per quam aditus erat in nemus ac templum Iovis Ammonis, ut Virg. Aen. 5, 51: *Hunc* (diem) *egō Gaetulis agerem si Syrtibus exsul.* Eadem significatione pro fervida *aestuosam Calabriam* dicit Od. 1, 31, 5., *aestuosam viam* Cic. ad Att. 5, 14, 1. Catull. 7, 4: *Cyrenis Oraclum Iovis inter aestuosi Et Batti veteris sacrum sepulcrum.* Id. 46, 5: *Nicaeaeque ager uber aestuosae.* Alii appellantes Od. 2, 6, 3: *Barbaras Syrtes, ubi Maura semper Aestuat unda,* interpretantur de fluctibus reciprocis, *aestuantibus,* tumultuantibus.

6. 7. *Caucasum* Aeschyl. Prom. 20. *ἀπάνθρωπον πάγον* vocat.

Caucasum vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem,

Quale portentum neque militaris

11. *expeditus* d et corr. b., item Aldus, Lt et Bentl. (Codices non nominat. Ut nos, ceteri nostri, quattuor Bland., Pott. decem.)

7. 8. *fabulosus-Hydaspes*, nomen corruptum ex Indico *Vitastâ* «emissa» (cf. Lass. ind. Alt. I. 11. n. 2.), est Indiae fluvius (hod. *Behut*), usque ad quem Alexander M. penetrarat. De eo multa *fabulosa* a poëtis narrabantur, veluti auriferum gemmiferumque esse, praesertim in Dionysiacis; et tota India portentorum plena. Od. 3, 4, 9: *fabulosae - - - palumbes*. Tac. Germ. 3: Ulixis *fabuloso errore*. Curtius 3, 2: *Marsyas amnis, fabulosis Graecorum carminibus inclitus*. Notio *clari, incliti*, quam hic nonnulli agnoscunt, non est nisi secundaria. Nam Plin. H. N. 5. 1: *montem Africae vel fabulosissimum Atlantem*, item proprie explicari debet, de quo multae fabulae sunt inter homines. — *Lambit*] «praeterlabitur et placide alluit.» Stat. Theb. 4, 54: *quos pigra vado Langia tacenti Lambit*.

9. *silva*] prope Sabinum suum. Od. 3, 16, 29. de eadem: *silvaque iugerum Paucorum*.

10. *Lalagen*] *Livia Lalage* reperta est in columbario Liviae Augustae apud Bianchini N. 139, quam nonnulli sine ulla causa pro Horatiana habuerunt. Frequens hoc libertinarum nomen a λαλαγέω. — Porphyrion in Ed. principe: «*cantare*, componere scilicet librum. Lucilii sextus decimus Collyrae inscribitur, eo, quod de Collyra amica scriptus sit.» Ed. Bas. 1580: «Compono, scil. librum Lalagen. Ita liber Sex. Decii Collyra inscribitur cet.» Cfr. van Heusde de L. Aelio Stilone p. 38.

11. *Terminum*] «Dum tractu amoeno ac voluptario somniisque meis poëticis captus ultra terminum agelli mei Sabini, intra quem terminum fera nulla timenda erat, securus in nemus evagor.» — *curis-expeditis*] in pedestri oratione *curis expeditus*, ut habent Codd. nonnulli. Hoc praetulerunt Bentl. et H. Peerlkamp. Tu cfr. Catull. 34, 7: *O quid solutis est beatius curis!* Ac recte *expeditis* mavolt mecum Dillenburger vel propter homoioteleuton, cuius multa affert exempla, ut Od. 2, 12, 1: *longa ferae bella Numantiae*, 2, 16, 38: *Spiritum Graiae tenuem Camenae;* item 2, 17, 1. 3, 6, 4. 3, 21, 5. 3, 22, 7. Epod. 17, 35. Permira autem est Mohri et Bosschae interpretatio iungentium *ultra terminum expeditis*, id est, «nimium, plus aequo expeditis.»

13. *portentum*] πέλωρον, μέγα χρῆμα θηρός. Eurip. Hippol. 1214: Κύμ' ἐξέθηκε ταῦρον, ἄγριον τέρας. — *militaris*] «quae milites generat strenuos ac fortes.»

Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat leonum
Arida nutrix.

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,

14. *Daunia latis* b et aliquot Bentleii, *Daunia in latis* Pulmanni Cod. B, octo Pottierii, Aldus LCt et Bentl., *Dauniae latis* duo Pottierii et corr. d. (Ut nos, quinque nostri et pr. d, *βγδ*, pr. *κ*, quattuor Bland., Pott. 1, 2, 6, 9, 14.) — 18. *aura*] *umbra* Marius Victorinus p. 2603. P.

14. *Daunias*] adiect., Daunias terra, pars Apuliae circa Garganum montem. («Daunia Apulia appellatur a Dauno Illyricae gentis claro viro, qui eam propter domesticam seditionem excedens patria occupavit.» Festus. Postea Diomedis socer factus est.) Sic semigraece *Ambracias, Caspias, Amazonias securis, Pelias hasta, Nasamonias Harpe* apud poëtas. Adde *Gnosias, uxor eris* Ovid. A. A. 1, 556. *Italis ora* Epp. ex Pont. 2, 3, 84. *Parthis* Manil. 4, 803. *marmore picta Nomas* Mart. 8, 55, 8. *Oceanine, Neptunine, Tiberinides.* (Ovid. Fast. 2, 597.) Memorabilis est propter nescio quod perversum acumen Clerkii coniectura: *Daunius latis agit aesculetis*, id est, «Apuli venantur.» Sed meram interpolationem esse patet. Codd. aliquot lectio, *Daunia in latis*, ingrata est vel propter iotacismum *i i*; neque *in* magis necessarium, quam Od. 1, 23, 2. ante v. *montibus*. — *latis*] «amplum regionis illius tractum occupantibus.» — *aesculetis*] *Aesculetum* nomen erat loci urbis Romae (Varro L. L. 5, 152.), adeo ut pro *ἅπαξ λεγομένῳ*, ut volunt, h. l. haberi nequeat: *quercetum, roboretum* sane frequentius. *Aesculus, φηγός*, Wintereiche. Voss. ad Georg. 2, 16. — *Iubae tellus*] Mauretania et Numidia. Utrum intellexerit Iubam I., devictum ad Thapsum (ubi Caesar: *Perfida magnanimi contudit arma Iubae* Ovid. Fast. 4, 380.), an eius filium Iubam II., qui tunc regnabat, vix definiri potest. Vid. tamen Excursum.

16. *Arida*] Hoc adi. per hyperbaton referendum esse ad subst. *tellus* censet Schroeter l. l. p. 8. not. 2. Cf. Od. 1, 25, 18. Sat. 1, 5, 49. 72. 8, 34. — *nutrix*] Iliad. *θ*, 47: *Ἴδην - - μητέρα θηρῶν*. Epigr. Anth. Pal. I. p. 204: *Μῆτερ ἐμή, γαίη Φρυγίων, θρέπτειρα λεόντων*.

17. *Pone me* cet.] «Veterum de quinque zonis opinionem ad elegantissimam earum descriptionem apud Virg. Georg. 1, 233. docte et accurate exposuit Vossius. Adde Tibull. 4, 1, 151. Ovid. Met. 1, 45 seqq.» Doering. — *pigris*] «*ἀργοῖς*, nihil producentibus, adeo ut ne arbores quidem ibi proveniant, quae *recreari*, revirescere, possint afflatu tepidarum primae aestatis aurarum.» Lucret. 5, 745: *bruma nives affert pigrumque rigorem.* Ovid. Am. 3, 6, 94: *pigra hiems.* Od. 4, 7, 12: *Bruma-iners.* — *aura*] Catull. 62, 44: (flos) *Quem mulcent aurae.* Marii Victorini *recreatur umbra* est *σφάλμα μνημονικόν*.

Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget;
Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

19. 20. *latus*] mundi plagam, cui *malus Iuppiter*, caelum triste atque insalubre, graviter incubat.

22. *domibus negata*] inhabitabili propter zonae torridae aestum.

23. *Dulce ridentem*] Sic iam Catull. 51, 5: *Dulce ridentem* (Lesbiam), Graeco modo, ut Odyss. ξ, 465: ἁπαλὸν γελάσαι. Sappho Fragm. 2, 5: γελαίσας ἱμερόεν. Pindar. Pyth. 2, 20: δραχεῖσ' ἀσφαλές. Adde Virg. Aen. 10, 272: *cometae Sanguinei lugubre rubent*. Claudian. Bell. Gild. 365: *servile gemens*. et mirum illud Statii Theb. 1, 330: *molle sedens in plana Cithaeron*.

EXCURSUS

Ad v. 15.

Ad definiendum, quam regionem *Iubae tellurem* poëta vocaverit et utrum Iubam patrem an filium intellexerit et quo anno carmen scriptum sit, egregie facit *Schroeteri* disputatio in *Quaestt. Horatt.* p. 3—8.; e quibus haec Excerpta debemus amicae humanitati C. Halmii nostri:

«Iuba patre ad Thapsum devicto et caeso eius regnum ita divisum est, ut Numidia propria, inter flumina Tuscam et Ampsagam sita, in provinciam redacta Africae adderetur, altera pars ad occasum porrecta Boccho et Bogudi Maurorum principibus traderetur, ex quibus Bocchus Mauritaniae in orientem vergenti imperabat, Bogud ad occidentem spectanti. Utramque flumen Mulucha attingit.

A. u. c. 729. Iuba filius ab Augusto pro patrio regno et partes aliquot Gaetuliae accepit (Dio Cass. 53, 26.) et universam Mauritaniam, quae Bocchi et Bogudis fuerat (Strab. 17, 3. p. 483.), unde Tacitus (Ann. 4, 5.) Iubam regem Mauros donum accepisse et Plinius (H. N. 5, 1.) primum utrique Mauritaniae imperavisse dicit. Sed quod Strabo scripsit, Iubam πρὸς τῇ πατρῴᾳ regum demortuorum B. et Bog. regna accepisse, illa πατρῴα ἀρχὴ nihil est nisi pars Numidiae occidentalis, quam mortuo Boccho Augustus de bonis paternis restituit. Haec pars inter flumen Mulucham et portum oppidumque Seldam sita erat. (Strab. l. c. p. 484. 487.)

His expositis illas aliquot Gaetuliae partes, quas Dio (53, 26.) commemoravit, ad Numidiam pertinuisse patet, sed Gaetulorum gentes etiam fuere, quae colles convallesque montis Atlantis, utramque Mauritaniam cingentis, incolebant, quarum pars magna imperio Maurorum parebat. Itaque Horat. vv. *Iubae tellus - nutrix* vel has Gaetulorum gentes vel eas partes Mauritaniae significare videtur, quae ad meridiem montesque Atlanticos spectant, id quod poëta v. 2. *Mauris iaculis et arcu* et 23, 10. vv. *tigris ut aspera Gaetulusve leo* expressit. — Cum autem Iuba et gentis Gaetulicae plurimos suo imperio contineret et universae Mauritaniae dominus factus esset, maximam partem earum terrarum tenebat, in quibus leones aliaeque ferae aluntur. Hinc etiam apud Horat. Od. 1, 23, 10. *Gaetulusve leo*, Od. 3, 20, 2. *Gaetula leaena* ad Gaetulos Iubae filii aeque referenda videntur atque verba Plinii (H. N. 5, 1. med. ibique Hard.) et Horatii Ep. 2, 2, 181. *vestes Gaetulo murice tinctae* ad Mauritaniam partemque eam Gaetuliae pertinent, quae sita ad occidentem est. (V. Schmid et Obb. l. c.) Cf. etiam Pomp. Mel. 3, 10, 4. *Nigritarum Gaetulorumque passim vagantium ne littora quidem infecunda sunt, purpura et murice efficacissimis ad tingendum.*

His expositis si quis situm naturamque locorum et tempora accurate respexerit, verba Hor. *Iubae tellus* etc., sive ad Gaetulos Numidiae accolas sive ad Mauritaniam oramque maris Atlantici retuleris, ad Iubam filium pertinere probabile est. Accedunt aliae causae minus graves. Est enim notissimum, carmina Horatiana rerum publice gestarum memoriam vel recolere vel significare. Cum supra viderimus anno 729. U. C. Iubae filio et partem patrii regni restitutam et utramque Mauritaniam ab Augusto dono datam esse, non dubito quin hoc carmen eodem anno scriptum sit, quo Augustus paternum in Iubam animum splendide probasset, cuius rei memoriam poëta servare voluit et nomine Iubae appellato et natura terrae indicata. Denique ut G. F. Grotefend (Erschii Encycl. X. p. 471.) carmen Lib. 1, 23. cum aliis amatoriis anno 729. probabilibus ductus causis adscripsit, ita mihi de nostro carmine plane persuasum est.»

CARMEN XXIII.

Vitas hinnuleo me similis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem non sine vano
Aurarum et silüae metu.

XXIII. Inscr. volg. *Ad Chloën.* — *Ad Chloën quam ad matrimonium hortatur* ST. — 1. *Vitat* BTc et corr. d. — *inuleo* BSTc,LC, *hinuleo* bd.

XXIII. Tempus huius carminis definiri non potest. Referunt nonnulli ad a. u. c. 733. Miro casu, ut Lalages, sic etiam huius nominis tres repertae sunt inter Liviae libertas *(Livia Chloë)* in eius columbario a. 1727. Romae detecto.

1. *hinnuleo*] haud infrequens comparatio. Prov. 5, 18: *laetare cum muliere adolescentiae tuae; cerva carissima et gratissimus hinnulus.* Anacreon Fr. 49. Bergk.: Ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα Γαλαθηνόν, ὅστ' ἐν ὕλῃς κεροέσσης Ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη. Rhianus Anth. Pal. II. p. 496: Ἄγρευσας τὸν νεβρὸν ἀπώλεσα, puerum amatum. *Hinnulei* sunt cervarum, damarum, caprearum pulli.

2. *pavidam*] Ad cervae indolem universam pertinet; non quod ea hinnulei sui pericula timeat.

3. 4. *vano*] «sine ulla causa metuit hinnuleus aurarum per silvam *sonorem.* (Virg. Ge. 3, 499.)» — *siluae*] trisyll. ut Epod. 13, 2. Sic Catull. 66, 38: *dissoluo.*

5. 6. *Veris adventus* eo significatur, quod Favonii, *veris comites* (Od. 4, 12, 1.) flatu *inhorrescunt*, se attollunt et tremunt folia novella. Volgaris esset constructio: «folia inhorrescunt, varie agitantur auris vernis.» *Foliis* est casus sextus. Plato in Anthol. Pal. II. p. 628: Ψιχομον παρὰ τάνδε καθίζεο φωνήεσσαν Φρίσσουσαν πνικινοῖς κῶνον ὑπὸ ζεφύροις. In coni. illa *vepris inhorruit Ad ventum* haud eleganter sese continuo excipiunt *aurae* et *ventus, vepris* et *rubus,* id quod in sincera librorum lectione reprehendi non potest, et optime per eam ipsam explicatur *aurarum metus*, ac nova imago eaque gratissima *veris adventus* accedit. Difficultates autem a nonnullis ex historia cervorum naturali motae in poëta respici non debent. (Doeringius quidem coni. *vepris — Ad ventum* maxime propterea probavit, «quod», inquit, «hinnulei non sub veris adventu, sed sub eius fine, mense Iunio demum matres suas sequi solent cet.» Sed recte avum refutat Regel haec opponens: «cervi anniculi non primo tantum, quo nascuntur, mense matrem sequuntur, sed amant et quaerunt eius societatem, ut recte monuit Ianius, per duos et tres annos. Cfr. Oken *Naturgeschichte* VII. T. 1289.»)

Nam seu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis seu virides rubum
Dimovere lacertae,
Et corde et genibus tremit.

Atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor:
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

5. *veris*] *vitis* Muretus e Codd. (?) et Scaliger, *vepris* e propria coni. Bentl. et sic iam Gogavius. — 6. *Ad ventum* auctore Mureto Bentl.

7-9. *Dimovere*] «rapide perlapsae sunt rubos.» Virg. Ecl. 2, 9: *Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.* — *tigris ut aspera*] Od. 3, 2, 10: *asperum Tactu leonem.*

10. Virg. Aen. 5, 354: *tergum Gaetuli immane leonis.* — *frangere*] Ferae primum cervices cervorum *frangunt*, deinde eos lacerant. Iliad. λ, 113: *Ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα Ῥηϊδίως ξυνέαξε λαβὼν κρατερῇσιν ὀδοῦσιν.* Val. Flacc. 2, 458: *implevit gemitu cum taurus acerbo Avia, frangentem morsu super alta leonem Terga ferens.*

12. *Tempestiva - viro*] viripotens. Schol. Virg. Aen. 7, 53: *Iam matura viro, plenis iam nubilis annis.*

CARMEN XXIV.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

XXIV. Inscr. volg. *Ad Virgilium.* — *Ad Maronem Virgilium* S, *Alloquitur Virgilium* T. — 2. *lugubris* BSTc, Bentl. — 3. *liquida* T. — 5. *Quinctilium* LCtFJ: *Quintilium* Codd. mei, Bentl. M.

XXIV. De ipso Quinctilio Varo vide ad Od. 1, 18. De scriptura v. A. P. 438. Hieronymus in Chron. ad Ol. 189, 1: *Quinctilius, Virgilii et Horatii familiaris, moritur: «immo occiditur»* adscriptum est in Cod. Ravenn. Quod si verum esset, poëtam uno saltem verbo id significaturum fuisse probabile est; sed corrector Ravennas hunc Horatii amicum videtur confudisse cum Varo a Germanis perempto. — Carmen compositum est a. u. c. 730.

1. Pedestris orationis constructio haec foret: «Quis desiderii sit pudor, quis desiderio modus?» ut Accius apud Charis. p. 50. Lind.: *Qui nam Tantalidarum internecioni* (non *internecionis*, ut volt H. Peerlk.) *modus sit?* Iam utramque contraxit; ut Martialis 8, 64, 15: *Sit tandem pudor et modus rapinis.*

2. *Praecipe*] «Doce me canere modos, dum tu eos praeis, praecinis.» — *lugubris* Codd. est antiquior scriptura accus. plur., non: *Melpomene lugubris*, ut nonnulli voluerunt.

3. 4. *Melpomene* alibi tragoediae, hic θρήνου, naeniae, Musa. Schol. Apollonii ad 3, 1: *Λέγεται - εὑρηκέναι - Μελπομένη ᾠδήν.* — *Ῥιανὸς δέ φησι μηδὲν διαφέρειν ἢ μίαν ἢ πάσας ἐπικαλεῖσθαι τὰς Μούσας, λέγων οὕτως· Πᾶσαι δ' εἰσαΐουσι, μιᾶς ὅτε τοὔνομα λέξεις.* Pulcherrima Melpomenes ex tragico furore sese colligentis imago est in *Museo Pio-Cl.* N. 491. I. 26. — *liquidam - Vocem*] «suaviter fluentem, puram et claram.» *Liquidam animam tibiae* dixerat iam Varro; Hostius apud Macrob. Sat. 6, 3: *vocesque liquatae.* Ovid. Am. 1, 13, 8: *Et liquidum tenui gutture cantat avis.* — Quibus argumentis usus H. Peerlkamp primam stropham *νοθείας* insimularit, apud ipsum videre operae pretium est.

5. *Ergo*] Est admirationis cum maerore coniunctae exclamatio: «Fierine potest, ut» cet., ut Sat. 2, 5, 104: *Ergo nunc Dama sodalis Nusquam est!* Prop. 3, 7, 1: *Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es!* 3, 23, 1: *Ergo tam doctae nobis periere tabellae!* Ovid. Trist. 3, 2, 1: *Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris!* quae sunt ipsarum elegiarum exordia; atque utinam eodem modo v. 5. incepisset hoc carmen Horatius omissa praecedente stropha, non prorsus sine causa optarunt Hofman Peerlkamp eiusque Criticus Monacensis 1836. p. 589.

6. *Urget*] Virg. Aen. 10, 745:

Ergo Quinctilium perpetuus sopor
Urget! cui Pudor et Iustitiae soror,
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.

8. *invenient* Aldus, LCtF. *(inveniet* nostri et «plus decem» Bentleii, Pottierii omnes.) — 9. *ille quidem flebilis* Aldus et Edd. ante Lamb. — 10. *Vergili* Bc. (recte.)

Illi dura quies oculos et ferreus urget Somnus. Moschus γ, 110: Ἄμμες – Ὁππότε πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον. — *Pudor*] Calumniatus est H. P. v. 1. v. *pudor* propter repetitum iam idem vocabulum; verum hic est προσωποποιία prorsus diversa. Ex Romanorum enim usu virtutes, comites quae fuerant Quinctilii, numinum personas induunt. Sic *Αἰδὼς* dea iam Hesiodo O. et D. 200., Pindaro Nem. 9, 36. eiusque ara erat Athenis. Pausan. 1, 17, 1. Euripid. Fragm. Hippolyt. vel. 4: Ὦ πότνι' Αἰδώς, εἴθε τοῖς πᾶσιν βροτοῖς Ξυνοῦσα ταναίσχυντον ἐξήρου φρενῶν. — *Iustitia* h. l. non solum eam virtutem significat, *cuius primum munus est, ut ne cui quis noceat nisi lacessitus iniuria, deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis ac suum cuique reddat:* (Cic. Off. 1, 7.) sed sensu latius patente «totius vitae innocentiam atque probitatem.» — *soror*] Cic. de Off. 1, 7: *Est enim fundamentum iustitiae fides.* Virtutes autem sorores iam Pindaro Olymp. 13, 6: ἐν τᾷ (Corinthi) γὰρ Εὐνομία ναίει καστγνηταί τε, βάθρον πολίων ἀσφαλές, Δίκα καὶ ὁμότροπος Εἰράνα.

7. *nuda*] quia simplex et aperta. — *Veritas*] *Nicht bloss die Wahrhaftigkeit der Rede, sondern die Lauterkeit der Gesinnung und schlichte Gradheit des Thuns.* Lübker.

8. *inveniet*] Sic meliores Codd., et solet Horatius cum pluribus vv. nom. sing. verbum num. sing. iungere. Exempla collegit Bentleius: Od. 1, 2, 38. 1, 3, 3. 1, 4, 16. 1, 6, 10. 1, 35, 21. cet.

9, 10. *flebilis*] Epigr. in Museo Rhen. 4, 3. p. 449: Ἥλυθες εἰς Ἀΐδην ζητούμενος, οἷς ἀπέλειπες· Πᾶσι γὰρ ἀλγηδὼν ἐσθλὸς ἀποιχόμενος. — *Virgili*] Cum Ph. Wagnero rectiorem scripturam esse arbitror *Vergili*, post illum rursus firmatam seculi Augustei inscriptione in Iahnii Specimine p. 29: *L. Vergilius L. L. Genialis.*

11. «Tum, cum votis ac precibus Quinctilium deorum fidei tamquam sacrum depositum concredebas (commendabas), non hoc exspectabas, ut tibi tam duro fato tam cito eriperetur; sed frustra pius fuisti neque nunc eum a diis reposcere tibi concessum est.» Similiter explicat iam Porphyrion, nisi quod minus recte iungit *frustra poscis.* Etenim ipsa versus compositio v. *frustra* a. v. *pius* divellere vetat. Lambinus contra

Tu frustra pius heu non ita creditum
Poscis Quinctilium deos.

Quodsi Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,

13. *Quid si* BbTcd, corr. S, *(γὸ* ap. Kirchn. Nov. Q. H. p. 36. 56.) Pottierii omnes, Lamb. (Ut nos, Cruquii Mart., Aldus.) — 14. *moderare* B. — 15. *Num* BbSTc,L. (Ut nos, Aldus.)

sic: «Non enim ita tibi creditus est Quinctilius a diis immortalibus, ut sibi eum nunquam abs te repetere liceret.» Hand Turs. III. p. 483: «Non raro, praesertim apud poëtas, id, ad quod *ita* referri debet, ex sententia aliqua suppressa colligitur, nec potest ambiguitas ubique vitari.» Deinde h. l. ita explicat: «Frustra tu, qui piuś fueras, Quinctilium poscis a diis, quibus non *ita*, id est, ea condicione credidisti amicum, ut sibi totum arrogarent.» (Cfr. etiam Dillenburger p. 73.) H. Peerlkamp: «Putabat Virgilius non ita sibi a dis fuisse creditum Quinctilium, ut tam cito eum reposcerent.» Sed obstant manifesto vv. *frustra pius*. — Hactenus effuso luctui indulget poëta; sensim Virgilium consolari incipit a necessitate fortiter ferenda. Nec vero Musae sequentia tribuenda cum Sigonio Emendd. 2. extr.

13-15. *Quodsi*] Vide ad Od. 1, 1, 35. Quia *quodsi* in lyrico poëta nonnullis intolerabile videbatur, praetulerunt *Quid, si*. Verum illud a Codd. satis firmatum praeterea commendatur ipso sono maesto ac lugubri vehementiore illo, et unice rectum est; nam *Quid, si* cet. esset excitantis: «Quin pulsas lyram?» post quam adhortationem exspectares: «Fortasse amico vita redibit», neutiquam vero: *Non vanae* cet. Quid, quod esse posset etiam crudeliter Virgilio illudentis: «Heus bone, pulsa modo lyram tuam Orphicam! Non tamen redibit amicus»; id quod absurdum foret. — *blandius Orpheo*] Ovid. A. A. 3, 321: *Saxa ferasque lyra movit Rhodopeïus Orpheus, Tartareosque lacus tergeminumque canem.* — *moderari* h. l. ut Od. 4, 3, 17: *temperare strepitum testudinis.* — *fidem*] apud poëtas pro plurali. Cf. Od. 1, 17, 18. Epod. 13, 9.

15. *Non - redeat sanguis*] Aesch. Agamemn. 1049: *Τὸ δ' ἐπὶ γᾶν ἅπαξ πεσὸν θανάσιμον Προπάροιθ' ἀνδρὸς μέλαν αἷμα τίς ἂν Πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων.* — *vanae - imagini*] Recordare Homeri *νεκύων εἴδωλα καμόντων*. Virg. Aen. 6, 293: *ni docta comes tenues sine corpore vitas Admoneat volitare cava sub imagine formae.*

16. *virga*] *Mercurii ψυχοπομποῦ*. Od. 1, 10, 18. Lucian. Catapl. 3: *πλησίον αὐτὸς οὗτος, ὡς ὁρᾷς, πολλούς τινας ἡμῖν ἄγων, μᾶλλον δὲ, ὥσπερ τι αἰπόλιον, ἀθρόους αὐτοὺς τῇ ῥάβδῳ σοβῶν*. Virgam hanc Diti Patri ipsi tribuit Pindarus Ol. 9, 33: *οὐδ' Ἀΐδας ἀκινήταν ἔχε ῥάβδον, Βρότεα σώματ' ἃ κατάγει κοιλὰν πρὸς ἀγυιὰν Θνασκόντων*. Ceterum hic quoque, ut solet, *μύθους* Graecanicos prorsus ita tractat, quasi in Romanorum religionem iamdudum recepti essent, etsi his

Non vanae redeat sanguis imagini,
  Quam virga semel horrida,

Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum: sed levius fit patientia,
  Quidquid corrigere est nefas.

tantummodo imagines erant poëticae, ut Mercurius *ψυχοπομπὸς* h. l. et 1, 10, 17., a deorum Manium cultu prorsus alienus. — *semel*] «ita, ut iam in perpetuum Orco sint addicti.» Prop. 4, 11, 3: *Cum semel infernas intrarunt funera leges, Non exorato stant adamante viae.* Virg. Aen. 11, 418: *qui - - humum semel ore momordit.* Lucan. 2, 147: *semel omnia victor Iusserat.* Est *καθάπαξ*, nostrum *einmal für allemal, una volta per sempre.* Monendum erat, quia fuerunt, qui vel hoc non intelligentes poëtam cavillarentur.

17. *Non lenis*] «nunquam exoratus, ut ruptis fati legibus reditum ex Orco, eius ianuam quasi reserans, cuiquam concedat.» Oppian. Halieut. 4, 392: *ἀνέκβατος Ἄϊδος εὐνή.*

18-20. *Nigro*] Eadem constructione Sat. 2, 5, 49: *si quis casus puerum egerit Orco*, et Tibull. 1, 1, 5: *Me mea paupertas vitae traducat inerti;* in pedestri orat. «ad, in nigrum umbrarum gregem.» — *Durum - levius*] in prosa or. *grave - l.* — *corrigere*] «Ex animi nostra sententia in melius, ut nobis certe videtur, mutare fato sic iubente non licet.» — *nefas*] *ἀθέμιτον, ἀδύνατον.* — Cfr. Archilochi Fragm. 8. Bergk.: *ἀλλὰ θεοὶ γὰρ ἀνηκέστοισι κακοῖσιν, Ὦ φίλ', ἐπὶ κρατερὴν τλημοσύνην ἔθεσαν Φάρμακον.* Pind. Pyth. 2, 93: *Φέρειν δ' ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον - ζυγὸν Ἀρήγει.* Sophocl. Fragm. 521. Dind.: *Ἀλγεινά, Πρόκνη, δῆλον· ἀλλ' ὅμως χρεὼν Τὰ θεῖα θνητοὺς ὄντας εὐπετῶς φέρειν.* — «Donatus scribit Virgilium solitum dicere: nullam virtutem commodiorem homini esse patientia ac nullam fortunam adeo esse asperam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincat. Propria igitur sententia ipsum nunc consolatur Horatius.» Fabricius.

CARMEN XXV.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris iuvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt, amatque
Ianua limen,

XXV. Inscr. volg. *Ad Lydiam.* — *Ad Lydiam de superbia ipsius* ST. — 1. *vinctas* «Codd. aliquot mei et aliorum.» BENTL. — 2. *Iactibus* BbTc,$\beta\gamma\varkappa$, Cruquiani praeter unum omnes, Jahn solus. (Ut nos Sd, $\mu\nu\xi\omega$, Pott. 8, 11, 17.) — 3. *somnes* T. — 5. *faciles* bcd. (Ceteri nostri, «$\varkappa$ cum aliquot aliis» Bentleii, Codd. Bland. *facilis.)*

XXV. Lydiae, puellae olim nimis durae ac superbae, quantus propter senectutem paullatim obrepentem iuvenum contemptus mox eam mansurus sit, non sine amara irrisione praedicit. Incertum remanet huius carminis tempus, etsi volgo referunt ad a. 734. vel 735.

1. *iunctas*] valvas fenestrarum sera occlusas. Ovid. ex Pont. 3, 3, 5: *fenestrae biforis.* — *fenestras*] Ovid. A. A. 3, 605: *Cum melius foribus possis, admitte fenestra* amatorem. Cfr. Becker *Gallus* (ed. alt.) II. p. 221.

2. *Ictibus*] Volgo explicant de vectibus, quibus effringantur. Sed praestat, opinor, de lapidum iactibus explicare, cum vectibus et securibus potius ianuae expugnentur, (Od. 3, 26, 8. et Theocr. 2, 127: *εἰ - ἁ θύρα εἴχετο μόχλῳ, Πάντως καὶ πελέκεις καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας.)* nec facile illis attingi possint cubiculi fenestrae. Mera explicatio videtur altera lectio Codd. quidem antiquiss. et perbonorum *iactibus.* Sed *ictus* quoque de lapidum coniectione recte dicitur. Virg. Aen. 12, 907: (lapis) *neque pertulit ictum;* et de pilorum iaculatione Aen. 7, 165: *cursuque ictuque lacessunt.* (Cf. tamen Paldamus *Rhein. Mus. N. F.* VI. p. 632.)

3–6. Propert. 2, 19, 5. ad Cynthiam rus profectam: *Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras, Nec tibi clamatae somnus amarus erit.* — *amatque*] Virg. Aen. 5, 163: *Litus ama*, serva. «Aegre igitur ianua recedit a limine, obserata iam manet, quae ante *multum facilis*, te amatorum precibus cedente, libentissime et crebro aperiebatur.» *Facilis ianua* potius iungo quam *cardines facilis* accus. antiq. Cfr. Tibull. 1, 2, 7: *Ianua difficilis dominae.* Ovid. Am. 1, 6, 2: *Difficilem moto cardine pande forem.* Contra Iuven. 4, 63: *facili patuerunt cardine valvae.* — *multum facilis*] ut Sat. 1, 3, 57: *multum demissus homo.* Sat. 2, 3, 147: *medicus multum celer.* Burmannus et Schraderus, qui coniecere *multis facilis*, hunc usum v. *multum* non videntur attendisse.

7. *Me*] *παραχλανσίθυρον*, ut Od. 3, 10., sive cantilena est amatorum: «Dum ego, tuus qui sum, per longas noctes exclusus excrucior cet.» — Similes imprecationes

Quae prius multum facilis movebat
Cardines; audis minus et minus iam:
«Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?»

Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento,

7. *Metu. o.* (sic) T. — *longa - nocte* T, *longam noctem* Bentl. coni. — 9. *arrogantis* B. — 11. *Threcio* e Cod. Gotting. Gesner. — *bacchata* malebat Bentl.

sunt apud Ovid. A. A. 3, 69: *Tempus erit, quo tu, quae nunc excludis amantes, Frigida deserta nocte iacebis anus; Nec tua nocturna frangetur ianua rixa, Sparsa nec invenies limina mane rosa.* Contra Asclepiades Anth. Pal. I. p. 129: *Νύξ, σὲ γάρ, οὐκ ἄλλην μαρτύρομαι, οἷά μ' ὑβρίζει Πυθιὰς ἡ Νικοῦς, οὖσα φίλ' ἐξ ἀπάτης. Κληθείς, οὐκ ἄκλητος ἐλήλυθα· ταὐτὰ παθοῦσα Σοὶ μέμψαιτ' ἐπ' ἐμοῖς στᾶσα παρὰ προθύροις.* — *longas noctes*] «est hodie et antea saepe»; sic necessarius non est Bentleii singularis. Cfr. Pseudotibull. 3, 6, 53: *Quam vellem longas tecum requiescere noctes Et tecum longos pervigilare dies!* (Ovid. Am. 2, 19, 21: *Et sine me ante tuos protectum in limine postes Longa pruinosa frigora nocte pati.* Asclepiades in Anth. Pal. I. p. 138: *Νὺξ μακρὴ καὶ χεῖμα, μέσην δ' ἐπὶ Πλειάδα δύνει, Κἀγὼ πὰρ προθύροις νείσσομαι ὑόμενος, Τρωθεὶς τῆς δολίης κούρης πόθῳ. οὐ γὰρ ἔρωτα Κύπρις, ἀνιηρὸν δ' ἐκ πυρὸς ἧκε βέλος.)*

9. 10. *Invicem*] barbare «vice versa». Hand Turs. III. p. 455. «Ut antea dura eras, ita mox poenas insolentiae datura vicissim querere de moechorum te repellentium arrogantia, quando in solitario angiportu (ubi prostabant scorta vilissima) contempta ab omnibus frustra captabis, qui te vetulam velit.» — *Flebis* significare nequit: «Frustra cum lacrimis moechos precabere, ne te dedignentur», ut volt Gargallus.

10–12. *solo*] «deserto», ut Plaut. Rud. 1, 4, 8: *Neque magi' solae terrae solae quam haec loca sunt.* Virg. Ge. 3, 212: *in solà relegant Pascua* (tauros). — *levis*] «ab omnibus spreta, nullo loco habita.» Seneca Herc. fur. 1308: *anima levis*, id est, vilis et abiecta. Certe non est «vana ac temeraria», neque «impudens»; minime vero: «quae vivere cupit ut iuvenis puella», aut: «quae pro superba facilior facta est», ut alii explicant. — *angiportus*, iter compendiarium in oppido. Festus. *Hintergasse* Zumpt *Römisches Wohnhaus* p. 6. Sine semita et satis angusti erant, ita ut vehicula nulla per eos commeare possent. Opponitur quadrivio apud Catull. 58, 4: (*Lesbia*) *Nunc in quadriviis et an-*

Cum tibi flagrans amor et libido,
Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa iecur ulcerosum,
Non sine questu,
Laeta quod pubes hedera virente

13. *cupido* pr. B. — 17. *virenti* BT et «plerique» Bentl., LCt. (Ut nos, ceteri nostri et β. Marius Victorinus p. 2604.)

giportis Glubit magnanimos Remi nepotes. Alteram formam habet Terent. Eunuch. 5, 2, 6: *ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo, in angiportum quoddam desertum.* — «Flebis tum, cum aquilo vehementius etiam solito flabit atque saeviet spississimaeque erunt noctis tenebrae, utpote in interlunio», intermenstruo, μεσοσελήνῳ, quod etiam *lunam silentem, silentium lunae* appellabant; biduum illud, quo in coitu solis luna non conspicitur. Theophrast. de ventis 3: αἱ σύνοδοι τῶν μηνῶν χειμεριν ώτεραι. Vegetius de Re mil. 5, 10: *Interluniorum dies tempestatibus plenos et navigantibus quam maxime metuendos non solum peritiae ratio, sed etiam volgi usus intelligit.* Effrenata autem his vv. Lydiae exagitatur libido, quippe quae etiam procellosa nocte in angiportu aliquo adulteros exspectet. — Incredibilem in modum nuper nonnemo sic exposuit: «In solitario angiportu, qui angiportus bacchatur magis quam aquilo.» Mire etiam Dillenburger (in edit. I.): «Flebis magis quam Thracius ventus, cum sub interlunia bacchatur», id est, «fletus tuus superabit strepitum aquilonis.» Alii mutata distinctione sic: «Cum tibi amor et libido circa iecur saeviet magis quam Thracius ventus, qui sub interlunia bacchatur.» Sed haec constructio perquam est difficilis et contorta praestatque explicare *magis* «vehementius quam alias solet.» Ovid. Trist. 1, 2, 29: *Boreas bacchatur ab Arcto.* Coniectura sua *bacchata* hoc volebat Bentleius: «Cum tu magis bacchabere quam ventus Thracius sub interlunia.» Nemo adhuc probavit, et merito.

14. *furiare*] in furorem adigere, ut Virg. Aen. 2, 407: *furiata mente Coroebus.* Virg. Ge. 3, 266: *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.*

15. *ulcerosum*] «tamquam ulceribus corrosum, misere exagitatum propter ardorem libidinis, cuius sedes est iecur.» Idem est, quod Petronius 17: *saevit in praecordiis*; et sic frequenter Celsus *circa pectus* – *dolor* (2, 8.) ac similia. Cfr. Hand Turs. II. p. 62. Theocr. 11, 16: ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος Κύπριος ἐκ μεγάλας, ἃ οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον. Id. 13, 74: χαλεπὰ γὰρ ἔσω θεὸς ἦπαρ ἄμυσσεν. Epp. 1, 18, 72: *Non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve.* Hieronymus Ep. 64. p. 355. Ven.: *Voluptas et concupiscentia iuxta eos, qui de physicis disputant, consistit in iecore.*

17–19. *pubes*] Od. 2, 8, 17: *Adde, quod pubes tibi crescit omnis.* – «*hedera virens, hellgrüne Epheu, pulla myrtus, dunkelgrüne Myrte.*» Voss.« Est enim myrtus viridis et subnigra, quales sunt in Italia frequentissimae;

Gaudeat pulla magis atque myrto,
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Hebro. 20

20. *Euro* auctore Rutgersio Bentleius et sic iam Aldus 1504. 1509., ex quarum altera utra Iulius Caesar Scaliger Poëtic. p. 340. hunc locum afferens item habet *Euro*. In Ald. 1519. correctum est *Hebro*.

niedrige graulichgrüne Myrten, ut Goethii verbis utar in Itin. Ital. T. XXIII. Opp. p. 40.» Lacos Quaestt. ep. p. 78. Ovid. A. A. 3, 690: *Ros maris et lauri nigraque myrtus olent.* — «Iuventus», inquit, «ut coronas recentes hederae atque myrti praefert flaccescentibus, ita teneras puellas tibi iam vetulae.» Eadem allegoria Od. 4, 13, 9. *aridas quercus*. Archiloch. Fragm. 94. Bergk.: *Οὐκέθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα· κάρφεται γὰρ ἤδη.* Aeschyl. Agam. 79: *Τό θ' ὑπέργηρων φυλλάδος ἤδη Καταχαρφομένης τρίποδας μὲν ὁδοὺς Στείχει.* Anthol. Pal. II. p. 426: *νῦν δ' ἐμαράνθης, Γήραος αὐχμηρῷ καρφομένη θέρεϊ.* Nec differt Anthol. Pal. II. p. 483. *τὰ παιδικὰ* si infida fuerint, *μύρτον ἔωλον Ἐρρίφθω ξηροῖς φυρόμενον σκυβάλοις.* Pers. Sat. 5, 59: *veteris ramalia fagi.*

20. *Hebrus*, fluvius Thraciae, terrae frigidissimae; iam cum circa Hebrum assidue moretur Hiems, ille huius *sodalis* appellatur, ut Claudianus Bell. Get. 339. Danubium et Rhenum *Boreae Martique sodales* vocat, et Od. 3, 18, 6. *Veneris sodalis* est cratera. In flumen igitur coronas iam vietas et arefactas contemptim spargunt. — *Dedicet*] iocose: «tamquam donum glaciali flumine dignum inutiles illas frondes ei tradat, immittat.» Nec vero poëtae curanda erat difficultas a Bentleio mota, quomodo fieri potuerit, ut iuventus Romana aridas illas frondes Hebro, amni tam remoto, dedicaret. Et *Hebrus* ponitur pro fluvio quocunque frigido et amoeno. Alcaeus Bergk. p. 594: *Ἔβρος κάλλιστος ποτάμων.* Theocr. 7, 111: *Εἴης δ' Ἡδωνῶν μὲν ἐν ὄρεσι χείματι μέσσῳ Ἔβρον πὰρ ποταμὸν τετραμμένος ἐγγύθεν ἄρκτου.* De eadem difficultate ad Virg. Aen. 1, 317: *praevertitur Hebrum* (al. *Eurum*) accurate disputarunt Heynius et Wagnerus. Ceterum, ubicunque fere *Hebrus* a poëtis memoratur, Critici mutandi cupidi exstitere, velut Sil. Ital. 2, 74: *cursuque fatigant Hebrum innupta manus*. Burmannus volebat *Haemum*. («Remotissimo Thraciae amni nemo Romae degens dedicaverit aridas frondes. Neque tamen receperim coniecturam *Euro*, sed bonum dormitasse Homerum crediderim, inductum fortasse Graeco quod imitabatur exemplo.» Steiner *Comm. Hor. Spec. II.* p. 27.)

CARMEN XXVI.

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum

XXVI. Inscr. volg. *Ad Aelium Lamiam.* — *Ad Musas de Aelio (Caelio* BT) *Lamia* BST. — Post v. 2. deficit Cod. d usque ad Carm. 28, 34.

XXVI. «Musa, cui totus deditus res extra me positas nihil curo, celebra Lamiam meum!» L. (non Q.) Aelius Lamia nobilissima gente ortus consul a. u. c. 756. Cfr. Od. 3, 17, 1. Epp. 1, 14, 6. Tacit. Ann. 6, 27., ubi ad ann. u. c. 786. eius mors refertur. (Vide Excursum.) Filius est L. Aelii Lamiae, praetoris a. u. c. 744, quem frequenter laudat Cicero (v. Onomasticum meum). Cum hoc carmen componeretur, admodum adolescens fuerit necesse est, atque vel ideo incredibile videtur eum hominem fuisse *μελαγχολικὸν* et anxium, ut volunt nonnulli; immo nobili adolescentulo sine nimio labore gratificari voluit hoc odarium ei mittens, cum iuniorem amicum poësi hac nova (v. 10.) delectari probe sciret. «Ex vv. 3–5. liquet carmen scriptum esse a. u. c. 729. Respicitur enim apparatus belli, quod expulsus Phraates una cum Scythis contra Tiridaten regem suscepit. Tunc igitur et ipsi Parthi, quorum permagna pars Tiridati favebat, metuebant regem Scytharum magno cum exercitu appropinquantem, et Tiridates summo in timore versabatur, ne regno expelleretur. Atque ita eius timor adauctus est, ut in Hispaniam ad Augustum profugerit. Hoc factum a. u. c. 729., ut patet e Iustino 42, 5, 6. Carmen autem Horatianum compositum est ante fugam Tiridatis, certe antequam de ea nuntius Romam perlatus esset.» Franke. Ad quem haec scribit Lachmannus p. 239: «Concedes, ni fallor, aliquot annis prius hoc carmen scribi potuisse. De tempore enim te Iustinus decepit, qui cum deberet dicere cum Dione 54, 18. in Asiam ad Caesarem profugisse Tiridaten, perverse in Hispania bellum *tunc temporis gerentem* somniavit, quod videbat Trogum subiecisse (§. 10.) quae post haec finito Hispaniensi bello gesta essent.» Atque Lachmanni sententiam confirmat Virgilii in Georgicis a. u. c. 724. editis locus infra ad v. 3. exscriptus.

1. *Musis amicus*] «Ego, cui favent quemque tuentur Musae, curas omnes longe a me pello.» — *motus*] Pluralis rarior. Ovid. Fast. 1, 16: *Deque meo pavidos excute corde metus.*

2. *protervis*] Idem *ἐπίθετον* pro «impetuosis, violentis» dat Africo Epod. 16, 22. Similiter Lucret. 6, 110: *petulantibus Eurис*. Virg. Aen. 1, 536: *procacibus Austris*. Sententia est iam Homerica. Odyss. *ϑ*, 408: *ἔπος δ' εἴπερ τι βέβακται Δεινόν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.* — *in mare Creticum*] Soph. Trach. 117: *βιότου πολύπονον, ὥσπερ πέλαγος Κρήσιον*, ubi Schol.: *ὡς πάνυ χειμαζομένης τῆς περὶ Κρήτης ϑαλάσσης.*

Portare ventis, quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,

Quid Tiridaten terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris

3. *Qui* λ et pr. β. — 5. *Tyradatem* t cum G. Fabricio, *Teridatem* cum Cassio Dione Gesnerus. Sed Lucian. Dial. mer. 9, 2: *Τιριδάταν*. (Vv. 5 et 6 desunt in B.)

3. *Portare ventis*] Frequenter etiam apud Graecos. Apollon. Rh. 4, 1334: *ἀλλ' ἀνέμοισι Λώομεν ἀμπλακίην*. Theocr. 22, 167: *Ἴσχον τοιάδε πολλά· τὰ δ' εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα Πνοιὴ ἔχοισ' ἀνέμοιο*. Tibull. 1, 5, 35: *nunc Eurusque Notusque Iactat odoratos vota per Armenios*. Ovid. Trist. 1, 2, 15: *Terribilisque Notus iactat mea dicta precesque*.

3. 4. «A quibus rex gelidae orae sub Septentrione positae, id est, Scytharum rex metuatur», scilicet (id quod per *ἐπεξήγησιν* adiicitur) a Tiridate eiusque asseclis. Iustin. 42, 5: *Victoria de Antonio insolentior Phraates*, Parthorum rex, *redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium a populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente regem Parthi Tiridaten quendam constituerant, qui audito adventu Scytharum cum magna amicorum manu ad Caesarem in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem* (sed vide argumentum) *profugit*. Cfr. Dio Cass. 51, 18. et 53, 33. Id quod tunc maxime *terrebat* Tiridaten, erat, quod Phraates ab Augusto petierat, ut illum, *servum suum* (Iustin. 42, 5.), sibi traderet, sed «*Τηριδάτην τῷ Φραάτῃ οὐκ ἐξέδωκε.*» Sermo erat tunc (a. 730. et 731.) cotidianus, quem exitum habiturae forent res Parthicae. Ad easdem turbas respexisse recte censent Virgilium Ge. 2, 495: (Verum sapientem) *non purpura regum Flexit et infidos agitans discordia fratres*, id est, consanguineos Phraatem et Tiridaten, Arsacidam utrumque. (Falso olim explicabant: «Quisnam rex metum incutiat regioni boreali, id est, ipsis popularibus suis»; quae languidissima expositio nuper recocta est. Sed si *quis* esset *τίς*, ridiculam hanc sententiam contineret: utrum Scytharum rex, an alius quis? *Quis* plur. autem est etiam Epod. 11, 9. et sexies in Satiris. Verba vero *Quid Tiridaten terreat* minime *ταυτολογίας* insimulari queunt, cum sine interrogatione hoc sibi velint: «praeter regem Scytharum Tiridates metuit infidelitatem atque insidias Parthorum ipsorum, quibus nunc precario imperitat.») — *gelidae orae*] Cf. illud Lucani 5, 55: *gelidae dominum Rhascuporin orae*.

5. *unice*] «prorsus incuriosus, dum volgares homines multa ea de re loquuntur.»

6. *integris*] «*ἀχηράτοις* (Eurip. Hippol. 73.), a nemine contaminatis, puris atque illibatis;» idem significat, quod v. 10. *fidibus novis*, carminum genus novum. Lucret. 4,

Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,

Pimplea dulcis! Nil sine te mei
Prosunt honores: hunc fidibus novis,

9. *Piplea* BbT, *Pimpleï* cum N. Heinsio Bentl. et F. — 10. *Possunt* cum *δ*, Lambini aliquot et Bersmanni uno Bentl. (Ut nos, BbSTc, Pott. omnes; *possunt* etiam Cod. Lips.)

2: *iuvat integros accedere fontes.* Virg. Ge. 2, 175: *sanctos ausus recludere fontes.*

7. *apricos*] «in locis apricis natos et propterea melius olentes ac laetissimis coloribus nitentes», ut Ovid. Met. 4, 331: *Hic color aprica pendentibus arbore pomis.* — Nec vero bis idem dicit poëta, ut ratus est H. Peerlkamp, sed est: «necte coronam, et quidem privam eam meo Lamiae.»

8. *coronam*] Saepe de carminibus in laudem alicuius compositis. Pind. Olymp. 6, 86: *ἀνδράσιν αἰχματαῖσι πλέκων Ποικίλον ὕμνον.* Nem. 7, 77: *Εἴρειν στεφάνους ἐλαφρόν· ἀναβάλεο· Μοῖσά τοι Κολλᾷ χρυσὸν ἔν τε λευκὸν ἐλέφανθ' ἁμᾶ Καὶ λείριον ἄνθεμον ποντίας ὑφελοῖσ' ἐέρσας·* ubi Musa coronam nectit longe nobilissimam ex auro, ebore, coralio. Antipat. Sid. Ep. 70. de Sapphone: *ἃς μέτα Πειθὼ Ἔπλεκ' ἀείζωον Πιερίδων στέφανον.* Ceterum v. 8. est praecedentis *ἐπεξήγησις·* «necte flores, quibus coronetur Lamia:» nec vero interpungendum: *apricos necte flores, necte, meo Lamiae coronam.*

9. *Pimplea*] Strabo 9, 25. p. 410: *ἐνταῦθα* (in Boeotia) *δ' ἐστὶ τό τε τῶν Μουσῶν ἱερὸν καὶ ἡ Ἵππου κρήνη καὶ τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον· ἐξ οὗ τεκμαίροιτ' ἄν τις Θρᾷκας εἶναι τοὺς τὸν Ἑλικῶνα ταῖς Μούσαις καθιερώσαντας· οἳ καὶ τὴν Πιερίδα καὶ τὸ Λείβηθρον καὶ τὴν Πίμπλειαν ταῖς αὐταῖς θεαῖς ἀνέδειξαν. ἐκαλοῦντο δὲ Πίερες· ἐκλιπόντων δ' ἐκείνων Μακεδόνες νῦν ἔχουσι τὰ χωρία ταῦτα.* Hinc Musae apud Alexandrinos *Πιμπληίδες* et *Πιμπληιάδες* (Orph. Fragm. 46.); unde *Pimpleï* hic quoque maluit Bentl., cum *Pimplea* locus sit (de fonte Stat. Silv. 1, 4, 26.). Sed Codd. formam Latinam tuentur. Altera usurpata esset, ut Ovid. Met. 1, 504: *Peneï, mane.*

10. *Prosunt*] firmatur a nostris Codd. antiquiss. Quamquam elegantius multis videtur *possunt*, vide tamen ne substitutum sit a librario nimis memore Virgiliani illius Aen. 9, 446: *Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt:* sicque Moschus 3, 132: *εἰ δέ τι κἠγὼν Συρίσδων δυνάμαν κτλ.* — *honores*] ut Pind. Nem. 9, 10: *ἐπασκήσω κλυταῖς ἥρωα τιμαῖς.* — *fidibus novis*] «a nullo Romanorum antea pulsatis.» Virg. Ecl. 3, 86: *Pollio et ipse facit nova carmina;* id quod intelligendum reor de novo genere Latinae tragoediae ab eo exculto, diverso ab antiquiore Pacuvii et Accii, ut posteriores, Varius Ovidiusque, aliam rursus viam ingressi sunt.

Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

11. *Lesbio*] Versus haud satis concinne compositus; hic nomini proprio tribuenda erat ista licentia. Cfr. Lachmannum in Frankii Fastis p. 239. Perquam autem ingeniosa est fabula apud Phanoclem v. 15. et Ovid. Met. 11, 55. e Thracia Lesbum delatum esse Orphei caput lyramque. Hic, ut alibi, Sapphus et Alcaei lyricum genus, quod Horatius imitabatur, significat. — *sacrare*] immortalitati consecrare. Stat. Silv. 4, 7, 7: *Si tuas cantu Latio sacravi, Pindare, Thebas.* Similiter etiam in pedestri oratione. Liv. 8, 6: *Haud frustra te patrem deum hominumque hac sede sacravimus.* Tac. Ann. 4, 37: *per omnes provincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum.* — Falsa autem est interpretis cuiusdam opinio, id spectasse Horatium, ut Lamiam ad poësin lyricam tentandam excitaret; nam nec in poëtae verbis quidquam inest, quod hoc prodat aut significet, et nimis magnus, opinor, iam erat mediocrium poëtarum, Horatio admodum molestorum, numerus, quam ut eum augere cupiisset. Immo blanda est gratulatio, fore, ut hoc ipso carmine Lamiae nomen perpetuo maneat.

EXCURSUS.

Cfr. Velleium 2, 116: *Nam et Aelius Lamia, vir antiquissimi moris et priscam gravitatem semper humanitate temperans, in Germania Illyricoque et mox in Africa splendidissimis functus ministeriis, non merito, sed materia adipiscendi triumphalia defectus est;* uti felicissime Codicis errorem *et etiam vir* correxit Ruhnkenius hocque non inspecto rursus Borghesius. Vide *Allgemeine Zeitung* 1846. *Beilage* N. 68. p. 540.

CARMEN XXVII.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis!

XXVII. Inscr. volg. *Ad sodales.* — *Ad sodales suos* ST. — 1. *Nactis* Cld. Vanderburgii. — 3. *inverecundumque* Bentleii dubia suspicio.

XXVII. Convivium cum amicis celebratum lyrice describit. (A. u. c. 725?) «Odes sensus sumptus est ab Anacreonte in libro tertio.» PORPHYR. Servavit locum Athen. 10. p. 427. Anacr. Fr. 62. Bergk.: *Ἄγε δή, φέρ' ἡμίν, ὦ παῖ, Κελέβην, ὅκως ἄμυστιν Προπίω, τὰ μὲν δέκ' ἐγχέας Ὕδατος, τὰ πέντε δ' οἴνου Κυάθους, ὡς ἀνυβριστὶ Ἀνὰ δηῦτε βασσαρήσω. — Ἄγε δηῦτε μηκέθ' οὕτω Πατάγῳ τε κἀλαλητῷ Σκυθικὴν πόσιν παρ' οἴνῳ Μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς Ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις.*

1. *Natis*] «velut natura factis, ad hoc unice destinatis.» Schol. comparat Lucilii v.: *Iudicis Hortensi est ad eam rem nata palaestra,* similiter de re arte facta; sicque Martial. 14, 102: *Accipe non vili calices de pulvere natos.* — Non intelligo, quomodo indocti librarii errori *Nactis* Critici adscribere potuerint: «Non male.» — *in usum laetitiae*] Sic Cic. Phil. 14, 1, 1: *laetitiae usus satis est maximae.* — *Scyphus* proprie Baccho sacer. Macrob. 5, 21.

2. *Pugnare*] poculis pro telis uti in *παροινίᾳ* Thracum est, *hominum violentorum.* Corn. Nep. in Alcib. 7, 11, 4. Callimachi Fragm. 109. Blomf.: *Καὶ γὰρ ὁ Θρηϊκίην μὲν ἀνήνατο χανδὸν ἄμυστιν Ζωροποτεῖν.* — *tollite*] «Procul maneto a nostro convivio mos ille.»

3. «Arcete rixas, nolite eas excitare, ut, quemadmodum debet, *verecundus* maneat Bacchus nihilque committatur, quod dedeceat ac perturbet quietam nostram compotationem.» Cuninghamii coni. *verecundique* - - *prohibete* sententiam prosae orationi accommodat. Ut hic, Od. 1, 18, 7: *modicus Liber.* Contraria ratione, quae hic praepostera foret, Epod 11, 13: *inverecundus Bacchus* fit temulentiâ. Alexis in Exc. Grotii p. 597: *Ὁ γὰρ διμάτωρ Βρόμιος οὐ χαίρει Ἀνδράσι πονηροῖς οὐδ' ἀπαιδεύτῳ βίῳ.*

4. *prohibete*] Eadem constr. Cic. Manil. 7, 18: *aliquem calamitate prohibere;* Epp. 1, 1, 31: *corpus prohibere cheragra.* Liv. 34, 25: *agros sociorum populationibus prohibere.* Cf. Halmium ad Cic. l. l.

5. Post Thracas alterius immanitatis barbarae exemplum affert *Medos* s. Persas Parthosque, qui *acinace,* incurvo gladio, accincti mensae accumbebant, cum Romanis non liceret cum telo in urbe esse. — *Vino et lucernis*] «A *συμποσίῳ* per noctem producto abhorrent tela.» — Persico voc. *ἀκινάκης* propter priorem rei ignorationem inde a bellis Persicis usi sunt Graeci.

Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat: impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso!

Voltis severi me quoque sumere
Partem Falerni? Dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus

5. *acinacis* BbTc. — 6. *Immane* bT. — *discrepet* B. — 9. *voltis* superscr. *u* B.

Sophocl. Fragm. 899. Dind. Plato de Rep. 8. p. 553: *μέγαν βασιλέα - - τιάρας καὶ στρεπτοὺς καὶ ἀκινάκας παραζωννύντα.*

6. *Immane quantum*] *ἀμήχανον ὅσον.* Hoc modo teste Nonio iam Salustius usus est: *immane quantum animi exarsere.* Contra Cic. Orat. 25, 87: *nimium quantum.* Liv. 2, 1, s. f.: *mirum quantum.* — *impium*] quatenus pax, quae in convivio libationibus in deum honorem finiendo servari debet, nefarie turbatur; sicque accedit v. ad notionem: «insanum, furibundum.»

8. *cubito - - presso*] «cubito sinistro placide pulvillis innixo.» Phocylid. Fragm. 7: *Χρὴ δ' ἐν συμποσίῳ κυλίκων περινισσομενάων Ἡδέα κωτίλλοντα καθήμενον οἰνοποτάζειν.* Achill. Tat. pag. 9. ed. Iacobs: *Ἐρείσας δὲ κατὰ τῆς στρώμνης τὸν ἀγκῶνα καὶ ἐγκλίνας ἐμαυτὸν κτλ.*

9. *Voltis*] «Equidem potare desinam, nisi, missis iurgiis, sermones potius de vestris amoribus instituetis.» — *severi*] *δριμέος*, austeri, *fortis* Sat. 2, 4, 24. Athen. 1, 26. c: *εἴδη δύο (τοῦ Φαλερίνου), ὁ αὐστηρὸς καὶ ὁ γλυκάζων.* Catull. 27, 1: *Minister vetuli puer Falerni Inger mi calices amariores.*

10. 11. Interrogationis signum protasin hypotheticam esse significat, quasi esset: «Si voltis.» «Ea dumtaxat condicione bibam, ut Megillae frater amores suos nobis narret.» Hoc autem sermonis veluti deverticulo clamorem convivarum sedare studet. — *Opus* Locrorum oppidum; Leakio auctore nunc *Khardenitz*, pagus Livadiae. — *Frater*] Manifesto ficta persona, ut ipsa *Megilla Opuntia*, in qua ita a patria denominanda rursus gratum sonum secutus est, per quem omnes vocales sine littera canina resonant. Eleganter non nominat adolescentem ipsum, sed a pulchra sorore designat, ut sodalium iuvenum attentionem acuat. Aeque enim libere et solute in rebus venereis versabantur antiqui atque solent eorum posteri.

11. 12. *beatus*] felicem se reputans, ut Epp. 2, 2, 107: *Gaudent - - beati.* — *volnere*] ut Virg. Aen. 4, 2: *Volnus alit venis.* Sic etiam *τραῦμα* absolute Graeci usurpant. Cfr. Chariton. p. 2 et 3. Ed. Lips. — *sagitta*] ut saepe Graeci *τόξον*, *βέλος Ἔρωτος.* De amoribus suis ut in conviviis inter se confabularentur iisque propinarent iuvenes, moris erat. Theocr. 14, 48: *Ἤδη δὲ προϊόντος ἔδος ἐπιχεῖσθαι*

– Volnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas? Non alia bibam
Mercede. Quae te cunque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus ingenuoque semper
Amore peccas. Quidquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miser,

13. *voluptas* BSTc, corr. b, *βγκ*. — 16. *ingenuaque* T. — 18. *ha miser* bS, *a. miser* (sic) T, *hah miser* c.

ἄκρατον, Ὥτινος ἤθελ' ἕκαστος. ἔδει μόνον ὥτινος εἰπῆν· ubi Schol.: οὕτω γὰρ εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς συμποσίοις, ἄκρατον λαμβάνειν καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους καὶ ἐπιχεῖν τῇ γῇ καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα. Catull. 6, 15. ad Flavium: – *quicquid habes boni malique Dic nobis. Volo te ac tuos amores Ad caelum lepido vocare versu.* Martial. 1, 72: *Naevia sex cyathis, septem Iustina bibatur.*

13. *Cessat*] «tardatne?» Sine interrogatione: «hoc temporis momento non adest voluntas, sed fortasse statim veniet.» Notandum erat ideo, quia alii minus accurate explicarunt: «deest (prorsus).» — *Voluntas* autem «confitendi», non «bibendi», ut Porphyrionem secutus volt Editor Leidensis, qui praeterea praefert solitum librariorum errorem *voluptas*. *Voluntas* autem «fratris Megillae», non ut Bosscha interpretatur: «Horatii», ut sit: «Putatisne me non amplius satisfacere velle legibus convivii? Minime vero; sed non alia cet.»

14. *Venus*] Virgil. Ecl. 3, 68: *Parta meae Veneri sunt munera.*

15. *adurit*] «penitus urit», ut Ovid. Her. 12, 180: *ardores vincet adusta meos.* In hac re dicunt etiam *exurere* Tibull. 4, 2, 5. et Prop. 2, 30, 29: Iuppiter *ut Semela est combustus.*

16. *ingenuo*] ingenuae mulieris, non ancillae vel libertinae. «Nobili; laudandoque electionem cogit illum fateri, quam diligat.» Acron Nannii.

17. *peccas*] quatenus omnis amor animi est perturbatio; et sic frequenter Latini de amoribus v. *peccandi* usurpant. Cfr. Od. 1, 33, 9. Sat. 1, 2, 63. Sic *in ancilla delinquere* Ovid Am. 2, 8, 9. et apud Tib. 4, 10, 2: *ne male inepta cadam.* — Chariton p. 6. Ed. Lips.: ὁ Χαιρέας νεωτερικῶν ἁμαρτημάτων οὐκ ἄπειρος. — «Quaecunque amica tua est, insusurra mihi in aurem eius nomen; ego arcanum tuum religiose servabo.» Haec enim vera ac simul longe festivior est interpretatio; non ut alta voce amicae nomen coram omnibus proferat, ut alii volunt.

19. 20. *laborabas Charybdi*] «saucius eras amore puellae rapacis et avarae,» quales etiam Comici cum Chimaera, Scylla, Harpyiis, Charybdi compararant. Anaxilas apud Athen. 13. p. 558: Ὅστις ἀνθρώ-

Quanta laborabas Charybdi,
Digne puer meliore flamma! 20
Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?

19. *laboras Charybdi* corr. b. «Deest praepositio in omnibus meis.» BENTL., *laboras in Charybdi* ex interpolatione Pottierii 11, 17, 23, Aldus, LCt et Bentl., *laborabis* Paldamus, imperfectum haud intelligens. (Ut nos, BSTc et pr. b, *γδ*, pro var. lect. *ω*, Bland. antiquiss., Pottierii ceteri.) — 21. *thessalis* in terminatione corr. T.

πων ἑταίραν ἠγάπησε πώποτε, Οὗ γένος τίς ἂν δύναιτο παρανομώτερον φράσαι; Τίς γὰρ ἢ δράκαιν' ἄμικτος ἢ Χίμαιρα πυρπνόος, Ἡ Χάρυβδις ἢ τρίκρανος Σκύλλα, ποντία κύων, Σφίγξ, Ὕδρα, λέαιν', Ἔχιδνα, πτηνὰ δ' Ἁρπυιῶν γένη, Εἰς ὑπερβολὴν ἀφῖκται τοῦ καταπύστου γένους; - - Ἡ δὲ Φρύνη τὴν Χάρυβδιν οὐχὶ πόρρω που ποιεῖ; Cic. de M. Antonio Phil. 2, §. 67: *Quae Charybdis tam vorax?* Idem de Or. 3, §. 163. in pedestri oratione tropum mitigandum censet: *Charybdin bonorum, voraginem potius dixerim.* Imperfectum autem *laborabas* refertur ad id tempus, quo puellae nomen ex eo quaesierat Horatius et quo ille respondere cunctatus erat; vel, si mavis, «*laborabas* omni illo tempore, quo ego, etsi amoris tui curiosus, eum ignorabam». («Laborabas, et ego nesciebam.» BAXT. Doederlein II. *Samml.* p. 215. explicat «laborare te dicebas», verum in hac sententia recta ratio exigeret «laborare te dixisti» vel «dicis».) Hoc non animadvertentes scripserunt librarii *laboras Charybdi;* alii ad explendum metrum inseruerunt *in*. Iam etsi verum est, quod contendit Bentleius, Latine non dici *laborare mari, itinere, puella*, dicitur tamen rectissime *laborare amore*, ut *laborare ambitione* Sat. 1, 4, 26. Ovid. Trist. 1, 11, 27: *Nam simul insidiis hominum pelagique laboro;* (cfr. item Epod. 11, 6: *furere aliqua:*) et hic *Charybdis* est amor puellae improbae, non puella ipsa. Atque omnino *laboras in* (quod per se rectum est, Od. 1, 17, 19: *laborantes in uno Penelopen vitreamque Circen:*) librarii in *laborabas* nunquam mutassent. — *flamma*] H. v. uno hoc loco per figuram utitur Horatius, persaepe contra Virgilius. (Aen. 2, 587. 4, 23 et 66: *Est mollis flamma medullas* cet.)

21. 22. *Thessalis-venenis*] «medicamentis, incantamentis.» De *καταδέσμοις* propter seq. v. *illigatum* non cogitandum. Thessalia autem propter magas et *φαρμακευτρίας* infamis erat. Cfr. Schol. ad Eur. Alc. 1128: *Ψυχαγωγοί τινες γόητες ἐν Θετταλίᾳ κτλ.* Plin. 30, 2: *Menander litterarum subtilitati sine aemulo genitus Thessalam cognominavit fabulam complexam ambages feminarum detrahentium Lunam.* Comicam esse gradationem *sagam, magum, deum*, neminem fugit. Chariton 4, 4: *τίς σε θεῶν δυνήσεται σῶσαι;* in re desperata.

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

23. *inligatum* Tc. — 24. *Chimaerae* Aldus, t.

23. *illigatum*] tamquam draconis flexibus. Scil. vv. *triformi Chimaera*, ad utrumque v. et *illigatum* et *expediet* referri debent: «illigatum te Chimaera, ab ea te expediet.» Alia imago est laqueis amoris irretiri, ut Ibycus Fr. 2. Bergk.: *Ἔρος αὖτέ με κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις τακέρ᾽ ὄμμασι δερκόμενος Κηλήμασι παντοδαποῖς ἐς ἄπειρα δίκτυα Κύπριδι βάλλει.* Similiter Lucilius in Anth. Pal. II. p. 387. Telesillam *ἑταίραν* comparat cum Chimaera: *Οὔτε Χίμαιρα τοσοῦτον ἔπνει κακόν, ἢ καθ᾽ Ὅμηρον (ὅσον σύ).* — *triformi*] Iliad. ζ, 181: *Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.* Chimaera Lyciae monstrum ex Typhone et Echidna natum. Hesiod. Theog. 325: *Τὴν μὲν Πήγασος εἶλε καὶ ἐσθλὸς Βελλεροφόντης.* Bellerophon Pegasi, equi alati, a Minerva in hanc rem ei traditi ope occidit monstrum illud ignivomum. (Iliad. l. l.: *Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο).*

CARMEN XXVIII.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera, nec quidquam tibi prodest

XXVIII. Inscr. volg. *Archytas.* — *(Nauta et imago Archytae Tarentini J.* —) *Ad Archytam Tarentinum geometren* S. — *Ad Architen* (sic) *genere Tarentinum arte geometren* T. — 1. *harenae* BT. — 3. *litus*] *latum* BT. — 4. *tibi quicquam* corr. *γδ* ap. Kirchn. N. Quaestt. Horat. p. 36. 56.

XXVIII. Tempus, quo hoc carmen compositum sit, definiri omnino nequit; Kirchner et Walckenaer referunt ad a. u. c. 717. — Difficillimum sane est verum statum scenamque carminis ita exponere, ut et tibi ipsi et aliis satisfacias; in quo, libere ut fatear, non omni culpa vacuus videtur ipse poëta. Diversissimas hac de re propositas videmus opiniones, quas enumerabimus in Excursu. Equidem *ἐπέχω*. Etenim *non nostrum tantas componere lites.*

1. *arenae*] Ignoramus, utrum Archytas in libro *περὶ ἀρχῶν* iam egerit de numero arenae ineundo, ut post eum Archimedes in *Ψαμμίτῃ*. Hic initio p. 2. Ed. Wallis: *οἱονταί τινες τοῦ ψάμμου τὸν ἀριθμὸν ἄπειρον εἶμεν τῷ πλήθει·* id quod deinceps refutat. — Alibi *arenas, pulverem numerare*, eius *numerum subducere* proverbii speciem habet de re irrita ac supervacanea. Exempla collegit Schraderus Emendd. p. 7. Atque hanc rationem amplexus est Dillenburger, in allocutione nautae, hominis sordidi, ut ait, ac philosophi studia deridentis amaram *εἰρωνείαν* inesse immerito arbitratus.

3. *Matinum*] Matinus mons sive promontorium prope radices Gargani montis in Apuliae litore, nunc *Matinata*. Vide ad Epod. 16, 28. collato Lucano 9, 184. et Romanelli *Topografia del regno di Napoli* II. p. 209.

4. *Munera*] «Exiguus tumulus, tibi, Archyta, a nescio quo structus, te amplectitur, tegit.» *Pulvis* pro terra, humo, ut apud Stat. Theb. 10, 427: *angusti puero date pulveris haustus, Exiguamque facem.* *Munus* autem recte hoc sepulcrum dicitur, utpote quod naufragus sibi ipse ante parare nequeat, quemadmodum saepe facit is, qui suo in lectulo moritur. — Qui aliter totum carmen constituunt, ut sit nautae colloquium cum Archytae umbra, sic interpretantur: «Pulveris exigui parva munera (id est, pulvis ter tibi nudo iniiciendus), adhuc tibi negata (nondum persoluta), umbram tuam hic retinent, adeo ut Acherontem traiicere nequeas,» comparantes Od. 2, 20, 8: *nec Stygia cohibebor unda.* Od. 3, 4, 80: *trecentae Pirithoum cohibent catenae.* Alii denique, prorsus neglecta vera significatione v. *munera:* «Portio exigua pulveris, arena exigua, te tenet,

Aërias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras
Et Iovis arcanis Minos admissus, habentque

5. *temptasse* T. — 6. *morituro?* FJ.

κατέχει· iaces mortuus in angusto litoris arenosi spatio.» (Utramque hanc interpretationem egregie refutavit Platzius *(Bemerkungen z. Hor.* Od. I. 28. Werthem. 1846. p. 19 sqq.), argumentis ductis potissimum e significatione verbi *cohibere, «umschliessen.»)*

5. *Aërias tentasse domos*] *tentare* pr. tangendo explorare; hinc etiam, ut hoc loco, eniti, provehi aliquo, non sine audaciae, nec tamen cum impietatis notione. Virg. Ecl. 4, 32: *tentare Thetim ratibus.* Tacit. Germ. 34: *Ipsum – Oceanum illâ tentavimus.* «Nihil,» inquit, «te iuvat astrologiae ope sidera dinumerasse atque eorum sphaeras et cursus investigasse mundique universi formam et constructionem explicasse,» quod antiquissimae philosophiae gravissimum caput erat. — Ptolemaeus astronomus in Anthol. Pal. II. p. 205: *Οἶδ' ὅτι θνατὸς ἐγὼ καὶ ἐφάμερος· ἀλλ' ὅταν ἄστρων Μαστεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας, Οὐκέτ' ἐπιψαύω γαίης ποσίν, ἀλλὰ παρ' αὐτῷ Ζανὶ θεοτροφίης πίμπλαμαι ἀμβροσίης.* Seneca Praef. ad Quaest. nat. L. 3. de se: *Senex mundum circuire constitui et causas secretaque eius eruere.* Cic. de Finn. 2, 31, 102: *Haec non erant eius* (Epicuri), *qui innumerabiles mundos infinitasque regiones, quorum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset.*

5. 6. *rotundum – polum*] «caelum quasi concameratum, fornicis speciem habens.» — *morituro*] «Cum nihilominus mori debueris,» ut Od. 2, 3, 1: *Aequam memento rebus in arduis Servare mentem, – – moriture Delli.*

7. «Quamquam», inquit,» haec communis est sors omnium, etiam heroum, etiam sapientum.» Fundus huius consolationis est Iliad. σ, 117., ubi Achilles: *Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε Κῆρα, Ὅσπερ φίλτατος ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι· Ἀλλά ἑ Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀργαλέος χόλος Ἥρης. Ὣς καὶ ἐγὼν κτλ. — Pelopis genitor*] Tantalus, epulis supremi Iovis adhibitus. Pind. Olymp. 1, 54: *Εἰ δὲ δή τιν' ἄνδρα θνατὸν Ὀλύμπου σκοποὶ Ἐτίμασαν, ἦν Τάνταλος οὗτος.* Eurip. Orest. 9: *θεοῖς ἄνθρωπος ὢν Κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον, Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.*

8. *Tithoni* fabulam v. in Hom. Hymn. in Ven. 219. Laomedontis fuit filius, Priami frater. Cfr. omnino Od. 2, 16, 30. — *remotus in auras*] Utrum «ab Aurora in caelum raptus,» an «qui in auras tandem evanuit,» ut fere Od. 2, 16, 30: *Longa Tithonum minuit senectus?* Illud unice verum: etenim requiritur laus aliqua respondens illis *conviva deorum* et *Iovis arcanis admissus.* Eurip. Troad 855: *Ὃν ἀστέρων τέθριππος ἔλαβε χρύσεος ὄχος ἀναρπάσας.* Stat. Silv. 1, 2, 44: *nec si alma per auras Te potius prensum veheret Tithonia biga. Remotus* igi-

Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum, quamvis, clipeo Troiana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae,
Iudice te non sordidus auctor

14. *te*] *me* Nescio quis apud Cuninghamium.

tur «a terra amotus, ablatus.» (Alteram interpretationem secutus est Lübker, non satis attendens *ἀντίθεσιν*, (etsi) conviva deorum cet. Nostra ex ratione est: Tithonus, etsi in caelum ab Aurora raptus, tamen denique occidit, quia coniux immortalitatem ei a Iove pacisci oblita erat.)

9. *Minos*] Odyss. *τ*, 179: *Διὸς μεγάλου ὀαριστής*, qui admissus secretis Iovis colloquiis ab eo leges, quas Cretibus daret, acceperat. — *habentque*] ut Virg. Aen. 1, 555: *Sin te - Pontus habet.*

10. 11. *Tartara*] hoc loco non de damnatorum sede, sed de universo Orco, et sic iam Graeci. Theognis 1036: *ὅταν αὐτὸν (θνητὸν ἄνδρα) ἔχῃ Τάρταρος ἠερόεις. — Panthoiden*] Iliad. *π*, 808: *Πανθοίδης Εὔφορβος, ὃς ἡλικίην ἐκέκαστο Ἔγχεί θ' ἱπποσύνῃ τε πόδεσσί τε καρπαλίμοισιν.* A Menelao occisus est; propterea Argis clipeus eius dicatus Iunoni (vel Minervae, ut ait Maximus Tyrius 16, 2. ubi eleganter historiam narrat). Iam, ut veteres fabulabantur, Pythagoras affirmabat se Troiani belli temporibus fuisse Euphorbum, tum ex aliis in alia migrasse corpora, tandem Pythagoram factum. Cui rei ut fidem faceret, clipeum in templo inter alia *ἀναθήματα* affixum, suum, cum Euphorbus esset, fuisse contendebat, hocque ipsum nomen inscriptum clipeo mox *refixo*, detracto, eo repertum esse ferunt. Pausan. 2, 17. Diog. Laërt. 8, 5. Schol. ad Soph. Electr. 62. Ovid. Met. 15, 163. — *iterum Orco Demissum*] «Etsi *παλιγγενεσίαν, μετεμψύχωσιν*, quam docebat, illo modo testatus erat, tamen denuo mori ei necesse fuit nuncque eum retinet Orcus, hodie nusquam comparet.» De constructione cf. Sat. 2, 5, 49. Plaut. Capt. 3, 5, 34: *Quando - - te morti misero.* Virg. Aen. 2, 398: *multos Danaum demittimus Orco.*

12. 13. *nihil ultra* cet.] «corporis dumtaxat exuvias.» *Περίφρασις* ista non tam ironica vel comica est, ut opinati sunt interpretes quidam, quam significat Pythagoram, Euphorbi cum clipeum monstraret, affirmasse, se, animi immortalitatis certum, corpus morti libentissime concessisse, cum ipse ex alia in aliam formam transiturus esset. — *Nervos atque cutem*] Immerito haec a nescio quo tamquam nimis humilia atque abiecta sunt reprehensa. *Τὸ δέρμα τοῦτο καὶ τὰ ὀστᾶ καὶ τὰς σάρκας, τῆς ψυχῆς χλαινίδια καὶ ῥάκια ἀσθενῆ καὶ τρύχινα, ἀποῤῥίπτειν ἄσμενον* suadet Maximus Tyr. 13, 5.

14. *Iudice te*] Qui Archytam hoc nautae dicere statuunt, explicant: «iudice pariter et te et omnibus, qui de Pythagora unquam inaudiverunt.» Coniecturam *Iudice me* a Ianio receptam neminem iam probaturum esse confido. — *non sordidus*] Sic Livius 30, 45. Polybium

Naturae verique. Sed omnes una manet nox
Et calcanda semel via leti.

Dant alios Furiae torvo spectacula Marti;
Exitio est avidum mare nautis;

15. *nox*] *mors* T. — 18. *avidis* Aldus, LCt, (item *δ* ap. Kirchn. N. Quaestt. Horat. p. 56.), *pavidis* Cod. Sil. (Ut nos, omnes nostri, Cruquii, Bentleii, Pottierii.)

vocat *haud spernendum auctorem*, quod genus λιτότητος frequentissimum est apud antiquos. Multa exempla collegit Monbel *Observ. sur l'Iliade* I. p. 42. «Mortem obiit ille quoque, quem tu, Archyta, secutus eras non contemnendum, immo egregium, investigatorem naturae verique magistrum.»

16. *calcanda semel*] Plat. Phaed. p. 108. A.: *ὁ Αἰσχύλου Τήλεφος - ἁπλῆν οἶμόν φησιν εἰς Ἅιδου φέρειν.* — *via leti*] Lucret. 2, 945: *et leti vitare vias.* Tib. 1, 3, 50: *nunc leti mille repente viae.* Propert. 3, 18, 21: *Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo: Est mala, sed cunctis ista terenda via est.* Etiam in prosa orat. Liv. 34, 18: *seque per omnes vias leti interficerent.*

17. «Superiora exempla ostendunt Tantalum, Tithonum, Minoëm summis etiam honoribus magnisque fortunis non potuisse liberari a moriendi necessitate; - - inferiora contra cum communem illam omnium mortalium condicionem ita magis describant, ut consolandi gratia commemorata videantur, Archytae esse perspicuum est.» Dillenburger. Verum non satis ponderasse videtur vv. proxime praecedentia *Sed omnes - - via leti*, quibuscum artissime haec nectuntur: «Omnibus moriendi necessitas imposita est: (sed) varia sunt mortis genera;» quae dispesci sane nequeunt nec diversis personis tribui. — *Furiae* h. l. (ut Iliad. *δ*, 440: *Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος καὶ Ἔρις.* Hesiod. Scut. 249: *Κῆρες κυάνεαι·*) in proeliis versantur (Virg. Aen. 7, 324: *Allecto - - cui tristia bella - - cordi:*) pugnantesque ad mutuas caedes excitant, quo gratum praebent spectaculum Marti caedibus laetanti. Orpheo H. 64. est *αἵματι ἀνδροφόνῳ χαίρων.* Tota imago desumpta est a muneribus gladiatoriis. Tib. 2, 5, 119: *Tum Messala meus pia det spectacula turbae.* Ludus autem Martis pugnae sunt. Od. 1, 2, 37: *Heu nimis longo satiate ludo.* Seneca de Provid. 2: *Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo deus; ecce par deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.*

18. *avidum*] ut Od. 3, 29, 61: *avarum mare.* Mare ipsum navigantium vitae atque opibus inhiat. *Avidis* h. l. otiosum esset *ἐπίθετον.*

19. *Mixta senum ac iuvenum*] Immoratur consulto cogitationi de mortis necessitate, quam ne iuvenes quidem effugiant. Res autem quam maxime flebilis adolescentuli funus. Notandum erat propter criticum, qui hos duos vv. *ὀβελίζει.* — *densentur*] *Densere*, antiquior et poëtica

Mixta senum ac iuvenum densentur funera, nullum
Saeva caput Proserpina fugit. 20

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.

19. *ac*] *et* c, Pott. tres. — *densantur* corr. c. et Aldus. (Ut nos, ceteri nostri et pr. c, *βγκ*, Pottierii omnes.) — 21. *rabidus* δ ap. Kirchn. l. l.

forma pro *densare*, reperitur etiam apud Tacit. Ann. 2, 14. ex Cod. Med. *denserent*. Vide omnino Wagnerum ad Virg. Ge. 1, 248. Aen. 7, 794.

20. *Saeva*] Odyss. λ, 47: *ἐπαινὴ Περσεφονείη*. *Imperiosa* eadem dicitur Sat. 2, 5, 110. Brunatius in Museo Kircheriano p. 63: *Ar. SAEVOS. PLUTO. RAPVIT. ME. AD. INFERA. TEMPLA.* — *fugit*] Hoc perfectum *ἀορίστως*. Recte, credo, Porphyrio: «Nullum caput Proserpina timet, ac per hoc neminem exceptum habet»; sive, si mavis, aliquanto elegantius cum Dillenburgero: «Nemo tam gravis est, quem Proserpina, id est, mors fugiat, timeat, ad quem mors non accedat.» Affert Lucan. 2, 75: *mors ipsa refugit Saepe virum* (Marium). Proserpina ipsa ad moribundos accedit iisque tamquam victimis *καταρχῆς* loco cincinnum desecat, ut *Θάνατος* apud Eurip. Alc. 74. Virg. Aen. 4, 698: *Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco*. Stat. Silv. 2, 1, 147: *Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno*.

21. 22. *devexi*] «ad occasum vergentis,» ut Od. 3, 27, 18: *Pronus Orion*. Epod. 15, 7: *nautis infestus Orion*. Virg. Aen. 7, 719: *Saevus ubi Orion hibernis conditur undis*. Theocr. 7, 53. ed. Ameis: *Χὥταν ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ Κύματα, χ' Ὡρίων ὅτ' ἐπ' Ὠκεανῷ πόδας ἴσχει* κτλ. Leonidas in Anth. Pal. I. p. 385: *Εὗρον με τρηχεῖα καὶ αἰπήεσσα καταιγίς, καὶ νύξ, καὶ δνοφερῆς κύματα πανδυσίης Ἔβλαψ' Ὡρίωνος*. Cfr. Theonem apud Inghirami *Gal. Om.* III. T. 83. imprimis p. 234. — Occidit autem Orion ineunte Novembri, quo anni tempore saeviunt procellae, quocirca Notus *comes Orionis* vocatur. Hesiod. *Ἔργ.* 617: *Εὖτ' ἂν Πληϊάδες, σθένος ὄβριμον Ὠρίωνος Φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον, Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θύουσιν ἀῆται.* — *Illyricis*] «maris Hadriatici, cuius intimo sinui adiacet Illyria.» Oudendorpius malebat *Ionicis* vel potius *Apulicis*. Verum *Illyricis* etiam, cum de litore Matino in Apulia agitur, defendi quadamtenus potest, si habemus vel pro simplici *ἐπιθέτῳ* ornante s. poëtico pro undis quibuslibet, (ut, ne quis me calumnietur, vel in Od. 1, 1, 13: *trabe Cypria-Myrtoum mare-Icariis fluctibus*, ubi, si voluisset, alia *ἐπίθετα* haud minus apta eligere potuisset:) vel si explicamus de procella ab Euro inde ex maris Hadriaciti sinu concitata, quae naufragum tandem illud ad litus detulerit.

At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare: sic, quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae te sospite, multaque merces,
Unde potest, tibi defluat aequo

24. *intumulato* H. Peerlkamp. et Axt. — 25. *si* corr. T. — 27. *Plectentur* B.

23. Ad totam imaginem cfr. Iulianum in Anthol. Pal. I. p. 484: *Πλώεις ναυηγόν με λαβὼν καὶ σήματι χώσας; Πλῶε, Μαλειάων ἄκρα φυλασσόμενος. Αἰεὶ δ' εὐπλοΐην μεθέποις φίλος· ἦν δέ τι ῥέξῃ Ἄλλο Τύχη, τούτων ἀντιάσαις χαρίτων.* et Zonam ibid. p. 425: *Ψυχράν σευ κεφαλᾶς ἐπαμήσομαι αἰγιαλῖτιν Θῖνα κατὰ κρυεροῦ χευάμενος νέκυος· Οὐ γὰρ σεν μήτηρ ἐπιτύμβια κωκύουσα Εἶδεν ἁλίξαντον σὸν μόρον εἰναλιον· Ἀλλά σ' ἐρημαῖοι τε καὶ ἄξεινοι πλαταμῶνες Λέξαντ' Αἰγαίης γείτονες ἠϊόνος· Ὥστ' ἔχε μὲν ψαμάθου μόριον βραχύ, πουλὺ δὲ δάκρυ, Ξεῖν', ἐπεὶ εἰς ὁλοὴν ἔδραμες ἐμπορίην.* — *vagae*] «a ventis huc illuc iactatae.» — *parce*] «Noli denegare ossibus exiguam arenam.» Usus hic v. *parcere* reperitur etiam apud Livium 34, 32: *parce, sis, fidem ac iura societatis iactare*; frequentius apud poëtas. Virg. Aen. 3, 42: *Parce pias scelerare manus.* — *malignus*] «nimis parcus vel in quantulacunque arena largienda,» maxime sane propter morae metum. Alii explicant: «ob nescio quam in me malevolentiam atque invidiam;» quam cur ille in nauta suspicari potuisset?

24. *capiti inhumato*] Duo iam critici, ut hiatus vitaretur (cfr. Epod. 5, 100.), proposuerunt *intumulato*. Vereor ne verbum sit ab Ovidio primo formatum Heroid. 2, 136: *Occurramque oculis intumulata tuis*, et, cum hoc ex prioribus sit Horatii carminibus, eo faciliores erimus in hac licentia diiudicanda.

25. *Particulam*] Prop. 1, 17, 8: *Haecine parva meum Funus arena teget? — sic*] cfr. Od. 1, 3, 1. 2. «Sic opto, ut procellae incolumem te sinant eradicentque tantum pinus atque abietes silvarum circa Venusiam» (Horatii patriam, oppidum mediterraneum non longe situm a Matino), «qua quidem saevitia nullum tibi damnum infertur.» — *minabitur*] Virg. Ge. 1, 462: *quid cogitet humidus Auster.*

27. *Plectantur*] «luant, quasi ipsae poena dignae essent.» — *multaque merces*] «Magnum pietatis praemium tibi conferatur a propitio Iove, qui ante omnes alios deos illam remunerari potest.»

28. *Unde potest*] Est *παρένθεσις* similis illarum Epod. 17, 45: *Et tu, potes nam, solve me dementia.* Od. 1, 12, 31: *Et minax, quod sic voluere, ponto Unda recumbit.* — *Unde* de persona, «a quo (Iove)», ut Virg. Aen. 1, 6: *genus unde* (ab Aenea) *Latinum.* Cic. de Or. 1, 15, 67: *ille ipse, unde cognorit.* Cfr. ad Od. 1, 12, 17. Pie loquitur; altera interpretatio: «undeunde potest:» prorsus repugnat seqq. *aequo ab Iove* cet. — *defluat*] Summam facilitatem

Ab Iove Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita iura vicesque superbae
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,

30. *Neglegis immeritis* BbST. — 31. *forsan* B, corr. c, Pott. quinque, etiam 1. Item Lt. (non Aldus.) — 32. *vicesque superbe* cum *o* inter lineas λ, ut *superbo* voluerat Passeratius; *vicesque supremae* Burgessius.

exprimit, qua Iupiter largitur sua munera.

29. Taras, Tarenti conditor mythicus, teste Aristotele apud Pollucem 6. p. 480. et Pausan. 10, 10, 8., filius fuit Neptuni et Nymphae indigenae: unde Neptunus *custos (πολιοῦχος)* comparet in nonnullis Tarentinorum nummis; in aliis Taras vehitur delphino.

30. 31. *Negligis* cet.] «Parum curas, pro nihilo habes culpam huiusmodi in te admittere?» Manifesto autem haec est interrogatio; qui post v. *committere* colon vel comma ponunt, ad v. *negligis* supplent *si*. Verum nostra ratio longe est efficacior. — Alii (etiam Hand Turs. IV. p. 540.) minus recte construunt *negligis, te committere,* cum (ex) *te natis* iungi oporteat. — *Postmodo* equidem (item Hand l. l.) iungo cum *nocituram*; alii cum *te natis,* ubi otiosum est. — *fraudem*] ἄγος, «quam noxam aliquando liberi tui expiabunt.» Fundus huius opinionis Odyss. λ, 72. Elpenor ad Ulixem: *Μή μ' ἄκλαυτον, ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν, Νοσφισθείς, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι.* Theognis 203. Bergk: *Ἀλλὰ τάδ' ἀνθρώπων ἀπατᾷ νόον· οὐ γὰρ ἐπ' αὐτοῦ Τίνονται μάκαρες πρήγματος ἀμπλακίας Ἀλλ' ὁ μὲν αὐτὸς ἔτισε κακὸν χρέος, οὐδὲ φίλοισιν Ἄτην ἐξοπίσω παισὶν ἐπεκρέμασεν· Ἄλλον δ' οὐ κατέμαρψε δίκη.* Et similiter idem v. 735. — *Fors, forsan, forsit,* apud poëtas; et *forsit,* ut habet Pulmannus, reperitur Sat. 1, 6, 49. «Notanda est singularis poëtarum formula *fors et* pro *fortasse etiam,* qua progreditur oratio ad rem opinione conceptam, sed gravitate et magnitudine ampliorem. Est apud Virg. Aen. 11, 19. Propert. 2, 9, 1. Stat. Silv. 3, 4.» Hand Turs. II. p. 711. Minus recte alii h. l. *Fors* vel *Τύχην* vel *Poenam* interpretati sunt.

32. *Debita iura*] *δίκην, ἣν ὀφείλεις.* — *vices*] *ἀντίποινα, ἀμοιβή,* ut Ovid. Met. 14, 36: *Redde vices.* «Quomodo tu superbe reiicis preces meas, aeque in te *superba (ὑβριστική,* inclemens ac non sine contemptu te puniens) erit etiam vindicta divina.» Propert. 1, 13, 9: *Haec erit illarum contempti poena doloris; Multarum miseras exigit una vices.*

33. *maneant*] Etiam apud Ciceronem paucissimis locis exceptis (Hand Turs. II. p. 716.) *forsitan* propter incertum rei exitum (qui exprimitur etymo huius v. *fors sit an*) cum coni. construitur. — *precibus* cet.] «Si relinquar a te inhumatus, inultae non remanebunt meae imprecationes, exsecrationes.» Sic Caesar B. G. 6, 31: *omnibus precibus detestatus Ambiorigem.* Epod. 5, 86: *Misit Thyesteas preces.* — *inultis*] «Perperam Passeratius substituebat

Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter pulvere curras.

36. *Iniectum* T.

inultus. Val. Flacc. 4, 14: *nec Aeetae gemitus patiemur inultos*. Ovid. Met. 4, 426: *Nil poterit Iuno nisi inultos flere dolores*.» BENTL.

34. Alias *piacula*, *καθαρμοί*, scelere, quo *obstricti* sumus, nos *solvunt*.

35. 36. *licebit - - curras*] «Post brevem sepeliendi moram cursum tuum prosequi poteris.» Quintil. Declam. 5, 6: *Hinc et ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus; et insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocunque veneretur aggestu. — ter*] ex solito numero sacro. Virg. Aen. 6, 229. Ibid. 506: *magna Manis ter voce vocavi*.

EXCURSUS

AD C. XXVIII.

Criticorum opiniones de difficili hoc carmine in duas potissimum partes prorsus oppositas abeunt. Sunt enim primum nostris quoque temporibus, qui statuant esse dialogum inter nautam litus Matinum radentem et Archytae aut tenui tumulo conditi aut etiamtunc insepulti umbram. Verum rursus hi inter se delitigant, quomodo utriusque partes distribuendae sint. Etenim plerique olim vv. 1-6. tribuere solebant nautae, reliqua inde a v. 7. Archytae, quemadmodum factum esse video iam a Landino (1482.) et Frederico Ceruto Veronensi (1585.) ac nostris temporibus a F. A. Wolfio. Contra Dillenburger nautae sedecim priores versus, Archytae reliquam partem inde a v. 17. attribuendam esse censet; quod cur reiiciendum videatur, ibi significavi. Tertia ratio est Buttmanni, qui nautae assignat vv. 20. priores, reliquos Archytae; etiam hunc plures recentiorum secuti sunt.

Quartam denique mecum communicavit ingeniosus ac doctissimus amicus, cuius carum nomen ideo taceo, ne, ut mihi accidit accidetque rursus, propter hoc carmen rusticis stultisque conviciis ab ineptis hominibus laceretur:

«*Horatius ist mit der nähern Umgebung seines Geburtsortes genau bekannt und erfreut von den lieblichen und den wilden Bildern dieser Gegend. Vergl. Od.* 3, 4, 9. *In diese Gegend, wie schon v.* 26. Venusinae silvae

zeigen, gehört das Local auch unsers Gedichts, das litus Matinum. *So war dem Dichter auch jener Hügel am Ufer, der der Sage nach das Grabmal des Archytas sein sollte, wohl bekannt, und Gebeine, die er dort von einem Schiffbrüchigen gesehen, erweckten in ihm folgende Conception. Ein Schiff fährt an der Küste vorüber, und der Schiffer bricht, vom Verdeck aus des wohlbekannten Grabmals ansichtig geworden, in die Klagen über die Vergänglichkeit alles dessen aus, was die Erde grosses kennt und herrliches. Weise, Mächtige, Greise und Jünglinge gehen alle derselben Nacht entgegen. Es ist dieselbe Klage, die Horatius so oft wiederholt und zur Mahnung an fröhlichen Lebensgenuss benutzt. Od.* 1, 4, 13. 2, 3, 25. 13, 20. 14, 1., *besonders* 2, 18, 29. 3, 1, 14. — *Da erhebt sich von dem Grabmale her, welches der Klagende auf dem Schiffe im Auge gehabt hatte, die Gestalt des jüngst erst im Schiffbruch Umgekommenen und fleht um den letzten Dienst. So steht dann der, der sich sehnt einzugehen dorthin, wohin einzugehen als allen Menschen bestimmtes schreckliches Schicksal der Reisende des Schiffes jammernd bezeichnet hatte, in schönem Gegensatze. Schrecklich ist es, dass allen die Nacht des Todes bevorsteht, und doch kann es selbst Gegenstand der Sehnsucht sein, nur erst zu ruhen. So arm ist das Leben! — Wenn auf diese Art der Reisende auf dem Schiffe v.* 1-20., *und dann v.* 21 *ff. der Schatten spricht, so wird dann durch den Gegensatz des* Me quoque *und* At tu *diese Anrede genügend gerechtfertigt, und das ganze Gedicht scheint Leben und Anschaulichkeit zu erhalten.*» — Haec sane distributio personarum et scenae descriptio, dialogum esse si statuamus, omnium optima videtur, ad eamque nunc inclinat animus, eo magis, quod eandem video prorsus inscio amico meo iamdudum ab ingenioso Italo, Stephano Pallavicino, Horatii interprete, (Lipsiae 1736.) propositam esse: sic enim παραφράζει locum, in quo controversiae cardo vertitur: *la severa Dell' ombre imperadrice a niun perdona. Così d'Archita compiagnea la sorte Nocchier pietoso allor che in flebil suono Dirsi dal lito udì: «Me pure assorto Ila l'Illirico mar.»* Deinde annotat: «*Le riflessioni che fa un padron di nave sopra il sepolcro d'Archita e sopra la necessità del morire, comune agli uomini più insigni, vengono interrotte da un' Ombra d'un insepolto che chiede in dono pochi pugni di rena. Perchè nella seconda parte di quest' Oda parlasse l'ombra d'Archita, come finora si è inteso, bisognerebbe ch'egli fosse morto affogato, il che non mi è avvenuto di trovare. Di piu importa contraddizione il dirsi* Te cohibent cet., *il che pure significa, sebbene scarsa, una specie di sepoltura, e quindi:* Ne parce arenae Ossibus et capiti INHUMATO particulam dare. *Nè quel* Me quoque, *donde commincia a parlar l'insepolto converrebbe ad Archita, della cui morte si è parlato da principio:* Te maris et terrae.

Verum in alia omnia discedunt, qui dialogum haud agnoscentes μονολογίαν esse contendunt, vel naufragi a poëta ficti vel ipsius Horatii, qui se naufragium fecisse simulet. Hanc opinionem significavit iam philologus ἀνώνυμος, quem Casaubonum fuisse suspicatur HP. haec illius verba afferens: «De Archytae colloquio turpissimum est

commentum.» Tum Galiani aliis Cruquii et Sanadoni interpretationibus breviter refutatis ita pergit: *L'ode ne contient qu'une méditation du poète sur la destinée d'Archytas et de tous les grands hommes, avec une invocation mise dans la bouche d'Archytas même, et une prière aux passants de lui rendre les derniers devoirs. Ce passage subit d'une personne à une autre est si fréquent dans les poésies lyriques de toutes les nations, que ce n'est pas la peine d'en faire l'objet d'une remarque.*» — Doctius sane multoque cum acumine de hoc argumento disputavit Hottingerus in Programmatis Turicc. a. 1788. et 1789. repetitis in eius Opuscc. phil. Lips. 1817. Huius scriptiunculae ignarus non minore sagacitate eandem sententiam exposuit Weiskius iunior in Iahnii Annal. phil. a. 1830. Ex horum igitur sententia argumentum hoc est: «Apud Archytae tenue sepulchrum loquens inducitur umbra hominis naufragio exstincti, qui fati sui acerbitatem cum simili Archytae sorte, tum clarissimorum hominum comparatione atque imposita tandem omnibus necessitate solatur, denique a nauta eam oram casu praetervehente corporis sui flagitat sepulturam.» Eandem fere interpretationem dialogum non esse nec *μονολογίαν* proprie dictam, sed poëtae ipsius *φάντασμα* adscivit Lübker. Similiter Regel: «Equidem certi nihil affirmare ausim, admodum tamen veri simile puto, Horatium periculum, quod ipsi in itinere maritimo imminuerit (cfr. Od. 3, 4, 27: *me Devota non exstinxit arbos Nec Sicula Palinurus unda:*) poëtico modo exornasse et, tamquam re vera undis obrutus fuerit, se iam exanimem in iisdem regionibus, ubi quondam Archytas naufragium fecerat, iacentem finxisse. Utut res se habet, de colloquio certe cogitandum non videtur.» Hanc vero de Horatio naufrago opinionem ab aliis iam propositam displicere mihi significavi in Editione prima, neque nunc eam amplecti possum, utpote arcessitam atque nimis artificiosam. Editoris Leidensis autem opinio Archytae ipsius umbram per totum carmen loqui, paucos, nisi fallor, reperiet fautores. (Eam tamen defendendam suscepit Steiner *Comm. Horat.* Spec. II. p. 13. sqq.) Ceterum eadem iamdudum fuerat sententia Ge. Fabricii. — Simile quadamtenus argumentum tractaverat iam Archilochus auctore Plutarcho de aud. poët. p. 86. Wyttenb.: *τὸν ἄνδρα τῆς ἀδελφῆς ἠφανισμένον ἐν θαλάττῃ καὶ μὴ τυχόντα νομίμου ταφῆς λέγει θρηνῶν μετριώτερον ἂν τὴν συμφορὰν ἐνεγκεῖν, Εἰ κείνου κεφαλὴν καὶ χαρίεντα μέλη Ἥφαιστος καθαροῖσιν ἐν εἴμασιν ἀμφεπονήθη.* — Certe, si Horatius, quod nos prorsus ignoramus, Graecum aliquod secutus est exemplar, lyricon non fuit, cum post novem Lyricos vixerit Archytas, sed *εἰδύλλιον* vel etiam epigramma Alexandrinae aetatis. Verum significationes illae *litoris Matini* et *Venusiae* in Graecum poëtam profecto non cadunt, sed propriae videntur Horatii. Prorsus autem diversum fuisse Archilochei carminis exitum docet alterum Fragm. Ibid. p. 122. Cfr. etiam Dionys. Long. 10, 7. (Quod vero ad ipsam superstitionem, quae hic tangitur, attinet, cfr. Achillem Tatium p. 116. Iacobs: *Λέγουσι δὲ τὰς ἐν ὕδατι ψυχὰς ἀνῃρημένας μηδὲ εἰς Ἅιδου*

καταβαίνειν ὅλως, ἀλλ' αὐτοῦ περὶ τὸ ὕδωρ ἔχειν τὴν πλάνην. — Archytas Tarentinus, philosophus Pythagoreus, astronomus et geometra, aequalis erat Platonis, inter cuius epistolas subditicias ei duodecima inscribitur. Etiam in re publica domi militiaeque illustrissimus fuit. Sed illud maxime mirum, quod teste Aristotele Polit. 8, 6, 1. fuit etiam inventor τῆς πλαταγῆς, ἣν διδόασι τοῖς παιδίοις, ὅπως χρώμενα ταύτῃ μηδὲν καταγνύωσι τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν. Nihil quidem antiqui memorant de naufragio, quo perierit: sed potuit eius rei facere fidem vel scriptor aliquis nunc deperditus vel vetusta Tarentinorum fama.

* * *

Post secundam Editionem adeo multa de vexato hoc carmine scripta sunt, et in his nonnulla tam mira atque incredibilia, ut vel propter fines, quos mihi in hac tertia cura constitui, ea respicere nunc nequeam; praeterea equidem in Pallavicini amicique interpretatione obfirmatus permaneo. Novissimam expositionem dedit Meutzner, praeceptor Plauensis. Vide Dietschium in Jahn N. J. LIV. I. p. 106. sqq. (p. 109: *Er findet in dem Gedichte eine Verspottung der Pythagoreischen Philosophie, indem Archytas genöthigt werde, seinen Glauben an die Seelenwanderung zurückzunehmen.*)

* * *

Nuperrime ad nos pervenit notitia libri de hoc carmine scholastici: *Horaz. Die 28. Ode des I. Buchs. Nebst einem Anhang über v. 14. u. 15. der 37. Ode des I. Buchs. Von E. Kärcher. Carlsr. 1848.* Quam Kaercheri commentationem ipsam cum nondum tractare nobis contigerit, eius summam verbis Baehrii, viri doctissimi (*Heidelb. Jahrbb. 1848 p. 934.*), hic subiungendam curavimus:

Die Ansicht des Verfassers läuft darauf hinaus, dass an der dialogischen Form allerdings festzuhalten, das Ganze aber nicht bloss für eine Ironie oder für einen Spott auf den menschlichen Stolz und Dünkel anzusehen, sondern darin eine bittere Persiflage enthalten sei auf Theologie und Philosophie, namentlich auf die Auferstehungslehre, wie sie in den Schulen der Philosophen, zunächst der gefeierten und vorzugsweise hochgeehrten Pythagoreer, gelehrt werde, die mit all' ihrer Weisheit, mit all' ihrer Speculation, doch nicht über das hinaus kommen können, was nun einmal auch das Loos aller andern Menschenkinder ist; dass also in dieser Hinsicht Allen auf gleiche Weise ein gleiches Loos — das Todesloos — bevorstehe, und Keiner, auch nicht der Gelehrteste und Weiseste, sich diesem entziehen könne, dass er vielmehr mit dem sich begnügen müsse, was jedem Andern, auch dem Geringsten, zukomme — mit einem Grab.

CARMEN XXIX.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis, et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus, horribilique Medo

XXIX. Inscr. volg. et ST: *Ad Iccium.* — 1. *inuidus* T.

XXIX. Compositum est carmen ante expeditionem, quam iussu Augusti Aelius Gallus a. u. c. 730. suscepit in Arabiam felicem, sed improspero successu. Cfr. Strab. 16, 22: Augustus *ἤ γὰρ φίλοις ἤλπιζε πλουσίοις χρήσεσθαι ἢ ἐχθρῶν κρατήσειν πλουσίων.* Dio Cass. 53, 29. Ad eandem expeditionem refertur Propert. 2, 10, 16: *Auguste, - - domus intactae te tremit Arabiae.* Plin. H. N. 6, 28: *Romana arma solus in eam terram adhuc intulit Aelius Gallus, equestri ordine.* Grotefend et Franke referunt ad a. 727.; sed cfr. Hertzberg quaestt. Prop. p. 217. Hoeck *Röm. Geschichte* I. p. 360. hanc expeditionem vocat: *die Entdeckungsreise des Aelius Gallus nach dem südlichen Arabien.* — Amabili et amica ironia sine ulla acerbitate usus miratur poëta, quomodo Iccius deposito ad tempus philosophiae studio occasionem et opes et gloriam in illa expeditione parandi captarit, ut fecerant sine dubio complures iuvenes eius aequales, propterea nullo probro digni, immo laude, quemadmodum tunc viventes Romani iudicabant, utpote qui Romanum imperium adversus Barbaros defensuri atque aucturi essent. Ad priora autem studia Iccium postea revertisse patet ex Epp. 1, 12. Omnino iniquius de innocente hoc Horatii sodali, cuius patrocinium egregie suscepit Iacobs in Lectt. Venus. p. 3., plerique interpretes iudicarunt, quasi fuerit homo et sordide avarus et stultus, cuiusmodi propudii amicitiam procul dubio respuisset Horatius.

1. Exstat nummus cum inscr. *L. ITI. ROMA.* Eckhel D. N. V. p. 227. attamen *Q. ITIO. Q. F. CLV. Q. ITIVS. L.* est in titulo Larinate apud Guarini *Spigolati* p. 24. Sed *M. Iccius* memoratur apud Cic. Phil. 3, 10. Gentem ignotam vocat Riccio *M. F. R.* p. 103. — Hoc autem exordium *Icci, - - catenas* melius, uti sequentia, interrogative accipi videtur, ut sit: «Quomodo, obsecro, fit, ut nectas catenas?» Languet enim illud sine interrogatione prolatum, et fit quasi frigidiuscula narratio eius, quod nunc cum maxime agat amicus. — *beatis*] Od. 3, 24, 1: *Intactis opulentior Thesauris Arabum.* Idem est ac «pretiosissimis», ut iam apud Hom. Il. λ, 68: *ἀνδρὸς μάχαρος*, divitis. — *nunc*] «cum praeter spem subita occasio te ditandi sese offert.»

3. *Non ante devictis*] Hoc sine ulla ironia dictum manifesto demonstrat carmen scriptum esse ante expeditionis, quam omnes felicissimam fore augurabantur, exitum. — *Sabaeae*] populus Arabiae felicis, quorum caput Saba. Plin. 6, 28: *Sabaei Arabum propter thura clarissimi - -*

Nectis catenas? Quae tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas

4. *horribilisque* Bentl. coni. — 6. Ultimus in B. huius carm. versus.

ditissimi silvarum fertilitate odorifera, auri metallis; idque iam ex antiquissima fama: *Βασιλ. γ', 10, 1: βασίλισσα Σαβὰ ἦλθεν εἰς Ἰερουσαλὴμ ἐν δυνάμει βαρείᾳ σφόδρα· καὶ κάμηλοι αἴρουσαι ἡδύσματα καὶ χρυσὸν πολὺν σφόδρα καὶ λίθον τίμιον.*

4. *Regibus*] A Strabone et Dione rex eorum nominatur *Σαβώς*. Propter num. plur. cogitare licet de principibus, *Emirs*. — *horribilique Medo*] «Parthis, qui nobis sunt formidolosi.» Catull. 11, 11: *horribiles Britannos*. Od. 1, 2, 22: *graves Persae*. Stat. Silv. 1, 4, 78: *arcuque horrenda fugaci Armenia*. Atque iam Pindaro apud Schol. Venet. ad Aristoph. Vesp. 302. Medi sunt *πανδείμαντοι*. Loquitur quasi eadem expeditione Parthis quoque bellum inferre iussus esset Aelius Gallus; quae fortasse tunc erat exspectatio Romanorum, nisi, ut mihi videtur, est potius *ὑπερβολὴ* poëtica; in unos Sabaeos cum pararetur expeditio, omnes iam Orientis populos devictum iri auguratur poëta, ut Od. 1, 12, 56. et Od. 1, 35, 34.

5. *Nectis catenas*] Quod Bentl. voluit *horribilis-catenas*, hoc certe voc. facilius caret *ἐπιθέτῳ* quam *Medus*, cum catenae per se molestiae notionem afferant. Flor. 3, 7: *Primus invasit insulam M. Antonius, cum ingenti quidem victoriae spe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus quam arma portaret.*

6. In pros. or. vel *virgo barbara* vel *virginum barbararum*. Sic Apollonides in Anth. Pal. II. p. 698: *Χαρίτων δέ μοι ἀγχόθι καλὴν ἀθρήσας*, pro *Χάριν καλήν*. Recte interpretantur de regis filia, ut Od. 3, 2, 7: *bellantis tyranni - - adulta virgo.*

7. 8. *Puer*] Non regis filius, sed puer regius, *Page*. Liv. 45, 6: *pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi ad ministerium regis electi*. Sic etiam apud Orientales, de quibus loquitur poëta. Daniel 1, 3: *εἶπεν ὁ βασιλεὺς τῷ ἀρχιευνούχῳ εἰσαγαγεῖν νεανίσκους, οἷς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς μῶμος, καὶ καλοὺς τῇ ὄψει - - καὶ οἷς ἐστιν ἰσχὺς ἐν αὐτοῖς ἑστάναι ἐν τῷ οἴκῳ* (in aula) *ἐνώπιον τοῦ βασιλέως*. Tales autem pocillatores s. pincernae in Inscriptt. *pueri ab cyatho, a potione, a lagena* vocantur. — *Ad cyathum statuetur*] «quem exhaustum repleat ac porrigat domino.» Suet. Caes. 49: *C. Memmius Caesari ad cyathum stetisse Nicomedi obiecit.* (Iuven. 9, 46: *puerum - - dignum cyatho.* HALM.)

9. 10. *Doctus sagittas*] Seres, ultimus Orientis populus Romanis notus, ut omnes fere Orientales, nobiles erant sagittarii. (Tamen haud

Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus et Tiberim reverti,
Cum tu coëmptos undique nobilis
Libros Panaeti Socraticam et domum

13. *coemptus* pr. T. — *nobiles* bScd,LCtFJ. (Ut nos, T, κμνξω.)

negaverim, Seras hoc loco, id quod etiam alibi factum est, cum *Scythis* esse confusos, quorum ipsum nomen a verbo Gothico **skiutan*, hod. *schiessen*, derivandum sagittandi peritiam indicat. Cf. Grimm *Gesch. der d. Spr.* I.²p. 220 sqq.) «More igitur gentis suae *arcu paterno* callet sagittandi artem, qua te dominum aliquando oblectabit.» Minime vero, ut nonnulli voluerunt, ideo hoc adiecit, ut eum Iccio redderet terribilem, quo nihil minus aptum huic fuisset loco. — Strabo 15, 3: *Οἱ Πέρσαι ἀπὸ πέντε ἐτῶν ἕως τετάρτου καὶ εἴκοσι παιδεύονται τοξεύειν καὶ ἱππάζεσθαι.* Charito p. 137. Lips.: *Φαρέτρα καὶ τόξον αὐτῷ παρῆρτητο, Σηρῶν ἔργον πολυτελέστατον. Telum* autem *tendere* pro *κυρίῳ arcum tendere* etiam Virg. Aen. 5, 507. sed per zeugma: *Post acer Mnestheus adducto constitit arcu, Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.* Item Himerius Or. 14, 4. *κυκλοῦσθαι βέλη* pro *τόξοις*.

11. *Pronos*] non de cursu naturali, ut volunt nonnulli, sed: «a cursu naturali repulsi praecipitanter ad montes, unde delabuntur, relabi, et ad fontem Tiberim reverti:» sicque acceperunt Silius 5, 253: *Trasimenus in altos Adscendet citius colles*, item Claudian. Eutrop. 1, 353: *Prona petunt retro fluvii iuga* et in Rufin. 1, 159: *Versaque non prono curvari flumina lapsu In fontes reditura suos.* Eurip. Med. 410: *Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί, Καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται·* unde proverbium Cic. ad Att. 15, 4, 1: *ἄνω ποταμῶν*, ubi omnia perverse fiunt. Ovid. Her. 5, 27: *Cum Paris Oenone poterit spirare relicta, Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.* Trist. 1, 8, 1: *In caput alta suum labentur ab aequore retro Flumina.*

13. *nobilis* iunge cum *Panaeti*, non *nobilis* s. *nobiles libros*. Sic Epp. 1, 19, 39: *nobilium scriptorum auditor et ultor*. Cic. Phil. 5, 5: *Phaedri, philosophi nobilis* cet. Pro altera constr. afferri potest Martial. 7, 97, 8: *Turni - nobilibus libellis.*

14. *Panaetius* Rhodius, Stoicorum princeps, Posidonii doctor, Scipioni Africano minori et Laelio familiarissimus. Floruit circiter a. u. c. 610. Eius libros *περὶ τοῦ καθήκοντος* praecipue secutus est Cicero. (Cfr. de Off. 1, 2. et 3, 2.) — *Socraticos*, imprimis Platonem, Xenophontem, Aeschinem. Propert. 2, 34, 27: *Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris Proderit? — domum*] Seneca Ep. 29: *Idem hoc omnes tibi ex omni domo acclamabunt Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici.* Sic Peripateticorum *familia* Cic. de Div. 2, 1, 3. Epp. 1, 1, 13: *quo me duce, quo Lare tuter*, «quam sectam, *αἵρεσιν* sequar.»

Mutare loricis Hiberis, 15
Pollicitus meliora, tendis?

15. *Hiberis*] Hispaniae Tarraconensis et Norici ferra inter praestantissima erant.

16. *Pollicitus meliora*] «te philosophaturum, non vero rei militari operam daturum.» Excidere videtur ex ironia, verum loquitur cum sodali, qui de his ipsis verbis, ut poëta praevidebat, subridere debebat. — *tendis*] «studiose cogitas.» Epp 1, 19, 16: *tendilque disertus haberi*. Cod. aliq. Glareanus, Muretus: *temnis*, quod Victorius V. Lectt. 17, 13. explicavit: «non dubitas, audes;» sane contra Latinitatem.

CARMEN XXX.

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis

XXX. Inscr. volg. et ST: *Ad Venerem.* — 1. *Gnidi* bSTd,J. — 2. *Cyprom* superscr. *u* B.

XXX. Glycerae amicae, Veneri domi suae supplicaturae, pacem divae precatur. Est *ἀσμάτιον κλητικόν*, cui comparant Anacreontis Fragm. 2. Bergk. ad Bacchum: *Ἄναξ, ᾧ δαμάλης Ἔρως Καὶ Νύμφαι κυανώπιδες Πορφυρέη τ' Ἀφροδίτη Συμπαίζουσιν· ἐπιστρέφεαι δ' Ὑψηλῶν κορυφὰς ὀρέων· Γουνοῦμαί σε· σὺ δ' εὐμενὴς Ἔλθ' ἡμῖν, κεχαρισμένης δ' Εὐχωλῆς ἐπακούειν· Κλευβούλῳ δ' ἀγαθὸς γενοῦ Σύμβουλος· τὸν ἐμὸν δ' Ἔρωτ', Ὦ Δεύννυσε, δέχεσθαι.* Eiusdem generis fuit Sapphus carmen, cuius superest versiculus: *Ἦ σε Κύπρος ἢ Πάφος ἢ Πάνορμος.* Fragm. 7. Bergk. — «Carmen per annos 720 et 730. compositum est. siquidem Glycera eadem est, cuius se amore percussum esse dicit Od. 1, 19, 5. et 3, 19 extr. Kirchner refert ad a. 731.» FRANKE. (De poëticis his amoribus nostram sententiam iam nosti.)

1. *Cnidus,* urbis Doridis in Caria, ubi colebatur Venus a Praxitele ad Phrynes exemplar sculpta. Pausan. Att. 1, 1, 3: *Κνίδιοι τιμῶσιν Ἀφροδίτην μάλιστα.* Cnidi autem teste Pausania 1, 1, 4. tria erant delubra, *Ἀφροδίτης Δωρίτιδος, Ἀχραίας, Εὐπλοίας.* Venus Cnidia, illustrissimum Praxitelis opus, quadamtenus expressa est in *ΚΝΙΔΙΩΝ* nummis. (Praeter huius celebratissimam imitationem, Venerem Mediceam, inter pulcherrima deae simulacra memoranda sunt Melense et Campanum apud Millingen *Anc. Mon.* II. 4, 5, 6.) — *Paphique*] Odyss. *ϑ*, 362: *Ἦ ὅ ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη Ἐς Πάφον· ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε ϑυήεις.* Alcm. Fr. 10. Bergk: *Κύπρον ἱμερτὰν λιποῦσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν.* Virg. Aen. 1, 415: *Ipsa* (Venus) *Paphum sublimis abit sedesque revisit Laeta suas.* De cultu autem Veneris Paphiae consule Taciti Hist. 2, 2.

2. *Sperne*] ut Od. 1, 19, 9: *Venus Cyprum deseruit.* — *Cypron*] *nullas cui praetulit aras Undae diva memor Paphiae.* Lucan. 8, 456.

3. *Thure*] «Ut plurimum de thure et floribus ei sacrificabatur.» SCHOL. Aristaenet. 2, 17: *τιμᾶται Ἀφροδίτη λιβανωτῷ καὶ ϑυσίαις.*

4. *Transfer*] «Eo ex loco, ubi nunc moraris, confer te cet.» — *aedem*] Plerique interpretantur de sacrario («quod etiam in aedificio privato esse potest.» ULPIANUS.) sive larario. Sed partim huius condicionis puellae minus convenire videtur proprium sacrarium: habebat fortasse ut *ἑταίρα* inter alia ludicra, quibus refertum est Museum illud Borbonicum «arcanum», sigillum etiam Veneris aereum, cuiusmodi sigilla deorum etiam apud nos, Vindonissae, Vitoduri, Augustae Rauracorum, (Turici

Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

Fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
Et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

3. *Ture* T. — 7. *iuventa* ex correctione d.

nuper Silenus perquam bellus,) haud raro reperiuntur, unius fere pedis aut sesquipedalia: partim parum aptum est *ἐπίθετον decoram*-sacrario. Quamquam *aedes* num. sing. pro domo rarissime invenitur. Ovid. Fast. 2, 616: *Et vigilant nostra semper in aede Lares.* Gell. 4, 14: *eum sibi fas recipere non fuisse aede sua.* Sed hic quivis sentit plur. *decoras - - aedes* omnino pedestris futurum fuisse orationis. — Sed quid diutius in hariolationibus moramur? cum tota ista Veneris *ἐπιφάνεια* in Glycerae vel coenaculo vel domuncula non sit nisi lepidum poëtae *φάντασμα*.

5. 6. *solutis - zonis*] Cfr. Senecae locum ad Od. 1, 4, 6. allatum. (Boettiger *Aldobrandinische Hochzeit* p. 147. Halm.) — *properentque*] Per syllepsin bis cogitandum est *properent*. Cf. Od. 3, 11, 13: *Tu potes tigres comitesque silvas ducere.*

7. *parum comis*] «sine Veneris gaudiis longe minus grata Iuventas, *Ἥβη*.» Hom. Hymn. in Apoll. 195: *Ἁρμονίη θ' Ἥβη τε Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη.*

8. *Mercuriusque*] Plutarch. Coniugalia Praec. Prooem.: *οἱ παλαιοὶ τῇ Ἀφροδίτῃ τὸν Ἑρμῆν συγκαθίδρυσαν, ὡς τῆς περὶ τὸν γάμον ἡδονῆς μάλιστα λόγου δεομένης, τήν τε Πειθὼ καὶ τὰς Χάριτας, ἵνα πείθοντες διαπράττωνται παρ' ἀλλήλων, ἃ βούλονται, μὴ μαχόμενοι μηδὲ φιλονεικοῦντες.* Phurnutus 16: *ἡγεμόνα παραδιδόασιν τῶν Χαρίτων τὸν Ἑρμῆν.* Id. 24: *Ἀφροδίτη παρέδρους τε καὶ συνέδρους τὰς Χάριτας ἔχει καὶ τὴν Πειθὼ καὶ τὸν Ἑρμῆν διὰ τὸ πειθοῖ προσάγεσθαι καὶ λόγῳ καὶ χάρισι τοὺς ἐρωμένους.*

CARMEN XXXI.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat de patera novum
Fundens liquorem? Non opimae
Sardiniae segetes feraces,

XXXI. Inscr. volg. et ST: *Ad Apollinem.* — 3. 4. *opimas - - feracis* (genit.) C, contra nostros et Pottierii Codd.

XXXI. Cum Caesar Octavianus a. u. c. 726. pro victoria Actiaca templum Apollinis cum bibliotheca in Palatio dedicasset (Suet. Octav. 29. Dio Cass. 53, 1: *τό τε Ἀπολλώνιον τὸ ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτὸ τάς τε ἀποθήκας τῶν βιβλίων ἐξεποίησε καὶ καθιέρωσε*), a. d. VIII. Kal. Nov. (Kal. Amit. et Ant. Ed. meae p. 400.), quid poëta *αἰτάρχης* a deo, poëtarum praeside atque custode, petere debeat, exponit, sua vota avidis volgi precibus opponens, ut Pind. Nem. 8, 37: *χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι Ἀπέραντον. ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἀδὼν καὶ χθονὶ γυῖα καλύψαιμι' Αἰνέων αἰνητά, μομφὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς.* Similiter Propertius de Apolline dedicato 4, 6, 1: *Sacra facit vates.* — Nolim interpretari de privata libatione, sed in aedem Palatinam ante Apollinis simulacrum mente se sistit poëta.

1. *Dedicatur* deus ipse, cui nova aedes consecratur. Cic. de N. D. 2, 23: *ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus.* Ovid. Fast. 6, 637: *Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede Livia.* — *Apollinem*] Apollo Palatinus Scopae Parii, nobilissimi sculptoris, Praxitelis aemuli, erat opus ab Octaviano Romam ex Graecia transportatum. Plin. 36, 5, 4. De quo Propertius 2, 31, 11. Hertzb., quae elegia iisdem diebus composita est: *Deinde inter matrem deus ipse interque sororem Pythius in longa carmina veste sonat.* Erat Latona Praxitelis, Apollo citharoedus Scopae, Diana Timothei.

2. *novum*] Vino hornotino libare solebant, ut Od. 3, 23, 3: *horna fruge Lares placare.* Petron. C. 130: *Spumabit pateris hornus liquor.* (Od. 1, 19, 15: *bimi - patera meri.*)

3. *opimae - - feraces*] Ex auctoritate Codd. antiquiss. Oberlini B, Vanderburgii et meorum haec lectio praestat alteri: *opimas - - feracis.* Quaecunque contra Codd. afferri possunt, operose atque erudite exposuit Lübker; sed quod dicit v. *opimus ἐπίθετον* quidem esse posse singularum urbium, ut *Larissae*, ut *Capuae*, neutiquam vero totius insulae, id concidit uno versiculo Virgiliano Aen. 1, 621: *opimam Cyprum.* Nec de urbe ipsa, sed de toto tractu vicino dixit Od. 1, 7, 11: *Larissa opima.* Od. 2, 12, 22: *pinguis Phrygiae opes.* (Sane, si fides collatori, Oberlini A. Sec. X. habet *opimas.*)

4. *Segetibus* tribuitur *ἐπίθετον feraces*, quod proprie agrorum est. Tibull. 1, 3, 61: *Fert casiam non culta seges.* Siciliam et Sardiniam *benignissimas urbis Romae nutrices* vocat Val. Max. 7, 6, 1.

5. *aestuosae*] «solis ardore torri-

Non aestuosae grata Calabriae
Armenta, non aurum aut ebur Indicum,
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

Premant Calena falce quibus dedit
Fortuna vitem, dives et aureis

5. *laeta* Paldamus. — 6. *ebor* T. — 9. *Calenam* Bentl. coni. — 10. *et*] *ut* B, pr. β et corr. γ, Porphyrio, Pott. quinque, Bentl.

dae.» Ep. 1, 27: *Pecusve Calabris ante sidus fervidum Lucana mutet pascuis.* — *grata - armenta*] «pulchra et pinguia, quae dum pascuntur, *gratum* non solum domino, verum etiam per pascua deambulanti viatori spectaculum praebent.» Hoc ἐπίθετον simplex, hoc naturae rei aptum, ac risisset profecto poëta, si quis eum substituere iussisset *laeta*. Miro casu, quem tamen iam aliquoties notavimus, Mönch et Hofman Peerlkamp in eandem inciderunt coni.: *Graia - - armenta*. Sane oves Tarentinae propter lanae praestantiam erant nobilissimae appellabanturque *Graecae, Graecum pecus*. Cfr. Columellam 7, 4. Plin. H. N. 8, 48. Verum *oves* non sunt *armenta*, quorum ἐπίθετον *Graia* miros procul dubio risus lectoribus excussisset.

7. *Liris*] fluvius in finibus Latii et Campaniae, perfluens Minturnas, hodie *Garigliano*. Od. 3, 17, 8.

8. *Mordet*] Simili imagine etiam *rodere* et *terere* de fluviis ripas sensim eluentibus usurpatur. Lucret. 5, 257: *et ripas radentia flumina rodunt*. Claud. Cons. Prob. 259: *terens querceta Maricae Liris*. — *taciturnus*] Cfr. Isaiae 8, 6: *aquae Siloë, quae vadunt cum silentio*. Tibull. 1, 7, 13: *An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis Caeruleus placidis per vada serpis aquis?* Silius 4, 350: *Et Liris nutritus aquis, qui fonte quieto Dissimulat cursum ac nullo mutabilis imbri Perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas.*

9. Sententiae ita nectuntur: «Id vero mea minime refert, quid optent homines de plebe. Habeant sibi, quae expetunt: equidem paucis contentus sum.» In harum autem duarum stropharum εἰρωνείᾳ maxima huius odarii virtus posita est. — *Premant*] pro pedestri v. *putent*; quia nimiam pampinorum ac palmitum luxuriem falx *vineatica* Catoni R. R. 11., *putatoria* Palladio 1, 43, 1., cultellus incurvus vinitoris, comprimit, compescit. Virg. Ge. 1, 157: *ruris opaci Falce premes umbras*. Ovid. Met. 14, 628: *adunca - falce, Qua modo luxuriem premit et spatiantia passim Brachia compescit*. Ita Graeci quoque. Plutarch. de aud. Poët. p. 58. Wytt.: ὅπου ὑλομανεῖ τὸ μυθῶδες, ἐπιλαμβανόμενοι κολούωμεν καὶ πιέζωμεν, ex ἡμερίδος, vitis, comparatione. Ceterum cuivis manifestum fore equidem putaram, de vinearum fertilium possessione, non vero de ipso opere rustico in iis faciendo, loqui poëtam; contrarium videtur Lübkero, cui qui volet assentiat; ego non. — «Recentiores quidem editiones ponunt commata post vv. *falce* et *Fortuna*. At rectius tolluntur, ut accusativus *vitem* non *premant* solum sequatur, sed etiam

Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce,
Dis carus ipsis, quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. Me pascunt olivae,

11. *cui illis* B, *culillis* T. — 15. *pascant* cum λ et Tan. Fabro Bentl. (*pascunt* omnes mei et Pottierii.)

alterum *dedit*: «premant vitem li, quibus Fortuna dedit vitem.» Dillenburger, cui ultro obsecutus sum. Saepius enim, quam adhuc factum est, duplici huiusmodi constructione difficiliores poëtarum Latinorum locos commode explanari posse mihi persuasum est. — *Cales*, Campaniae oppidum in agro Sidicino, hodie *Calvi*. In prosa orat.: «Vineas feraces Calibus habeant, quibus id concessit Fortuna.» Od. 1, 20, 9: *Caleno prelo domitam uvam*, inter vina generosiora.

11. *exsiccet*] «epotet», cum aliqua aviditatis significatione. Cic. ad Famil. 16, 26: *lagenae - - furtim exsiccatae*. Od. 1, 35, 27: *cadis Cum faece siccatis*. — *culullis*] «Calices fictiles, quibus pontifices virginesque Vestales in sacris utebantur.» Schol. Tum de divitum grandioribus poculis (*Humpen*). Art. poët. 434.

12. *Syra - merce*] aromatis atque unguentis ex India et Arabia in Syriae Phoenicesque oppida convectis et inde Romam delatis; pro his igitur mercator *reparat*, vicissim parat, permutat vina Graeca et Italica. Permutationem autem ante oculos nobis ponit poëta ut actionem evidentiorem et, prope dixerim, magis poëticam quam sordidam ac quotidianam vini emptionem factam ex quaesticulo, quem ei procuravit Syra merx commode vendita. Monendum hoc erat propter Lübkeri contrariam sententiam. Etenim, ut Sat. 2, 3, 129: *servos - - quos aere pararis*, sic h. l. *reparare* est «mercis loco (permutatione) *parare*.» Bentleii interpretatio «*condita*, medicata nardo», repugnat consuetudini Latinae. Altera lectio *ut aureis*, orta ex coniunctivo *exsiccet*, falsam hanc infert sententiam: «Alii Calibus vineta ad eum finem colant, ut pretiosa vina habeant mercatores.» Manifesto duo volgi genera παραλλήλως ponuntur, hinc vinearum possessores, illinc divites mercatores.

13. *Dis carus ipsis*] *Κατ' εἰρωνείαν*. «Mercatori isti deos valde propitios esse, magis certe quam pauperi poëtae, illud profecto clare demonstrat, quod quotannis aliquoties in terras longe remotas sine ulla iactura et sine naufragio penetrat. Ego vero deliciis, quibus ille fruitur, spretis, simplicissimis quibusque cibis utor.»

15. Indicativus *pascunt* et auctoritate Codd. commendatur, et ipsa sententia, quae potius requirit rem certam, praestat optativo.

16. *cichorea*] Quasi a *κιχορεῖον* pro *κιχώριον*, volgari Latinorum pronuntiat. *cichorium*. Celsus 2, 24: *stomacho apta sunt intubus* (cichorii species), *lactuca* cet. — *leves*] «stomachum non gravantes, facile concoquendae.» Ep. 2, 58: *aut gravi Malvae salubres corpori*. Cel-

Me cichorea levesque malvae.

Frui paratis et valido mihi,
Latoë, dones et, precor, integra
Cum mente, nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

16. *cichorae* T. — 18. *Letoe* Mss. Heinsii Adverss. p. 169. — *et*] BSTd, «nostri libri» Bentl., CtF, *ac* bc, Codd. Cruquii, Pott. unus 12, Bentleius. *(atque* δ ap. Kirchn. Quaestt. N. Horat. p. 56.)

sus 2, 20: *boni suci urtica, malva.* Eandem sententiam ὁ παμφάγος Ἀλκμὰν sic expressit Fragm. 17. Bergk de se: *Οὔτι γὰρ ἠὺ τετυγμένον ἔσθει, Ἀλλὰ τὰ κοινὰ γάρ, ὥσπερ ὁ δᾶμος, Ζατεύει.* Eur. Fragm. Inc. 111. Dind.: *ἀρκεῖ μετρία βιοτά μοι σώφρονος τραπέζης.*

17 – 20. *paratis*] «partis.» Plaut. Rud. Prol. 38.: *Rem bene paratam comitate perdidit.* Epp. 1, 2, 50: *comportatis rebus bene – uti.* Sic potius explicarim quam: «iis, quae prompta sunt et facilia paratu.» Menander in *Κόλαξι* p. 101. Mein.: *θεοῖς Ὀλυμπίοις εὐχώμεθα Ὀλυμπίασι πᾶσι πάσας – – διδόναι σωτηρίαν, ὑγίειαν, ἀγαθὰ πολλά, τῶν ὄντων τε νῦν ἀγαθῶν ὄνησιν πᾶσι. — Latoë*] a Graeco *Λητῷος, Λατῷος*, ut Anth. Pal. 1, 278: *Λατῴα.* Seneca Oedip. 230: *Letoa vates,* Pythia. Et hanc formam *Letoë* Cod. Leid. praeferebat N. Heinsius. Ovid. Met. 7, 384. 8, 15. 11, 196. utitur formis *Letois, Letoia, Letoius.* — Respondere sibi *et valido* (quod ad corpus attinet) *et integra cum mente* non perspicientes scripserunt *at precor* alii, alii *ac precor.* Iuvenal. 10, 356: *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.* Seneca Ep. 10: *Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis.* Duo igitur voti Horatiani membra haec sunt; alterum: «Dones mihi et valido et integra cum mente paratis frui»; alterum: «Dones mihi degere senectutem nec despectam neque ἄλυρον.» Cic. Cat. mai. 20: *Sed vivendi finis est optimus, cum integra mente ceterisque sensibus opus ipsa suum eadem, quae coagmentavit, natura dissolvit.* — *integra cum mente*] non est *sceleris pura* (Od. 1, 22, 1.), sed «sana, omnes suas vires conservante.» — *turpem*] «miseram et contemptam propter animi et corporis vires debilitatas atque exstinctas.»

20. *cithara carentem*] ἄλυρον, «in qua poëticis studiis renuntiare cogar.» Eurip. Herc. fur. 676: *μὴ ζῴην μετ' ἀμουσίας, ἀεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην· ἔτι τοι γέρων ἀοιδὸς κελαδεῖ Μναμοσύναν.* Eurip. Fragm. Erechth. 13. Dind.: *Κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν Ἀράχναις, μετὰ δ' ἡσυχίας πολιῷ Γήρᾳ συνοικοίην· Ἀείδοιμι δὲ στεφάνοις κάρα Πολιὸν στεφανώσας, Θρηΐκιον πελταν πρὸς Ἀθάνας Περικίοσιν ἀγκρεμάσας θαλάμοις, Δέλτων τ' ἀναπτύσσοιμι γῆρυν, Ἃν σοφοὶ κλέονται.* Theognis 789. Bergk: *Μή ποτέ μοι μελέδημα νεώτερον ἄλλο φανείη Ἀντ' ἀρετῆς σοφίης τ', ἀλλὰ τόδ' αἰὲν ἔχων Τερπoίμην φόρμιγγι καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ, Καὶ μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὸν ἔχοιμι νόον.*

CARMEN XXXII.

Poscimur. Si quid vacui sub umbra.

XXXII. Inscr. volg. *Ad lyram.* — *Ad Lydiam de carminibus suis* S. — *Ad liram de carminibus suis* T. — 1. *Poscimus* BSTd et corr. b,Lt et Bentl. (Ut nos c, pr. b, $\gamma\mu$, pr. β et λ, Bland. tres, Pottierii sex.) — *umbra*] *antro* cum ξ (aliquoties interpolato) Bentl.

XXXII. Vide Excursum.

1. *Poscimur*] Ovid. Met. 2, 143: *non est mora libera nobis; Poscimur.* 5, 333: *Poscimur, Aonides.* Fast. 4, 724: *Palilia poscor. Non poscor frustra si favet alma Pales.* Stat. Achill. 1, 539: *Nos vocat iste labor.* Pind. Isthm. ξ', 6: *Αἰτέομαι χρυσέαν καλέσαι Μοῖσαν.* Quam molestum ac prope dixerim importunum h. l. esset *Poscimus,* senties ex Propertii 4, 1, 73: *aversus Apollo: Poscis ab invita verba pigenda lyra.* Etiam sententia friget: «Poscimus a te, barbite, Latinum carmen: age, dic hoc ipsum carmen.» — *vacui*] a curis soluti et otiosi, ideoque ad carmina componenda idonei ac prompti»; alio igitur sensu atque Od. 1, 6, 17: *nos proelia virginum Cantamus vacui.* — *sub umbra*] Epp. 2, 2, 78: poëta *Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra.* Martial. 9, 85: *Haec ego Pieria ludebam tutus in umbra.* Varia lectio *sub antro* est ex illis, in quas prope inviti incidebant librarii, cum similes loci obversarentur scribentium animo, ut Od. 2, 1, 39: *Dionaeo sub antro.* Od. 3, 4, 40: *Caesarem - - Pierio recreatis antro.* Praeterea Cod. Galeanus ex iis est, qui eiusmodi singularia habent, ut interpolationis et variationum etiam consulto factarum magnopere suspecti sint. — *Si quid* cet.] Particulam *si* in obtestationibus usitatam esse docuit Bentleius. Virg. Aen. 1, 603: *Di tibi, - si quid usquam iustitia est, - - Praemia digna ferant.* Aen. 2, 536: *tibi Di, si qua est caelo pietas, - Persolvant grates dignas.* Aen. 6, 529: *Di talia Graiis Instaurate, pio si poenas ore reposco.*

2. *Lusimus*] Spontaneus nec legibus obstrictus poëtarum impetus crebro lusui comparatur. Virg. Ecl. 1, 10: *Ludere quae vellem calamo permisit agresti.* — *tecum*] Virg. Ecl. 8, 21: *Incipe Maenalios mecum mea tibia versus.*

3. 4. *Vivat*] Epp. 1, 19, 2: *Nulla placere diu nec vivere carmina possunt* cet. Liv. 39, 40. de M. Catone cens.: *vivit immo vigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis.* — *dic*] de instrumentis musicis, ut de iisdem apud Graecos $\varphi\vartheta\acute{\varepsilon}\gamma\gamma\varepsilon\sigma\vartheta\alpha\iota$ et $\lambda\alpha\lambda\varepsilon\tilde{\iota}\nu$. Confer Iacobs Del. Epigr. p. 30. — *Latinum*] nequaquam otiosum est $\grave{\varepsilon}\pi\acute{\iota}\vartheta\varepsilon\tau o\nu$, verum plane ut Od. 4, 6, 27: *Dauniae defende decus Camenae, Levis Agyieu,* cum vi atque evidentia novam suam poësin Latinam Graecae, illius utique exemplari, opponit.

4. *Barbite - - modulate*] mascul. genere, ut apud Graecos posterioris

Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures, age, dic Latinum,
Barbite, carmen,

Lesbio primum modulate civi,
Qui ferox bello tamen inter arma,
Sive iactatam religarat udo
Litore navim,

2. *in*] *per* superscr. *in* d. — 8. *navem* bSc et Bentl. (*navim* ceteri nostri, etiam d.)

aetatis. Antea vel ἡ *βάρβιτος* vel τὸ *βάρβιτον*.

5. «Quo primum Alcaeus usus est», qui floruit Olymp. XLIV. a. Chr. a. 604. — *Modulate* passive ut saepe. Quintil. 9, 2, 35. *canticis ad aliorum similitudinem modulatis.* Qui active accipiunt, supplent *carmina*. Modulamur autem proprie carmen modos ei aptantes; deinde etiam lyram ipsam, modos carmini aptos certaque ratione inflexos ac temperatos ex ea cientes, ut h. l. et Pseudotibull. 3, 4, 39: lyram *plectro modulatus eburno, Felices cantus ore sonante dedit.* — *civi*] quo vocabulo ipso callide delecto significat Alcaeum patriae libertati semper studuisse saepeque *mersatum esse civilibus undis.*

6. *ferox bello*] Dimicavit et adversus Athenienses et adversus tyrannos patriae suae, Myrsilum atque Pittacum. Od. 2, 13, 30. ubi vide. Dionysius Hal. V. 421. Rsk.: Ἀλκαίου σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ μετὰ δεινότητος, ἔτι δὲ τοὺς σχηματισμοὺς μετὰ σαφηνείας, ὅσον αὐτῆς μὴ τῇ διαλέκτῳ κεκάκωται, καὶ πρὸ ἁπάντων τὸ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἦθος· πολλαχοῦ γοῦν τὸ μέτρον εἴ τις περιέλοι, ῥητορικὴν ἂν εὕροι πολιτείαν. (πραγματείαν Schneidewin.) In illis quidem ὅσον μὴ - - κεκάκωται prævum inest iudicium; ipsa enim dialectus Aeolica Alcaei et Sapphus carminibus miram sane suavitatem praebet ac nativam gratiam. — Athen. 14, 23: Ἀλκαῖος - - πρότερα τῶν κατὰ ποιητικὴν τὰ κατὰ τὴν ἀνδρείαν τίθεται, μᾶλλον τοῦ δέοντος πολεμικὸς γενόμενος.

7. *religarat*] «retinaculis destinarat.» Sat. 1, 5, 18: *retinacula - Nauta - saxo religat.* Virg. Aen. 7, 106: *religarat ab aggere classem.* Ovid. Met. 14, 248: *religata in litore pinu.* Lucan. 8, 790: *Nautaque ne bustum* (Pompeii) *religato fune moveret.* Falso nonnulli explicarunt: «solvere retinacula», ut arbitror, ex Catulli 63, 84: *Cybele religat iuga manu.* Est igitur: «Sive erat in castris, sive in portu aliquo manserat a longa ac difficili navigatione requiescens.» Alterum *sive* omissum, ut Od. 1, 6, 19. Sat. 2, 5, 11. et aliquoties apud Tacitum, v. c. Ann. 2, 24: *visa, sive ex metu credita.* — *Udum* (ἁλίκτυπον) *litus* hoc exemplum secuti usurparunt posteriores quoque poëtae. Cfr. Markland ad Stat. Silv. 2, 2, 15. Virgilius sic loqui nondum ausus est, cum *udus* proprie dicatur de interno humi humore.

Liberum et Musas Veneremque et illi
Semper haerentem puerum canebat
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.

9. *Liberum*] Significat eius ἆσματα συμποσιακά, ut Fragm. 41. Bergk.: *Οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικάδεα Ἀνθρώποισιν ἔδωκε.* Athen. 10, 33: *Ἀλκαῖος μεθύων ἔγραφε τὰ ποιήματα.*

10. *puerum*] Venerem et Cupidinem, perpetuum illius comitem, pila ludentes exhibet vas pulcherrime pictum apud Millingen *Mon.* I. T. 12. — *Haerere* autem *alicui* etiam Virg. Aen. 10, 780: *missus ab Argis Haeserat Euandro.*

11. *Lycum*] puerum amatum. Cic. Tusc. 4, 33: *Fortis vir in sua re publica cognitus, quae de iuvenum amore scripsit Alcaeus!* et de N. D. 1, 28: *Naevus in articulo pueri (in Lyco puero* Bergk.) *delectat Alcaeum.* In Fragm. 57. Bergk. sic memoratur: *Οὐκ ἔγω Λύκον ἐν Μοίσαις ἀλέγω*, id est, *ὑμνῶ*, tempore fortasse, quo iratus ei erat, ut solent amantes. — *nigris oculis*] A. Poët. 37: *Spectandum nigris oculis nigroque capillo.*

13. 14. *decus*] ἄγαλμα. Tibull. 4, 2, 22: *Et testudinea Phoebe superbe lyra.* — Neque vero χέλυς, *testudo*, poëticus tantum est tropus, sed reapse ex testudinibus etiam posteriore tempore conficiebantur lyrae. Pausan. 8, .54, 7: *παρέχεται δὲ τὸ Παρθένιον καὶ ἐς λύρας ποίησιν χελώνας ἐπιτηδειοτάτας.* — *dapibus*] Omnino testudo *δαιτὸς ἑταίρη.* Hom. Hymn. in Merc. 34. — *supremi - - Iovis*] Iliad. α, 602: *(θεοὶ) Δαίνυντ', οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐίσης, Οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ' Ἀπόλλων.*

15. 16. *lenimen*] quae animum curis fatigatum recreat, *τερψίνοος.* Pind. Isthm. 7, 1: *λύτρον εὔδοξον - - καμάτων - - κῶμον.* — *cunque*] Tantopere in hoc v. *cunque* usu haeserunt Critici, ut Bentleius *cuique*, HP. *tuque* coniicerent. Sed recte, puto, Regel: «*cunque* eandem vim habet, quam in compositis vv. *quandocunque, quotiescunque,* ut temporis notionem latissime patere significet. Temporis notio inest in participio *vocanti*; in cuius locum si substituis *quando vocavero*, vocis significatio satis clara est.» — Erit tum quasi tmesis v. *quandocunque* similis aliquatenus Lucretianis illis 2, 21: *pauca videmus Esse opus omnino quae demant cunque dolorem.* Ib. 113: *Cum solis lumina cunque Insertim fundunt radios.* Item 5, 313. Ib. 567. et 6, 85. Omnibus his quinque locis *cunque* firmatur etiam a Codice Basileensi Pomponii Laeti manu scripto, quem ipse contuli ad Ed. Forbig. Cic. de Or. 3, 16, 60: *quam se cunque* cet. Cuningham. Animadvv. p. 420. affert e Cod. Theodos. 12, 6, 32: *Aurum sive argentum cunque a possessore confertur, arcarius vel suspector accipiat,* ubi nunc Hugo Iur. Anteiust. T. II. p. 981. minus recte ex Cod. Iust., ut mihi quidem videtur, recepit *quodcunque*; nam antiquior formula, a compilatoribus Cod. Theodos. servata, retinenda erat. (Haec omnia moneo propter Hand

O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve
Rite vocanti.

15. *mihi*, *cuique*, *salve* malebat Bentleius.

Tursell. T. II. p. 174.) — *Mihicunque* autem iungere, quod nuper quidam proposuit, id vero Latinitati prorsus repugnat. — *Rite*] «caste et pie, quemadmodum decet talibus in precibus.»

EXCURSUS

Ad C. XXXII.

Manifestum fit e v. *Poscimur*, maioris ac gravioris alicuius incepti lyrici hoc esse veluti prooemium. Quis autem eum *poposcerit*, non liquet nec vanis hariolationibus indulgere placet; ipse enim consulto rem occultavit, ut is, qui poposcerat, leniter subridens se ipsum agnosceret primus, ac fortasse solus. Alii divinarunt invitatum esse Horatium vel ab Augusto vel a Maecenate vel ab alio amico vel a semet ipso vel a cuncto populo Romano; alii de uno aliquo carmine (Od. 1, 2. vel 1, 12) intelligunt, alii de edendis carminibus tunc iam elaboratis, uti volunt Scholiastae veteres. Quo igitur difficile illud inceptum prospere cedat, Sapphus secutus exemplum (Fr. 70. Bergk: *Ἄγε δῖα χελύννη, λέγε, φωνᾶσσα δὲ γίνεο.*) barbiton suum salutat eiusque tamquam Musae auxilium invocat. Tota autem difficultas carminis, ubi per se spectetur, simplicissimi, in eo vertitur, quod ambigunt interpretes, quonam modo construi debeant verba v. 2. *quod - - plures*, utrum ad *Si - - tecum*, an ad sequentia *age, dic*. Hanc quidem posteriorem rationem Bentleius, *Poscimus* praeferens, necessario sequi debuit neque aliud sane intelligere potuit carmen quam hoc ipsum C. XXXII., haud satis expendens, quam arroganter vel potius absurde immortalitate imprimis dignum hoc ipsum odarium poëta iudicasset. Eandem constructionem, Bentleio sane non inspecto, multis verbis commendare studuit Gargallus, legens *Poscimur* et alius carminis prooemium recte agnoscens; HP. denique, Bentleio non memorato, ipse quoque ad seqq. rettulit nec tamen, utrum ad hoc carmen XXXII. an ad aliud referret, nobis exposuit. Verum hi omnes non satis pensitarunt, quam mirum foret hoc enthymema: «Barbite, si quid ludibundi iam ante cecinimus, propter hoc ipsum nunc iam serium ac longe gravius dic carmen Latinum.» Quapropter necessario redeundum est

ad priorum Interpretum, item Regelii et Luebkeri constructionem, *si quid - -, quod - - plures*, id est, dempta imagine: «Si quid vel in levioribus argumentis tractandis tam prospere mihi cessit, ut carmina mea ex sincero amicorum iudicio digna sint posteritate, agedum me nunc, *cum poscor*, ad maius etiam inceptum excitabo. Id vero eiusmodi esto, immo, si spes boni eventus me non fallit, eiusmodi erit, ut *Latinum* meum *carmen* assequatur Alcaei, magni mei exempli, acres et altos spiritus, quibus eius *μέλη πολιτικὰ καὶ πολεμικὰ* plena sunt.» — Carmen autem hoc inter annos u. c. 724—730. compositum videtur. V. Franke F. H. p. 166.

Lübker S. 181. «*Um Geist und Tendenz seiner Muse zu charakterisiren, gibt Horaz hier vielleicht die erste Nachweisung seiner Beziehung zum griechischen Vorbilde, ausgeführt und in bestimmten Zügen entwickelt, die, so gelegentlich sie auch nach Form und Inhalt hier angebracht scheinen, doch das Hauptlob der Dichtkunst in unserer Ode begründen; hier weist er auf das vorschwebende Ziel hin, Ode.* 4, 3, 23. (*Vgl.* 6, 25.) *und Epp.* 1, 19, 32. *kann er sich schon auf vorliegende Resultate und allgemeinere Anerkennung stillschweigend berufen.*

CARMEN XXXIII.

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae, neu miserabiles

XXXIII. Inscr. volg. *Ad Albium Tibullum.* — *Ad Albium* S, *Ad Albinum* T. — 2. *Inmitis* Tcd.

XXXIII. Albium Tibullum, dulcissimum illum poëtam, Horatio intima familiaritate coniunctum (Epp. 1, 4.) consolatur de fide ei a Glycera laesa (anno u. c. 728 Walck., 729 Franke.). Glycera autem (sive Glycere, ut est apud Plaut. Mil. gl. 2, 5, 26. et Mart. 14, 187.), ab ipso Tibullo nunquam memorata, itemque ignorata ab Ovidio Amor. 3, 9. in Tibulli epicedio, utique diversa videtur et a Delia et a Nemesi, etsi fuerunt, qui maxime propter eandem syllabarum quantitatem contenderent, hoc nomen positum esse pro Nemesi. Etiam Lachmannus *(Hall. Ltztng.* 1836. N. 110.) favet huic Dissenii opinioni, nescio quo iure comparans Tib. 2, 3, 37: *ut nostra sint tua castra domo,* et 2, 6, 36: *sis mihi lenta veto.* Qui volaticos ipsos Romanorum *mille puellarum, puerorum mille furores* nimis ad vivum resecare studeant pluraque de iis scire se fingunt, quam poëtae ipsi nobis tradiderunt, saepe risum movent iis, qui diutius inter Gallos vel Italos versati sunt. Neque cur ad Glyceram referantur Tibulli 4, 13. et 14., ulla exstat ratio. («Scriptum hoc carmen auctumno anni 728., cum Tibullus rure latens Planiae (Neaerae) perfidiam ploraret et paullo ante Libri 3. Eleg. 2. et 6., vere *miserabiles elegos* cecinisset.» Spohn. Sed Elegg. liber tertius non est Tibulli.) Paldamus *(Ztschr. für Alterthw.* 1837. N. 115.): *Tibullus musste in publicirten Gedichten die Glycera besungen haben; sonst erlaubte der Gebrauch nicht eine Privatsache dergestalt öffentlich zu machen.* Unde petitum hoc? Fortasse a Galli Lycoride Virgilio memorata; sed quidni licuerit Horatio, poëtae alicuius, hic quidem Tibulli, amicam vel puerum delicatum memorare perinde atque alibi Lycidam Sestii, Lydiam et Sybaris et Telephi, ac tales amores fingere ab illo esse cantatos.

1. *plus nimio*] ut Od. 1, 18, 15. Etiam in pedestri oratione M. Antonius Ep. ad Att. 10, 8. A.: *te nimio plus diligo,* ac similiter Plaut. Bacch. 4, 4, 21: *nimio minus, multo parum.* Vel propter caesuram melius iungas *plus nimio memor,* ut puncto post v. *doleas* posito significatur in Cod. Turic., quam *doleas plus nimio.*

2. *Immitis Glycerae*] «nullo amoris sensu tactae,» grato lusu inter *ἐπίθετον* et nomen *Γλυκέρα, Γλυκέριον* a dulcedine ductum. «Sic alibi *dulce loquens Lalage, mitis Gorgo, iniusta Adrastea, πικρὸν Γλυκέριον.*» Iahn.

Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
Declinat Pholoën; sed prius Apulis
Iungentur capreae lupis,

7. *Declinet* pr. T, sed ab ead. manu corr. in *Declinat*. — *Apulis* Td et probabiliter etiam reliqui mei, quos rursus examinare nunc non potui: *Appulis* volgo.

2. 3. *miserabiles - elegos*] Liv. 26, 3: *miserabiliter scriptae litterae*. Hos nunquam editos, sed cum amicis tantum communicatos, postea fortasse ab ipso Tibullo, quod ei displicerent, deletos esse suspicantur. Quid, si nunquam scripti sunt? ut dicat Horatius: «propter perfidam illam» («quam aut re vera amas, aut quam a te amari per iocum fingo;» hoc enim nos ignoramus:) «noli flebiles, queribundos elegos componere, ut fecisti in Deliae (fortasse etiam Nemesis) amore, propterea quod iunior tibi rivalis anteponatur. — *Decantes*] Ut nostrum *hersingen*, de cantilena flebiliore et vocis varietate carente. — *cur*] De hoc v. *cur* usu pro *quod* post vv. maxime *accusandi, dolendi, irascendi* (Epp. 1, 8, 9: *irascar amicis, Cur properent* cet.), *mirandi*, cfr. Hand Turs. II. p. 177. et Lübker ad h. l. Mihi quidem videtur enuntiatum proprie ex his duobus contractum: 1) ne dolens dicas: «Cur mihi iunior praefertur?» 2) noli dolere, quod tibi iunior praeferatur.

4. *praeniteat*] pr.: «Glycerae nitidior ac formosior videatur.»

5. Inconstantiam amorum atque dissidia certis quibusdam exemplis, a se, ut opinor, fictis, cum delectu nominum grate sonantium depingit. Comparant Moschi Idyll. 6, 1: Ἦρα Πὰν Ἀχῶς τᾶς γείτονος, ἤρατο δ' Ἀχῶ Σκιρτητᾶ Σατύρω, Σάτυρος δ' ἐπεμαίνετο Λύδᾳ κ. τ. λ. Callimach. Epigr. 32, 5: *Οὔμὸς ἔρως τοιόσδε, τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέτεται.* — *tenui fronte*] Epp. 1, 7, 26: *nigros angusta fronte capillos*. Martial. 4, 42, 9: *Frons brevis atque modus breviter sit naribus uncis*. Petronius C. 126. feminam pulcherrimam describens: *Frons minima et quae apices capillorum retro flexerat*. Winckelm. *Mon. ined.* T. LIII: *La bassezza della fronte vien commendata da Orazio, quando loda* Insignem - - Lycorida, *di cui ben capirono il vero senso gli antichi interpreti, i quali lo spiegano:* «angusta et parva fronte, quod ex pulchritudinis forma commendari solet.» — *Lycorida*] Hoc nomine antea Cornelius Gallus suos amores cecinerat.

6. *Cyri*] Od. 1, 17, 25. est huius nominis Tyndaris amator. — *torret*] Eadem metaphora Sappho Fr. 115. Bergk.: Ὄπταις ἄμμε.

7. *Declinat*] «A Lycoride aversus propendet in Pholoën illam difficilem ac renitentem.» — *Pholoën*] Od. 2, 5, 17: *Pholoë fugax*. Od. 3, 15, 7. Marathi et Pholoës

Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub iuga aënea
Saevo mittere cum ioco.

Ipsum me, melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Hadriae

10. *imparis* T, *inpares* c. — 12. *Ioco* F. — 15. *Adriae* d.

amores atque dissidia canit Tibullus 1, 8. — *Apulis*] Falsa est multorum doctrina poëtas, cum prima producta velint uti, geminare litt. *p.*, cuius quidem geminationis vestigia in libris optimae notae nusquam apparent. Cfr. Mart. Lag. ad Lucan. 2, 608: *Apula rura.*

8. *Iungentur*] Cfr. Epod. 16, 30. Aristoph. in Pace v. 1076: *πρὶν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.* Virg. Ecl. 8, 27: *Iungentur iam grypes equis.*

9. *peccet*] «sese dedat Cyro, qui turpis ei videtur, laedatque fidem alii datam.» — *Adulter* autem ut Od. 1, 36, 18: *nec Damalis novo Divelletur adultero.* Od. 1, 25, 9. *moechus* est idem quod amator.

10. 11. *Sic visum Veneri*] Ovid. Met. 1, 366: *Sic visum superis;* de rebus, quae mortalibus minus gratae sunt. — «Venus, quae crudele oblectamentum ex hoc ioco sibi quaerit, incendit et mares et feminas amoribus, quorum propter animorum et formarum dissimilitudinem nullus est successus nec fructus, itaque eos ament necesse est, a quibus non redamentur.» Cfr. Od. 3, 9, 17: *Quid, si prisca redit Venus Diductosque iugo cogit aëneo?* — Hoc quoque loco *sub iugum aëneum mittere* significat subdere iugo firmissimo ac durissimae addicere servituti, ut Claudian. Cons. Prob. 81: *hic sub iuga ferrea mittit Cornipedes;* nec vero cum nonnullis cogitandum de more illo bellico devictos hostes ignominiae causa *sub iugum mittendi.*

12. *ioco*] Non «deus *Iocus*», ut Od. 1, 2, 34: *Quam Iocus circum volat et Cupido,* et iam apud Plautum Bacch. 1, 2, 8: *Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium, Iocus, Ludus, Sermo, suavis Saviatio;* quemadmodum interpretantur nonnulli hoc quoque loco *Ioco* scribentes, sed est «lusus», ut Od. 3, 27, 67: *Perfidum ridens Venus, -- ubi lusit satis* cet. (De usu v. *cum* cfr. Hand Turs. II. p. 158.)

13. 14. «Cum dea Venus me amore puellae melioris incenderet et in eo essem, ut Myrtalen relinquerem cet.» H. Peerlk. Sine imagine: «Cum probioris puellae amore iam saucium factum me sentirem, in servitute tamen me retinuit prior amor.» — *compede*] ut Od. 4, 11, 23: *tenetque grata Compede vinctum.* — *Myrtale*] Frequentissimum libertinarum nomen in Inscriptionibus. Vide Bentleium.

15. *fretis acrior*] «mobilior atque iracundior *(aufbrausender).*» Od. 3, 9, 23: *improbo iracundior Hadria.*

Curvantis Calabros sinus.

16. *Curvantis*] pr. impulsu undarum (quod inest in v. *acrior*) curvam reddentis oram Calabriae usque ad sinum Tarentinum, id est, sese in Calabriam insinuantis». Picturae poëticae inservit, ut Od. 4, 5, 14: *Curvo nec faciem litore dimovet.* Virg. Aen. 1, 164: *Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.* Ovid. Met. 11, 229: *Est sinus Haemoniae curvos falcatus in arcus.* Accipi nequit pro κυρτοῦται (Odyss. λ, 244: κῦμα περιστάθη οὖρεϊ ἶσον, κυρτωθέν, et Iliad. δ, 426: κῦμα κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται·) ut est Aen. 3, 564: *Tollimur in caelum curvato gurgite.*

CARMEN XXXIV.

Parcus deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus

XXXIV. Inscr. volg. *Ad se ipsum.* — *Ad Fortunam et se ipsum* ST. (Idem T in margine: *Hac ode significat se paenitentiam agere, quod epicuream sectam secutus irreligiosus extiterit.)*

XXXIV. Fulmen per sudum demissum religiosum sibi terrorem incussisse dicit, ita ut Epicuri de diis sententiam, olim sibi probatam (v. Sat. 1, 5, 101: *deos didici securum agere aevum.*), non tamen omnem Epicuri doctrinam v. c. de ἡδονῇ cet. reiecturus sit. Nullius iurabat in verba magistri. Graecum aliquod exemplar poëtam secutum esse equidem non puto, sed veram animi commotionem per φαινόμενον illud excitatam ab eo expressam esse. Nimirum hic quoque poëtam egit; quomodo animatus fuerit illo dumtaxat puncto temporis, quo hoc fulminis ostentum accidit, nobis exponit; nam «*confessionem fidei in melius mutatae*», ut Christiano modo hoc carmen inscripsit interpres quidam, nos hic non agnoscimus. Neque vero nimis precariae eorum opinioni accedimus, qui fulmen illud figurate de repentina fortunae vicissitudine accipiendum esse rentur. Longe enim clarius hoc a poëta significandum fuisset. — Dignus est, qui de hoc carmine legatur, Lessing *Rettungen des Horaz*. Opp. ed. Lachm. IV. p. 34. — (Scriptum videtur a. u. c. 730 vel 731.)

1. *Parcus*] «exigua tantum sacrificia, si quando, afferens.» — *infrequens*] «qui raro deorum delubra adit.» In formularum sermone Festo teste *infrequens* appellabatur miles, «qui abest afuitve a signis.» Sed haec significatio, ut recte vidit Lessing, nihil ad Horatium attinet.

2. *Insanientis - sapientiae*] Apud Lucret. 5, 10. Epicuri doctrina κατ' ἐξοχὴν *sapientia* vocatur; iam huius perversitatem significaturus *insanientem* appellat, ut Aeschyl. Prom. 545. et Eurip. Iphig. Taur. 566: ἄχαριν χάριν. Ibid. 832: δάκρυ' ἀδάκρυα. Soph. Aiac. 665: ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. Gregor. Naz. Invect. pr. in Iulian. Ed. Paris. 1778. p. 79: ἄσοφος, ἵν' οὕτως ὀνομάσω, σοφία. Cic. de Orat. 3, 58: *innuptae nuptiae*. Philipp. 1, 2, 5: *insepulta sepultura*. Ovid. Met. 2, 627: *iniustaque iusta peregit*. Boëth. Cons. Ph. 2, 4: *mortalium rerum misera beatitudo*. Contraria ratione Eurip. Bacch. 65: πόνον ἡδὺν Κάματόν τ' εὐκάματον.

3. *sapientiae Consultus*] Nove dictum, ut *iuris consultus*; «versatus in ea doctrina.» Liv. 10, 22: *iuris atque eloquentiae consultus*. Petron. C. 89: *Ubi et sapientiae consultissima via? — erro*] «Dum quasi per mare nullo certo consilio vagor, nunc reverti cogor ad saniorem illam ra-

Cogor relictos: namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum,
Quo bruta tellus et vaga flumina,

5. *relectos* cum N. Heinsio ad Ovid. Met. 8, 173. Bentl. — 7. *tonantis* T.

tionem, quae deorum vim agnoscere ac pie colere nos iubet, itaque (priore *erroris* imagine magis etiam explicata) cogor denuo ingredi cursum, quem reliqueram.» («Hoc dicit poëta, se retro navigare, ut in rectam, quam antea temere reliquerat, viam redeat atque deinde denuo eam persequatur.» REGEL.) Heinsii Bentleiique coni. probata etiam a Marklando ad Stat. pag. 283. Dresd., *iterare relectos*, falsam praebet sententiam, cum *iterare relectos cursus* nihil aliud sit quam *relegere cursus* vel, si mavis cum Bentleio, qui recepit, *relegendo iterare*, adeoque idem rursus ac *retrorsum vela dare*, inanis igitur ταυτολογία. Nostra contra interpretatio utramque notionem accurate distinguit: «reverti ab errore; veram viam rursus sequi.» Quod autem *cursum* (navigii) *relinquere* minus Latine dictum putarunt, nimia profecto erat religio, cum *viam, iter relinquere* recte dicatur, item *cursum retinere* Cic. ad Att. 2, 3., *cursum sequi* Offic. 1, 33., ubi non actum currendi, sed viam, qua curritur, significat.

5. *Diespiter*] Varro L. L. 5, 66. Muell.: *Antiquius Iovis nomen; nam olim Diiovis et Diespiter dictus, id est dies* (genit. antiq.) *pater*. Sed nunc constat nomen *Diespiter* nihil differre a Graecorum Ζεὺς πατήρ, i. e. Coelus pater.

7. Mire olim iungebant *plerumque per purum* cet. explicantes: «non semel.» Sententia est: «Iuppiter Fulgurator, qui fere semper nubes fulmine diffindit, hodie per sudum, de caelo innubilo, fulmen misit.» Huiuscemodi autem fulmina pro gravissimis ostentis habebantur. Odyss. *v*, 112: Ζεῦ πάτερ, - - Ἦ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος, Οὐδέ ποθι νέφος ἐστί· τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις. Lucan. 1, 525: ante bellum civile *Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno*. Suet. Tit. 10: *tristior, - quod tempestate serena tonuerat*. Adde Iul. Obseq. C. 83. 107. 122. Voss ad Virg. Ge. 1, 487. Interprr. ad Aen. 7, 141.

8. *volucrem*] Plato Phaedr. p. 246. E. ex poëta aliquo: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. Celeritatis est symbolum, ut Ovid. Fast. 4, 562: *aligero tollitur axe Ceres*. (Od 1, 12, 58: *Tu gravi curru quaties Olympum*. Cfr. etiam Grimm, *Myth.* 181.)

9. *bruta*] Od. 3, 4, 45: *iners*, «immobilis.» Festus: *Brutum antiqui gravem appellabant*. Talis autem est tellus, si cum reliquis elementis comparetur. Seneca Thyest. 1020: *Immota tellus pondus ignavum iaces?*

10. *Taenari*] promontorium Laconicae, hodie *Cap Matapan*. Ibi Neptuni templum super antrum, per quod descendi in Orcum posse antiqua fama tradebat, ut fecerat Hercules Cerberum inde abductu-

Quo Styx et invisi horrida Taenari 10
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare et insignem attenuat deus
Obscura promens; hinc apicem rapax

13. *insigne* Bentl. partim cum var. lect. x *insigne attenuat decus.*

rus. Virg. Ge. 4, 467: *Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis.* — Omnia autem, quae ad mortem pertinent, et diis et hominibus sunt *invisa*, horrida, formidolosa, ut Od. 2, 14, 23: *invisae cupressi.* Virg. Aen. 8, 245: *regna - Pallida, dis invisa.* Seneca Herc. fur. 664: *Hic* (in Taenaro) *ora solvit Ditis invisa domus.* Iliad. υ, 65: οἰκία Σιερδαλέ', εὐρώεντα, τάτε στυγέουσι θεοί περ.

11. *Atlanteusque finis*] Eurip. Hippol. 3: τέρμονες Ἀτλαντικοί. — «Omnia, etiam Orcum concutit supremi Iovis potentia, sive nutu sive fulmine utitur. Iam ut in naturam inanimatam vim suam exercet deus, ita etiam in vitam hominum; quae apud hos summa sunt, repentina conversione saepe deiiciuntur ac pessum dantur.» Iob. 5, 11: *Deus ponit humiles in sublime, et maerentes erigit sospitate.* Odyss. π, 211: Ῥηΐδιον δὲ θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν, Ἡμὲν κυδῆναι ὀνητὸν βροτὸν ἠδὲ κακῶσαι. Hesiod. Ἔργ. 5: Ῥεα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα καλέπτει, Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει καὶ ἄδηλον ἀέξει, Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει Ζεὺς ὑψιβρεμέτης. Archil. Fr. 51. Bergk: Τοῖς θεοῖς τιθεῖν ἅπαντα· πολλάκις μὲν ἐκ κακῶν Ἄνδρας ὀρθοῦσιν μελαίνῃ κειμένους ἐπὶ χθονί· Πολλάκις δ' ἀνατρέπουσι καὶ μάλ' εὖ βεβηκότας Ὑπτίους κλίνουσ'· ἔπειτα πολλὰ γίνεται κακὰ Καὶ βίου χρήμῃ πλανᾶται καὶ νόου παρήορος. Aristoph. Lysistr. 772: τὰ δ' ὑπέρτερα νέρτερα θήσει Ζεὺς ὑψιβρεμέτης. Tac. Hist. 4, 47: *documenta mutabilis Fortunae summaque et ima miscentis.*

12. Sententiarum iunctura haec est: «Nec vero *διοσημείοις* tantum, sed etiam ingentibus rerum humanarum vicissitudinibus manifesta fit summa divini numinis potentia, ut cum maxime in Parthorum rebus apparet.» *Valere* cum infinitivo (qua constructione nunquam utitur Cicero) frequens iam est apud Lucretium et Virgilium.

13. *insignem attenuat*] «Viros illustres, principes, reges omni dignitate atque opibus spoliat.» Eurip. Fragm. Andromedae 23: Ὁ μὲν ὄλβιος ἦν, τὸν δ' ἀπέκρυψεν Θεός· ἐκ κείνων τῶν ποτε λαμπρῶν Νεύει βίοτος, νεύει δὲ τύχα Κατὰ πνεῦμ' ἀνέμων.

14. 15. «*Obscura* contra promit ex tenebris et splendore collustrat.» Consulto genus mutavit; nam si praetulisset *insigne* vel *insignia* (Cuningh.), tota sententia loci communis formam minus poeticam induisset. Praeterea iam cogitat de Tiridate tunc regno exacto a Phraate, quocirca aptissimum est v. *insignem*. Cfr. Od. 1, 26, 5. Od. 2, 2, 17. Hoc loco autem, ubi velut sapientiae oracula edit, putidum fuisset sententiam exemplo firmare, quod tunc omnibus in ore erat.

Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

16. *hinc γδ* ap. Kirchn. N. Quaest. Horat. p. 36. 56.

(«Vel ex crebra mentione, quam Horatius rerum Parthicarum facit, colligi potest, quantopere eae Romanis curae cordique fuerint.» FRANKE.) — In seqq. *Fortuna* cum deo supremo copulatur ut iam in Homericis illis Iliad. *o*, 117: *μοῖρα Διός*. *τ*, 87: *Ζεὺς καὶ Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις Ἐρινύς*. Od. *λ*, 292: *καλεπὴ δὲ θεοῦ κατὰ μοῖρ' ἐπέδησεν*. — *Apex* proprie flaminum insigne, pileus cum apice eminente; tum capitis ornamentum regum orientalium, tiara. Od. 3, 21, 20. *regum apices*. Atque eo rectius sic regum orientalium tiara vocari poterat quod erat *ὀρθή*. Dio Chrys. Or. 14. p. 444. R. Schol. Platon. p. 935. Ed. nostrae: *Τιάρα ἐστὶ κόσμος ἐπικεφάλαιος, ᾗ οἱ Περσῶν βασιλεῖς μόνοι ὀρθῇ ἐχρῶντο, οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλιμένῃ. Ταχινθινοβαφῆ* tiaram tribuit Persarum regi Charito p. 137. Lips. Vid. Darii imaginem in *Museo Borbon.* VIII. T. 36—40. Müller *Denkm.* I. N. 273. Hinc, ut *diadema*, tropice «regia potestas ac dignitas.» Sic h. l., non simpliciter, ut alii voluerunt, «culmen opum et divitiarum», vel «summum decus, fastigium rei cuiuslibet.» Est igitur: «Potentiam ac regnum eripit huic, illi confert.» Minus recte Viscontius *Museo Pio-Clement.* T. 2. T. 12. de apice sive pileo Fortunae ipsius, qualem habent in statuis et anaglyphis Fortunae certe Antiates, interpretatus est, quasi vero hunc apicem Fortuna sibimet ipsa de vertice demens magno cum stridore alterius, cui faveat, capiti imponat. Falso etiam Gargallus *apicem* interpretatur montem: «*Li rapace Fortuna acuta stride, Spianando un monte, qui l' innalza, e ride.*» — *stridore*] alarum, quae ei propter instabilitatem tribuuntur. Od. 3, 29, 53: *Fortuna si - - - celeres quatit Pennas.* Hic autem *stridor*, id est semota imagine, subita rerum immutatio regnorumque eversio, mortales perterrefacit.

16. *Sustulit*] *ἀορίστως*. — *posuisse gaudet*] Non tam pro simplici *imponit*, quam: «suo arbitratu imponit.»

CARMEN XXXV.

O diva, gratum quae regis Antium,

XXXV. Inscr. volg. et ST: *Ad Fortunam.* (In marg T: *Haec ode in fortunam potentium scripta est, cui Caesaris profectionem commendat.)*

XXXV. Hymnus in Fortunam, quo, praedicata summa eius potentia, orat, ut servet Augustum et adversus Britannos et adversus Arabas bella molientem, quibus ex poëtae mente expientur civiles illae contentiones scelestae inde ab a. u. c. 694. ortae. (Od. 2, 1, 1.) — *Τύχη* primum ab Hesiodo Theog. 360. memoratur inter Nymphas, Oceani filias; similiterque Hom. Hymn. Cer. 420. Pausan. 4, 30. In tessera hospitali Borgiana (Zoëga *Abhandl.* p. 35.): *ΘΕΟΣ ΤΥΧΑ ΣΑΩΤΙΣ (Σώτειρα).* Pind. Ol. 12, 1: *Λίσσομαι, - - Σώτειρα Τύχα. Τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ Νᾶες, ἐν χέρσῳ δὲ λαιψηροὶ πόλεμοι Κἀγοραὶ βουλαφόροι.* Pausan. 7, 26, 8: *ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τ' ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ, καὶ Μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφάς τι ἰσχύειν.* Pseudaeschyli vv. apud Stob. Ecl. phys. T. 1. p. 199. H. praeclare sic vertit Grotius: *Cunctis principium rebus et exitus, O Fortuna potens, quae sapientiae Famam das hominum, diva, laboribus: Multo plura tibi prospera tristibus Debentur. Sequitur gratia, quo loci Pennae remigium te vehit aureae. Nil est prosperius nilque secundius, Quam lances homini quod tribuant tuae. Tu spes sollicitis una laboribus; Tu noctem subito lumine discutis: Numen te melius noscere non datur.* Illustris de Fortuna locus est etiam apud Plin. H. N. 2, 7. — «Compositum est carmen a. u. c. 727., non vero posteriore aliquo tempore, quod dissuadent etiam vv. 35 seqq., in quibus poëta recens a miseria de bellorum civilium malis conqueritur.» FRANKE.

1. *O diva*] Libanius *περὶ δουλείας* T. II. pag. 66: *χρὴ γὰρ οἴεσθαι καὶ τῇ Τύχῃ κεῖσθαι ἐν οὐρανῷ θρόνον, εἰ καὶ μὴ ἐν τοῖς δώδεκα θεοῖς ἠρίθμηται.* — *gratum*] tibi, ut Od. 1, 30, 2: *dilectam Cypron*, et Virg. Aen. 3, 73: *gratissima tellus* (Delus) *Nereidum matri*. Sic enim malo explicare quam «amoenum». — *Antium*] caput Volscorum, hodie *Anzo rovinato*, prope oppidum nunc *Porto-Anzo* appellatum. Strabo 5. p. 232: *Ἄντιον νυνὶ ἀνεῖται τοῖς ἡγεμόσιν εἰς σχολὴν καὶ ἄνεσιν τῶν πολιτικῶν, ὅτε λάβοιεν καιρὸν κτλ.* Cic. ad Att. 4, 8: *Antio nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius.* Ut Praeneste (Stat. Silv. 1, 3, 80: *Praenestinae sorores.)* sic Antii erant Fortunae duae (Suet. Calig. 57.), quae per sortes consulebantur, quas *veridicas sorores* appellat Martialis 5, 1, 3. Inscriptt. mear. Lat. N. 1738: *FORTVNIS. VICTRICIBVS. ANTIATIBVS.* Fortunae Antiates expressae sunt in gentis Rustiae denario apud Eckhel D. N. V. p. 298. Riccio *M. F. R.* p. 199. Cfr. Gerhard *Text zu d. ant. Bildw.* 1. p. 62. Alias Fortunarum imagines vide in Musei Borbon. III. T. 26. Cfr. Schulz in *Annali dell' inst. archeol.* T. XI. p. 111. Earum cultus durasse videtur usque ad Theodosii M. tempora. Macrob. Sat. 1, 23. (p. 344.): *Ut videmus apud Antium promoveri (sich vorwärts beugen) simulacra*

Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus vel superbos
Vertere funeribus triumphos,

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus, te dominam aequoris,

6. *Ruris* (dominam), *colonus* distinxit Marklandus et F. A. Wolfius.

Fortunarum ad danda responsa. Consultas autem esse de suscipienda expeditione adversus hostes ab Octaviano hasce Fortunas (id quod coniecit Mitscherlich) prorsus incredibile est. Tunc enim nonnisi privati superstitiosi et infimae sortis homines ad eiusmodi responsa recurrebant; neutiquam vero Senatus Romanus et Principes.

2. *Praesens*] «Tanta potentia praedita, ut ad gloriae atque opum fastigium quemvis mortalem etiam infimo loco natum tuo nutu evehas.» Ter. Phorm. 2, 2, 31: *Non tu hunc habeas plane praesentem deum?* Cic. Tusc. 1, 12, 28: *Hercules tantus et tam praesens habetur deus.* Cf. Od. 3, 5, 2. Sat. 2, 3, 68. Epp. 2, 1, 134. Cum infinitivo *praesens* (i. q. *valens*) hoc uno loco iunctum videtur. «Praesentia dicuntur numina deorum, quae se potentiamque suam manifeste ostendunt.» PORPHYR.

3. *Mortale corpus*] Pind. Ol. 9, 34: *βρότεα σώματα*, quae hic afferri solent ab Interprett., sunt Virgilii Aen. 6, 306. *defuncta corpora vita.* Hic potius significat hominem prorsus esse caducum et infirmum.

4. *Vertere*] «pompam triumphalem in funebrem mutare.» Sic Aemilii Paulli Macedonici triumphus duorum filiorum morte funestatus est. Liv. 45, 41. Est igitur: «Tibi si libet, laetitiae summae summus luctus repente succedit.» Alii ita interpretantur: «splendidam victoriam mutare in cladem.» Et comparare possis Od. 3, 1, 7: *Clari Giganteo triumpho* pro victoria; et Od. 1, 15, 10: *quanta moves funera Dardanae Genti.* Sed prior ratio mihi certe magis poëtica videtur, ut unus ille casus, qui quam maxime lugubris Romano viro erat, significetur. (De ablat. *funeribus* pro «in funera» cf. A. P. 226. Ovid. Met. 4, 45. 10, 157.)

5. Fortuna in nummis fingitur stolata, dextra tenens gubernaculum, laeva cornu copiae: sic h. l. ante omnes memorantur colonus et nauta eius *pacem petentes.* (Lucret. 5, 1228: *Divom pacem votis adit.) Ambitur* autem h. l. Fortuna, ut ambiebant Romani suos cives, imprimis potentes, cum honores petebant.

6. *Ruris colonus*] Sic iungenda sunt vv., neque vero cum Marklando (Explic. vett. scriptt. p. 254.) aliisque interpungenda: *Ruris* (dominam), *colonus, te dominam* cet., ut sit: «te ruris dominam ambit colonus, te dominam aequoris nauta», quae quidem constructio minime foret Horatiana, immo sonus ipse et versus conformatio nos vv. *Ruris colonus* iungere iubent. — *Colonus* autem non quivis rusticus, sed significatione propria, ut Sat. 2, 2, 114: *Videas metato in agello Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum.* Od. 2, 14, 11: *sive reges, Sive inopes erimus coloni. (Der kein Eigenthum besitzende Bauer.)* — Ce-

Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

Te Dacus asper, te profugi Scythae
Urbesque gentesque et Latium ferox
Regumque matres barbarorum et
Purpurei metuunt tyranni,

terum *te dominam aequoris* generalis est sententia neque vero ullo pacto, ut nonnulli voluerunt, significat priscam Antiatium a Fortuna protectorum potentiam maritimam vel etiam Fortunarum Antiatium aedis situm ad mare. (Martialis 5, 1, 3: *Seu tua veridicae discunt responsa sorores, Plana suburbani qua cubat unda freti.* coll. Nibby 689 *Viaggio* II. p. 235.)

7. *Bithyna*] Non quia ex ea regione multae merces Romam advehebantur, sed navis ipsa dicitur constructa ex Bithynico ligno; nam materiem aptam ad naves fabricandas praebebant silvae Bithyniae et Ponti. — *lacessit*] Omnis enim nauta fluctus ventosque ad certamen secum ineundum audacter provocat. Ovid. Metam. 1, 134: *Fluctibus ignotis insultavere carinae.*

8. *Carpathium*] a Carpatho (h. *Scárpanto*) insula inter Rhodum et Cretam; etiam Graeci *Καρπάθιον πέλαγος*.

9. *Daci* tunc temporis incursionibus vexare solebant vicinas imperii Romani regiones. Atque in M. Antonii sociis fuerant. Virg. Ge. 2, 497: *Aut coniurato descendens Dacus ab Istro.* Ad *Dacos*, pop. Germ., *Danos* quodam modo pertinere docet J. Grimm *Gesch. d. d. Spr.* I. p. 492 sqq.) — *profugi*] Od. 3, 24, 9: *Campestres -- Scythae, Quorum plaustra vagas rite trahunt domos.* Dicit *τοὺς Σκύθας πλανωμένους ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν* Lucian. Icar. 16., qui appropinquante hoste in immensas suas solitudines *(Steppen)* abeunt, ex gentis suae more nullam in tali fuga ignominiam esse reputantes. Alii provocantes ad Platonem in Lachete p. 191. A. exponunt: «in fugiendo iaculantes, ideoque hostibus formidolosi»; qua significatione Lucanus (6, 50.) de Parthis usus est adiectivo *refugi*. Rursus alii iungunt: *Scythae* (gen. sing. pro *Scytharum*) *urbes gentesque*, haud memores Scythas non habuisse urbes. — Scytharum formam habitumque quomodo expresserint artifices antiqui, vide in Gerhard *Vaseng.* III. T. CLXVI.

10. *Urbes*] Pausan. 4, 30, 6: *Πίνδαρος τὴν Τύχην καὶ φερέπολιν ἀνεκάλεσεν.* — *Latium ferox*] «animosum, bellicosum, in quo orbis terrarum caput, Roma.»

11. 12. *Regumque matres*] apud Asianos praecipue honoratae, ut videmus Atossam in Aeschyli Persis. Hae igitur timent filiis, ne a Romanis regno spolientur. Propria videlicet significatione accipio *matres*, non cum aliis «matronas, coniuges.» Cfr. Iudicum C. 5, 28: *Per fenestram ululabat mater Sisarae et de coenaculo loquebatur: «Cur moratur regredi currus eius? Quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?» — Purpurei - tyranni*] *οἱ τὴν πορφυρίδα ἐνδεδυκότες* non semel de tyrannis vel primariis viris Lucianus. (Dial. mort. 4, 4. Vit. auct. 12.) Virg. Ge. 2, 495: *Illum non populi fasces, non purpura regum*

Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet imperiumque frangat.

Te semper anteit saeva Necessitas,

14. *fremens* malebat Bentl. — 15. *cessantis* B, *cursantes* malebat Bentl. — 17. *serva* BT, *βυδκμξω*, Bland. quattuor, Pottierii 1, 7, 9. (Habent *saeva* ceteri mei, etiam d.)

Flexit. Sic Statius Theb. 1, 334. *purpureum senem* dixit et Macedonius in Anthol. Palat. II. pag. 337. *τῶν χρυσέων ὑπάτων*, trabeis auro pictis indutorum. Ceterum noli cum nonnullis distinguere: *Regumque matres, barbarorum et P. m. t.*

13. 14. *Iniurioso*] *Ὕβριν*, superbum illum contemptum significat, quo Fortuna vel eam tyrannidem evertit, quae stabilissima videbatur. — *Columna stans* est felicitatis ac securitatis publicae stabilitatisque *σύμβολον*, qua columna (ut in eadem imagine persevĕrat) proruta simul evĕrtitur imperium. Cogitavit nonnemo de tyrannorum statuis deiectis; sed nunquam v. *columna* hac significatione usurparunt Latini.

14. 15. *frequens*] «Magna pars populi, turba seditiosa et concitata, alios cives *cessantes*, quietos, seditioni adversos proptereaque cunctantes, ad arma vocet.» — *Ad arma - ad arma*] Ovid. Met. 11, 377: *cuncti coëamus et arma, Arma capessamus.* Ibid. 12, 241: *Certatimque omnes uno ore Arma, arma loquuntur.* Tac. Ann. 1, 59: *Arminius arma in Segestem, arma in Caesarem poscens.*

17. *anteit*] Apud Tac. Ann. 4, 71. et alibi Cod. Med. *antire.* Contra Cod. Med. Virg. Aen. 12, 84: *anteirent.* — *saeva Necessitas*] Alii iam apud Scholiastas *serva Necessitas*, id quod immerito nonnullis placuit haud perspicientibus, quam ingratum atque parum poëticum hoc foret *ἐπίθετον.* Etenim *manus* illa *aëna* et *severa*, quae gestat, instrumenta satis significant non de *serva*, sed de dea comite, ex aeternis Fati legibus cum Fortuna coniuncta, cogitari debere. Illa igitur veluti *σύνναος*, *πάρεδρος* Fortunae severe ea exsequitur, quae placent Fortunae. V. *saeva* refert Homericum illud Od. *κ*, 273: *κρατερὴ δέ μοι ἔπλετ' ἀνάγκη.* Parmenides v. 91. Brandis: *κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη Πείρατος ἐν δεσμοῖσιν ἔχει, τό μιν ἀμφὶς ἐέργει.* Nolim autem ideo, quod gemina fuit Fortuna Antias, putare alteram *Necessitatem* a poëta appellatam esse, ut quidam voluit. — Ipsos scriptorum locos, qui hic necessario a lectore inspiciendi sunt, dabimus in Excursu.

18-20. *Clavos trabales*] Haud infrequens necessitatis imago. Aeschyl. Suppl. 945. Pind. Pyth. 4, 71. Apud Latinos in proverbium transierat: Cic. Verr. Accus. 5, 21. Petron. 75. Plaut. Asinar. 1, 3, 4. Quid, quod et Fortunae Antiati et Athrpae (*Ἀτρόπῳ*) illi Etruscae clavi in antiquis monumentis tribuuntur? Cfr. Müller *Etrusker* II. p. 334. *Denkmäler* T. LXI. n. 307. Cfr. ad Od. 3, 24, 5. — *cuneos*] Vide pulcherrimum Fortunae simulacrum in *Museo Chiaram.* II. T. XIV. Sinistra tenet cornu copiae, cuius fundo ad necessitatis vim significandam obeliscorum formâ infixi sunt duo c u n e o l i. De *cuneis* ad firmandas

Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aëna, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.
Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno nec comitem abnegat,

22. *abnegas* Doederleinii discipulus, probante magistro. Vide apud ipsum II. *Samml.* p. 216.

machinas per excisiones traiectis cfr. Vitruv. 10, 12. Id. 10, 18. Cic. in Timaeo 13. — *Uncis* autem vel ansis ferreis lapides firmissime inter se devinciuntur et continentur, praesertim ubi in excisiones liquatum plumbum infunditur. Cfr. Eurip. Androm. 267. Vitr. 2, 8. *Severum* vocat uncum, quia artissime lapides continens maximam vim in eos exercet. (Longe aliter, sed falso, totum locum explicat Comm. Cruquii: «*Clavos*] genus tormenti. *trabales*] fortes et magnos ad rescindendam prosperitatem. *Uncus*] quo puniebantur damnati (a Gemoniis in Tiberim tracti. Ovid. Ibis 166.). *plumbum*] Nam et resoluto plumbo rei puniri consueverunt.») — Alia Fortunarum attributa, ab Horatio ut nimis volgaria consulto praeterita, enumerat Fronto Ed. Rom. 1846. p. 173: *Dicendum est de fortuna aliquid? Omnes ibi Fortunas Antiates, Praenestinas, Respicientes, balnearum etiam Fortunas omnes cum pinnis, cum rotis, cum gubernaculis reperias.* Adde *saxum globosum*, cui *instat* apud Pacuvium. (Scr. ad Her. 2, 23, 36.)

21. *Spes*] Macedonius in Anthol. Pal. II. 304: *Τύχης ἑταίρας* vocat *Ἐλπίδας*. Spes et Fides Romae templa habebant. — *albo - - panno*] Innocentiae hoc atque candoris animi symbolum. Hesiod. *Ἔργ.* 198. Memorabile utique est, quod dicunt Acron et Comm. Cruq.: «Albo panno caput velabant, qui Fidei sacrificabant.» (Servius ad Aen. 6, 636: *Fidei panno velata manu sacrificabatur, quia fides tecta esse debet et velata.)* Verum propius ad h. l. accedit, quod in picturis Herculanensibus ac Pompeianis deae, ut ita dicam, simplices, clementes, beneficae (Venus, Diana, Ceres) albis (non *candidis*, nitentibus) vestibus plerumque indutae comparent. Quidni igitur etiam Fidei, suavissimi numinis, vesti vel certe velo eundem colorem tribuerint, incorruptam illius integritatem candoremque animi aptissime significantem? — Ceterum *Spes* et *Fortuna* iunctae etiam in *Museo Chiaram.* I. T. 20. — *rara Fides*] Quod rari sunt homines fideles, ipsi deae tribuit. Virgilio Aen. 1, 292. *Fides* est *cana*, prisca, antiqua, quod hic quoque intrudere nonnemo voluit. (Fides ut dea culta a Romanis. Cfr. Cardinali *Diplomi militari* Tab. I. p. XVI: *IN. CAPITOLIO. AEDES. FIDEI. POPVLI. ROMANI. Fides candida* P. Victor in Reg. VIII. Romae. Liv. 1, 21: *Numa soli Fidei sollemne instituit.*)

22. *nec comitem abnegat*] se, ut Terent. Eun. 2, 3, 84: *facile ut pro eunucho probes*, te. Ovid. A. A. 1, 127: *Si qua repugnarat nimium comitemque negarat*, se. *(Abnegas* pro certo nemo recipiet, qua mutatione perit *ἀντίθεσις* inter *Fidem* et *volgus infidum*, quod Fortunae opponi nequit.)

Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

At volgus infidum et meretrix retro
Periura cedit, diffugiunt cadis
Cum faece siccatis amici
Ferre iugum pariter dolosi.

23. *potentis* B. — 24. *inimica vertis. Tum volgus* malebat Bentl.

23. *Utcunque*] de tempore, «quandocunque, simul ac»; ut nos, *so wie du je*. Dempta imagine, hoc dicit: «Miserrimo cuique aliqua tamen remanet spes; aliquot saltem sinceri amici ei fidem servant.» Nova imagine hoc ita exprimit: «Fortuna, quae antea prospera fuerat, *Εἱμαρμένη*, cui illa pareat necesse est, ita volente, *inimica*, adversa cum fit, ipsa quoque squalorem sumit atque una cum eo, qui exul miserque factus est, egreditur e domo olim *potente*; simul tamen comites illi deae haerent Spes et Fides.» Post exilii autem calamitatem *vacua* remanet *aula* regia, ut Od. 4, 14, 36, vel pro expulso intrat alius, in tempus aliquod saltem fortunatior, tyrannus. — Per totam hanc strophen non sine magna arte permiscentur sive confunduntur (significatione Tulliana Tusc. 1, 11.) notiones dearum et hominum ipsorum cum adversa fortuna conflictantium, sperantium, fidelium. Hoc enim ipsius poëtae animum veluti solatur, homini etiam infelici, etsi omnino sit rara fides, plerumque tamen unum alterumve remanere sincerum amicum.

26. *cadis* - - *siccatis*] Archiloch. p. 468. Bergk: *κοίλων πώματ' ἄφελκε κάδων, Ἄγρει δ' οἶνον ἐρυθρὸν ἀπὸ τρυγός.* «Falsi amici, parasiti et meretrix usque ad ipsum illud temporis punctum, quo rex vel patronus in miseriam incidit, dolum voltu tegentes ei adulantur gaudentque commodis omnibus, quae opulenta domus offerre solet; tunc vero illico illum deserunt in calamitate pariter (*ἐξ ἴσου*) ferenda fraudulenti.»

28. *Ferre iugum pariter*] Cfr. Plaut. Aulul. 2, 2, 52: *ubi tecum coniunctus siem, Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto.* Theocr. 12, 15: *Ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ.* Val. Max. 2, 1, 6: *in pari iugo caritatis.* Propert. 3, 25, 8: *Cynthia, - - - Tu bene conveniens non sinis ire iugum.* Ovid. Trist. 5, 2, 39: *Me miserum, quid agam, si proxima quaeque relinquunt? Subtrahis effracto tu quoque colla iugo.* — Ad totam sententiam cfr. Graecorum proverbium: *ξεῖ χύτρα, ξῇ φιλία.* Pind. Nem. *ι*, 78: *παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν Καμάτου μεταλαμβάνειν.* — *dolosi*] «dolose se subtrahentes iugo pariter ferundo.»

29. Sententiae ita sunt coniungendae: «Tu, Fortuna, cuius summa est rerum humanarum potestas, ut aliâs opprimis tyrannos, ita nunc serves Caesarem imperii Romani pacificatorem!» — *in ultimos Orbis Britannos*] Od. 4, 14, 47. iidem *remoti* appellantur. Catull. 11, 11: *Gallicum Rhenum horribi-*

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos et iuvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.

Eheu cicatricum et sceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti

29. *ultimos, Oro, Britannos* malebat Bentl., *ultimi* Cuningh. — 33. *Heu heu* BS,FJ. — 34. *dura* om. T.

les et ultimosque Britannos. Id. 29, 4: *ultima Britannia.* Virg. Ecl. 1, 67: *Et penitus toto divisos orbe* Britannos, ubi multa huiusmodi collegit Wagner. Tac. Agric. 30: Britannos *terrarum ac libertatis extremos.* Cic. ad Famil. 9, 15: *Mihi scito iam a regibus ultimis allatas esse litteras.* — Consilium hoc Britannos debellandi aliquoties agitarat Augustus, sive verum illud fuit sive fictum, quo Romanorum animos a rebus domesticis averteret. Primum a. u. c. 720. Pannoniorum rebellione impeditus est. Dio Cass. 49, 38. Postea a. u. c. 727. Id. 53, 22: ἐξώρμησε μὲν ὡς καὶ ἐς τὴν Βρεττανίαν στρατεύσων, ἐς δὲ δὴ τὰς Γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα διέτριψεν. ἐκεῖνοί τε γὰρ ἐπικηρυκεύσασθαί οἱ ἐδόκουν καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἔτι - ἦν. Postremo a. u. c. 728. Id. 53, 25: τὸν Αὔγουστον ἐς τὴν Βρεττανίαν, ἐπειδὴ μὴ ἠθέλησαν ὁμολογῆσαι, στρατευσείοντα κατέσχον οἱ Σαλασσοί, populus Alpinus. Nunquam autem eo pervenit.

30-32. *recens Examen*] «novum militum delectum,» qui duce Aelio Gallo expeditionem in Arabiam felicem suscepturi erant a. u. c. 730. — *Eois-partibus*] «orientalibus oris, terris.» — *Oceanus* autem *ruber* est Erythraeum sive rubrum mare, sinus Arabicus et Persicus.

33. 34. *cicatricum-fratrumque*] Solita arte, ut Od. 1, 15, 12: *Currusque et rabiem*, abstractum quod dicunt cum concreto artissime iungit. «Pudet nos et volnerum, quae per scelerata illa bella intestina invicem nobis infliximus, et *fratrum*, civium occisorum. Quid sceleris non commisimus?» Virg. Ge. 2, 510: *gaudent perfusi sanguine fratrum*, itidem de civibus.

35. 36. *nefasti*] h. l. pro nefandi, nefarii, diri. Sic Plin. H. N. 4, 11, 18. *nefastum crimen* (scelus) usurpavit. Proprie: *Ille* (dies) *nefastus erit, per quem tria verba silentur.* Ovid. Fast. 1, 47. qui dies in Kalendariis antiquis littera *N.* notantur. — Ad rem ipsam cfr. Lucanum 2, 148. in bello civili: *Infandum domini per viscera ferrum Exegit famulus; nati maduere paterno Sanguine; certatum est, cui cervix caesa parentis Cederet; in fratrum cecidere praemia fratres.* (Liv. Epit. 79: *In quo bello duo fratres, alter ex Pompeii exercitu, alter ex Cinnae, ignorantes concurrerunt; et cum victor spoliaret occisum, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, et eodem igni consumptus est.*) — *manum*] «Rectius *manum*, quam ut invenustum homoeoteleutum fiat, *manus iuventus.*» BENTL.

Liquimus? unde manum iuventus
Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum! 40

36. *Linquimus* B. — *manus* Pott. unus 11, Aldus, Lt. (Ut nos, nostri et *βκλω*.) — 39. *defingas* Bc, duo Cruquii, tres Pott., Ct et Bentl., *defi gas*, «*n* per malam manum erasa» *κ*, *deffingas γ*. (Ut nos, ceteri nostri, etiam d.) — *recusum* unus Cruquii, Aldus, LC, *recoctum* malebat Bentleius.

37. *Metus deorum* est *εὐσέβεια*, timor deorum contra *δεισιδαιμονία*. Cfr. Sat. 2, 3, 295. Hinc proselytae Iudaicae religionis *metuentes dei*, non *timentes*. — *continuit*] Non prorsus synonymum verbo *abstinuit*, cum significet aliquem sapiente moderatione uti in abstinendo a rebus vetitis.

38. *O utinam*] Precatur, ut dea ferrum bellis intestinis hebetatum in novam formam reducat, ne ullum in eo sanguinis civilis remaneat vestigium, atque ut novos hos gladios in Massagetas Arabasque, «iustos hostes,» stringat.

39. *Diffingere* est aliter aliquid, ac prius fuerat, formare (reformare Schol. «refabrices». Gloss. Cod. Turic.) Od. 3, 29, 47: *neque Diffingit infectumque reddet*. Virg. Aen. 7, 636: *recoquunt patrios fornacibus enses*.

40. *Massagetae*, Scythiae gens intra Imaum montem. Plin. H. N. 6, 17. de Scythis: *Multitudo populorum innumera et quae cum Parthis ex aequo degat. Celeberrimi eorum Sacae, Massagetae*, cet. Vossius malebat *Massagetasque Arabasque*, ut *Rhoetumque Pholumque* apud Virgilium (Georg. 2, 456. cf. Aen. 8, 294. 12, 341.), sed cur tandem? Immo copulae absentia melius significat unum populum ab altero longe esse remotum.

EXCURSUS I.

AD C. XXXV. vv. 17—28.

Ipsi scriptorum loci, quos appellamus, hi sunt. Macrob. Sat. 1, 19 (p. 295.): *Argumentum caducei ad genituram quoque hominum - - Aegyptii protendunt, deos praestites homini nascenti quattuor adesse memorantes, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην. - - Necessitas nodo significatur;* ubi vides aliud a clavis trabalibus cet. illius symbolum. Aeschyl. Suppl. 944. de populi scito: *τῶν δ' ἐφήλωται τορῶς Γόμφος διαμπάξ, ὡς μένειν ἀραρότως.* — Pind. Pyth. 4, 71: *τίς δὲ κίνδυνος κρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἄλοις;* — Cic. Verr. Acc. 5, 21: *ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, clavo trabali figeret.* — Plaut. Asinar. 1, 3, 4: *Fixus hic apud nos animus tuus clavo est Cupidinis.* Ante omnia

autem memorari hic convenit speculum Etruscum apud Vermigliolium *Iscriz. Perugine* T. I. p. 43. Ed. pr., quod Müller *Denkm.* T. LXI. n. 307. ita describit: «*Diese treffliche Spiegelzeichnung bezieht sich auf die letzten Schicksale des Meleagros. Der Aetolische Held,* Meliner *genannt, steht mit betrubter Miene neben seiner Geliebten Atalanta,* (Atlenta), *welcher er den Preis der kalydonischen Jagd zuerkannt. Gegenüber steht wahrscheinlich seine Mutter Althaea, welche ihren Bruder Toxeus* (Tuxe *stand, wie es scheint, am Rande) umfasst, der mit Atalanta um den Preis hadert. Dass dieser Streit, wobei Toxeus von Meleagros getödtet wurde, den Untergang des Meleagros selbst herbeiführte, wird durch die Hauptfigur angezeigt, die Todesgöttin Atropos* (Athrpa), *welche im Begriff ist, mit einem Hammer einen grossen Nagel festzuschlagen, das Symbol des unabwendbar festgestellten Geschickes.*» Müller *Etrusker* II. p. 331: «*Diese* Athrpa *ist nichts anders als eine hellenisirte Form der* Nortia (v. Ibid. II. p. 54.), *der sie im Wesen sehr gut entspricht; — doch auch nur im Namen hellenisirt, denn die Figur der geflügelten Jungfrau ist ächt Tuskisch.* Idem ibidem cum *clavis* his *trabalibus* iungit etiam *clavum annalem.* (Cfr. Forcellinum in v. CLAVUS.) — Vitruv. 10, 12: *paenula cum catino cuneo traiecto continetur et coagmentatur.* — Id. 10, 18: *Per media spatia lignorum insecantur et exciduntur formae; in quibus excisionibus includuntur capitula catapultarum cuneisque distinentur, ne in contentionibus moveantur.* — Cicero Tim. 13: *crebris quasi cuneolis* (Plato: *γόμφοις*) *iniectis.* — Vitr. 2, 8: *cum ansis ferreis et plumbo frontes vinctae sint. (Ansa* igitur *τὸ κύριον* fuisse videtur pro Horatii *unco.* Contra de carnificis unco Ovid. Ibidis 166: *Carnificisque manu populo plaudente traheris, Infixusque tuis ossibus uncus erit.)* — Eurip. Androm. 266: *καὶ γὰρ εἰ πέριξ σ' ἔχει τηκτὸς (liquidum) μόλυβδος.* — «Vix dubitari potest his vv. 17—20. contineri descriptionem picturae vel sculpturae sive in valvis sive in fastigio templi conspicuae.» Bosscha. («Epithetorum enim ratio pictorem magis quam poëtam prodit. Neque qui tabulam pictam in templo Fortunae Antianae oculis perlustrasset, in carmine Horatiano clavis illis trabalibus ceterisque Necessitatis insignibus offendebatur, sed dulci potius afficiebatur recordatione.» Steiner. Contra Spencius in Metide p. 156. cogitavit de solemni pompa anniversaria Antii celebrari solita. «*In this procession to te honour of Fortuna, the statue of* Necessitas *seems to have been carried before the goddess herself, and after her, the statues of Hope and Fidelity.*» — Hesiod. Ἔργ. 200: *Λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλόν — Αἰδὼς καὶ Νέμεσις.* — Statius Theb. 2, 311: (Polynices) *Respiciens descisse deos trepidoque tumultu Dilapsos comites, nudum latus omne, fugamque Fortunae.* — Synesius de Regno 5. p. 8. Krabinger: *τοῦτ' ἐστὶν — τὸ χαλεπὸν καὶ μυρίων ὀμμάτων δεόμενον, μή, ὅπερ εἴωθεν ἡ τύχη ποιεῖν, ἀνακάμψῃ μεταξὺ τῆς ὁδοῦ, καθάπερ οἱ μοχθηροὶ τῶν συνοδοιπόρων.* — Ecclesiastic. 6, 10: *καὶ ἔστι φίλος κοινωνὸς τραπεζῶν καὶ οὐ μὴ παραμείνῃ ἐν ἡμέρᾳ θλίψεώς σου.*

EXCURSUS II.

AD V. 17—20.

Incredibile est, quot quantasque turbas totus hic locus excitarit. Res vero simpliciter haec est: *Necessitas*, dea, ipsa cum apud Romanos non coleretur, hic tamen, quo comitis Fortunae atque *Athrpae* illius Etruscae partes digne sustineret, certis quibusdam attributis ornanda erat, ut digna exsisteret eius *προσωποποιΐα*. Propterea has imagines adumbravit, secutus vel proprium *φαντασίας* impetum vel veterum artificum opera, id quod certum saltem est in *clavis* illis *trabalibus*, in quibus tamen subsistere sane non poterat. Magis utique volgatas praebere ei potuisset Accius apud Cic. de Orat. 3, 41: *exsultantem te et praefidentem tibi Repriment validae legum* HABENAE *atque imperi insistent* IUGO. Quas quidem imagines etsi cumulatius fortasse quam oportebat, congessit, id tamen assecutus est, ut quas elegerat his quattuor versiculis complecteretur atque satis elegantem nobis proponeret picturam poëticam. Iam notissimum est, ab his quam maxime diversas esse, immo esse debere artificum opera: sic *manus aëna* non magis exprimi poterat a pictore vel a sculptore quam *τὸ χρύσεον - τᾶς Δίκας ὄμμα* Sophoclis apud Welcker *Griech. Tragöd.* p. 166. Acres autem totius picturae reprehensores exstiterunt summi Germaniae viri, Lessing in Laocoonte (Opp. ed. Lachm. VI. pag. 143.) et Herder *(für schöne Litt. u. Kunst* IV. p. 147—157.), a Metide illa Spenciana partim excitati, partim aliquatenus decepti; a quibus heroibus conturbati ac transversum acti recentiores nonnulli Grammatici hunc locum interpretantes inextricabilibus semet ipsi difficultatibus irretiverunt; imprimis in explicandis vv. 21—24.

EXCURSUS III.

AD VV. 21—24.

Equidem in eo elaboravi, ut quam simplicissima mea esset huius loci expositio; nec quidquam nunc difficultatis in eo video. Alii contra in eodem incredibilem in modum aestuarunt eumque coniecturis misere vexaverunt, ut Clerkius ad Lucan. pag. 53: *nec socium abnegat, Utcunque mutata potentes Mente* cet., *nec comitem abnegans* Praedikow, *nec comitem abnegas* Doederleinii discipulus. Sed ante omnes, qui de h. l. legatur, dignus est Bentleius, qui ingeniosissime id egit, ut locum non adeo intricatum nimia subtilitate obscuraret.

«Difficilis quidem», inquit, «hic locus multosque non parum torsit. *Spes*, inquit, *et bona Fides fortunam colit et comitatur: at volgus et me-*

retrices et fucati amici eam derelinquunt. Contra autem dicunt alii, infideles amicos Fortunae comites esse; veram autem Fidem minime Fortunam sequi. Ovidius Pont. II. 3, 7. de amicitia et fide fucata:

Turpe quidem dictu, sed (si modo vera fatemur)
Volgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prius est quam quid sit honestum:
Et cum FORTUNA *statque cadatque* FIDES.

at mox ibidem (v. 55.) de fido amico:

Scilicet indignum, iuvenis rarissime, ducis
Te fieri COMITEM *stantis in orbe* DEAE.

et Pont. I. 9, 45:

Adfuit ille mihi, cum pars me magna reliquit,
Maxime, FORTUNAE *nec fuit ille* COMES.

et iterum Pont. IV. 10, 73:

Quemque refers, imitare virum: vetat ille profecto
Tranquilli COMITEM *temporis esse* FIDEM.

Iuvenalis Sat. X. 73:

sed quid
Turba Remi? SEQUITUR FORTUNAM *semper, et odit*
Damnatos.

Quid igitur fiet? aut quo tandem pacto tam diversa haec inter se conciliari poterunt? Sane cum Ovidius et Iuvenalis *Fortunam* nominant, *secundam* tantum intelligunt ex recepto loquendi more: et proinde recte dicunt, abeunte Fortuna manere tamen fidos amicos, neque Fortunae comites esse. Noster autem aliam plane imaginem concepit et repraesentavit; sub Fortunae enim nomine eandem et prosperam et adversam, mutata tantum veste, intelligit: unde consequens erat, ut etiam mutatae Fortunae Spem, Fidem et amicos certos adhuc comites et cultores esse diceret, meretrices autem et parasitos retrocedere et diffugere. Et bene quidem hoc Horatio cessisset, nisi addidisset verbum, quod, ut mihi quidem videtur, totam hanc scenam deturpat et prorsus corrumpit:

nec comitem abnegat,
Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica LINQUIS.

Quippe si Fortuna *linquit* domos afflictas, unaque comitantur abeuntem Spes et Fides, tum profecto omnes omnino diffugiunt, tam fidi amici quam infideles; quo nihil absurdius fingi potest. Certe, si quid video, vel hoc vel non dissimili verbo dictum oportuit:

Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica VERTIS:

hoc est, *concutis, affligis.* Spes, inquit, et Fides semper te colunt, Fortuna, neque te deserunt, sed etiam in afflicta domo, cum vestem mutaveris, tecum manent; volgus autem infidum statim diffugiunt.

Seneca Epist. IX. *Florentes amicorum turba circumsedet; circa* EVERSOS *ingens solitudo est: et inde amici fugiunt, unde probantur.* Ut semel dicam: nisi Fortunam, etiam cum adversa fit, in eadem tamen, qua prius domo manere finxerit Noster, nullum hic exitum video, neque quomodo sententia procedere possit intelligo. Nisi si quis fortasse satirice haec dicta accipiat, Spem Fidemque, ut nunc res hominum se habent, Fortunam semper comitari, ut supra questus est Ovidius:

Tranquilli comitem temporis esse Fidem;
Et cum Fortuna statque caditque Fides.

Verum eo pacto non *At volgus infidum* legendum fuerit, sed *Tum volgus* vel *Et volgus* vel aliud quid simile.»

CARMEN XXXVI.

Et thure et fidibus iuvat
Placare et vituli sanguine debito
Custodes Numidae deos,
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiae, memor
Actae non alio rege puertiae

XXXVI. Inscr. volg. *In honorem* (vel *reditum) Plotii Numidae.* — *Ad Pomponium* S. — *Ad Lamiam* T. (Idem T in margine: *Hanc odam scribit in honorem numide pro cuius salute reuersi ex mauritania vota soluenda aequum esse dicit.)* — 1. *ture* T. — 8. *pueritiae* T.

XXXVI. Convivio adventicio celebrat Plotii Numidae reditum, qui cum Augusto ex Hispania, ubi ille bellum Cantabricum gesserat, a. u. c. 730. reverterat. (Augustus autem post triennii absentiam in Urbem rediit. Dio 53, 28.) Hoc sane probabile est, quamquam, ut notat Franke, Numida etiam aliquanto ante Augustum reverti potuerat. Similis argumenti est Od. 2, 7.

1. *fidibus*] «Fidicines hodie quoque Romae ad sacrificia adhiberi sicut tibicines nemo est qui nesciat.» SCHOL.

2. *Placare*] Omni sacrificio *placantur* dii, eorum pax imploratur, etiamsi *irati* non sunt. Aurel. Victor de Sex. Pompeio C. 84: *Cum mari feliciter uteretur, Neptuni se filium confessus est eumque bobus auratis et equo placavit.* — *debito*] «Diis debetur hostia votis susceptis promissa.» PORPHYR. Od. 2, 7, 17: *obligatam redde Iovi dapem.*

4. *Hesperia*] H. l. Hispania, ultima Occidentem versus regio; contra Od. 3, 6, 8. est Italia.

7. 8. *Lamiae*] De L. Aelio Lamia cfr. Od. 1, 26. — *non alio*] «eodem.» Tacit. Germ. 5: *non in alia vilitate* pro «in eadem vilitate.» — *rege*] «rectore, moderatore, magistro.» Similiter Burrus et Seneca *rectores imperatoriae iuventutis* dicuntur Tacit. Ann. 13, 2. «Ad puerorum ludos (Epp. 1, 1, 59: *pueri ludentes, Rex eris, aiunt.* Iustin. 1, 5: *Cyrus rex inter ludentes sorte electus.)* vel ob eam causam parum commode haec referas, quod quum hoc loco haud dubie diuturna quaedam actae pueritiae conditio declaretur, vix credibile est per totam pueritiam unum Lamiam *(non alio rege)* puerorum ludentium regem esse factum, praesertim quum illi puerorum reges *sorte* solerent eligi.» STEINER. — *puertiae*] syncope,

Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota,
Neu promptae modus amphorae,
Neu morem in Salium sit requies pedum.
Neu multi Damalis meri

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

10. *Thressa* Iacobus a Cruce. — Post v. 10. deficit Codex d usque ad 2, 1, 17.

ut Od. 2, 2, 2: *lamnae*, Od. 4, 13, 20: *surpuerat*. Barbarismum mire vocat Charisius 4, 1. p. 238. P.

9. *togae*] Cognati inter se et amici filiis aequalibus uno eodemque die, quo magis sollemnis esset caerimonia, togam puram sive virilem (τὸ ἀπόρφυρον καὶ τέλειον ἱμάτιον Plut. Ant. 71.) dabant, et quidem Liberalibus a. d. XVI. Kal. April. Cic. ad Att. 6, 1, 12.

10. *Cressa - - nota*] Plin. H. N. 7, 40: *Vana mortalitas et ad circumscribendum se ipsam ingeniosa computat more Thraciae gentis, quae calculos colore* (albo et nigro) *distinctos pro experimento cuiusque diei in urnam condit ac supremo die separatos dinumerat atque ita de quoque pronuntiat.* Eadem consuetudo vel in proverbium abiit, vel eam nonnulli etiam apud Graecos Romanosque imitabantur. Catull. 107, 6: *O lucem candidiore nota!* Persius 2, 1: *Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo.* Plin. Epp. 6, 11: *O diem laetum notandum mihi candidissimo calculo!* Martialis 8, 45, 2. post reditum amici: *hanc lucem lactea gemma notet.* Ceterum iam Sophocles in Athamante Fragm. 10. Dind. λευκὴν ἡμέραν τὴν ἀγαθὴν dixerat. — *Cressa* i. q. alba, candida, quia creta ex Cimolo, parva insula prope Cretam sita, a nautis Cretensibus Romam advehebatur.

11. 12. «Ne modum servet parciorque sit promus condus vel pocillator in amphoris ex apotheca depromendis, neu cessemus Saliorum, Martis sacerdotum, in modum saltare;» quae exsultantis laetitiae demonstratio inter sodalium dumtaxat compotationes concessa erat. Cfr. Od. 4, 1, 28. Ceterum *Salium* hic et Od. 4, 1, 28. pro *Saliorum*, ut Epp. 2, 1, 244. *Boeotum* pro *Boeotorum*. Alii pro adiect. habent, ut sit i. q. *Saliarem*, sed sine alio exemplo praeter obsoletum illud apud Festum: *Saliae virgines.*

13. *multi - meri*] «bibacissima.» Cic. ad Fam. 9, 26: *hospes non multi cibi, sed multi ioci.* Callistium ἀνδράσι διαπινομένῃ memoratur ab Hedylo apud Athen. 11, 71. Licebat enim Athenis et Romae feminis liberiorem vitam amplexis interesse conviviis amantium. Tibull. 1, 5, 65: *Pauper* (amator te) *ad occultos furtim deducet amicos.* Ovid. Am. 2, 5, 14. *Damalis* haud infrequens libertarum nomen in Inscriptt. Miro casu (ut Lalage, ut Chloë) in Blanchinii Columbario libertarum Liviae p. 33. est: *Damalis. Liviae. Sarcinatrix.* — Qui cum Codd. aliquot legunt *Nec multi*, iocum venustissimum summoventes explicant: «Damalis, quae alias non multi meri est, nunc propter laetitiam Bassum vincat,» toto loco misere

Bassum Threïcia vincat amystide,
Neu desint epulis rosae,
Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalin putres
Deponent oculos, nec Damalis novo

13. *Nec multi* Codd. aliquot; nostri non. — 15. *desinit* pr. T.

luxato, tam inepte inter *neu* part. *nec* intrusa.

14. *Bassum*] filium fortasse Q. Caecilii Bassi a. u. c. 709. ducis partium Pompeianarum. Nonnullis idem videtur cum Basso Propertii 1, 4, 1. Ovid. Trist. 4, 10, 47. Rem prorsus incertam esse demonstravit Estré Hor. Pr. p. 481. — *Threïcia - - amystide*] ἄμυστις, συνεχὴς πόσις. Hesych., potu labris nunquam clausis *(ἀμυστί, ἀπνευστί)*, antequam poculum siccatum sit, uno ductu, ut ait Schol., hausto, qui Thracum mos erat; unde Rheso Hector eam exprobrat in Rheso 405. Ed. Vater: *οὐκ ἐν δεμνίοις Πυκνὴν ἄμυστιν ὡς σὺ δεξιούμενοι*, ubi Schol. Vatic. *ἐπὶ τῆς ἀπνευστὶ πόσεως*. Cfr. Eurip. Cycl. 417: *ἐδέξατ' ἔσπασέν τ' ἄμυστιν ἑλκύσας*. Recordatusne est Callimachi Fr. 409: *Καὶ γὰρ ὁ Θρηϊκίην μὲν ἀπέστυγε χανδὸν ἄμυστιν Ζωροποτεῖν* — ? Cfr. Od. 1, 27, 2. Thraces iam Archilochus propter temulentiam notavit Fr. 28. p. 473. Bergk.: *Ὥσπερ παρ' αὐλῷ βρῦτον ἢ Θρῃϊξ ἀνὴρ Ἢ Φρὺξ ἔβρυξε*. Hoc igitur dicit: «Bassus, alias satis modicus in bibendo, tanto hodie gaudio abripiatur, ut ne Damalis quidem, strenua illa potatrix, eum in amystidis certamine superare queat.» Theognis 971: *Τίς δ' ἀρετὴ πίνοντ' ἐπιοίνιον ἄθλον ἐλέσθαι;*

16. *vivax*] «diu virens.» Theocr. 13, 42: *θάλλοντα σέλινα*. Nicand. Ther. 211: *σέλινον ἀείφυλλον*. Anacr. Fr. 53. B.: *Ἐπὶ δ' ὀρρύσιν σελίνων στεφανίσκους Θέμενοι θαλείαν ὁρτὴν ἀγάγωμεν Διονύσῳ*. Sic *vivaces hederas* dixit Seneca Oedip. 455. Virg. Ecl. 6, 68: *Floribus atque apio crines ornatus amaro*. Cf. Od. 2, 7, 23. 4, 11, 3. — *breve lilium*] Od. 2, 3, 13: *nimium breves Flores - - rosae*.

17. *putres*] «Oculos marcescentes, molles et cupidine natantes *(lüstern schmachtend)* defigent in Damalin, nec tamen propterea *divelletur* ab amatore *(novo,* quia tunc primum redierat), quemadmodum alia fortasse faceret vel pudore tacta, vel alium iuvenem, ut in tali convivio, amplexatura.» Pers. 5, 58. *ille In Venerem putris, ὑγρός, ταχερός*. Lucian. Amor. 14: *ὁ Χαρικλῆς ὑπὸ τοῦ σφόδρα θάμβους ὀλίγου δεῖν ἐπεπήγει ταχερόν τι καὶ ῥέον ἐν τοῖς ὄμμασι πάθος ἀνυγραίνων*. Polemon Physiogn. 1: *Ὀφθαλμοὶ κλυζόμενοι, κυμαίνοντες ἑαυτούς, ἐπαφρόδιτον παὶ ἐμπαθῆ ἄνδρα δηλοῦσιν*.

18. *Deponent*] «quia, ut res alicubi depositae non moventur, in illa intuenda immobiles manebunt.» Scriptor belli African. 26: *ut* (Caesar) *- - oculos mentemque ad mare dispositos directosque haberet,* ubi alii *depositos*. Utique singulare est pro «defigere, intendere.»

Divelletur adultero
Lascivis hederis ambitiosior. 20

19. *adultero*] casu sexto, non tertio. Sic Od. 1, 37, 5: *depromere Caecubum cellis avitis. Adulter* autem h. l. ut Propert. 2, 29, 38. Cynthia ad poëtam: *Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat Spiritus admisso notus adulterio,* pro concubitu. Est igitur: «Quamvis omnes convivae Damalin amplecti cupiant, illa tamen amoris gaudia uni Numidae, novo adultero, concedet.»

20. *ambitiosior*] Prima voc. significatione usus est: «Artius Numidam complexa, quam solet hedera *lasciva,* modo huc, modo illuc vaga, serpens atque cortici se inflectens *ambire,* circumplicare arbores.» Eadem comparatio Epod. 15, 5. et Catull. 64, 33: *Mentem amore revinciens, Ut tenax hedera huc et huc Arborem implicat errans.*

CARMEN XXXVII.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum

XXXVII. Inscr. volg. *Ad sodales.* — *In victoria Augusti* S. — *In victoriam Augusti* T.

XXXVII. Primo statim de Cleopatrae morte nuntio accepto sodales hortatur, ut totos in laetitiam se effundant; ita tamen, ut generosum reginae animum ipse quoque ultro agnoscat atque admiretur. Cfr. Virgil. Aen. 8, 675 seqq. Propert. 3, 11. et 4, 6. Lucan. 10, 53. De Antonio, utpote Romanus de Romano, hic prorsus silet; neque illi, sed Cleopatrae dumtaxat, Octaviani iussu bellum indixerat senatus (Dio Cass. 50, 6.), nec de collega in triumviratu triumphavit victor. Huius enim intererat, ut quoad eius fieri posset homines obliviscerentur amicum ab eo ad mortem adactum esse. Nuntius autem de utriusque interitu Romam perlatus est auctumno a. u. c. 724. a M. Tullio Cicerone, oratoris filio, consule tum suffecto. Inter primas Odas ab Horatio editas haec referenda est, quamobrem excusandas ducunt synaloephen v. 5., negligentiam in caesura admissam v. 5. et 14.

1. Initium duxit ex Alcaei Fragm. 30. Bergk. p. 575: *Νῦν χρὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν Πίνην, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος* (Lesbi tyrannus), ubi sine causa nonnemo proposuit *καὶ χθόνα πρὸς βίαν καλὴν*. In reliquis autem Alcaeum imitari vix potuit, cum nimis arte omnia ad Cleopatram referantur. — *Nunc est bibendum*] «Nunc demum rursus bibere concessum est.» Cfr. v. 5. — *nunc pede libero*] «Effusa laetitia hodie potemus et saltemus.» Etenim verba ad ipsum Saliorum tripudium ac lectisternium referenda non sunt cum nonnullis, quasi vero penes Horatium fuerit talia decernere vel proprie imitari iubere amicos. Od. 3, 18, 15: *Gaudet - - populisse fossor Ter pede terram.* Ennius Ann. 1, 2: *Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum. — pede libero*, quod «non incatenato» perperam nonnulli explicarunt, est simpliciter «agili, interdum numero non optime servato; libere tripudiante.»

2. 3. Ritum igitur lectisternii in supplicationibus dis post insignem aliquam victoriam a senatu decretis applicat ad diem cum sodalibus laetissime celebrandum. Talia autem sollemnia coniuncta erant cum epulis opiparis. Od. 2, 14, 28: *Pontificum-coenis.* Cic. ad Att. 5, 9: *epulari Saliarem in modum.* Festus: *Saliis per omnes sacrorum dies, ubicunque manent, quia amplissimae ponuntur coenae, si quae aliae magnae sunt, Saliares appellantur.* — *pulvinar*] «*Pulvinaria* dicebantur aut lecti deorum aut tabulata, in quibus stabant numina, ut eminentiora

Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et imperio parabat

5. *deponere* B. — 7. *dementis* B. — 9. *cum grege*] *congrege* e C3dd. (non Bland.) C, ut volebat Ios. Scaliger Aus. Lect. 1, 17.

viderentur.» Acr.; de quo loco controverso consule Dobrezy *Rome* II. p. 436. Supplicationem igitur illico habendam esse dicit.

4. *Tempus erat*] Concisa temporum attractione: «factum illud iam dudum oportebat atque etiam nunc oportet;» quo ipso cessationem reprehendit. Aristoph. Eccl. 877: *τί ποθ' ἄνδρες οὐχ ἥκουσιν; ὥρα δ' ἦν πάλαι.* Pax 1044: Trygaeus ad servum: *ἀλλ' ἥκειν ἐχρῆν.* Ovid. Trist. 4, 8, 5: *Nunc erat, ut posito deberem fine laborum Vivere.* Ib. 25: *Tempus erat nec me peregrinum ducere caelum Nec siccam Getico fonte levare sitim.* Atque etiamnunc sic Itali: *ora ben era tempo d'ornare* ecc. In prosa orat. pro *nunc erat* de re proxime instante usitatius esset *iam iamque*, ut Tacit. Ann. 12, 15: *iam iamque Bosporum invasurus habebatur.*

5. *Antehac*] bisyllabum, ut apud Ennium Fr. p. 269. Hessel. *Antehac*, in luctu publico. — *Caecubum*] vinum generosissimum. (Plin. H. N. 14, 8.) Epod. 9, 1: *repostum Caecubum ad festas dapes.* Ager est Latii prope Fundos ad viam Appiam.

6. *Cellis avitis*] «vinum iam ab avis nostris in apothecis conditum.» — *Capitolio*] Lucan. 10, 62: *Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro.* Capitolium autem sanctissimum Romanis pignus aeternitatis imperii. Od. 3, 3, 42. 3, 30, 8.

7. 8. *Regina*] vocabulum per se Romanis invisum. In veris Cleopatrae nummis (Visconti *Icon. Gr.* T. 54, 22. Müller *Denkm.* I. N. 257.) apellatur *ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. ΘΕΑ. ΝΕΩΤΕΡΑ.* Exstant etiam M. Antonii nummi cum inscriptione: *Cleopatrae. Reginae. Regvm. Filiorvm. Regvm.* Eckhel D. N. VI. p. 47. Nummus apud Arneth II. p. 36: *M. Antoni. Armenia. Devicta* ‖ *Cleopatrae. Reginae. Regvm. Filiorvm.* Cfr. Riccio *M. F. R.* p. 19. (Suppositicii sunt, quos interpretes ad h. l. afferunt.) — *dementes ruinas*] «dementer cogitatas»; «quas demens Capitolio minitabatur;» fere ut Virg. Aen. 2, 576: *scelerata sumere poenas.* Cleopatra ipsa *demens*, insana dominandi libidine abrepta urbis Romae regina fieri volebat, quod si assecuta esset, eversum foret imperium Romanum atque in tyrannidem orientalem mutatum. Florus 4, 11: *Haec mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petiit.* Dio Cass. 50, 5: *οὐ γὰρ ὅτι τὸν Ἀντώνιον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους, τούς τι παρ' αὐτῷ δυναμένους, οὕτω καὶ ἐγοήτευσε καὶ κατέδησεν, ὥστ' αὐτὴν τῶν Ῥωμαίων ἄρξειν ἐλπίσαι τήν τε εὐχὴν τὴν μεγίστην, ὁπότε τι ὀμνύοι, ποιεῖσθαι τὸ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ δικάσαι.* — *Funus et*] Particula *et* saepe sic postponitur. Cf. Od. 1, 2, 9. 1, 12, 11. 1, 13, 6. 1, 18, 39.

9. *Contaminato*] «cum turba spadonum atque exoletorum suorum.»

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus,

10. *Morbo virorum*] *Opprobriorum* malebat Bentl.

Hos multa cum acerbitate vocat *gregem contaminatum* (impurum ac foedum) *virorum morbo turpium*, id est, qui turpi morbo illicitae libidinis laborabant, morbosorum spadonum; *morbus* enim ut *νόσος* et *πάθος* de impura voluptate. Seneca Ep. 83: *impudicus morbum conflatur ac publicat.* Locum obscuriorem illustrat Lucianus Amor. 21., ubi de eunuchis locutus ita pergit: *οὕτως ἡ μιαρὰ καὶ παντὸς κακοῦ διδάσκαλος τρυφὴ ἄλλην ἀπ' ἄλλης ἡδονὰς ἀναισχύντους ἐπινοοῦσα μέχρι τῆς οὐδὲ ῥηθῆναι δυναμένης νόσου κατώλισθεν.* Eunuchis igitur suis Cleopatra abuti solebat ad libidinosissimam Venerem, quam significat Priap. 78, 2. et Martial. 12, 59. — V. *turpium* autem, ut *contaminato*, imprimis ad animum refertur insana libidine flagrantem, etsi etiam externa horum hominum species plerumque foeda est. Cfr. Epod. 9, 11: *Romanus - - spadonibus Servire rugosis potest* (praesertim Pothino et Mardioni). Contemptim etiam v. *grege*. Suet. Tit. 7: *spadonum greges.* (Ammian. Marc. 14, 6, 17: *spadones luridi distortaque lineamentorum compage deformes.*) Tacit. Ann. 15, 37: *Nero uni ex illo contaminatorum grege in modum sollemnium coniugiorum denupsit* cet., ubi eius animo Horatii locus obversatus videtur. — V. *virorum*, in quo multi haeserunt, est *κατ' εἰρωνείαν* dictum pro eo, quod alii, Virgilius, Livius, Martialis 3, 91. 9, 21. spadones *semiviros* vocant. Gregorius Nazianz. in Epitaphio Basilii Ed. Paris. 1778. pag. 806. eunuchos vocat *τοὺς ἐν γυναιξὶν ἄνδρας, ἐν ἀνδράσι γυναῖκας.* Male alii (Scholiasta Cruq., Iohnson) construunt: *cum grege turpium virorum contaminato morbo*, «qui grex morbo contaminatus est.»

10. 11. *Impotens* dicitur, qui, cum sui compos non sit, propterea quidlibet audet et quamvis cupidinem explere gestit. Cic. ad Fam. 4, 9, 3: *victoria - etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit.* De constructione conf. ad Od. 1, 35, 2. — *dulcis* vocatur *fortuna* nimis blanda et propterea fallax atque exitium allatura.

12. *Ebria*] «rebus secundis elata et impos mentis,» solito etiam Graecis tropo. Anacr. Fragm. 17. p. 105. Bergk.: *μεθύων ἔρωτι.* Theophr. apud Stob. Tit. 10, 12: *μεθύων ταῖς φιλονεικίαις.* Demosth. Phil. 1. p. 54: *οἶμαι ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων.* Himerius Ecl. 2, 15: *εἰ σφόδρα τις Ἀλέξανδρον μεθύειν ὑπὸ τῆς εὐτυχίας ὑπείληφε.*

13. *Vix una*] «quod vix una navis sospes erat.» Haase ad Reisig *L. Gr.* pag. 631. In pugna Actiaca commissa IV. Non. Sept. a. u. c. 723. regina quidem evasit cum classe sospite, sed Antonii classis plus quam CCC. navibus constans paene tota igne deleta est, excepta

Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem
Remis adurgens, accipiter velut
Molles columbas aut leporem citus

15. *in*] *ad* malebat Bentl. — *seros* Bouhier. — 18. *Mollis* BT.

praetoria triremi, qua ipse fugit dux devictus. Plut. Ant. 68. Dio 50, 35.

14. *lymphatam*] «*νυμφόπληκτον*, vano pavore territam et consternatam neque iam sui compotem, ita ut vix inito proelio, Antonii rebus etiamtunc integris, repentinam fugam capesseret.» Ovid. Heroid. 4, 49: *quas Dryades Faunique bicornes Numine contactas attonuere suo.* Halieut. 49: *animalia – Aut vani semper quatiunt lymphata timores.* Lucan. 7, 486: *lymphato trepidasse metu;* qui tres loci cum aliis a Luebkero collectis satis demonstrant, Latinos in misero lymphaticorum statu haud minimam partem metui ac pavori tribuisse. Quod autem Groebelius temulenta Cleopatrae convivia addubitans legendum proposuit *Mareoticae*, id est, Aegyptiae, satis refutatur a Gratio Cyneg. 310: *humanos non res magis altera sensus Tollit* (quam luxus). *Haec illast Pharios quae fregit noxia reges, Dum servata cavis potant Mareotica gemmis.* Cfr. Plut. Ant. 29. Pavorem autem illum *πανικὸν* tribuit *Mareotico*, effusis illis cum Antonio compotationibus. Mareoticum vinum dulce, odoriferum et leve ad Mareoticam paludem circa Maream, oppidum Aegypti inferioris prope Alexandriam. Strabo 17, 14. p. 527. Athen. 1, 60. p. 33. Contra *vile* est Lucano 10, 160.

15. *Veri timores* opponuntur lymphaticis, ab animi errore profectis.

16. *ab Italia*] Quia processerat usque ad Actium, e regione Italiae. Iunge *ab Italia volantem*, non: *ab Italia remis adurgens.* Rem poëtice ita proponit, ac si Octavianus Cleopatram statim post victoriam in Aegyptum usque persecutus esset, cum tamen demum a. u. c. 724. se ipsa interfecerit.

17. *accipiter* cet.] Imago, quae quasi in proverbium abiit. Iliad. χ, 138: *Πελείδης δ' ἐπόρουσε ποσὶ κραιπνοῖσι πεποιθώς· Ἤϋτε κίρκος ὄρεσφιν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν, Ῥηϊδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν· ἡ δέ θ' ὕπαιθα φοβεῖται κτλ.* Alcman Fr. 16. Bergk. p. 543: *Αὔσαν δ' ἄπρακτα νεανίδες ὥστ' Ὄρνεις ἱέρακος ὑπερπταμένω.* (Aeschyl. Prom. 856: *οἱ δ' ἐπτοημένοι φρένας, Κίρκοι πελειῶν οὐ μακρὰν λελειμμένοι, Ἥξουσι θηρεύσοντες.* Halm.) Virg. Aen. 11, 721: *Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto Consequitur pinnis sublimem in nube columbam Comprensamque tenet pedibusque eviscerat uncis.* Ovid. Met. 5, 606: *Ut solet accipiter trepidas agitare columbas.* Ad vv. *accipiter* et *venator* ex praecedd. cogitatione supple *adurget*, premit.

19. 20. *Haemoniae*] poëticum Thessaliae nomen. Rhianus in Schol. Apollon. 3, 1089: *Αἱμονίην ἀφ' Αἵμονος – – ὁ δ' αὖ τέκε Θέσσαλον Αἵμων. Nivalis* autem Thracia apud Eurip. Andr. 245: *Θρῄκην χιόνι τὴν κατάῤῥυτον.* Sic poëta vicinam Thessaliam *nivosam*

Venator in campis nivalis
Haemoniae, daret ut catenis
Fatale monstrum: quae generosius
Perire quaerens nec muliebriter
Expavit ensem nec latentes

20. *Paeoniae* Meineke *Philol.* II. p. 464. — 23. *latentis* BT.

nominat; similiter ut Itali interdum totam Helvetiam perpetuis nivibus coopertam sibi fingunt. Vel potius intellige de hiberno tempore, quo potissimum vacabant venationi. Sat. 2, 3, 234. Pro sua coniectura Meineke affert Ovid. Met. 5, 313: *Paeonas - nivosos.* Sed *Paeones* demum ab Ovidio memorantur, quippe cum huius tempore diu post Virgilium atque Horatium devicti essent. Ex Ponto 2, 2, 75: *Adde triumphatos modo Paeonas,* a. u. c. 765. — *daret ut catenis*] In eo enim omnia reposuerat Octavianus, ut illam triumpho reservaret. Plut. Ant. 78: *τὸν Προκλήϊον ἔπεμψε κελεύσας, ἢν δύνηται, μάλιστα τῆς Κλεοπάτρης ζώσης κρατῆσαι· καὶ γὰρ ἐφοβεῖτο περὶ τῶν χρημάτων καὶ μέγα πρὸς δόξαν ἡγεῖτο τοῦ θριάμβου, καταγαγεῖν αὐτήν.*

21. *Fatale*] «fato destinatum ad perdendum prope imperium Romanum.» — *monstrum: quae*] Constructio *πρὸς τὸ σημαινόμενον*, ut Odyss. λ, 90: *ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο, Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων.* Terent. Eun. 4, 3, 3: *Scelus postquam ludificatus est virginem.* Plato Euthyd. 275. D.: *τὸ μειράκιον -- ἀπορήσας.* Cic. ad Fam. 1, 9, 15: *illa furia muliebrium religionum, qui* cet. Liv. 38, 46: *tantae corporum moles - - in fugam consternati sunt.* Etiam Florus 4, 11. *monstrum* eam appellat et Lucano 10, 58. est: *Dedecus Aegypti, Latii feralis Erinnys.* Attende autem ad *ἀσύνδετον* sententiarum inter vv. 15—21. et subitum illud *quae generosius* -, quo *ἀσυνδέτῳ* repentinam illam atque admirabilem mutationem in reginae animo factam, ut a vanis aeque et a veris timoribus transiret ad generosissimum moriendi consilium, magna cum arte expressit. Quamquam scio «improvisum hunc saltum,» ut aiunt, ab imperitis iudicibus acriter reprehensum esse.

22. 23. *Perire quaerens*] «mortem appetens viasque moriendi omnes investigans.» Amat autem Horatius rariorem hanc v. *quaerendi* cum infinitivo constructionem. V. ad Od. 3, 4, 39. — *nec muliebriter*] Vellei. 2, 87: *Cleopatra frustratis custodibus illata aspide, morsu eius sane expers muliebris metus spiritum reddidit.* — *Expavit ensem*] Plut. Ant. 79: *Θεασαμένη τὸν Προκλήϊον ὥρμησε μὲν αὐτὴν πατάξαι (παρεζωσμένη γὰρ ἐτύγχανέ τι τῶν λῃστρικῶν ξιφιδίων·) προσδραμὼν δὲ ταχὺ αὐτὴν ἐκώλυσεν.* Quo ex loco apparet minus rectam esse Vossii interpretationem: *welche, den edleren Ausgang sich suchend, weder das Schwert als Weib zagend hob u. s. w.*

23. *nec latentes*] Narrat Plut. Ant. 69. de transvehendis e Nilo in sinum Arabicum navibus eam cogitasse et inde *ἔξω κατοικεῖν* voluisse; abiecisse tamen hoc consilium, cum naves aliquot primum

Classe cita reparavit oras.

Ausa et iacentem visere regiam
Voltu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum

24. *repetivit* Cod. Vatic. Reginae; *penetravit* malebat Bentl., *repedavit* Titius, *peraravit* Bouhier, *remeavit* Oeseke, *recreavit* Bossche, *properavit* Guaccius, *trepidavit* Hammerstein. — 25. *iacentem* Cod. Bersmanni prob. Bentleio.

transmissas ab Arabibus combustas audisset. Dio 51, 6: ἡτοιμάζοντο ὡς καὶ ἐς τὴν Ἰβηρίαν, ἄν τι κατεπείξῃ, πλευσούμενοι –. ἢ καὶ πρὸς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν μεταστησόμενοι. Florus quoque l. l. praeparatae eius in Oceanum fugae meminit, sed suppressit hoc, vel potius negando significavit prudenter Horatius.

24. *Classe cita*] «velociter navigante», non: «mota atque translata», quae notio in v. *cita* non inest. — *reparavit*] «Spe novi regni condendi alias sibi parare et assequi studuit regiones pro illis, quas amittendas Caesarique relinquendas esse videbat, id est, pro Aegypto.» Sic interpretor conferens Francogallorum *regagner*; non vero: «Cleopatra non instauravit bellum auxilio Aegypti interioris,» neque locus est coniecturis: *penetravit, peragravit, peraravit, properavit, ire paravit, repedavit, repetivit, reseravit, remeavit* cet., et si quas alias iam excogitarunt Critici. Ceterum usus hic v. *reparare* prope singularis est; proxime fortasse accedit Inscriptt. mear. Lat. N. 1587: *quod licuit patrios reparare Penates.* Auson. Mosellae 35: *Non superante vado rapidos reparare meatus Cogeris.*

25. *iacentem*] «deiectam a fastigio suo, afflictam ac desolatam.» Cic. Orat. 67: *depressam, caecam, iacentem domum.* Eandem Od. 4, 14, 36. *vacuam aulam* nominat, ubi ut ait C. Rabirius Ed. Kreyss. p. 216: *deforme coactum Omne vagabatur leti genus, omne timoris.*

26. Noli construere: *voltu sereno fortis, et ausa tractare,* sed *fortis tractare,* adeo fortis, ut attrectaret, manibus versaret, aspides *asperas,* non tam propter squamas, quam «saevas, iratas», ut Virg. Ge. 3, 433: *anguis – – asperque siti atque exterritus aestu.*

28. *Corpore* minime cum contemptu dictum, ut nuper ratus est aliquis, sed significat in intimos corporis partes eam recipere voluisse venenum. — *combiberet*] «ut mortiferum virus penitus imbiberet.» Sic *perbibere* Seneca de Ira 1, 16. *Artes combibere* tropice dixit Cic. de Finn. 3, 2, 9. Cfr. de hoc mortis genere C. Rabirium Ed. Kreyssig. p. 226: *Ille – – pendente suis cervicibus aspide mollem Labitur in somnum trahiturque libidine mortis,* quibus optime explicatur locus Statii Silv. 3, 2, 119: *Anguiferamque domum, blandoque mersa veneno Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas,* ubi frustra nonnemo voluit *morsa. Κεντήματα λεπτὰ* in eius brachio apparuisse tradit Dio 51, 14. Virg. Aen. 8, 696: *Regina in mediis patrio vocat agmina sistro, Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.*

29. *ferocior*] «Animosior etiam facta, postquam certum moriendi consilium cepit.» Est potius abl.

Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior,
Saevis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

28. *Pectore* Cod. Mentel. — *combiberet* T.

absolutus quam instrumentalis, ut nonnulli volunt: «per mortem deliberatam ferocior facta.» Lucan. 4, 534: *stabat devota iuventus, Damnata iam luce ferox.* Stat. Theb. 12, 760: *Iam letale furens atque audax morte futura.*

30. *Saevis*] «hostilibus ipsique ultimam triumphi ignominiam minitantibus.» — *Liburnae (Λιβυρνίδες)* naves; parva ac velocia navigia, ad eorum similitudinem constructa, quibus olim Liburni, Illyrica gens, piraticam exercentes usi erant, fere biremes. Silius 13, 240: *agilis Liburna.* Harum maxime opera Antonii naves apud Actium disiectas esse Dio et alii testantur. — *invidens*] «iis (propter generosum contemptum) minime concedens.»

31. *Privata*] «pristina dignitate spoliata, non iam regina.»

32. *Non humilis*] «immo generosissima.» «Nam et T. Livius refert, illam, cum de industria a Caesare indulgentius tractaretur, identidem dicere solitam: *Οὐ θριαμβεύσομαι.*» Porphyr. Cfr. Flor. 4, 11. In triumpho postea Cleopatrae imaginem alligatis brachio aspidibus circumlatam esse docet Propertius 3, 11, 52: *Accepere tuae Romula vincla manus. Brachia spectavi sacris admorsa colubris Et trahere occultum membra soporis iter.* Ponanus in Anthol. Burm. 1. p. 225: *Picta fuit quondam Pharii regina Canopi, Artifici formata manu; nam vivere serpens Creditur et morsa gaudens dare fata papilla. O quam vivit opus! quam paene figura dolorem Sentit et ex ipso moritur pictura veneno!* — Sapienter autem poëta desinit in proponenda nobis ferocis reginae iamiam moribundae imagine, neque ad exultationem redit, a qua carmen exorsus erat.

CARMEN XXXVIII.

Persicos odi, puer, apparatus,
Displicent nexae philyra coronae;

XXXVIII. Inscr. volg. et BST: *Ad puerum ministrum.*

XXXVIII. Auctumni tempore se sub trichila uno puero a cyatho comite non floreis corollis, sed myrto dumtaxat redimitum potaturum significat. Consulto, ac non sine occulta quadam εἰρωνείᾳ tam simplici odario primum librum clausisse videtur, probe gnarus, talia quoque, etsi tenuia, grato animo accepturos esse Romanos, ad quos, pauca cum tentasset Catullus, primus cum maxime melicam Graecorum poesin transferebat. Consulto etiam praecedere iussit carmen vere sublime popularium-que animos admiratione perculsurum. Carminis autem aetas pro certo definiri nequit; ad a. quidem 725. refert Grotefend et Walck., ad a. 729. Kirchnerus.

1. *Persicos - - apparatus*] Admonet nos Lambinus coenae sumptuosissimae Pausaniae iussu post victoriam Plataeensem a Persis captivis paratae et ab illo derisae. Postea tamen idem *epulabatur more Persarum luxuriosius, quam qui aderant perpeti possent.* Corn. Nep. Paus. 3. Xenoph. Cyrop. 8, 8, 15: ἀλλὰ μὴν καὶ θρυπτικώτεροί γε νῦν πολὺ ἢ ἐπὶ Κύρου εἰσί. *Persicos* autem *apparatus* ipse fortasse viderat in Phraatis filii, qui diu obses Romae degit, et in Tiridatis, qui Augusto supplex eo venerat, luxu ac pompa orientali. — *odi*] «Minime iis delector.» — *puer*] Frequenter sic pocillatores suos alloquebantur Lyrici. Anacr. Fr. 62. B.: Ἄγε δή, φέρ' ἡμῖν, ὦ παῖ, Κελέβην.

2. *philyra*] tenuissima tiliae corticis membrana interior, qua utebantur in nectendis coronis, varios inde lemniscos sive taenias texentes. Phurnutus c. 25: πρὸς τὰς στεφανῶν πλοκὰς εἰώθασι τῇ φιλύρᾳ κεχρῆσθαι μᾶλλον. Xenarchus apud Athen. 15, 25: Φιλύρας εἶχε γὰρ Ὁ παῖς ἄφυλλον στέφανον ἀμφικείμενον. Ovid. Fast. 5, 335: *Tempora sutilibus cinguntur tota coronis Et latet iniecta splendida mensa rosa, Ebrius incinctis philyra conviva capillis Saltat.*

3. 4. *Mitte*] «Omitte inquirere, ubi sub exitum auctumni rosae etiamnunc apud coronarum propolas (*coronarias* Inscr. m. Lat. N. 4172., *corollarias* N. 4173.) reperiantur.» — *sera rosa* vernam, quae florere nimis tardet, ut nuper quidam interpretatus est, significare nequit (nimis enim ambiguo ἐπιθέτῳ usus esset poëta), sed auctumnalem vel hibernam. Sic Lucianus Nigrin. §. 34: τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπεπλαμένους ῥόδων καὶ τὸ σπάνιον αὐτῶν καὶ παρὰ καιρὸν ἀγαπῶντας. Cfr. Martial. 6, 80. in Domitiani villa media hieme *Tantus veris honos et odorae gratia Florae, Tantaque Paestani gloria ruris erat.* Pacatus in Paneg. Theod. 14: *Delicati*

Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus neque me sub arta
Vite bibentem

6. *cura* Bentl. coni., *curae* e Cod. Bodleiano (memorato etiam a Bentleio) Cuningh. et Zell. (*Curo* omnes mei et Pottierii.) — *me*] *te* T.

illi ac fluentes parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernae poculis rosae innatassent.

5. *allabores*] «ut praeterea laborem ullum suscipias.» Hoc v. unus est usus Horatius h. l. et Epod. 8, 20. — «Noli nimis sedulo rosas superaddere myrto semper viridi ac propterea semper facile inveniendae. Non *curo*, nolo hoc facias.» Haec vera est lectio; *sedulus curae* interpretantur: «sedulus in cura, sedulo curans.» (*Sedulus, cura* imperativ. Bentl., *sedulus cura* ablativ. Klotz. Cfr. *curae* probantem Voss *Anmerkungen und Randglossen*, pag. 253. «*Oro* optime habet Cod. Petrin. sine ulla litura.» Bentleius in Curis noviss. Sed *sedulus oro* metro repugnat. Cfr. etiam Goeller ad Plauti Trin. p. 69.)

7. *neque me*] «hominem simplicem neque opulentis adnumerandum.» — *sub arta*] «densa, spissa trichila sive pergula, ὑπαμπέλῳ, vitibus tecta atque ideo umbrosa.»

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

CARMEN I.

Motum ex Metello consule civicum
Bellique causas et vitia et modos

I. Inscr. volg. *Ad C. Asinium Pollionem. — Ad Asinium Pollionem consularem virum* T. Om. S.

1. *Motum*] bella intestina, quae primordium ceperant inde ab a. u. c. 694., Q. Caecilio Metello Celere et L. Afranio coss., quo anno Caesar, Pompeius, Crassus societatem rei publicae ad suam voluntatem regendae inierunt, quem priorem triumviratum, etsi minus recte, cum magistratus non fuerit, volgo appellant. Vell. 2, 44. Suet. Caes. 19. Florus 4, 2. Bellum ipsum civile demum post decennium erupit. — *civicum*] ut Od. 3, 24, 26. *civica rabies*, forma antiquior, ut *hosticus*, a poëtis servata; in formula *coronam civicam dare* tralaticia mansit.

2. *causas*] caedem Crassi, mortem Iuliae, ambitionem aemulationemque Caesaris et Pompeii cet. — *vitia*] partim Crassi in expeditione adversus Parthos suscepta, partim Pompeii eiusque partium; quibus de vitiis acriter conqueritur Cicero ad Fam. 7, 3: *extra ducem paucosque praeterea (de principibus loquor) reliqui primum in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem.* — *modos*] «et singulas rationes, quibus utraque pars usa erat in his contentionibus civilibus, et totius belli tenorem.»

3. 4. *Ludumque Fortunae*] «varias vicissitudines ludibriumque Fortunae praesertim in interitu et Pompeii et Caesaris.» — *graves*] Caelius ad Fam. 8, 14, 2: *Sic illi amores et invidiosa coniunctio* (inter Caesarem et Pompeium) *non ad occultam recidit obtrectationem, sed ad bellum se erupit.* Cf. Cic. Philipp. 2, 10, 23. Vell. 2, 44: (Caesare) *consule* (a. u. c. 695. sed accuratius Horatius *Metello consule*, a. u. 694.) *inter eum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas, quae urbi orbique terrarum nec minus diverso quamquam tempore ipsis exitiabilis* (Horatii *gravis*) *fuit.* — *arma*] Ut distinguas a *bello*

Ludumque Fortunae gravesque
Principum amicitias et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

3. *gravisque* BbTc. — 5. *tincta* Bentl. coni.

v. 2., cogita de singulis pugnis, imprimis de Pharsalo, Thapso, Munda.

5. *Nondum expiatis*] Quia nimiae etiam post Antonium oppressum remanebant scelerum civilium reliquiae, longo tantum Octaviani principatu removendae. Od. 1, 2, 29: *Cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter? — uncta*] «polluta.» Verbum quod Bentleio vix Latinum videbatur, firmatur a Silio 9, 13: *hostilique unguere primus Tela cruore.* V. magis volgare *tincta* post syll. *tis* ingratum sonum praebuisset. *Uda* autem *cruoribus*, quod nonnemo proposuit, Latine non magis dicitur quam Germanice *Waffen, feucht von Blut.* — *cruoribus*] «sanguine saepe ac multis locis effuso.» Sic *αἵματα* crebro apud Tragicos. Aeschyl. Suppl. 265: *παλαιῶν αἱμάτων μιάσμασιν.*

6. *aleae*] de incerto ac fortuito eventu cuiusvis incepti, ut «Iacta est alea, *ἀπερρίφθω κύβος.*» Ideo autem periculosum Pollionis vocat inceptum, quia vix aliter fieri poterat, quam ut in tantis tamque acribus partium studiis, nondum prorsus sopitis, hunc vel illum, filios quoque et amicos eorum, quorum magnae in bello domestico partes fuerant, etiam vero simpliciter patefacto laederet. Aliter explicat Doering, cuius rationem praefert Lübker: *pl. opus aleae*] «bellum civile, quia in eo, sicut in alea, plurima a fortunae favore pendent; et sic *incedere* cet. erit: versari in describendo bello civili, ubi inopinata mala et pericula, sicut ignis cineri doloso suppositus, subito prorumpunt.» Me secutus est Regel. Nobis igitur *opus* est «historia belli intestini, quam edere cogitas»: illis «bellum ipsum»; quo iure, ipsi viderint. Ceterum hoc dumtaxat pro certo scimus, perductam fuisse Pollionis historiam usque ad Ciceronis aliorumque proscriptionem; probabiliter tamen usque ad pugnam Philippensem progressus est. Qui vero putant, eum in omnem sui temporis historiam ad dominationem usque Octaviani (a. 725.) excurrisse, mera coniectura nituntur.

7. *ignes*] Proverbii speciem habet. Suidas: *Ἐν πυρὶ βέβηκας*] *Τοῦτο ἐπιλέγειν χρὴ ἐν τοῖς ἐν ἐπισφαλέσι καὶ ἐπικινδύνοις πράγμασιν ἐμφιλοχωρεῖν ἐθέλουσι.* Callim. Ep. 46, 2: *ἔστι πῦρ ὑπὸ τῇ σποδιῇ.* Meleager Ep. 55: *μὴ - - κινήσῃς τέφρῃ πῦρ ὑπολαμπόμενον.* Propert. 1, 5, 5: *properas ultima nosse mala, Et miser ignotos vestigia ferre per ignes.* — Res a Pollione suscepta quam ardua sit et quam magnos spiritus requirat, ei ideo ante oculos ponit, quod difficultas ipsa virum generosum ad curam perficiendam excitare

Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne maestis praesidium reis

debebat. Simul autem ostendit, quanta de Pollionis historia popularium sit exspectatio.

9. *Paullum* cet.] Cfr. omnino Welckerum Trag. V. II. T. III. pag. 421. — *Paullum* rarius pro: *parumper, auf eine kleine Weile, paullisper, eine kleine Weile lang.* Doederlein *Synon.* I. S. 115. «Donec absoluta sit historia tua, per breve tempus utique vacare tibi placeat a componendis tragoediis.» Sat. 1, 10, 42: *Pollio regum Facta canit pede ter percusso.* Virg. Ecl. 3, 86: *Pollio et ipse facit nova carmina*; intellige novi generis tragoedias. Ecl. 8, 10: *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.* Utraque autem Virgilii Ecloga ante triumphum Delmaticum composita est; tertia a. 712, octava a. 715. «Non videntur postea Pollionis tragoediae frequenti lectione tritae fuisse, id quod apparet vel ex Quintiliani silentio, cum unus Tacitus in dialogo de Or. eas memoret.» THORBECKE de As. Poll. vita p. 128. — Nihil ex iis superesse videtur nisi haec vv. apud Charisium I. p. 56. Lind.: *Veneris antistita cupras,* id est, bonae, benignae; ex quibus tamen ipsis antiqui sermonis quaedam affectatio elucet. Contra quod ad argumenti tractationem attinet, *novum* tragoediae genus sectatus esse videtur, id est, oppositum Enniano, Pacuviano, Acciano, quodque devitaret Graecorum imitationem nimis artam et apertam. — *severae*] Ovid. Amor. 3, 1, 11: *Venit et ingenti violenta tragoedia passu; Fronte comae torvae, palla iacebat humi.* — Multa cum arte Pollionem non solum esse historicum, verum etiam tragicum eximium his quattuor vv. dicit, quam artem non perspexerunt, qui eos delendos esse sine ulla causa opinati sunt.

10-12. *Desit theatris*] «sese subtrahat scenae, remota maneat a scena, quoniam quidem utrique operi simul vacare non quis.» Demonstrant haec vv. publice actas, non tantum lectioni destinatas fuisse Pollionis tragoedias, cum illud nonnemo negarit. — *mox ubi* cet.] «Ubi *publicas res,* id est, res inter cives et in senatu et in foro et in ipso bello intestino gestas, eo ordine, quo gestae sunt atque inter se connexae erant, exposueris.» *Ordinaris* (ut *συντάττειν*) utique de historia componenda, ut Lucae 1, 1. Volgata: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem* cet., non de civitate ordinanda. Ac prorsus similis est usus v. *componere.* Seneca Praef. ad Quaest. nat. L. 3: *consumpsere se quidam, dum acta regum externorum componunt quaeque passi invicem ausique sunt populi.* Neutiquam autem probanda altera interpretatio: «Historiam ad id tempus perduxit, quo Octavianus a. 725. pacem et rectum rerum ordinem restituit, quare ipse Pollio *publicas res ordinasse* dicitur.» (Quae ratio defensa a Rittero *(Wiener Jahrbücher* XCIX. p. 139.) vel ideo reiicienda est, quia Pollionis cura neutiquam

Et consulenti, Pollio, curiae,
Cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho.

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures, iam litui strepunt,

16. *Delmatico* B: *Dalmatico* bSTc,LCtF. Item Bentl. et MJ.

ad Caesaris Octaviani usque victoriam perducta esse videtur.) *Res publicae* h. l. pro «negotiis publicis», *τοῖς πολιτικοῖς*, imprimis statu rei publicae variisque eius vicissitudinibus, quas per bella civilia erat experta. Plautus Mil. gl. 2, 1, 25: *magnai rei publicai gratia*. Cic. de Orat. 1, 11: *sine multa pertractatione omnium rerum publicarum*. Suet. Ner. 9: *Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit*. — *munus*] Quidquid aliquis suscipit, hoc eius fit *munus*, partes, *Aufgabe*. Sic Pollionis munus tragoedia, ad quam post historiam elaboratam denuo se applicet optat poëta. — *Cecropio* autem *cothurno* innixus, quia apud Athenienses, inventore Thespi, floruit hoc poësis genus. (Ovid. ex Pont. 4, 16, 29: *Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis.*)

13. 14. Iam pergens in Asinii meritis exponendis, eum ut oratorem forensem et senatorem dilaudat. Quintil. 12, 11, 28: *An Pollio et Messala, qui iam Cicerone tenente arcem eloquentiae agere coeperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriae tradiderunt? — maestis - reis*] ut cum defendit Nonium Asprenatem, Moschum (Epp. 1, 5, 9. collatis Schol.), Apollodorum, omnes veneficii reos. Horatii memor fuit Ovidius Fast. 1, 22. de Germanico: *Civica pro trepidis cum tulit arma reis*. — Senatus autem *praesidium* appellatur propter sententias e re publica in eo dictas. — Proprie consul *consulit* senatum, cum sententias rogat hac formula: Dic M. Tulli (Sal. Cat. 48: *consulente Cicerone senatus decernit.*); tum ipse senatus *consulere* dici potest, id est, deliberare, ut Sal. Cat. 52. antiquis Romanis tribuit *animum in consulendo liberum*; nec vero cum aliis explicandum: *consulenti* scilicet te. — *Pollio*] Rebus demum domi bellique a Pollione gestis eius nomen praeponit, quae insignis ars prave reprehensa est a Critico Monacensi 1836. p. 590. Haud meminerat is Od. 3, 27., in qua *Galateae* nomen comparet demum v. 14.

16. *Delmatico*] VIII. Kal. Nov. a. u. c. 715. (Baiteri Fast. triumph. p. CLXI.), cum debellasset Parthinos, populum Illyrici, Delmatiae finitimum. Scripturam *Delmatia* praebent Inscriptiones (Grut. p. 96, 1. in inscript. a. u. c. 763: *Bello Delmatico.*), Fasti triumph. Capitol. p. CLIX., interdum et Codices, ut h. l. antiquissimus noster B.

17. *Iam nunc*] Fingit se iamiam vel ante lectam Asinii curam summa Pollionis arte historica atque *ἐναργείᾳ* in medias res abreptum esse, exempli causa, in ipsam pugnam Pharsalicam, neutiquam vero, ut alii opinantur, in bella extera, quae a Pollione nunquam narrata sunt.

18. *Perstringis*] Iuvenal 11, 196: *et fragor aurem Percutit. Perstringere* de auribus acuto vel terribili sono percussis, *praestringere* de oculis subito splendore vel fulmine prope caecatis. — *litui*] Lucan. 1, 237:

Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque voltus.
Audire magnos iam videor duces

19. *fugacis* BTc. — 20. Scripturam *voltus* exhibet hoc loco c. — 21. *Videre* Bentl. coni., in quam inciderat iam Beroaldus ad Cic. Tusc. 5, 39.

stridor lituum clangorque tubarum Non pia concinuit cum rauco classica cornu. Tac. Ann. 1, 68: *cornuaque ac tubae concinuere.*

19. *fulgor*] Quintil. 10, 1, 30: *qualis est ferri fulgor, quo mens simul visusque praestringitur.* Tac. Germ. 43: *primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. Fulgur* (Cod. d'Orvill., Ascensius, Oudendorp ad Frontin. 2, 3, 34. Wakefield) nimis tumidum est pro casto Horatii genere dicendi. — *fugaces*] Porphyrio: «Pro velocibus accipe; et in sermone hodieque *fugam* pro velocitate dicimus, cum de equis loquimur.» Accepit ergo eadem significatione, qua nos saepe adiectivo *flüchtig* utimur; sed et sententia ipsa et Horatii consuetudo hoc admittere non videtur. Aliter res se habet apud Senecam. Gronovius ad Thyest. 629: «*Fuga* huic scriptori quaevis velox itio. Habet compluries in Natur. Quaest.» Recte vero h. l. explices per prolepsin poëticam: «eo, quod terrentur, fugam mox capturos.»

21. *Audire*] partim contionantes, ut ante pugnam Pharsalicam Pompeium, Labienum, Caesarem, partim in ipsis proeliis milites suos ad fortiter pugnandum exhortantes. Altera est explicatio sententiam magnopere extenuans: «Audire mihi videor te de magnis ducibus recitantem.» — Omnino autem haec omnia (strepitus lituorum, fulgor armorum, ducum militaris eloquentia) cum ex Pollionis historia lecta ad Horatii mentem perventura eamque vehementer percussura sint, rectissime per zeugma uno *audiendi* verbo utitur. Huius autem figurae Graecis, Romanis, Italis magis quam septentrionalibus populis usitatae osor ubique fere exstitit Bentleius, ut Od. 3, 10, 5. Illustria sunt exempla Aeschyl. S. c. Th. 103: *κτύπον δέδορκα.* Pind. Pyth. 4, 104: *οὔτε ἔργον Οὔτ' ἔπος-εἰπών.* Dante Inferno 33, 9: *Parlare e lagrimar mi vedra' insieme.* (Ad sententiam ipsam cfr. Plin. Paneg. 17., ubi Traiani triumphum sibi ante oculos versari fingit: *Videor ingentia ducum nomina nec indecora nominibus corpora noscitare. Videor intueri immanibus ausis barbarorum onusta fercula* cet.)

22. *sordidos*] Plin. H. N. 7, 29. de Alexandro M.: *taedebat unguenti bellatorem et militia sordidum.* Sunt igitur aspersi pulvere medio in tumultu excitato, qui pulvis ipse illorum fortitudinem atque audaciam demonstrat. Marius apud Sal. Iug. 85: *sudorem, pulverem et alia talia nobis relinquunt* nobiles. Flacc. 1, 13: *Solymo nigrantem pulvere fratrem.* Martial. 8, 65, 3: *Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli-Caesar.* Statius Theb. 9, 710: *Bellantem atque ipso sudore et pulvere gratum,* unde fluxit HP. ingratissima coni. *Sudare magnos iam video duces.*

23. *subacta*] a Caesare. Vellei. 2, 56: *Caesar omnium victor regressus in urbem - - quinque egit triumphos, Gallicum, Ponticum, Alexandrinum, Africum, Hispaniensem.*

Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.
Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens

24. *atrocem*] Atrocitas h. l. in laude ponitur, ut apud Iuvenal. 2, 11: *Hispida membra quidem et durae per brachia setae Promittunt atrocem animum*, bellicosum; *atrocem virtutem* dixit Silius 13, 369. Ferocem igitur dicit Catonem et imperterritum propter libertatis amorem atque virtutis conscientiam, qua fretus se interficere maluit quam submittere Caesari. Minus recte alii interpretati sunt de Catonis adversus Pompeium contumacia. — *Catonis*] Od. 1, 12, 35: *an Catonis Nobile letum?* Seneca de Provid. 2: *Non video, quid habeat in terris Iuppiter pulchrius quam ut spectet Catonem iam partibus non semel fractis stantem nihilo minus inter ruinas publicas erectum? Licet, inquit, omnia in unius dicionem concesserint, custodiantur legionibus terrae, classibus maria, Caesarianus portus miles obsideat, Cato, quo exeat, habet.* Florus 4, 2, 70: *Cato* (Uticae) *accepta partium* (Scipionis et Iubae ad Thapsum) *clade nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem etiam laetus accivit. Nam postquam filium comitesque ab amplexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animae docet, paullulum quievit, tum circa primam vigiliam stricto gladio revelatum manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc medici violare virum fomentis. Ille passus, dum abscederent, rescidit plagas, secutaque vis sanguinis moribundas manus in ipso volnere reliquit.* (a. u. c. 708.)

25. Hinc, satis cum praedicasset Pollionis laudes, transit ad deflenda bellorum domesticorum calamitates ac scelera, in quibus poenam videt divinam. Hanc autem, poëtica φαντασίᾳ usus, potissimum tribuit Iunoni terribili Afrorum atque Iugurthae ultrici. — *Iuno* apud poëtas Latinos est dea patrona sive praeses Africae, quia sua cum Iunone Karthaginiensium Astarten, quae in Inscriptionibus modo INVICTA CAELESTIS, modo IUNO CAELESTIS appellatur, confundebant. — *deorum*] Vix certos quosdam Karthaginiensium deos hic mente complexus est poëta, cuiusmodi erant proprie Baal, Moloch, Melkarth. Apud Silium (9, 439.) praeter Iunonem etiam Minerva favet Poenis.

26. *impotens*] h. l. prima significatione, «qui resistere non potuerant armis Romanis neque adeo ulcisci terras, quae in ipsorum fuerant tutela.» Di autem *excedunt* ex urbibus devotis, certa formula, quam nobis servavit Macrobius Sat. 3, 9., *evocati*. Eurip. Troad. 25. Neptunus: *Λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον βωμούς τ' ἐμούς*. Virg. Aen. 2, 351: *Excessere omnes adytis arisque relictis Di.* Silius 2, 365: *Et iam damnata cessit Karthagine Mavors.* Tacit. Hist. 5, 13: *Exapertae repente delubri* (Hierosolymitani) *fores et audita maior humana vox, excedere deos.* Cfr. Wesseling ad Diod. p. 587. (V. *impotens* alii explicant: ἀκρατὴς τῆς ὀργῆς, verum vel sono artissime iungitur cum v.

Tellure victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthae.

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?

Qui gurges aut quae flumina lugubris

27. Hunc versum om. T. — 33. *Quis* Sd.

cesserat nec pertrahi potest ad v. *Rettulit.)*

27. *nepotes*] Ante alios de iis cogitavit, qui ad Thapsum occiderunt, ubi Pompeianorum interfecti sunt X. milia. Bell. Afr. 86.

28. *Rettulit*] «vicissim obtulit piaculi causa tamquam *inferias Iugurthae* Manibus.» Lucan. 4, 788: *Excitet invisas dirae Karthaginis umbras Inferiis Fortuna novis, ferat iste cruentus Hannibal et Poeni tam dira piacula Manes.* Iugurtham autem (nam hoc quoque monendum propter eum, qui quattuor vv. longe pulcherrimos resecandos suasit) et Horatius et Propertius in imagine non minus poëtica 3, 5, 16: *Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes:* prae aliis regibus devictis memorasse videntur, quod tum omnium manu terebatur praeclara Salustii cura, ex qua ipsa primas bellorum civilium origines a Iugurthino bello esse repetendas poëta didicerat.

29. *pinguior*] Antiquissima imago. Plutarch. Mar. 21: Ἀρχίλοχος λέγει πιαίνεσθαι πρὸς τοῦ πολέμου τὰς ἀρούρας. Aeschyl. Pers. 806. de Xerxis exercitu in Graecia relicto: φίλον πίασμα Βοιωτῶν χθονί. (Adde S. c. Th. 587: Ἔγωγε μὲν δὴ τήνδε πιανῶ χθόνα. Halm.) Virg. Ge. 1, 491: *Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.* Petronius C. 121. itidem de bello civili: *horrida tellus Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.*

30 - 32. *sepulcris*] Tumuli per campos exstantes quasi testes proeliorum sunt. — *Medis*] «Ipsis quoque Parthis fama nuntiavit imperii Romani *ruinam*, summam calamitatem ac prope interitum.»

32. *Hesperiae*] adiectivum v. *ruinae*, hic de Italia, alibi de Hispania. (Od. 1, 36, 4.) — *sonitum*] in pedestri orat. «fragorem.» Similis est imago Sal. Iug. 41: *dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit.* Quos autem affectus hic nuntius inter Parthos excitarit, consulto non clarius significat; facile enim erat intellectu primo nuntio prope incredibili accepto illos in ferocem exsultationem erupisse.

33. *gurges*] Poëtae hoc v. usurpant communi notione et maris (Virg. Ge. 4, 387: *in Carpathio Neptuni gurgite.)* et fluminis (Aen. 6, 296. de Acheronte: *Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges Aestuat.)*; hinc h. l. *gurgiti* subiunguntur *flumina* et *maria*; adiecto etiam v. *ora* consulto immoratur tristi huic imagini, nullum esse terrarum locum, qui Romano sanguine infectus non sit. Florus 4, 2, 6: *Si locum et spatium* inspicias.

Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes? 35
Quae caret ora cruore nostro?

Sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae:
Mecum Dionaeo sub antro

36. *hora* d.

ubi commissum est bellum civile, *intra Italiam; inde se in Galliam Hispaniamque deflexit, reversumque ab occasu totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit; hinc in Aegyptum subito transiluit; inde respexit Asiam; inde Africae incubuit; postremo in Hispaniam regyravit et ibi aliquando defecit.*

34. *Dauniae*] adiectiv., Apulae, pro Romanis (caedibus) universe. Cfr. Od. 1, 22, 14. Horrore sanguinis civilis tam longe lateque sparsi velut impetu abreptus cumulavit imagines *gurgitis, fluminum, maris, orae* illo cruore pollutae.

37. Quasi nimis audacter sese extulisset, ab impetu vehementissimo repente se revocat, ut Od. 3, 3, 70. et iam Pindarus Ol. 9, 35: *ἀπό μοι λόγον τοῦτον, στόμα, ῥῖψον.* — *procax*] «petulans, proterva»; sed retinet originis a v. *procandi* notionem.

38. *Ceae--neniae*] «Ne tu quoque nunc tractes mihique inspires nenias, *θρήνους*, cantus lugubres (Cic. de Legg. 2, 24.), quales olim composuit Simonides Ceus,» de quo Quintil. 10, 1, 64: *Simonidis, poëtae tenerrimi, praecipua in commovenda miseratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus eius operis auctoribus praeferant.* Et iure quidem: velut ex *θρήνῳ* Danaës p. 67. Schneidew., item ex alius generis *Ἐγκωμίῳ εἰς τοὺς ἐν Θερμοπύλαις θανόντας* p. 10. apparet. Hinc tamquam proverbii loco usurpari coepta est *Cea nenia.* (Catull. 36, 8: *maestius lacrimis Simonideis.)* — *munera*] Neniae, ut supra v. 11., *munera* sunt omnia ea, quae praestare debet *θρῆνος*, ut laudem mereatur, non *Μουσάων δῶρα*, nec Neniae dona, nec munera bellatoribus mortuis tributa, ut Lucan. 8, 740: *extremo munere busti. Nenia* autem h. l. non est *dea Nenia* Festi atque Arnobii 4, 7: *in tutela sunt Neniae, quibus extrema sunt tempora.* Nihil enim invenustius esset, quam si duae deae, Musa et Nenia, ita sibi opponerentur. *(Retractare* est «nunc renovare, imitando exprimere et quodammodo repetere Simonidis carmina, *wieder wie Simonides ertönen lassen.»* Pro *munera* Chabotius in Codd. se repperisse narrat *volnera*, probantibus HP. et Bosscha, videlicet sic: *Ceā retractes volnera nenia*, id est, «refrices, rescindas», ut Ovid. Trist. 3, 11, 19. Loehrs: *qui volnera cruda retractet.* Sed aeque reiicienda est haec lectio atque N. Heinsii coni. *funera.)*

39. *Dionaeo sub antro*] Dione, Veneris mater, Iliad. ε, 370. Hinc Theocr. 15, 106: *Κύπρι Διωναία.* Sed etiam apud Ovid. Fast. 2, 461. *Dione* appellatur ipsa Venus. Est

Quaere modos leviore plectro. 40

igitur antrum Veneri dicatum, in quod ingresso poëtae de amoribus tantummodo, non de rebus lugubribus canere licet.

40. *leviore plectro*] Ovid. Met. 10, 150: *Cecini plectro graviore Gigantas - -. Nunc opus est leviore lyra.*

EXCURSUS

Ad C. I.

Horatius cum Pollioni permulta deberet (cfr. Sat. 1, 10, 85.), consentaneum erat, ut lyrico etiam carmine eius laudes praedicaret. Nihilominus cum ille iamdudum refrigeratus esset ab Octaviano, haud intimus in eius amicitia videtur fuisse poëta, sed eodem fere genere necessitudinis usus, quae ei intercedebat cum Munatio Planco, cum Dellio, cum Salustio Crispo minore, cum ipso M. Agrippa, quibus singulis singula dumtaxat *μέλη* inscripsit. (Messalae obiter tantum meminit Od. 3, 21, 7 sqq. Sat. 1, 6, 42. et 10, 85. A. P. 371.) Attamen grati animi plenus eam occasionem Pollionis laudandi sumit, quam offerebat bellorum civilium historia ab eo composita vel iam recitata vel mox edenda. Singulari autem arte omnem Octaviani mentionem devitat; neutri enim grata res esse poterat, si qualicunque modo in tali praeconio se coniunctos vidissent. Scriptum videtur carmen circa a. u. c. 724—727. — C. Asinius Cn. F. Pollio natus a. 679. XXII. aetatis anno accusavit C. Catonem, iam adolescens *leporum Disertus puer ac facetiarum*, Catull. 12, 8.; mox militavit sub Caesare in Galliis et per totum bellum civile; a. 708. praetor factus est; deposito magistratu adversus Sextum Pompeium bellum gessit in Hispania ulteriore, cui eum praefecerat Caesar; ex qua provincia post Caesaris interitum tres ad Ciceronem misit epistolas (ad Fam. 10, 31—33.), in quibus etsi suum in remp. studium libertatisque defendendae voluntatem ostendit (Ep. 31: *Ita, si id agitur, ut rursus in potestate omnia unius sint, quicunque is est, ei me profiteor inimicum.*), tamen re vera firmus proposito (Vell. 2, 63.) et Iulianis partibus fidus, Pompeianis adversus fuit et mense Septembri a. 711. cum Antonio Lepidoque se coniunxit. A quo in Galliam Cisalpinam missus hanc in eius fide continuit ad annum usque 714., quo consul creatus est. Deinde a M. Antonio contra Parthinos, Illyrici populum circa Dyrrhachium, missus, a. 715. Kal. Nov. de iis triumphum egit (Dio 48, 41. Virg. Ecl. 8.) atque e manubiis primus bibliothecam publicam Romae dicavit. (Plin. 7, 3. et 35, 2.) Insequenti tempore ab Octaviano, ut secum contra Antonium in proelium Actiacum proficisceretur, rogatus, «Mea», inquit, «in Antonium maiora merita

sunt, illius in me beneficia notiora. Itaque discrimini vestro me subtraham et ero praeda victoris.» (Vell. 2, 86.) A rebus civilibus deinde abstinens bonis artibus ac disciplinis operam navavit. Vitam tranquille finivit in villa Tusculana a. u. c. 758. LXXX. aetatis suae anno. Virgilio, qui ei iam a. 714. Eclogam IV. inscripsit, et Horatio, qui scripta sua ei imprimis probari cupiebat (Sat. 1, 10, 85.), amicus; summus orator (Quintil. 12, 11, 28.), poëta, tragoediarum praesertim nobilis scriptor (Virg. Ecl. 8, 10). Historiam etiam bellorum civilium conscripsit, XVII. libris comprehensam, cuius honorificam scriptores antiqui mentionem faciunt. Tacit. Ann. 4, 34. Sueton. Caes. 30. Gramm. 10. Val. Max. 8, 13, e. 4: *Pollio non minima pars Romani stili.* Simul tamen nimio sui amore transversum actus, iis, quos aemulos iudicabat, detrahere solebat. Ita Ciceronis orationes ut tumidiores (Sen. Suasor. 6.), Caesaris commentarios propter negligentiam sermonis ac mendacitatem suggillavit, Salustii scripta ut nimia priscorum verborum affectatione inquinata, T. Livii Patavinitatem reprehendit, cum ipse quoque a posterioribus varie notaretur, maxime propter illud ipsum vitium, quod Salustio obiecerat. Tacit. Dial. 21: *Asinius videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse, Pacuvium certe et Accium non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit; adeo durus et siccus est;* sed haec sententia est M. Apri, quem ibi dicentem inducit scriptor, neutiquam Taciti ipsius; etenim ibid. c. 25. verus Tacitei iudicii interpres Messala: *numerosior Asinius* (diverse laudatis Calvo, Caesare, Caelio, Bruto, Cicerone); *omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt.* Verum iam antea Seneca Epp. 16. salebrosam Pollionis et exsilientem orationem exagitarat, cuius iudicium Apro tribuit Tacitus. Cfr. Thorbeckii Commentat. de Asinii Pollionis vita et scriptis. Lugd. Bat. 1820. 8. Drumann *R. G.* II. S. 1—12.

CARMEN II.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnae

II. Inscr. volg. *Ad C. Salustium Crispum* et sic om. praen. BS. — *Ad Crispum Sallustium* T. — *Ad Salustium Crispum quodvis (quemvis* c.*) liberalitatis extollit gratia* bc. — 1. *est, avaris Abditae terris inimice* Lambinus coni.; secutus est Torrentius. — 2. *lammae* T.

II. Tac. Ann. 3, 30: *Fine anni* (u. c. 773.) *concessit vita Salustius Crispus. Hunc equestri ortum loco C. Salustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. Atque ille quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et affluentia luxu propior: suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior, quo somnum et inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus, cui secreta imperatorum inniterentur - -, aetate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit.* Notabile est, hunc quoque hominem ditissimum atque Augusti gratia florentem (fuit enim teste Seneca de Clem. 1, 10: *in Augusti cohorte prima interioris admissionis.*) ex iis fuisse, quibus unum tantum carmen quasi ἀφοσιούμενος Horatius inscripsit. Ceterum idem est Salustius, quem adolescentulum Sat. 1, 2, 48. propter insanos libertinarum amores notarat. Hoc carmine manifesto laudat Salustii sapientiam in divitiarum usu: neutiquam vero eum, ut rati sunt nonnulli, vel ab avaritia vel a pecuniae profusione dehortatur, quae inepta fuisset arrogantia in virum loco tam excelso collocatum. Compositum autem est carmen post a. u. c. 728., ut videtur, a 730.

1. *color*] Plin. 33, 3, 19: *color in argento clarior est* (quam in auro) *magisque diei similis* cet. Multi sic explicant: «Nulla gratia, nihil pulchri inest in *argento abdito terris*, in terram defosso, ut *avaris* thesauros suos inhumare mos est»; sed poëtica ratio potius intelligi iubet de venis argenti in terrae gremio latentibus, ut Od. 3, 3, 49: *Aurum inrepertum et sic melius situm, Cum terra celat.* Anonymus apud Plutarchum περὶ δυσωπίας Vol. 3. pag. 448: *Οὐκ ἔστ' ἐν ἄνθρωποις λευκός, ὦ ξέν', ἄργυρος.* Neque vero v. *avaris* a *terris* divelli potest, ut sit, «ab avaris hominibus abdito in terris,» id quod totum hunc locum poëtica vi et φαντασίᾳ privaret. Eandem enim terrae auri argentique venas in se occultanti atque retinenti tribuit cupiditatem, quae agitat ipsos homines avaros. — Aeris autem metalla habebat Salustius in Centronum Alpino tractu. Plin. H. N. 34, 2.

2. *inimice*] in prosa orat. «contemptor.» Voc. *lamina* autem ipsum non sine contemptu, ut apud Ovid. Fast. 1, 208: *Et levis argenti lamina crimen erat*, item Senecam de Benef. 7, 10: *Nunc volo tuas*

Crispe Salusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Vivet extento Proculeius aevo,
Notus in fratres animi paterni;
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

3. *Sallusti* BTc et Edd. (Ut nos, bSd.) — 7. *agit* Sc.βγκ. (Ut nos, BbTd, Pottierii octo.) — *pinna* B.

opes recognoscere, laminas utriusque materiae, ad quas cupiditas nostra caligat. (Eadem contractio reperitur apud Val. Flacc. 1, 123: *gracili dissolvere lamna.)* — «Hoc, quod dico, verum esse tu», inquit, «agnoscis, Crispe Salusti, qui nihili facis laminam, nisi in quantum humanis usibus (et iis quidem sapienter moderatis, a nimio luxu alienis) inserviat.» BENTL. Recta autem Bentleii constructio: *inimice lamnae* (massae dumtaxat metalli pretiosi per se spectatae), *nisi* lamna *splendeat* cet. Alii ex v. 1. eliciunt *argentum*; sed voc. *lamnae* definitione qualicunque carere non potest, cum satis iam definitum sit *argentum*.

3. *Crispe Salusti*] Haec inversio (ut Od. 2, 14, 2: *Hirpine Quinti,)* rarissime apud Ciceronem, et solum in Epistolis, frequenter apud Tacitum reperitur. Primaria causa huius verborum ordinis ea fuit, quod familiam iis, quos appellabant, propiorem carioremque quam gentem iudicabant praecipue epistolarum scriptores.

5. *extento*] «longum in aevum producto,» ut Virg. Aen. 10, 468: *famam extendere factis.* — *Proculeius*] «C. Proculeius Varro Murena, eques Romanus (frater Licinii Od. 2, 10, 1. et Terentiae Maecenatis), amicus Augusti, rarissimae pietatis erga fratres suos (Scipionem — lege *Caepionem* — et Murenam», addunt Acron et Comm. Cruq.) fuit, adeo ut bona sua cum iis aequis partibus diviserit, quibus illi in bello civili erant spoliati.» PORPHYR. Erat inter eos equites Romanos, quibus in matrimonium dare Iuliam Augustus cogitarat. Tacit. Ann. 4, 40. Cfr. Dio 54, 3: *Μαικήνας καὶ Προκούλιος ἐς τὰ πρῶτα ὑπὸ Αὐγούστου τιμώμενοι.* Inter litterarum fautores eum memorat Iuvenalis 7, 94: *Quis tibi Maecenas, quis nunc erit, aut Proculeius?* (Proculeii effigies est in nummo apud Riccio *M. F. R.* p. 492.) Drumann *G. R.* I. S. 495.

6. *Notus-animi*] in orat. pedestri: «notus propter animum.» Od. 4, 13, 24: *nota - - artium.* Stat. Theb. 2, 274: *notique operum Telchines.*

7. *aget*] «Fama eum vehet, tollet alis suis per populos.» Virg. Aen. 9, 473: *pinnata per urbem Nuntia Fama ruit.* Propert. 3, 1, 9: *Quo me Fama levat terra sublimis* cet. Notum Ennianum illud: *Volito vivu' per ora virum.* *Aget* autem clarius quam *agit* significat duraturam per omne futurum tempus Proculeii etiamtunc, ut videtur, viventis laudem; ac praeterea futuro favet v. *vivet.* — *metuente solvi*] *περιλαγμένη λύεσθαι*, cavente languescere; «cuius nulla unquam dissolutio est futura.» Od. 3, 11, 40: *metuitque*

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi

9. *Latium* T. — 11. *Pontus* Schrader. — 13. *durus* Cod. Bland. et Mald.

tangi, «tangi se non patitur.» Od. 4, 5, 20: *Culpari metuit fides*, «nemo est, qui eam violare velit.» Epp. 1, 16, 60: *metuens audiri*. Virg. Ge. 1, 246: *Arctos Oceani metuentes aequore tingi*, ex Arati 46: ἄρκτοι κυανέου πεφυλαγμέναι Ὠκεανοῖο. Gloss. *renuente* verbo *metuente* substituere volebat Sanadonus. (*Fama* dea est apud poëtas, nunquam, quod sciam, ab artificibus antiquis expressa. Cfr. Boettiger *kl. Schriften* II. S. 374.)

10. *Spiritum*] animum, τὸ ἐπιθυμητικόν, ut simili significatione θυμοῦ πνοάς dixit Eurip. Phoen. 454. Herm. et posteriores Latini *flatus*. Stat. Theb. 1, 321: *Attollit flatus ducis*. «Qui pecuniae cupiditatem domat adeoque a divitiis coacervandis sapienter abstinet, *latius regnat*, magis regis nomen meretur, beatiorque erit, quam si latifundia per Africam et Hispaniam continuet, quibus administrandis multas et molestas curas impendat necesse est. (*Magnas inter opes inops* Od. 3, 16, 28.)» Homines locupletes saepe *reges* dicuntur ut Od. 1, 4, 14: *Regumque turres*.

11. *uterque Poenus*] «Cum qui Karthaginem et Uticam habet in Africa, tum qui Gades condidit; coloniae Karthaginiensium aliae in Hispania non excluduntur.» Gesn. Hanc unam rectam esse explicationem (non: «et Syrophoenix et Libyphoenix:») demonstrat copula *et*, quae verbis ipsam sequentibus explicat praecedentia, quasi dixisset: «quam si Libyam *remotis* (a Roma) Gadibus iungas, ita ut uterque Poenus serviat tibi uni.» Haud raro autem et Gaditani et ceterae Karthaginiensium coloniae in Hispaniam maxime Baeticam deductae Poenorum nomine appellantur. De Gaditanis Cic. pro Balbo 14: *Ignosco tibi, si neque Poenorum iura calles*. Livius 28, 37. *Suffetes eorum, qui summus est Poenis magistratus*. De ceteris coloniis Plin. 3, 1, 3: *Oram eam universam originis Poenorum existimavit M. Agrippa*. Seneca Consol. ad Helv. 6: *Tyrii Africam incolunt; Poeni Hispaniam*. Nihil autem impedit, quo minus Horatius Karthaginienses et Poenos Hispanienses *utrumque Poenum* appellarit, etsi proprie non fuit Phoenice maior et minor, ut propter hoc dicitur *utraque Phrygia, utraque Armeniā, uterque Maurus*, et Paulinus Poëm. 17: *uterque Dacus*. Schraderi *uterque Pontus* nimium est nec facile dici poterat nisi de uno Augusto, ut de hoc ipso Ovid. Met. 15, 829: *Quid tibi barbariem, gentes ab utroque iacentes Oceano, numerem? quodcunque habitabile tellus Sustinet, huius erit; pontus quoque serviet illi*. Hofmann Peerlkamp. coniecit: *uterque Phoebus*. Ovid. Met. 1, 338: *Litora voce replet sub*

Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor.

Redditum Cyri solio Phraaten
Dissidens plebi numero beatorum
Eximit Virtus populumque falsis

17. *prahaten* BT. — 18. *Discedens δ* ap. Kirchn. N. Q. H. p. 56. — *plebis* T, κ, Codd. Blandinii. (non BbScd.) — *beatorum* BbSTc et corr. d, item LCt et Bentl.: *beatum* pr. d., quattuor Pottierii, FM. (Ut nos, J.) — 19. *populique* Bauer.

utroque iacentia Phoebo. — Verum sic nimis turgide locutus esset Horatius.) — Similis continuatarum, iunctarum, possessionum mentio fit Od. 3, 16, 44: *Quam si Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem.* Epp. 2, 2, 177: *Quid vici prosunt aut horrea? quidve Calabris Saltibus adiecti Lucani? — Serviat*] intellige de colonis et partiariis et servis.

13. *hydrops*] «Morbus molestissimus ingravescit, ubi aegrotus medicorum praeceptis posthabitis sitim explere conatur; nec tamen aliter sitis ista restinguitur, nisi causa morbi sublata.» Cfr. Epp. 1, 2, 34.

15. *aquosus*] «Aqua intercus languidum reddit hydropicum.» — *albo*] Hoc genus aquae inter cutem λευκοφλεγματίαν vocat Celsus 3, 21 Quae comparatio hydropis cum inexplebili cupiditate cum haud raro in philosophorum scholis proferretur, eadem nobis quidem minus grata utitur Horatius, ut Polybius 13, 2: *καθάπερ ἐπὶ τῶν ὑδρωπικῶν οὐδέποτε ποιεῖ παῦλαν οὐδὲ κόρον τῆς ἐπιθυμίας ἡ τῶν ἔξωθεν ὑγρῶν παράθεσις, ἐὰν μὴ τὴν ἐν αὐτῷ τῷ σώματι διάθεσιν ὑγιάσῃ τις, τὸν αὐτὸν τρόπον οὐδὲ τὴν πρὸς τὸ πλεῖον ἐπιθυμίαν οἰόντε κορέσαι μὴ οὖ τὴν ἐν τῇ ψυχῇ κακίαν λόγῳ τινὶ διορθωσάμενον.* Ovid. Fast. 1, 215: *Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda, Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.* Dante *Inferno* 30, 52.

17. *Cyri solio*] Arsacidae regum Persicorum successores sese ferebant. Inscriptio nummi huius Phraatis: *Βασιλέως βασιλέων Ἀρσάκου εὐεργέτου δικαίου ἐπιφανοῦς φιλέλληνος.* Apud Plutarch. Alex. 30. Darius: «*μηδείς*», inquit, «*ἄλλος ἀνθρώπων καθίσειεν εἰς τὸν Κύρου θρόνον πλὴν Ἀλεξάνδρου.*» — *Phraaten*] Phraates IV. propter immanem crudelitatem a Parthis expulsus (a. u. c. 724. Dio 51, 18.) ad Scythas confugerat, quorum ope a. u. c. 728. in regnum restitutus est. Iustinus 42, 5. Visconti *Iconogr. Gr.* Ed. Mediol. 3, p. 129.

18. *plebi*] Hanc lect. firmat Priscianus 18, 15. p. 1158. P. — *beatorum*] Servavi hanc Codd. meorum scripturam sic pronuntiandam, *beator' Eximit*, cum *beatum* Codd. quattuor Pottierii et aliquot Feae Grammaticis deberi videatur. Similiter finitur versus Virg. Aen. 7, 160: *Iamque iter emensi turres ac tecta Latinorum Ardua* cet.

19. *Virtus*] «Homo vera virtute praeditus immanem tyrannum beatis nunquam adnumerabit, falsisque rerum nominibus pravoque adeo iudicio imperitam multitudinem (quae propter hoc ipsum, quod Phraates regnum recuperavit, eum beatum praedicat) uti

Dedocet uti
Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo inretorto
Spectat acervos.

23. *ingentis* Bc. — *inretorto* Codd. mei, etiam d: *irretorto* MJ.

docet, idque iudicium ut tandem missum faciat, suadet.» (Etenim hic quoque *dedocet* suam significationem retinet nec simpliciter est *docet.)* Recordare hic illud Menandri apud Plut. de aud. poët. p. 93. Wytt.: *Ἔχων δὲ πολλὴν οὐσίαν καὶ πλούσιος Καλοῦμ' ὑπὸ πάντων, μακάριος δ' ὑπ' οὐδενός.*

21. *Vocibus*] Thucyd. 3, 82: *τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει.* Sal. Catil. 52: *iampridem - nos vera rerum vocabula amisimus.*

22. *propriamque laurum*] ut Sat. 2, 6, 5: *propria munera.* Declamator post red. in Sen. §. 10.: *si illud - - perenne ac proprium manere potuisset.* Virg. Aen. 3, 85: *Da propriam, Thymbraee, domum - - et mansuram urbem.* Est ergo: «laurum manentem atque certam»; coronae autem laureae regum insignia. Iam Stoicorum erat sententia regem esse unum sapientem illum perfectum, quem animo sibi informarant.

23. *inretorto*] «Sapiens adeo contemnit thesauros, aequo et tranquillo animo eos praeteriens et videns, ut ne retorquere quidem oculos ad illos atque vel per temporis punctum eos intueri dignetur, cum incensus cupiditate avarus identidem ac diu ad auri acervos respecturus foret eosque legitimo possessori invideret.» «Graecorum est *ἀμεταστρεπτί.* (Plato de Legg. 9, 854. C.: *τὰς τῶν κακῶν ξυνουσίας φεῦγε ἀμεταστρεπτί.)* Efficacior autem et evidentior est imago, quam praebet *oculus inretortus*, quam: «non transversus, non limus.» («Oculo, quem non retorquent in se (Quintil. Declam. 8, 8.), non captum quasi ac fixum tenent acervi.» REGEL.) Qui sic explicant: *inretorto*] «firmo, recto, *ἀτενὲς βλέποντι*», non satis cogitarunt admodum ridiculam esse sapientis eiusmodi oculis thesauros sine ulla tamen cupiditate spectantis imaginem. Similiter ut Horatius Synesius de Regno p. 54. Krabing., uterque fortasse ex Graeco fonte antiquiore, de homine iniusto atque avaro: *οὐκ εἰκός γε αὐτὸν διαράμενον βλοσυροῖς ὀφθαλμοῖς ἀντιβλέψαι χρυσίῳ· τοὐναντίον μὲν αἰδεσθῆναί τε καὶ ἐνδοῦναι καὶ τελευτῶντα περιπτύξασθαι.* Cfr. etiam Lucian. Piscat. 46: *προθεὶς χρυσίον καὶ δόξαν καὶ ἡδονήν, ὃν μὲν ἂν αὐτῶν ἴδῃς ὑπεροράσαντα καὶ μηδαμῶς ἑλκόμενον πρὸς τὴν ὄψιν, οὗτος ἔστω ὁ τῷ θαλλῷ στεφόμενος· ὃν δ' ἂν ἀτενὲς ἀποβλέπροντα καὶ τὴν χεῖρα ὀρέγοντα ἐπὶ τὸ χρυσίον, ἀπάγειν χρὴ ἐπὶ τὸ καυτήριον.*

CARMEN III.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam

III. Inscr. volg. *Ad (C.) Dellium*, et sic BST. — *Dellio* bc. — 2. *ac bonis* meus Cod. d; e Lambini duobus Bentl. (Ut nos, ceteri mei et omnes Bentleii.) (2. 3. *mentem: non secus - - temperato* Hermannus.)

III. Seneca Suasor. p. 7. Bip.: *Dellium Messala Corvinus* desultorem bellorum civilium *vocat, quia a Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset, et a Cassio deinde transivit ad Antonium; novissime ab Antonio transfugit ad Caesarem. Hic est Dellius, cuius Epistolae lascivae ad Cleopatram feruntur.* Cfr. Vellei. 2, 84. Antonii Parthicam expeditionem, in qua copiarum Romanarum parti praefuerat, litteris mandavit. Strabo 11, p. 523. «Paene exciderat errorem castigare Torrentii, Dellium desultorem bellorum civilium a Dellio historico diversum statuentis.» Ruhnk. ad Vell. l. l. (Dellium aliquem Antonii παιδικὰ nominat Dio 49, 39. ad a. u. c. 720., quem tamen ab Horatiano diversum putant.) — Q. Dellius tunc, cum carmen hoc compositum est (a. u. c. 724–727?), videtur inter Caesaris Maecenatisque familiares fuisse, quapropter ei carmen unum saltem, ut aliis eiusdem condicionis viris, inscribere humanitatis et officii sui duxit Horatius. Sed cum nec valde familiaris ei esset, neque hominem ambiguum nimis suspiceret, scite admodum locum communem de recto vitae usu pertractavit, ad constantiam ac moderationem (quas virtutes ei deesse fortasse haud ignorabat) ita eum exhortans, ut ne ullam quidem reprehensoris speciem assumeret. Nolim autem cum aliis interpretibus statuere, Dellium tum conflictatum esse fortuna duriore atque maestum vixisse.

1. *Aequam*] «Forti constantique animo perfer adversam fortunam, si unquam tibi superveniet.» Archilochus Fr. 58. Schneidew. vel. 60. Bergk: *μήτε νικῶν ἀμφάδην ἀγάλλεο Μηδὲ νικηθεὶς ἐν οἴκῳ καταπεσὼν ὀδύρεο.* Plaut. Rud. 2, 3, 74: *Animus aequus optumum est aerumnae condimentum.* Lucret. 5, 1116: *Quodsi quis vera vitam ratione gubernat, Divitiae grandes homini sunt vivere parce Aequo animo.*

2. *in bonis*] *non secus ac bonis* habet etiam Hildebertus Mor. Philos. pag. 949., sed est ex gloss. Ceterum numerorum quandam tarditatem atque aequabilitatem consulto in his secutus est Horatius, quae iterato imperativo, *temperato*, mihi quidem tolli videtur.

Laetitia, moriture Delli,
Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.
Quo pinus ingens albaque populus

9. *Quo* BbSTcd, omnes Bentleii, Ct: *qua* L, e Lambini Codd. Bentl., M.

4. *moriture*] «Quando quidem tibi quoque moriendum est ac propterea nihil te iuvant nec sollicitudines, neque effusa laetitia.» Comice hanc sententiam, quae apud Horatium tam crebro reperitur, sic expressit Plautus Bacchid. v. 5, 2, 75: *Non tibi venit in mentem, amabo, Si, dum vivas, tibi bene facias, Iam pol id quidem esse haud perlonginquum: Neque si hoc hodie amiseris, post in Morte id eventurum esse unquam?*

5. 6. *maestus*] Cfr. Od. 1, 7, 17., unde etiam hic nonnulli Dellium aegritudine animi oppressum fuisse sine certo argumento rati sunt. — *in remoto gramine*] «in prato propter ipsam solitudinem pergrato illi, qui tranquille et a nemine interpellatus potare cupit.»

8. *nota*] Nomina consulum, quibus nata erant vina, cadis inscribebantur. Iam consentaneum erat, ut in apothecis cadi vini recentis semper ponerentur ante prius conditos; unde fiebat, ut quo vetustiora essent vina, eo longius ab ostio essent remota ac depromenda ex *interiore* cella. Hinc etiam *de meliore nota* Catull. 68, 28. Curius ap. Cic. ad Fam. 7, 29: *Sulpicii successori nos de meliore nota commenda*. Vid. Excursum. — Nonnulli commate post v. *Falerni* posito stropham tertiam iungunt cum secunda; sed propter meliorem totius periodi poëticae constructionem praestare videtur nostra distinctio, quam sequitur etiam J.

9. *Quo pinus*] Sic Libri. *Qua* (ut Od. 3, 3, 46 et 30, 10. Tibull. 2, 5, 96.) e coni. dumtaxat repositum videtur, etsi Lambinus libros appellat. Falso volgo explicant: «Ferre iube vina *eo, ubi* cet.»; nec vero iungendum erat cum praecedd., videlicet sine interrogatione *quo gramine*, nec *Quo* interpretandum *quo loci*, ut est sane apud Cic. de Divin. 2, 66: *quo radix loci nasceretur*, id est, «ubi». Vide infra. Fingit igitur sibi locum amoenissimum, quem contemplans in has interrogationes prorumpit. — *pinus*] Italica, *Pinie*; quae arbores sane ingentes sunt et simul ἀμφιλαφεῖς; cf. Voss. ad Virg. Ecl. 7, 65: *pulcherrima pinus in hortis*. — *populus*] (λεύκη) Virgilio Ecl. 9, 41: *candida*, Aen. 8, 276: *bicolor*. «Ceterum lege cum Codd. *albaque*, non *altaque*, ut Lambinus suspicatur ex Epod. 2, 10: *Altas marital populos*. Quippe nihil frigidius esset gemino illo eiusdem significationis epitheto *ingens altaque*.» Bentl. Atque idem est iudicium Heinsii in

Umbram hospitalem consociare amant
Ramis? Quid obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo?

11. *Quid obliquo* B, duo Blandd. antiquiss. et Pottierii 1, 2, 3, 5, 6, item C: *quod obliquo* T, *quo obliquo* bSc et ceteri Pottierii, Veneta 1481., Aldinae, *quoque obliquo* d, *qua obliquo* L, *qua et obliquo* Cuningh. coni. et Iani, *Ramis, et obliquo* tFM et Bentl. (quae manifesta interpolatio primum comparere dicitur in Veneta 1492, exstat, ut ipse vidi, in Locheriana illa 1498., quam nimis magni fecit Bentleius, cum sit mera repetitio Venetarum posteriorum. «Codices hic habent *Ramis, quo obliquo* vel *quoque* vel *quid* vel *quo et* vel *quo*. Fortasse legendum: *Ramosque et obliquo*.» Bentl. — Ut nos, J.) — 12. *fugas* T.

Adversar. p. 300. Ad loci colorem conf. Sapphus Fr. Neue p. 38. Fr. 4. Schneidew.: *Ἀμφὶ δ' ὕδωρ [Ἱερὸν] ψυχρὸν κελαδεῖ δι' ὕσδων Μαλίνων, αἰθυσσομένων δὲ φύλλων Κῶμα καταῤῥεῖ.*

10. *hospitalem*] «quae viatores ad se invitat.» Virg. Ge. 4, 24: *Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.* — *consociare amant*] Sensum amoris, quo ramis sese implicantibus umbram ita inter se coniungunt, ut duabus sub arboribus una umbra fruatur viator, ipsis arboribus tribuit; non est enim simplex illud «*φιλοῦσι*, solent.» — In copiosa *παραδείσου* descriptione apud Achillem Tatium p. 21. Iac.: *Τοσαύτη τις ἦν ὁμιλία τῶν φυτῶν.*

11. *Quid obliquo*] In loco admodum controverso sequi nunc placuit antiquissimum omnium Codicum notorum B, item quinque Pottierii, distinguere atque interpretari duce Regelio, cui praeivit ex parte Porphyrio legens quidem *quo obliquo*, sed haec addens: «Subaudiendum: «si ea (lympha) non utimur»; «et est totum adverbialiter dictum.» «Equidem», inquit Regel, «veram esse puto antiquissimorum Codd. scripturam, qui v. 9. praebent *Quo*, v. 11. *quid*, at aliter hunc locum explico atque ab interpretibus factum est. *Quo* enim neque pro *ubi* positum accipio neque refero ad praegressa vv. *in remoto gramine*, sed interrogantis esse censeo: *quem in usum? cui bono?* Idem significat sequens *quid*» («si ea non fruimur, ad quid?» — et grata quidem variatione. Or.) «in cuius locum librarii *quo* substituerunt, ut alterum membrum priori responderet; inde vero reliquae lectiones ortae, cum *quo* metro repugnet. Egregie autem hic locus illustratur simillimo in Epp. 1, 5, 12: *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?*» (Olim mihi ut Glareano placuerat v. 9. *Quo* (loci) - - v. 11. *quo et* - - *Huc*; sed est constructio prosae orationi convenientior. — Ceterum duas novas coniecturas nuper protulerunt: *amant Ramisque, et obliquo* M. Hauptius, *amant Cannisque et obliquo* God. Hermannus.

12. *Lympha fugax*] «Cum rivus sit *obliquus*, multis eius flexibus aqua fugax, quae naturam suam sequi et rapide decurrere cupit, retardatur, adeo ut *laboret trepidare*, non sine obstaculo deorsum fluat, ex qua ipsa mora gratum

Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amoenae ferre iube rosae,
Dum res et aetas et sororum
Fila trium patiuntur atra.

Cedes coëmptis saltibus et domo
Villaque flavus quam Tiberis lavit,
Cedes et exstructis in altum

13. *brevis* BT (retinentes *amoenae*), *brevis - - amoenos* C e Codd. (Habet *breves - - amoenae* d.) — 17. *domu* F. — 18. *flavos* antiqua scriptura B. — *lavat* BT, item δ ap. Kirchn. N. Q. Hor. p. 56.

rivi murmur oritur.» Epp. 1, 10, 24: *quae per pronum trepidat cum murmure rivum.* Seneca Phoen. 116. Baden: *Duc - - Ubi curva rapidus ducat Ismenos vada.* Cfr. Wakefield Silv. crit. III. p. 51.

13. *Huc*] «Huc igitur, ne hic aliique similes loci, tam amoeni, frustra nos invitasse videantur» cet. — *breves*] Cfr. Od. 1, 36, 16: *breve lilium.* Σοφία Σαλ. 2, 8: στεψώμεθα ῥόδων κάλυξι πρὶν ᾿ῆ μαρανθῆναι. Cum *brevis* accus. antiq. pro genitivo singulari haberent librarii, *amoenae*, quae manifesto manus est Horatii, mutarunt in *amoenos*. Frequens autem hoc est rosarum ἐπίθετον. Apul. Met. 4, 2: *rosas teneras et amoenas.* Ovid. Trist. 5, 2, 23: *amoena rosaria. Flores* autem *rosae*, ut Od. 3, 29, 3: *Cum flore, Maecenas, rosarum.* et Archiloch. Fr. 7. p. 76. Lieb. 82. Schneidew.: Ἔχουσα θαλλὸν μυρσίνης ἐτέρπετο Ῥοδέης τε καλὸν ἄνθος. — Venustum hymnum in «Florum reginam» lege apud Achillem Tatium p. 26. Iacobs.

15. *res*] «tota vitae tuae condicio ac singulae occasiones;» non: «οὐσία, patrimonium;» neque enim metuendum erat, ne Dellium opes ad huiusmodi potationes unquam deficerent. Terent. Adelph. 5, 4. 2: *Quin res, aetas, usus semper aliquid apportet novi.* — *sororum*] «Donec Parcae sinent.» (Virg. Aen. 12, 147.) Parcarum *atra* dicuntur fila, «quia nunc quidem nentur Dellio, sed necessario mortem tandem ei afferent.» Propter ultimam hanc necessitatem etiam dum vivit aliquis *stamina pulla* dicuntur a Martiale quoque 4, 73, 4. Stat. Theb. 6, 369: *Sic Iovis imperia et nigrae voluere sorores.* (Schraderus malebat *alba*, H. Peerlkamp *arta*, alius quidam *hirta*, omnes frustra.)

17. *coëmptis*] «emptionibus inter se per longum tractum iunctis», quae tunc locupletum erat cupiditas. — *saltibus*] Pascua dicit hic arboribus obsita maxime in regionibus montuosis, qualia divites Romani per Calabriam et Lucaniam possidebant, Epp. 2, 2, 176: *Quid vici prosunt aut horrea quidve Calabris Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus Grandia cum parvis?*

18. *flavus*] Cfr. Od. 1, 2, 13. *flavos* in Cod. B. antiquior est scriptura, non error. — *lavit*] In μέλεσιν Horatius semper utitur

Divitiis potietur heres.

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura et nos in aeternum

22. *Nihil* T. — 23. *dio* B, Ct. — 26. *urna et serius* S, solus inter meos.

antiqua forma *lavere*. — Villae autem propter Tiberim sitae ob commeatus facilitatem magni aestimabantur.

19. *exstructis-Divitiis*] «acervis auri argentique, vasorum, vestis stragulae cet. accumulatis.» Sic augetur splendida opum imago; neque accipiendum de ipsis villis ac domo urbana, quas heredem aeque secutas esse per se intelligitur. Etiam Sat. 2, 3, 96. dixit *divitias construere*.

21. *Inacho*] «Utrum vel antiquissima stirpe ortus sis, ut, puta, ab Inacho illo, prisco Argivorum rege cet.» Virg. Aen. 7, 374: *Et Turno, si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres.* «*Dives* autem vel ideo, quod ex antiquissima et nobilissima gente descendis.» Vim poëticam infregerunt, qui coniecerunt: *Divesne, prisco et natus*; item Bosscha, proponens: *Divesne, prisco natus an Inacho*. Inachus autem priscae vitae quoddam quasi specimen erat etiam apud Graecos. Cfr. Schol. Venet. ad Aristoph. Pac. 534. — *an pauper*] Iob 3, 19: *Parvus et magnus ibi* (in Orco) *aequales sunt, et servus liber a domino suo*. Pind. Nem. 7, 19: Ἀφνεὸς πενιχρός τε θάνατον πάρα θαμὰ νέονται.

23. *sub divo*] Est Graecorum ὑπαίθριον διατελεῖν Philon. Leg. ad Caium p. 100. Lips.; in pros. orat. «hac luce fruaris, in terris verseris.» — *moreris*] Cic. de sen. 23: *Commorandi natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit.*

24. *nil miserantis*] Hesiod. Theog. 456. de Orco: νηλεὲς ἦτορ ἔχων.

25. *cogimur*] «Gregis instar compellimur, συναγόμεθα, aurea illa Mercurii ψυχοπομπεῖ virga.»

26. 27. *Versatur urna*] Cogitanda Necessitas dea, Μοῖρα, Εἱμαρμένη, quae urnam tenet, in quam omnium hominum sortes coniectae sunt, quamque continenter *versat*, πάλλει, quatit. Iam cuius nomen inde *exit* (hoc v. proprium de sorte ex urna exsiliente), huic fatale est mori. Od. 3, 1, 16: *Omne capax movet urna nomen*. Seneca Herc. fur. 494: *Recipit populos urna citatos*. Stat. Silv. 2, 1, 249. idem tribuitur Aeaco: *ibimus omnes, Ibimus: immensis urnam quatit Aeacus ulnis.* — *serius ocius*] Ovid. Met. 10, 33: *Omnia debemur vobis paullumque morati Serius aut citius sedem properamus ad unam; Tendimus huc omnes.* — Recita: *aetern' Exilium.*

Exilium impositura cumbae.

28. *Exitium* γ ap. Kirchn. N. Q. H. p. 36. — *cumbae* Bc: *cimbae* T, *cymbae* bS,M cum Edd. plerisque, etiam J.

28. *Exilium*] Hic est locus, ubi quis exulat. Ovid. Fast. 6, 666: *Exilium quodam tempore Tibur erat.* Prorsus perversa est lectio haud paucorum Codd. apud Ianum et nonnullorum Pottierii *exitium.* — *impositura cumbae*] Dativ. «Iussura nos conscendere Charontis navem, quae nos perducat in aeternum exilium, in quod pellimur a sede nostra terrestri eiusque commodis.» Hermesianax 2, 3. Schneidew. de Orpheo: *ἔπλευσεν δὲ κακὸν καὶ ἀπειθέα χῶρον, Ἔνθα Χάρων κοινὴν ἕλκεται εἰς ἄκατον Ψυχὰς οἰχομένων. Λίκωπον - σκάφος* vocat Eurip. Alc. 252. Propert. 3, 18, 24: *Scandenda est torvi publica cumba senis.* Et *cumba* v. omnino solitum de Charontis navi. Petron. 121. v. 116. Fabrett. Inscr. p. 702. N. 235. Apul. Met. 6, 18.

EXCURSUS

Ad v. 8.

Interiore nota Falerni. Amphoris cadisque a figulis imprimebantur *notae* (consulum nomina) litteris certe seculo post Chr. secundo mobilibus, ut sunt officinarum nostrarum *τύποι.* Sic Parmae exstat tegula Horatii aequalis: *L. NAEN | COS. L. COTT | L. MANL* (a. u. c. 689.) Borghesi in *Ann. dell' Inst.* XII. p. 229. — In amphora Pompeii reperta haec legitur inscriptio:

RVBR
VET. V
P. CII

id est, *rubrum* (vel *rubri* cet.) *Vesusianum picatum CII.* explicat Avellinus *(Allgemeine Zeitung* 1845. 24. *Juli* p. 1635.), nisi est potius: *pondo CII.,* in altera explicatione est amphorae in ea apotheca asservatae numerus. — Cfr. Sat. 1, 10, 24: *Chio nota si commixta Falerni est.* Iuven. 5, 33: *Cras bibet Albanis aliquid de montibus aut de Setinis, cuius patriam titulumque senectus Delevit multa veteris fuligine testae.* Petron. Sat. C. 34: *Statim allatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: FALERNVM. OPIMIANVM. ANNORVM. CENTVM.*

CARMEN IV.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,

IV. Inscr. volg. et S: *Ad Xanthiam Phoceum. — Ancillam amare crimen non esse* B. — *Alloquitur sodalem suum focum monens prosphonetice ne deserat concubinam suam Phillidem appetens talem qualis fuit Xanthia* bc. — *Ad Xancthiam* (sic) *traliptam (iatraliptam* Oberlini A.) *ancillam amare crimen non esse protreptice tetracolos* T.

IV. Per totum carmen festivissima *εἰρωνείᾳ*, quae tamen nihil habet offensionis, ridet Xanthiam, ancillae formosissimae quidem, sed callidae et lucri cupidae amoribus irretitum. Cfr. Ovid. Amor. 2, 8, 9: *Quid, quod in ancilla si quis delinquere posset, Illum ego contendi mente carere bona? Thessalus ancillae facie Briseidos arsit; Serva Mycenaeo Phoebas amata duci.* Utrum totus sit *φαντασίας* ludus poëticus, an tecte sodalium quempiam significet, nos ignoramus; cogitavit nonne mode *Flavio* aliquo, a *ξανθός*. Cur autem *Φωκεύς* (Phocensis non Phocaeus) appelletur, nemo adhuc exputavit; verum prorsus similia sunt haec Od. 1, 27, 10: *Opuntiae Frater Megillae.* Od. 2, 5, 20: *Cnidiusve Gyges.* Od. 3, 9, 14: *Thurini Calais filius Ornyti.* Od. 3, 12, 6: *Liparaei nitor Hebri*, quibus omnibus Graeca patria tribuitur. Quod ad tres posteriores attinet (Gyges enim pulchritudinis tantum causa memoratur), Graeculis tunc viventibus hunc honorem tribuere sane non poterat, ut eorum nomina quoquo modo suis carminibus insereret, sed aut sodales eius Romani animi causa talia sibimet ipsi nomina imposuerant, aut exemplaria Graeca interdum secutus fictis omnino personis nomina sonora et grata dedit. Satis utique inepte nescio quis *Phocei* cognomen a *phoca*, deformitatis specimine, repetivit. Neque vero ipsi carmini inest sententia, quam obtrudere ei nuper quidam voluit, Xanthiam ante gloriatum esse, ab amore sese vinci non posse; iam vero, cum in ancillae laqueos incidisset, a sodali derideri. Verum talia extrinsecus assumere ac precario asseverare, peritum interpretem prorsus dedecet.

1. *pudori*] Nam, ut ait Quintil. 5, 11, 34: *turpis dominae consuetudo cum servo, turpis domino cum ancilla.* Musonius apud Stob. Tit. 6, 64: *εἴ τῳ δοκεῖ μὴ αἰσχρὸν εἶναι δούλῃ δεσπότην πλησιάζειν τῇ ἑαυτοῦ, καὶ μάλιστα εἰ τύχοι οὖσα χήρα, λογισάσθω ποῖόν τι καταφαίνεται αὐτῷ, εἰ δέσποινα δούλῳ πλησιάζοι.* Agathias in Anth. Pal. I. p. 484: *Ἦν δὲ μιγῇς ἰδίῃ θεραπαινίδι, τλῆθι καὶ αὐτὸς Δοῦλος ἐναλλάγθην δμωΐδι γιγνόμενος.* *Ancillariolos* tales vocabant. Martial. 12, 58, 1.

Xanthia Phoceu! Prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem;

Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae;
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta,

Barbarae postquam cecidere turmae

2. *Xancthia* T.

2. *insolentem*] A. P. 122: Achilles *Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.* Egregium autem huius insolentiae exemplum olim exstabat in Aristarchi tragici Achille, ubi ita loquens inducebatur: *Sileteque et tacete atque animum advertite; Audire vos iubet imperator.* Plaut. Poen. Prol. init. — V. *prius* pertinet ad totam istam exemplorum seriem: «Iam olim ante te heroes ancillarum amoribus obnoxii fuerunt»; non vero: *prius insolentem*, «antequam Briseida amaret.» Sed in hoc ipso inest summa huius carminis festivitas, quod fingit amicum veluti heroicis temporibus amare captivam. — Simili cum εἰρωνείᾳ Dio Chrysost. Or. 15. p. 446 R.: *Οὐ πολλοὶ Ἀθηναίων συγγίνονται θεραπαίναις αὐτῶν, οἱ μέν τινες κρύφα, οἱ δὲ καὶ φανερῶς; οὐ γὰρ δήπου βελτίους εἰσὶ πάντες τοῦ Ἡρακλέους, ὃς οὐδὲ τῇ Ἰαρδάνου δούλῃ συγγενέσθαι ἀπηξίωσεν, ἐξ ἧς ἐγένοντο οἱ Σαρδέων βασιλεῖς.*

3. 4. *niveo*] Frequentius apud Latinos quam apud Graecos, cum ut insolitum notetur ab Hesychio *νιφόεσσα Ἑλένη, ἀντὶ τοῦ λευκή, Ἴων Φρουροῖς.* — *Achillem*] Iliad. ι, 342: *ὡς καὶ ἐγὼ τὴν Ἔχ θυμοῦ φίλεον δουρικτήτην περ ἐοῦσαν.* Ovid. Am. 1, 9, 33: *Ardet in abducta Briseide magnus Achilles.* Achilles Briseidem Agamemnonis praeconibus tradens exprimitur in pictura Pompeiana apud Raoul-Rochette *Mon. inéd.* I. T. 49. Müller *Denkm.* V. N. 423.

6. *Tecmessae*] Hinc in Soph. Aiac. 211. Chorus ad Tecmessam: *ἐπεί σε λέχος δουριάλωτον Στέρξας ἀνέχει θούριος Αἴας·* et v. 485. dominum sic alloquitur ipsa: *ὦ δέσποτ' Αἴας· -- Ἐγὼ δ' ἐλευθέρου μὲν ἐξέφυν πατρὸς (τοῦ Φρυγίου Τελεύταντος) - νῦν δ' εἰμὶ δούλη.*

7. *Atrides*] Dum Troia capitur, Aiax Oilei Cassandram ex Palladis templo rapuit ac vitiavit; postea in praedae divisione Agamemnoni cessit, a quo Mycenas ducta est, ubi eam Clytaemnestra una cum Agamemnone trucidavit. Odyss. λ, 421. Aeschylus per totum Agamemnonem. Ovid. Am. 1, 9, 37: *Summa ducum Atrides visa Priameide fertur Maenadis effusis obstupuisse comis.* — Vv. *medio in triumpho* iunge cum v. *arsit*, non cum vv. *virgine rapta*.

9. *Barbarae*] Frequentissimo usu apud tragicos Graecos et poëtas Latinos pro *Phrygiis*. Ennius apud Cic. Tusc. 1, 35: *astante ope bar-*

Thessalo victore et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Grais.

Nescias, an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:
Regium certe genus et penates
Maeret iniquos.

12. *Grais* Td (De ceteris meis nunc non memini.): *Graiis* Edd., etiam J. — 14. *decorant* T. — 15. *penatis* B.

barica, id est, Phrygia. — *cecidere turmae*] cladibus, quas Troiani usque ad urbis excidium perpessi erant.

10. *Thessalo victore*] Hunc Graeciae populum praeter ceteros memorat et propter Achillem, qui magnas antea strages inter Troianos ediderat Hectoremque, *belli moram*, occiderat, et quia sine Neoptolemo, Myrmidonum tunc duce, Troia capi omnino non poterat. — *ademptus Hector*] Iliad ω, 243: Ῥηίτεροι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἔσεσθε Κείνου τεθνηῶτος ἐναιρέμεν. Eurip. Hec. 21: Τροία θ' Ἕκτορός τ' ἀπόλλυται Ψυχή. — Inspice certamen inter Achillem et Hectorem Gerhard *Vaseng.* III. T. CCI. seqq. Hectoris funus in Braun *antike Marmorwerke. Decas* 1. Stuttgart. 1843. N. 9.

11. *Tradidit*] «postquam nece eius effectum est, ut facilius Troia expugnaretur; itaque ipse eam quasi *tradidit Grais*.» — *fessis*] «Quorum vires per decennium illud duris belli laboribus prope exhaustae erant.» — *leviora*] pro «faciliora», ut Liv. 5, 23: *tandem eo, quod levissimum videbatur, decursum est.* Quintil. 5, 6, 3: *leve ac facile.* — *Tolli* autem in prosa orat.: «capi ac deleri.» Brevi digressione, vere lyrica, immoratur in imagine Troiae expugnatae, quam quomodo nonnemo ut Horatio indignam resecare voluerit, equidem non intelligo.

13. 14. *Nescias, an*] «an, contra quam tu fortasse nunc putas cet.» «Nos vertimus, quasi esset *an non*.» Hand Turs. I. p. 305. «Inclinat ad affirmationem.» Ibid. p. 320. — «Fortasse aliquando reperies nobilissimos ac locupletes Phyllidis parentes tibi decori esse, adeo ut sine ulla vituperatione iam nunc pro uxore habeas hanc peregrinam, atque ita illorum sis tamquam gener.» Per iocum omnia haec dici manifestum est. — *Phyllis* autem utrum eadem sit, quam Od. 4, 11, 31. *suorum finem amorum* vocat, necne, stulte a quibusdam disquisitum est; haec Xanthiae servae, illa ἑταίρας libertae partes sustinet.

15. 16. Summa rursus iocatio in seqq. inest: «Certe regis alicuius orientalis filia est et queritur de fato iniquo, cuius saevitia ex aula in servitutem detrusa est.» — Ad vv. *regium genus* noli supplere *est*; sed pendet a v. *maeret*; «propterea maesta est, quod regium suum genus adeo deprensum ac propter servitutem pristina dignitate spoliatum sit.» Apollon. Rhod. 4, 34: βλεφάρων δὲ κάτ' ἀθρόα δάκρυα

Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam, neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.

Brachia et voltum teretesque suras
Integer laudo; fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

18. *delectam* T,Ct. (non BbScd.) — 19. *adversam* d et alii nonnulli. Vide Iani. — 21. *teretisque* B et pr. T. — 24. *Condere* Bentleii suspicio.

χεῦεν· Οἴη δ' ἀφνειοῖο διειλυσθεῖσα δόμοιο Λητίάς, ἣν τε νέον πάτρης ἀπενόσφισεν αἶσα κτλ. — *Penates* autem *iniqui* sunt «parum propitii, quoniam patrium Phyllidis regnum tutari noluerunt.»

17. *Scelestam* vocat plebem infimam propterea quod ab eiusmodi maxime hominibus scelera, homicidia, rapinae patrantur sordidusque quaestus exercetur. In Epigrammate apud Scholiastam Aeschinis (*Bericht über die Verhandl. der K. Preuss. Akademie d. Wiss.* 1836. p. 13.): τὸν κατάρατον Δῆμον Ἀθηναίων.

18. *dilectam*] «amatam», ut Od. 2, 5, 17., non «selectam, electam», in quam frigidiorem interpretationem propendebat ipse Bentleius. — *sic fidelem*] Omnibus his κατ' εἰρωνείαν contraria significari apparet.

20. *Matre pudenda*] «quae ipsa quoque ancilla fuisset, servi alicuius contubernalis, sive focaria», ut posteriores loquebantur.

21. *Brachia*] Haec, quibus Phyllidis formam laudat, extra εἰρωνείαν posita puto; nam omni lepore ac venustate spoliatur hoc ᾠδάριον, ubi non solum astutam et quaesticuli cupidam, sed etiam deformem Phyllidem tibi fingas. — *teretesque suras*] Lactant. de Opificio dei 5: *suras clementer exstantes sensimque tenuatas.*

22. *Integer*] «sine ulla cupiditate, innocens et castus, utpote cui minime propositum sit, illam a te divellere mihique conciliare.» Haec omnia iocose.

23. *trepidavit*] «Etenim rapido temporis decursu iam quadragenarius factus sum adeoque minus iam propensus ad res venereas.» Compositum igitur est carmen a. u. c. 729. exeunte vel initio a. 730.

24. *Claudere* dicit, non *condere lustrum*, censoria formula consulto abstinens, quae in eius ore nescio quid inepti habuisset. Figurate contra optime poëtae dicunt *condere diem* Od. 4, 5, 29., *cantando condere soles* Virg. Eclog. 9, 52., *condere secla* Lucret. 3, 1103.

CARMEN V.

Nondum subacta ferre iugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuae 5

V. Inscr. volg. *Lalage* vel *Ad amatorem Lalages.* — *Non esse properandum ad virginis osculum* B. — *Dicit omnia non - - osculum eutice (εὐκτικὴ) oratio ad sodalem per allegoriam* b. — *Ad sodalem per allegoriam dicit omnia non - - osculum* c. — *Non - - osculum Ode tetracolos ad Gabinium* T. — *Metaphora puellae ad iuvencam* S. — 5. *virentis* BSc et pr. T. (non bd.)

V. Ut in carmine praecedente ridet amorem ancillarum, sic in hoc amorem puellae immaturae venustissimis coloribus nobis depingit. Sodalem non nominatum alloquitur, neque cogitandum de Fusco Aristio ideo, quod huic inscripta est Od. 1, 22., in qua itidem Lalages alicuius mentio fit. Notabilis autem est inscriptio Codicis Turic. *ad Gabinium,* qui filius esset vel nepos A. Gabinii, Ciceronis inimici. (Probat hanc inscriptionem Estré Hor. Pr. p. 503.) Nec vero se ipsum alloquitur, ut volebant nonnulli apud Scholiastas. Nimis enim longum est hoc carmen, quam ut pro *μονολογίᾳ* vel Horatii ipsius vel iuvenis ab eo ficti haberi possit, cuiusmodi sane est Od. 3, 12., neque Horatio satis conveniret illud *mariti* voc. v. 16. Imprimis autem in *μονολογίᾳ* displiceret nimis diffusus de Gyge locus in carminis fine. — Temporis significatio nulla inest.

1. *iugum*] frequente imagine, etiam in v. *δάμαρ* conspicua. Plaut. Curcul. 1, 1, 50. de puella: *Iamne ea fert iugum? — valet*] Constr. v. *valere* cum infinit. iam apud Horatium satis frequentem vix attigit Forcellinus. Apud prosae orat. scriptores reperitur iam apud Rutilium Lupum 2, 19: *non enim sententias vestras valent commutare.* Cf. Od. 1, 34, 12.

2. *munia comparis*] «In trahendo plaustro et in arando nondum pariter est robusta atque alter iuvencus, quocum *aequo,* eodem, iugo iuncta est.» *Compar* idem quod iugalis. Ovid. Am. 3, 5, 38: *in vacca compare taurus eras.* (Lipsius ad Plauti Pseud. 1, 1, 64. explicat «compressiones artas amantium comparum», de coitu; sed sic idem bis diceretur.)

5. «Minime adhuc tauri in venerem ruentis impetum fert, sed nihil aliud quaerit quam herbosa pascua.» Simili imagine equae utitur Od. 3, 11, 9 sqq. — *Circa*] Sic Aristoph. Eq. 87: *περὶ ποτοῦ γοῦν ἐστί σοι.*

Campos iuvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Praegestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvae: iam tibi lividos
Distinguet Auctumnus racemos
Purpureo varius colore.

12. *varios* Manuel y Faria et Bentl. coni. firmata ab Edd. 1485. 1486. apud Cuningh. Anim. p. 265. In his ortum videtur ex errore Ven. 1481. *uarious*. — *Purpureus vario colore* Codd. aliq. Lambini.

6. *iuvencae*] Epicrates apud Aelian. H. A. 12, 10., ubi lena iurat de puella: ὡς δάμαλις, ὡς παρθένος, ὡς πῶλος ἀδμής. Sophocl. Trach. 529. de Deianira: ἀπὸ ματρὸς ἄφαρ βέβακεν ὥστε πόρτις ἐρήμα. — *nunc fluviis*] ut praesertim circa meridiem Italorum greges rivos ingredientes sese tuentur contra solis aestum et contra tabanos.

8. 9. *cum vitulis*] «quasi etiamnunc eiusdem cum illis esset aetatis.» — *praegestio*, ὑπερπροθυμοῦμαι. Glossar.

10. *Immitis*] acerbae, ὄμφακος. Epigr. Anthol. Pal. I. pag. 181: Ὄμφαξ οὐκ ἐπένευσας· ὅτ' ἦς σταφυλή, παρεπέμψω. Μὴ φθονέσῃς δοῦναι κἂν βραχὺ τῆς σταφίδος.

11. Verba sic ordinanda: *Auctumnus varius distinguet colore purpureo racemos lividos*, non: *Auctumnus distinguet racemos lividos varius colore purpureo*. *Varius* autem non tam, qui varios, omnis generis fructus producit, sed quatenus varios *(schillernde* potius quam *bunte)* colores uvis, pomis, piris cet. inducit. Prop. 4, 2, 13: *Prima mihi* (Vertumnus loquitur) *variat liventibus uva racemis*. Ov. Met. 3, 482: *ut variis solet uva racemis Ducere purpureum nondum matura colorem*. Cato RR. 73: *ubi uvae variae coeperint fieri*. Catull. 17, 16. puellam adultiorem *uvis nigerrimis* (maturis) diligentius esse asservandam ait. Tres igitur sunt gradus, quibus uva acerba et viridis *(ὄμφαξ)* maturescit: livor, purpureus color, niger. Hoc ergo dicit: «Nox Auctumnus varians fructuum colores uvam *distinguet* (aliter tinguet, *färbt um)* purpureo colore, quem statim sequetur niger, plenae maturitatis signum. Velut auctumnus fructibus maturitatem praebet, ita tempus amatam puellam maturam et habilem tibi reddet.» Pindar. Isthm. 2, 4. de puero: Ὅστις ἐὼν καλὸς εἶχεν Ἀφροδίτας Εὐθρόνου μνάστειραν ἁδίστην ὀπώραν.

13. *ferox*] «indomita, intractabilis illa aetas, qua puellae viros fugere solent.» *(trotzig.)*

14. *dempserit*] Anni vitae et vere vitalis et sperandae *demi* nobis videntur post annum aetatis circiter XLV.; adolescentibus contra et virginibus iidem illi anni felices, ut nobis videntur, *apponuntur* usque ad annum XX. virgini Italicae, XXV. Germanicae, XXXV. vel si mavis XL. iuveni, ubi mente saepius volvimus, hunc vel illum annum viri-

Iam te sequetur: currit enim ferox
Aetas et illi, quos tibi dempserit,
Apponet annos; iam proterva
Fronte petet Lalage maritum:

Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet

13. *sequitur* T. — *curret* d,βγκ. — 13 et 17. *currit enim fugax* - - *Pholoë ferox* Cruquius et Wakefield. — 14. *quod tibi dempserit, Apponet annus* vel *quot* - - *annos* Bentleii suspiciones. — 16. *petit* T. — 19. *nocturna* T.

dioris aetatis, qua gaudent sodales nostri aliquanto iuniores, nobis iam praeteritum esse. Similes sunt in A. P. 175. *anni venientes* et *recedentes*. Sophocl. Trachin. 547. Deïanira de Iola: *Ὁρῶ γὰρ ἥβην τὴν μὲν ἔρπουσαν πρόσω, Τὴν δὲ φθίνουσαν.*

15. *proterva*] Immoratur in grata iuvencae petulcae et lascivientis imagine; h. l. de puella virorum cupida.

17. *Dilecta*] Quod nonnulli artissime iungunt cum praecedd. *petet maritum Dilecta*, minus placet. Ab hoc enim v. imaginem relinquens proprie loqui incipit. Separa igitur: *maritum*: *Dilecta* (tunc erit ab omni iuventute). Sic autem explico hos versiculos: «Tantum tunc ab omnibus diligetur, quantum nunc nec Pholoë neque Chloris, maturae iam puellae, neque Gyges.» Ita vv. *albo* - - *mari* continent Chloridis praeconium, ut in seq. stropha laudatur Gyges. Inest autem in utroque elogio Chloridis et Gygae vere *ἀντιστρόφῳ* venustissima, ut ita dicam, malitia. Eam enim ob causam laudat puellas puerumque pulcherrima forma insignes et amari sese iam sinentes, quo Lalagen stimulet, ut quam primum illi choro accedat. Alii, ut vel ipse Vossius, vim particulae *ve* post negativas part. positae non satis expendentes, unus et alter etiam *Cnidiusque* edentes, sic distinguunt: *Dilecta* - - *Non Chloris; albo* - - *mari Cnidiusve*; id est: «Lalage dilecta quantum non Pholoë, non Chloris diliguntur; Lalage ita nitens ut luna serena Cnidiusque Gyges splendent.» Verum sic Chloris nulla praedicatur laude, mire coniunguntur luna et puer, mire post priorem laudem rursus quattuor vv. huius extollitur forma puellaris; ex quo factum est, ut nonnemo pulcherrimum carminis exitum tamquam prorsus supervacaneum et poëtae consilio adversantem resecare vellet. — *Pholoë*] Idem Nomen Od. 1, 33, 7. — *fugax*] «propter inconstantiam saepe ab amatoris mensa et lectulo aufugiens.»

19. *pura*] «Habens serena nocte lumen integrum.» Schol. — *renidet*] *ἀντιλάμπει* explicat Philoxenus. Ut hic *nitens* de vivo splendore, de mitiore *renidet*, sic Apul. Met. 2. p. 108. Oud.: *Quid? cum capillis* - - *nitor splendidus illucet et contra solis aciem vegetus fulgurat vel placidus renidet?* Hoc verbo utebantur fere poëtae (quamquam

Luna mari, Cnidiusve Gyges,
Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque voltu.

20. *gnidiusque* T, *Cnidiusque* F, *Gnidiusve* J. (*ve* firmant BbScd.) — 24. Habet *voltu* c.

etiam Tacitus habet aliquoties) etiam propterea quod v. *renitere* in usu non esset.

20. *Gygae* mentionem fieri etiam ab Ovidio dicit Schol., certe non in iis, quae exstant, poëmatis. Verum acute vidit Gesnerus locos aliquot similes Ovidii (Met. 3, 323. 9, 712.) de pueris a puellis vix distinguendis obversatos esse Scholiastis. — *Cnidus* s. *Gnidus*, Cariae urbs.

21. *Quem*] Egregia quadam imagine et ioco ad priores prorsus apposito, cuius venustatem minime intellexit H. P., poëta, ut decebat atque oportebat, carmen clausit. Fingit enim *hospitibus*, convivis advenis, qui puerum non prius nossent, advocatis in conclave induci puellarum chorum atque inter eas muliebri veste Gygem, qui propter crines passos et genas nondum lanugine flaventes vix ab illis distingui posset. «Tum quantumvis perspicaces, si iis significasset convivator puerum latere inter puellas, mirum in modum deciperentur vixque eum agnoscerent.» — *Mire* iunge cum v. *falleret*, non cum v. *sagaces*. *Sagaces* autem propterea, quod curiose hospitis iocum detegere cuperent.

23. *Discrimen obscurum*] Sic apud Statium Achill. 1, 336. Achilles inter Deïdamiam et sorores: *fallitque tuentes Ambiguus tenuique latens discrimine sexus*.

24. *Crinibus*] Alebant comam pueri, non solum delicati, sed, ut videtur, etiam ingenui ac pudici, usque dum togam puram sumerent. Iuven. 15, 136: pupillus ingenuus, *cuius manantia fletu Ora puellares faciunt incerta capilli*. Epod. 11, 28. de delicato: *teretis pueri, longam renodantis comam*. Huiuscemodi puellarem puerum ad se vocat Anacreon Fr. ed. Bergk. p. 82: Ὦ παῖ παρθένιον βλέπων, Δίζημαί σε. — Iungendum: *Discrimen obscurum falleret hospites solutis crinibus*, non cum aliis: *Discrimen obscurum solutis crinibus* (propter crines solutos aegre dumtaxat perspiciendum) *falleret hospites*. — *ambiguoque*] Similiter Statius Achill. 1, 336. de Achille adolescentulo: *fallitque tuentes Ambiguus tenuique latens discrimine sexus*.

CARMEN VI.

Septimi, Gades aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et

VI. Inscr. volg. *Ad Septimium*, et sic BS. — *Ad Septimum prospenetice (προσφωνητική) tetracolos* T. *Septimio* bc. — 1. *gadis* B.

VI. Septimius, eques Romanus, idem videtur, de quo Augustus in Epistola ad Horatium apud Suet. Vit. Hor. Ed. Wolf. 2. pag. 49: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire.* Quod nonnulli ei *Titi* praenomen dant, merus est error inde ortus, quod Schol. Cruq. ad Epp. 1, 3, 9. *Titium* ibi memoratum *Titium Septimium* falso vocat. Vide ad l. l. Quod autem Scholiastae eum Horatii commilitonem vocant, precario petitum videtur ex v. 8: *Militiaeque.* Hoc vero ex Scholiastarum testimonio admodum probabile, *Septimium* Epp. 1, 9. haud diversum esse ab huius carminis *Septimio.* Ex mentione Cantabrorum *(Baskon)* nondum devictorum Franke et Lübker collegerunt carmen scriptum esse a. 728 vel 729., neque vero obstat, quod Sabini sui, a Maecenate a. 723. donati, nullam hic mentionem facit. Cfr. ad v. 5. Noli igitur referre ad a. 718 vel 720., uti fecerunt nonnulli; etsi fateor miram mihi semper visam esse v. 8. *militiae* recordationem XV. fere annis postquam arma semel deposuerat. (Difficultates huius carminis exposuit Estré Hor. Pr. p. 483.)

1. *Gades*] Cfr. Od. 2, 2, 11. — *aditure*] «Si opus fuerit, etiam ad extremas ac vel maxime feras regiones tu me comitabere; tanta est tua in me amicitia.» Proverbium erat: *τὸ ἐπέκεινα Γαδείρων οὐ περατέον.* Gregor. Naz. Or. 43, 24. *τὸ πέρα Γαδείρων οὐ περατόν.* Choricius Maii Spicil. V. p. 456., ductum ex Pind. Nem. 4, 69: *Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν.* Dictum sane est eodem modo, quo Propert. 1, 6, 3: *Tulle, — Cum quo Rhipaeos possim conscendere montes;* nec vero cum Scholasticis nonnullis serio accipiendum de nescio quo Horatii et Septimii desperato atque insano consilio Gades proficiscendi vel etiam apud indomitos Cantabros refugium quaerendi.

2. *Cantabri*, quibus Romani iam a. u. 725. bellum intulerant, rebelles facti, ab Augusto a. 729. et iterum a. 730. victi, in fide non permanserant, sed *pertinax* eorum *in rebellando fuit animus.* Flor. 4, 12, 47. Devicti demum sunt a M. Agrippa a. 735.; igitur *iugum Romanum* ferre nondum didicerant, cum hoc carmen composuit poëta. Cfr. etiam Od. 3, 8, 22: *Cantaber sera domitus catena.* Od. 4, 14, 44: *Cantaber non ante domabilis.* Iustin. 44, 5: *Nec prius perdomita provincia iugum Hispani accipere potuerunt, quam Caesar Augustus perdomito orbe vi-*

Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda,

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae,
Sit modus lasso maris et viarum
Militiaeque!

3. *syrtis* BST.

ctricia ad eos arma transtulit populumque barbarum ac ferum legibus ad cultiorem vitae usum traductum in formam provinciae redegit. (Cantabrorum res, quatenus ad Horatium spectant, diligenter exposuit Estré Hor. Pr. p. 410. Eorum tamquam hostium mentio apud Dionem 54, 20. primum fit a. u. 725.)

3. 4. *Barbaras Syrtes*] Sic iam Val. Cat. Dir. 53: *Barbara dicatur Libyce, soror altera Syrtis.* Similiter Virg. Aen. 4, 41: *inhospita Syrtis.* Pomp. Mela 2, 7, 1: *Syrtis sinus impetuosus et atrox.* Plin. H. N. 5, 4: *sinus geminos duarum Syrtium, vadoso ac reciproco mari diros*; hodie *les golfes de Sydra et de Gabis.* (Walckenaer I. p. 272.) — *Aestuat*] h. l. non de calore, sed de turbido fluctuum motu, quem describit Salustius Iug. 78.

5. Nexus inter stropham 1. et 2. hic esse videtur: «Probe quidem novi te tam intima mecum amicitia coniunctum esse, ut, unquam si opus foret, vel maxime barbaras orbis terrarum regiones mecum aditurus esses: verum opto ut potius in amoeno aliquo Italiae tractu, cuiusmodi Tibur est ac Tarentum, nobis aliquando una degere et consenescere liceat, usque dum tu mihi superstes me sepeliendum cures.» Cfr. infra (ad v. 9.) locum ex Epp. 1, 7, 44. Quod autem tam saepe Tibur commemorat, ex eo optime explicatur, quod, quandocunque ei placebat, ibi degere poterat in villa aliqua Maecenatis vel alius amici, qui diversorium libenter ei praebebant. Alii opinantur, Horatium Tibure habuisse habitationem conductam *(Mietlilogis)*; certe villam Tiburtinam nunquam habuit (etsi id tradit vetus eius vitae scriptor idemque asseverat Walckenaer I. p. 270.), sed *unicum Sabinum* (Od. 2, 18, 14.): cuius quidem mentionem hic ideo non facit, quia propter poëticas rationes longe amoeniores Italiae regiones describere praestabat, ubi gratius esset futurum amico domicilium, quam in asperis illis montibus Sabinis. Atque omnino, qui in hoc loco tricati sunt, haud satis attenderunt, totum hoc esse optatum mere poëticum, quod semel concipere poterat etiam Sabini alicuius possessor. — *Argeo*] Graeca forma *Ἀργείῳ*. Conf. Priscian. 2. 8, 45. Non est, cur contra optimos nostros et Bentleii Codd. vulgarem lectionem Codicis Bland. antiquissimi *Argivo* praeferamus. De re cfr. Od. 1, 18, 2. — *positum*] conditum, ut Virg. Aen. 4, 212: *urbem - - posuit.* Ovid. Met. 12, 587: *Irrita qui mecum posuisti moenia Troiae.*

6. *senectae*] «Senectuti meae ibi sit paratum refugium.» V. *senectae* accipere casu tertio praestat.

Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Ille terrarum mihi praeter omnes

10. *Galaesum* nescio quis apud Henr. Stephanum. — 12. *Phalantho* T cum Strabone et Pausania: *Phalanto* ceteri Codd. et Edd. omnes. — 13. *omnis* T.

7. *viarum*] «itinerum militarium olim M. Bruto duce factorum.» Epp. 1, 11, 6: *odio maris atque viarum*. Tacit. Ann. 2, 14: *si taedio viarum ac maris finem cupiant*. Iam duplex sese offert constructio: 1) *lasso maris*, ut Virg. Aen. 1, 178: *fessi rerum*. Stat. Theb. 3, 395: *fessum bellique viaeque*. 2) Sed cum *sit modus* sic absolute dici haud nimis placeat, praefero equidem: *sit modus maris et viarum lasso*, scilicet harum molestiarum *maris et viarum*; itaque hic quoque locus ex iis est, ubi per attractionem duplex locum habet constructio. *Sit domus* H. Perlkampii languet post vv. *Sit sedes*. Simile est votum Iulii Polyaeni Anthol. Pal. II. 7: *Εἰ καί σεν πολύφωνος ἀεὶ πίμπλησιν ἀκουὰς Ἡ φόβος εὐχομένων ἢ χάρις εὐξαμένων, Ζεῦ Σχερίης ἐφέπων ἱερὸν πέδον, ἀλλὰ καὶ ἡμέων Κλῦθι καὶ ἀψευδεῖ νεῦσον ὑποσχεσίῃ, Ἤδη μοι ξενίης εἶναι πέρας, ἐν δέ με πάτρῃ Ζώειν τῶν δολιχῶν πανσάμενον καμάτων*.

9. *Unde*] «Si Tiburis refugium mihi a fato adverso negatum erit, petam Tarentum.» Epp. 1, 7, 44: *mihi iam non regia Roma, Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum*.

10. *pellitis*] Varro RR. 2, 2, 18. Colum. 7, 4. Plin. 8, 27. Solebant oves maxime Tarentinae operiri pellibus, ne lana, quae pretiosissima erat, aëris iniuria corrumperetur aut rubis spinisque obnoxia esset. Contra priscis temporibus: *Ibat ovis lana corpus amicta sua*. Ovid. Fast. 2, 298. — *Galaesi*] hodie *Galaso* prope Tarentum. Ex frequente Galaesi commemoratione apud poëtas apparet, regionem, quam perfluit, amoenissimam fuisse. «Virg. Ge. 4, 126: *Qua niger humectat flaventia culta Galaesus*; et Titurius: *Tarentinorum hortorum qui geris odores*.» Schol. Cruq.

11. *regnata – Laconi*] Prorsus sic Virg. Aen. 6, 794: *regnata per arva Saturno*. Ovid. Her. 10, 69: *tellus iusto regnata parenti*; ulterius etiam procedens Tacit. Hist. 1, 16: *gentibus, quae regnantur*.

12. *Phalantho*] «Phalanthus Lacedaemonius fuit eiectus patria hac de causa, quod absentibus Lacedaemoniis bello Messeniaco eorum filiae ex servis gravidae peperierant, quos filios tali culpa genitos *(παρθενίους)* reversi a bello Lacedaemonii patria eiecerunt, quorum dux Phalanthus fuit, qui Tarentinam condidit civitatem, ut fertur, octavus ab Hercule.» Schol. Cruq. Strabo 6. p. 426. Iustin. 3, 4. Dionys. Perieg. 376: *Τάρας δ' ἁλὸς ἐγγύθι κεῖται, Ἣν ποτ' Ἀμυκλαίων ἐπολίσσατο καρτερὸς Ἄρης*.

Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt viridique certat
Baca Venafro;

Ver ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis

18. *amictus* N. Heinsius, *apricus* Bentl. coni., «levissima,» inquit, «mutatione.» — 19. *Fertilis* b,γμ, Serv. ad Aen. 3. 553., Bentl. (Ut nos, BSTd, Pott. novem.) — *nimium* ex prava correctione d; idem superscr. in B.

13. 14. Necessario iungendum non *omnes terrarum*, sed *angulus terrarum*, ut Propert. 4, 9, 65: *Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.* Vellei. 2, 102: *in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo.* — *ridet*] Axtius ad Vestric. Spur. p. 114. mavolt *ridens*, videlicet propter metrum! — *Hymetto*] melli Hymettio in Attica, quod etiamnunc celebratur propter colorem album et summam dulcedinem. Mel autem Tarentinum optimum dicit in Italia Varro apud Macrob. Sat. 2, 12. p. 365. hodieque eximium est, ut etiam oleum. Tarenti utrum habuerit villam Septimius, ut opinantur nonnulli, necne, nos ignoramus.

15. *decedunt*] Decedit proprie is, qui viro ampliori in via honoris causa locum dat. — *viridique certat*] Sic *certare, pugnare* apud poëtas haud raro cum dativo. Virg. Ecl. 5, 8. 8, 55. Aen. 4, 38: *placitone etiam pugnabis amori?*

16. *Baca*] «Eius olivae certant cum illis, quas producit Venafrum (*viride* propter ipsa oliveta), extremum in Septentrionem Campaniae oppidum prope Minturnas.» Oleum autem Venafranum teste etiam Varrone (R. R. 1, 2: *Quod vinum conferam Falerno? quod oleum Venafro?*) et Plinio 15, 2. optimum erat inter omnia.

18-20. *Aulon*] «Mons Calabriae iuxta Tarentum ferax optimi vini.» Schol. Cruq. Martial. 13, 125: *Nobilis et lanis et Baccho fertilis Aulon Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.* Nemo tamen Geographorum *montem Aulonem* nominat; est potius recessus depressior regionis Tarentinae prope Saturum, hodie *Melone* (Romanelli *Topographia* I. p. 294: «*sito delizioso, celebre ancora pe' suoi vini.*»), qui propter vineas suas dicitur *amicus esse Baccho*, a Baccho, fertilitatis datore, amari. Stat. Silv. 2, 2, 4: *Qua Bromio dilectus ager collesque per altos Uritur et prelis non invidet uva Falernis.* Silius 12, 526: *Allifanus Iaccho Haud inamatus ager.* Claudian. R. Pros. 2, 108: *quercus amata Iovi.* De *Aulone* cfr. imprimis Wagnerum in Var. Lectt. Aen. 3, 553. item Longum 3, 21: *Κοῖλος τῷ πεδίῳ αὐλὼν ὑποκείμενος* (al. *ὑπερκείμενος*) *καὶ τὸν ἦχον εἰς αὐτὸν ὡς ὄργανον δεχόμενος.* — *Amicus-Fertilis*, quod habet etiam Servius l. l. et Mönch nuper rursus praetulit, intolerabile est propter orationem nimis pedestrem. *Amicus Baccho* viva est imago propter sensum hu-

Invidet uvis. 20

Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces; ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

21. *me tecum* d. — 22. *ubi* cd. — 24. *amici*] Superscr. ex Porphyr.: «Legitur et *vatis Horati*.» d.

manum Auloni tributum, coniecturae contra *amictus* et *apricus* prae illo admodum languent. Pro ablativo vv. *fertili Baccho* (ut sit: «gratus ob vites feraces») haberi non possunt. — *minimum F. Invidet uvis*] «Vina Tarentina aequant Falerna in Campania.»

21. *locus*] Aulon ille prope Tarentum. — *beatae-arces*] «loca excelsa, colles amoeni» potius quam proprie *arces*, *ἀκρόπολις*, Tarenti. Virg. Ge. 4, 461: *florent Rhodopeïae arces*. Stat. Theb. 1, 114: *qua plurimus arce Cithaeron Occurrit caelo.*

22. *ibi*] Recte se habet *ἐπαναφορὰ* et *ἀσύνδετον Ille - - ibi*, cum Codd. aliq. lectione *ubi* languide copulentur sententiae. — *calentem*] *adhuc viventem favillam* dixit Statius Silv. 2, 1, 2.

23. *Debita*] «amicitiae data ideoque iusta et pia.» Anthol. Pal. II. 855: *Μέμνεο κἠν ζωοῖς ἐμέθεν καὶ πολλάκι τύμβῳ Σπεῖσον ἀπὸ βλεφάρων ὄκρυ' ἀποιχομένῃ.*

24. *Vatis amici*] «Legitur et *vatis Horati*. PORPHYR. ED. VEN. 1481. et SCHOLIASTA VOSSIANUS. Est vel merum glossema vel interpolatio ex C. 4, 6, 44. petita.

CARMEN VII.

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte Bruto militiae duce,

VII. Inscr. volg. *Ad Pompeium Varum*, et sic Bc. — *Ad Pompeium* S. — *Ad Pompium Varum prosponetice (προσφωνητική) tetracolos* T. — *Ad Oratium Pompilium* (sic) *commilitonem Brutianum quem receptum in patria invitat* b.

VII. Pompeio Varo, ut dicunt Scholiastae, (homini igitur diverso a Pompeio Grospho Siculo vel saltem Siciliensi, de quo cfr. Od. 2, 16. et Epp. 1, 12, 22.) reditum in patriam congratulatur. Inde a Massono scriptum hoc carmen opinantur a. u. c. 715., quo Sex. Pompeius Cn. F. teste Velleio 2, 77. pace cum triumviris inita *omnibus proscriptis aliisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque pactus est.* His igitur reducibus etiam Pompeium Varum adnumerant. Sed temporis nulla certa significatio fit; rectius sane cum Grotefendio et Frankio cogitabis de anno circiter 724. post bellum Actiacum.

1. 2. *saepe - - Bruto*] «Per biennium prope (a. 711. 712.) in proeliis a Bruto ante Philippensem aciem commissis una saepe experti sumus summa pericula»; id quod non magis fortitudinis esse potest quam casus. (Moneo propter v. 10.) — *tempus in ultimum*] «in summum vitae discrimen.» Sic Catull. 64, 151: *supremo in tempore*, et v. 169. *extremo tempore saeva Fors.* Cic. pro Cornel. Vol. IV. 2. p. 450. Ed. meae: *extremum et difficillimum tempus.* Bell. Alex. 7: *in extremum casum - deduci.*

3. *Quis*] Est mirantis de inspe-rato eius reditu interrogatio poëtica, neque vero certum aliquem hominem, quo interveniente redierit, intelligit. Sine ulla enim causa nonnulli ita interpretati sunt, ac si Maecenas Pompeii restitutionem ab Octaviano impetrarit. Immo hoc dicit: «Quomodo, quaeso, factum est, ut redire potueris?» — *redonavit*] Verbum, quod nunc apud solum Horatium reperitur. H. l. est «reddidit, restituit», non, ut Monich putat, eodem sensu positum atque Od. 3, 3, 33: *nepotem Marti redonabo*, id est, «condonabo», id quod adversus sodalem fuisset inurbanum atque agreste. — *Quiritem*] id est, capite non iam deminutum, sed integro civitatis Romanae iure rursus donatum»; nam exules minorem capitis deminutionem patiebantur et ad peregrinitatem redigebantur. Singularis *Quiritem* valde memorabilis visus est Grammaticis (Cledonio p. 1898. P.) et in Libello de gen. nom. Ed. Hauptii pag. 96: «*Quirites* singularem numerum non habet. Nam Maecenas dixit *Quiritem*, sed non recipitur.» Certe a poëtis dumtaxat usurpatur, veluti ab Ovid. Am. 3, 14, 9: *Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti.* Am. 1, 7, 29: *minimum de plebe Quiritem.* Lucan. 2, 386: *Romani more Quiritis*; et in

Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis Italoque caelo,

Pompei meorum prime sodalium? 5
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Tecum Philippos et celerem fugam

3. *Quiritum* Heinsius. — 5. *Pompili* b, *Pompi* BTd. — 7. *nitentis* T.

antiqua formula praeconis in funeribus indictivis apud Festum pag. 217. Lind.: *Ollus Quiris leto datus*. Propter ipsam facilitatem reiicienda est Heinsii coni.: *Quiritum Dis*.

4. *Dis patriis*] imperii Romani Penatibus, qui tamen simul singulos cives tuentur. Virg. Ge. 1, 498: *Di patrii, Indigetes et Romule Vestaque mater*. — *Italoque*] Nota litteram *i* h. l. brevem, alibi (2, 13, 18. 3, 30, 13. 4, 4, 42. 4, 15, 13.) longam.

5. *prime*] Poëtica ratio suadet, ut *primum* interpretemur «primarium, praecipuum»; non: «quo diutissime usus sum inde a pueritia.»

6–8. *morantem*] «diem, qui nisi una genio indulsissemus, nimis longus nobis visus esset, *fregi*, breviorem reddidi, corona redimitus circum capillos unctos *malobathro*, oleo expresso ex foliis Laurus cassiae. Verbum Latinum corruptum est ex Indico *Tamâlapatram*, i. e. Tamâlifolium. Cf. Lassen Ind. Alt. I. p. 283. Unguentum hoc etiam *foliatum* vocabatur. Martial. 11, 27, 9. Confer Plinium 12, 26. — *Syrium* dici videtur, quod omnino Indiae et Arabiae merces a mercatoribus Romanis ex Antiochia, totius Orientis emporio, Romam advehebantur. Od. 1, 31, 12. *merx Syra*. Od. 2, 11, 16. *nardus Assyria*. Prop. 1, 2, 3: *Orontea -- myrrha*. Philodem. Anth. Pal. II. 329: σμύρναν ἔχειν Συρίην. Aliam huius nominis explicandi rationem iniit Schroeterus, cuius sententiam exhibebimus in Excursu ad Od. 2, 11, 16 sq. — Ad v. *nitentes* cfr. Eurip. Cycl. 504: μυρόχριστος λιπαρὸν βόστρυχον. — Ceterum cum metaphora illa *fregi diem* comparare iuvat comicas illas Plauti Asin. 2, 2, 25: *hanc, — quae loquens lacerat diem*, et Men. 1, 2, 43: *hunc comburamus diem*, potando.

9. *Philippos*] Redit ad sententiam v. 1., neque vero haec, ut nonnulli rati sunt, opponuntur gratae consuetudini in praecedd. vv. significatae. Cum sub finem anni 712. debellatum esset ad Philippos, ineunte a. 713. Horatius in patriam rediit. Perridicula est autem, quam nuper quidam pro vera habuit, narratio in Horatii vita antiqua scholastica: «Captus est a Caesare et proscriptus, etiam omnibus quae habebat direptis.» (De hac fuga cfr. Weber *Horaz* p. 40.) — *Philippos et celerem fugam*] in pedestri orat. «fugam Philippensem», sed illud ex usu poëtarum atque etiam Taciti, Hist. 1, 18: *tonitrua et fulgura et caelestes minae*. Ibid. 20: *ubique hasta et sector et inquieta Urbs auctio-*

Sensi relicta non bene parmula, 10
Cum fracta virtus et minaces
Turpe solum tetigere mento.

12. *Turpe! solum* cum Ge. Fabricio Ct et Bentl.

nibus. Ita enim in contemplandis variis earundem rerum imaginibus lectoris mentem retinere studebant.

10. *Sensi*] *Sentire* saepe de rebus molestis, aerumnosis ac detrimentum afferentibus dicitur. Ovid. Heroid. 9, 46: *Arbiter Eurystheus irae Iunonis iniquae Sentitur nobis iraque longa deae.* Tac. Agr. 6. extr. — *non bene*] «non honeste.» — *parmula* proprie gladiatorum parvum scutum. Hoc quoque voc., quod totam rem extenuat, de industria delectum videtur. Iam ex communi quidem antiquorum opinione scuti abiectio summae erat ignominiae eamque inter sui seculi mores corruptos memorat etiam Plautus Trin. 4, 4, 27: *Scuta iacere fugereque hostis more habent licentiam.* Verum cum inter primarios Graecorum poëtas tres, Archilochus, Alcaeus, Anacreon, idem de se vel confessi essent vel etiam praedicassent, idem Horatius reprehensionis prorsus securus de se dicere poterat, et quidem non sine festivissima in semet ipsum εἰρωνείᾳ, quae grata accidere debebat imprimis Pompeio, qui diutius in partibus Pompeianis perseverarat, sive re vera poëta parmam prolecit, sive, ut potius reor cum Iacobsio Lectt. Ven. 15. p. 326., imago dumtaxat poëtica celeris illius fugae est aeque ac Mercurii auxilium. Nemo enim praesertim inter eos, qui poëtam penitus nossent, idcirco eum vituperaturus erat, quod eo tempore, quo Caesare iam principe, prorsus oppressae erant partes liberae rei publicae, se quoque cum ceteris devictum esse minime dissimularet. Exempla, quae secutus est, haec sunt: Archilochus Eleg. Fr. 54. Lieb. Bergk. p. 468: Ἀσπίδι μὲν Σαΐων (Thraciae populus est) τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων, Αὐτὸς δ' ἐξέφυγον θανάτου τέλος· ἀσπὶς ἐκείνη Ἐρρέτω· ἐξαῦτις κτήσομαι οὐ κακίω. Critias apud Aelianum V. H. 10, 13. multa Archilochi vitia ex ipsius dumtaxat poëmatis innotuisse miratur, in his, ὅτι λάγνος καὶ ὑβριστὴς καὶ τὸ ἔτι τούτων αἴσχιστον, ὅτι τὴν ἀσπίδα ἀπέβαλεν. Item Anacreon de se Fragm. 26. Bergk: Ἀσπίδα ῥῖψ' ἐς ποταμοῦ καλλιρόου προχοάς. Alcaeus Bergk pag. 577: Κᾶρυξ, ἄγγειλον μὲν ἔμοις ἑτάροισιν ἐν οἴκῳ. Σῶς Ἀλκαῖος Ἄρῃ, Ἔντεα δ' οὐκ ἀνένεικον, ἃ δή κτέρας ἐς Γλαυκώπω Ἴρον ὀνεκρέμασαν Ἄττικοι. Herod. 5, 95: Ἀλκαῖος ὁ ποιητὴς συμβολῆς γενομένης καὶ νικώντων τῶν Ἀθηναίων αὐτὸς μὲν φεύγων ἐκφεύγει, τὰ δέ οἱ ὅπλα ἴσχουσι Ἀθηναῖοι καί σφεα ἀνεκρέμασαν πρὸς τὸ Ἀθήναιον τὸ ἐν Σιγείῳ· ταῦτα δὲ Ἀλκαῖος ἐν μέλεϊ ποιήσας ἐπιτιθεῖ εἰς Μυτιλήνην, ἐξαγγελλόμενος τὸ ἑωυτοῦ πάθος Μεναλίππῳ ἀνδρὶ ἑταίρῳ. Apud Lübkerum reperies quaecunque de controverso hoc loco adhuc dicta sunt, satis bene exposita ac diiudicata.

11. *fracta virtus*] Cic. ad Fam. 7, 3, 3: *nec putavi, cum integri pares non fuissemus, fractos superiores fore.* Memorne fuit ultimae Bruti vocis: Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ'· ἐγὼ δέ σε Ὡς ἔργον ἤσκουν. — ? (Dio Cass. 47, 49.)

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre;

13. *hostis* BST.

— *minaces*] quia nimis certi fuerant victoriae. De voltu minaci etiam prostratorum, ut fuit Catilinae, haec accipi nequeunt. Cfr. ad v. seq. De vitiis harum partium vid. Plutarchi Brut. c. 30–35.

12. *Turpe solum*] Nec pro exclamatione v. *turpe* (ut est in fugientes apud Sil. 2, 232: *Heu deforme!*) nec pro adverbio *turpiter*, ut volt Porphyrion, haberi potest. Iam volgaris interpretatio haec est: solum cruore foedatum *tetigere mento*, id est, cum interficerentur, humum ore momorderunt.» Comparant Iliad. β, 418: *Πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν.* Virg. Aen. 10, 349: *at ille Fronte ferit terram et crassum vomit ore cruorem.* Ibid. 11, 418: *Procubuit moriens et humum semel ore momordit.* Ad hanc interpretationem faceret etiam Soph. Trach. 281: *Κεῖνοι δ' ὑπερχλιδῶντες ἐκ γλώσσης κακῆς (minaces), Αὐτοὶ μὲν Ἅιδου πάντες εἶσ' οἰκήτορες.* Sed nec *turpe* per se significare potest «cruore pollutum», (s. *sanguine turpatum* Aen. 10, 832.) nec *mentum* poni pro *ore*. Idcirco cum H. Peerlkampio ad alteram explicationem redeo propositam iam ab Acrone: «*Turpe solum* – – quo turpiter prostrati precarentur.» Nam ut antea post aciem Pharsalicam teste Caesare B. C. 3, 98. Pompeiani *passis palmis proiecti ad terram flentes ab eo salutem petierunt*, sic etiam post Philippensem multi victoris clementiam supplices implorarunt. Appianus B. C. 5, 7: *Περιιόντι δ' Ἀντωνίῳ τὰ ἔθνη Λεύκιός τε ὁ Καισίου ἀδελφὸς καὶ ὅσοι ἄλλοι τῶν δεδιότων, ἐπεὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ συγγνώμης ἐπύθοντο, ἱκέται προσήεσαν κτλ.* Sic *turpe solum* suum locum tuetur: «turpe, ignominiosum fuit supplicibus ita vitam dono accipere; me contra fuga (prope honestior) servavit.» (Ovid. Trist. 1, 3, 93: *Utque resurrexit foedatis pulvere turpi Crinibus.*) — Affert inter alios H. Peerlkamp hos locos: Martial. 10, 72, 6: *Et turpes humilesque supplicesque Pictorum sola basiate regum.* Curt. 8, 5: *Alexandrum venerantibus Persis Polysperchon, qui cubabat super regem, unum ex iis mento contingentem humum per ludibrium coepit hortari, ut vehementius id quateret ad terram.* Ammian. Marc. 18. p. 139: *Desiluit equo curvatisque membris humum voltu paene contingens salutavit, patronum appellans et dominum.*

13. 14. *Mercurius*] «Me trepidantem propter cladem, qua undique circumdatum me videbam, Mercurius servavit involutumque densa nube (hoc enim est *aëre*, *ἠέρι πολλῇ*, ut Virg. Aen. 1, 411: *At Venus obscuro gradientes aëre saepsit.*) per medios hostes me sursum tollens eripuit discrimini.» In Mercurii autem tutela sunt *Mercuriales viri* (Od. 2, 17, 29.), poëtae. Mera est *φαντασία*, neque cogitandum cum Schol. de fuga clandestina. Sic Iliad. γ, 380. Venus Paridem nube tectum e certamine eripit, Iliad. ε, 23. Phegeum Volcanus; ibid. 344. Phoebus Aeneam. — *celer*] Eurip. Hel. 243: *τὸν ὠκύπουν-Μαιάδος γόνον.* Alexander Aetolus apud Parthenium 14: *Ἀνθεὺς Ἑρμείῃ ταχινῷ φίλος.* — *paventem*] verum animi

Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.

Ergo obligatam redde Iovi dapem
Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea nec
Parce cadis tibi destinatis.

18. Ultimus huius carm. v. in B.

affectum significat; nec quidquam inest comici, ut nuper quidam opinatus est. Recta ceterum erit ἀντίθεσις *Te* fortiorem cet. — Post cladem illam Horatius, Messalae Corvini, Bibuli aliorumque exemplum imitatus, in Italiam rediit. Aliis a victoribus ignotum est; alii semet ipsi interfecere; alii, ut Pompeius Varus, τότε ἐπὶ τὴν θάλασσαν διέφυγον, καὶ μετὰ τοῦτο τῷ Σέξτῳ προσέθεντο. Dio Cass. Lib. 47. extr.

15. 16. *in bellum*] iunge et cum v. *resorbens* et cum v. *tulit*. — *resorbens Unda*] Imago ducta a naufrago, qui, cum inibi est ut litus attingat, ab aliquo fluctu decumano rursus corripitur atque in turbidum mare reiicitur. Miscetur autem τὸ κύριον *in bellum* cum tropo illo (Tyrtaeus 9, 22: κῦμα μάχης.), in quo si perseverare voluisset, usurpasset v. aliquod *alto mari* homonymum. Vell. 2, 72: *Ad S. Pompeium et e Brutianis castris et ex Italia aliisque terrarum partibus, quos praesenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant.* — *fretis aestuosis*] sexto casu, ut Quintil. 6, 2, 6: *aestu fertur*. Alii minus recte casu tertio, ut sit: «in freta aestuosa», quod locum non habet propter vv. *in bellum*.

17. *Ergo*] «quoniam dis patriis redonatus es.» — *obligatam*] «Sacrum fac cum epulis, quod vovisti, obligatus ideo ad votum hoc *reddendum*, solvendum, veluti debitum.» Cf. Propert. 2, 19, 19: *reddere pinu Cornua*, cum Hertzbergii Comm. — *dapem*] de epulis rem divinam excipientibus. Livius Andronicus in primo Ulixeae apud Prisc. 7, 8, 41. p. 348: *Quae haec daps est, qui festus dies?* Livius 1, 7: *evenit, -- ut Pinarii extis adesis ad ceteram venirent dapem.*

18. *Longa -- militia*] quindecim fortasse annorum, 710—724.

19. *Depone*] «resupina, reclina.» Schol. — *lauru mea*] Quodsi hoc carmen re vera scriptum est circiter a. 724., iam potuit significare Sabinum suum. Sed sic quoque simul videtur symbolum studii poëtici, cui iam unice vacare constituerat Horatius, idemque ut iuvet amicum suaviter optat. De una lauru in impluvio sata nolim cogitare; imago desumpta potius est a viridario. (Miram εἰρωνείαν in his vv. odoratus est Gargallus, quasi festive iocatus Horatius dixerit: «Requiescamus nos ambo fugitivi, ambo devicti Philippis, sub victrice, si diis placet, mea lauru.»

21. *Oblivioso*] «sollicitudinum oblivionem afferente.» Alcaeus Bergk p. 581: Οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱος λαθικαδέα Ἀνθρώποισιν ἔδωκ'· ἔγχεε κίρναις ἕνα καὶ δύο Πλείαις κἀκ κεφάλας, ἁ δ' ἑτέρα τὰν ἑτέραν κύλιξ Ὠθήτω· — ea-

Oblivioso levia Massico
Ciboria exple; funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto

dem prorsus sententiarum celeritate, quam apud Horatium efficit *ἀσύνδετον*. Nolim tamen putare cum Schnitzero his imperativis puerum a cyatho excitari. — *levia*] «(*λεῖα*), in tuum honorem detersa ac polita.» Noli scribere *laevia*. — *Massico*] in Campania.

22. 23. *Ciboria*] poculi genus ore superius lato, inferius angusto, instar fabae Aegyptiae, quam colocasiam appellabant, cuius folliculus vasorum ac poculorum usum Aegyptiis praestabat. Grandiora erant ciboria, *Humpen*. — *exple*] «imple», ut e gloss. habebat Cod. Faërni. Qui «ebibe, exhauri», explicarunt, consuetudinis aetatis Horatianae minus gnari erant. Ennius utique apud Servium ad Aen. 6, 545: *Navibus explebant sese terrasque replebant*. — *funde*] Non de libatione accipiendum, quae vino fiebat, sed: «defunde in crines tuos.» — *Conchae* autem vasa unguentaria concharum formam referentia. Martial. 3, 82, 27. *muricem aureum* usurpat de vase unguentario.

23. 24. *udo -- apio*] «*ὑγρῷ*, flexibili.» Theocr. 7, 68: *πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ*. Videtur significari *ἐλεοσελινον*, *Sumpfeppich*, quo coronabantur victores in ludis Isthmiacis, contra *ὀρεοσελίνῳ* Nemeae. Ob gratum autem odorem coronis nectendis adhibebatur. Theocr. 3, 23: *εὐόδμοισι σελίνοις*. Plin. H. N. 20, 11: *Apio gratia in vulgo est*. Conf. ad Od. 1, 36, 16. 4, 11, 3. — *Deproperare*] «propere contexere», ut Virg. Ge. 4, 170: *Cyclopes fulmina massis Cum properant*, cet.

25. *Venus*] id est, iactus Venereus, ubi tali quattuor, quibus ludere solebant, diversos numeros (1, 3, 4, 6.) ostenderent. Lucian. Amor. T. 2. p. 301. Iacob.: *καὶ βαλὼν μὲν ἐπίσκοπα, μάλιστα δ' εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι*. Mire *πόρνης βόλον* vocavit Menander. Vid. Orion Schneidew. p. 76. Opponitur *volturius* (Plaut. Curc. 2, 3, 78.) sive *canis*. Pollux 9, 7: *καὶ τὸ μὲν μονάδα δηλοῦν* (in omnibus talis) *καλεῖται κύων*. Propert 4, 8, 45: *Me quoque per talos Venerem quaerente secundos, Semper damnosi subsiluere canes*. Huius moris tristissimum exemplum habes apud Tacit. Ann. 13, 15. in Neronis et Britannici regnum lusu sortientium coena. Cfr. Ernestii Clav. Cic. in v. *Talus*. Bekker *Gallus*. II. (ed. alt.) pag. 253 sqq. — *Dicet*] «designabit *συμποσίαρχον*.»

27. *Edoni*, Thraciae populus, Bacchiacis orgiis deditus. Nonnulli explicant de *Βάκχαις* et terminatio feminina tam est *Ἠδωνὴ* quam *Ἠδωνίς*. Verum poëtae Latini hac significatione semper dicunt *Edonis, idis*. Ceterum haec compa-

Dulce mihi furere est amico.

ratio referenda ad Thracum sacra Bacchica, non ad profestorum dierum compotationes. Cfr. Dio 54, 24: *Οὐολόγαισος Θρᾳξ Βησσός, ἱερεὺς τοῦ παρ' αὐτοῖς Διονύσου, προσεποιήσατό τινας, πολλὰ θεώσας*, «furorem Bacchicum simulans.» (a. u. c. 748.) Adeo vel ipsius Horatii tempore a Thracibus orgia illa celebrabantur. — (Cfr. Philostr. Vit. Apoll. 6, 11. p. 118. Dio Chrys. Or. 35. p. 65. Unger Electa critica. Friedl. 1842. p. 30. HALM.)

28. *furere*] Od. 3, 19, 18: *Insanire iuvat.* Similiter Pseudanacreon 34: *Θέλω, θέλω μανῆναι.*

CARMEN VIII.

Ulla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui,

VIII. Inscr. volg. *Ad Barinen*, et sic BT. — *Ad Barinem* (sic) *meretricem* S. — *Iuliae Barinae. In meretricem rapacem ac periuram* b. — *Iuliae Barinae. In meretricem periuram* c. — *Ad Iuliam Barinen* e Bland. Cr. — 2. *Barine* bSTcd, pr. B, corr. β; item LCtF et Bentl.: *Carine* M. («Bona pars Codicum habet *Varine*.» Bentl. In B litt. *b* superscr. *vel u*.)

VIII. Festiva cum Barine, perfida puella, expostulatio, quam e Graeco exemplari ductam quidam sine ulla causa rati sunt. Temporis nulla inest significatio.

1. «Scenicum principium; intelligendum enim aliquos sermones praecessisse, quibus Barine haec noctem sui iure iurando interposito promiserit; deinde, postquam fefellerit, tunc in haec verba poëtam erupisse.» Porphyr. — *iuris peierati*] Ex analogia v. *ius iurandum* nove, ut videtur, dixit *ius peieratum* pro *periurio*. Acron quidem affert etiam *iuris iurati*, verum sine auctore. Ennianum, ut voluit quidam, non est.

2. *Barine*] Valde haeserunt VV. DD. in hoc nomine, quod ipsis neque Graecum nec Latinum videbatur; *βαρῖνος* quidem est piscis genus; *βάρυνος* vero sive *βαρίνος* apud Schol. Ap. Rhod. 2, 780. huc trahi nequit. Verum cum ex aliis quoque nationibus permultae libertae quaestum corporis Romae exercerent, quidni tales peregrinae sua nomina retinuerint, praesertim cum huius certe sonus gratissimus sit? *Iuliam Barinen* vocant Codd. Blandin. aliique, qua auctoritate ignoramus. Varia proposuerunt Critici, velut Faber *Earine* (Cfr. Martial. 9, 12—14.), H. Peerlkamp *Barcine* (nomen est captivae ab Alexandro amatae. Iustin. 11, 2.); Withof *Iberine* ex Iuvenale Sat. 6, 53: *Unus Iberinae vir sufficit? — nocuisset*] Credebant veteres, eos qui deos peierando laedere veriti non essent, aliqua corporis parte mutilari debilitarique. Torr. Cfr. Ovid. Amor. 3, 3, 1: *Esse deos, i, crede. Fidem iurata fefellit: Et facies illi, quae fuit ante, manet.*

3. 4. *Dente si nigro*] Sic mendacibus pustulas in extrema lingua vel in naso excrescere opinabantur. Theocr. 9, 30. 12, 24. — *uno*] refer etiam ad v. *dente*. — *ungui*] «reduvia vel maculis deformato.» Admodum ridicule nonnemo nuper cogitavit de morbo illo, quem Celsus 7, 7, 4. vocat *unguem*, *Graeci πτερύγιον, membranulam nervosam (Nagelfell), quae oriens ab angulo nonnunquam ad pupillam quoque pervenit eique officit.*

Crederem. Sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo iuvenumque prodis
Publica cura.

Expedit matris cineres opertos
Fallere et toto taciturna noctis
Signa cum caelo gelidaque divos
Morte carentes.

10. *tacitura* b. — 12. *carentis* BT.

5. *Crederem*] «Fidem tribuerem iuri iurando tuo, quia tum sperarem te promissa tua exsecuturam; caveres enim tibi a mendacio, semel poena admonita.» Nulla est sententiarum connexio in Scholiastarum et aliorum interpretationibus: Crederem deos esse periurii vindices»; vel: «Crederem tale ius iurandum tuum diis esse cordi.» — *simul*] «simulatque per caput tuum fidem alicui iurasti, eam mox, ut soles, violatura.» *Obligamus caput votis*, id est, iis malis, quae, si fefellerimus fidem, nobis ipsi imprecamur.

7. 8. *prodis*] «foras in publicum.» «Ubi per plateas incedis, omnes iuvenes in te cupidos oculos coniiciunt.» — Verbum autem *prodis* non simpliciter cum nonnullis explicari debet «fis, es (cura)», sed etiam apud Persium Prol. 3., *ut repente sic poëta prodirem*, primam significationem retinet: «in hominum conspectu versari iisque *publicam curam, poëtam* videri.» Cfr. Od. 3, 14, 6. Absolute etiam Lucian. Dial. mer. 6, 2: *ὁρᾷς, οἷα πρόεισι*; Chariton pag. 31. Lips.: *οὐδὲ προΐῃει τὰ πολλά*. Tibull. 1, 9, 70: (femina) *Tyrio prodeat apta sinu*. Id. 4, 2, 14: *Urit, seu Tyria voluit procedere palla* cet. Propert. 2, 25, 43: *Vidistis quondam Argiva prodire* (in publicum, *procedere domo* Sen. de Ira 2, 7.) *figura, Vidistis nostras: utraque forma rapit. — cura*] Propert. 2, 25, 1: *Unica nata meo pulcherrima cura dolori.*

9. *Expedit*] «Itaque, cum ipso periurio formosior semper fias. prodest scilicet tibi fallere fidem cum iure iurando per matris tuae cinerem, per omnia sidera, testes amoris, datam, securaque violas infera, supera, deos immortales ipsos.» Iurare autem solebant per cineres suorum. Cic. pro Quinct. 31: *obsecravit per fratris sui mortui cinerem*. Tibull. 2, 6, 29: *Parce, per immatura tuae precor ossa sororis: Sic bene sub tenera parva quiescat humo*. Propert. 2, 20, 15: *Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis: Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis!* Virg. Aen. 6, 458: *Per sidera iuro, Per superos et si qua fides tellure sub ima est. — Fallere*] ut Aen. 6, 324: *(Styx) Di cuius iurare timent et fallere numen.*

10. *taciturna*] Virg. Aen. 2, 255: *tacitae per amica silentia lunae.*

13. *Venus ipsa*] Sic haud raro de dis, quos quasi testes suarum vel cogitationum vel actionum homines appellant. Ovid. Her. 19. 159: *Quod timeas non est: auso Ve-*

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

Adde, quod pubes tibi crescit omnis,
Servitus crescit nova, nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt
Saepe minati.

15. *ardentis* BSc.

nus ipsa favebit. Virg. Ge. 1, 121: *Pater ipse colendi Haud facilem esse viam voluit.* Tibull. 1, 4, 23: *Gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere, Iurasset cupide quidquid ineptus amor;* ubi eadem sententia est, quam expressit Horatius. Sic Pseudotibull. 3, 6, 49: *periuria ridet amantum Iuppiter et ventos irrita ferre iubet.* Sed iam Hesiodus apud Schol. Plat. ad Symp. p. 45. Ruhnk.: Ἐκ τοῦδ' ὅρκον ἔθηκεν ἀποινίμον ἀνθρώποισι Νοσφιδίων ἔργων περὶ Κύπριδος [Ἀφροδισίων], quod v. ex gloss. additum est. Callim. Ep. 26, 3: Ὤμοσεν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τοὺς ἐν ἔρωτι Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' εἰς ἀθανάτων. Phurnutus N. D. 24: ἀκύρους δέ, οὐκ ἐμποινίμους ἔφασαν τοὺς ἀφροδισίους ὅρκους εἶναι.

14. *Simplices*] «ab omni fraude alienae, *einfaltsvoll*», quippe quae *colant omnes solaque rura deae.* Ovid. Fast. 1, 398. Nymphae autem, ut saepe, Veneris comites. — *ferus*] Venuste Meleager Anth. Pal. I. p. 134. βροτολοιγὸν appellat Cupidinem.

15. *acuens sagittas*] imago et a poëtis et ab artificibus saepe expressa. Philodemus in Anthol. Pal. I. p. 118: Ἀλλ' ἤδη θοὰ τόξα νέοι θήγουσιν Ἔρωτες. Poliziano Stanze 1, 73: *i frati di Cupido - - Con alte voci e fanciullesco grido Aguzzan lor saette ad una cota.* — Ad v. *ardentes* cfr. Tac. Ann. 15, 54: *pugionem - - vetustate obtusum asperari saxo et in mucronem ardescere iussit.* Amori πυρίπνοα τόξα Anth. Pal. I. p. 134.

16. *cruenta*] propter volnera amoris; id quod proprie sagittarum est, tribuit coti eas acuenti, et ab Amoris αἱματοφύρτοις βελεσι (Meleager Epigr. 50, 8. in Brunckii Anal. I. p. 46.) quasi cruentatae. Cfr. Winckelmann Opp. I. pag. 74. VII. pag. 499.

17. *pubes tibi crescit*] «Idcirco tantummodo iuventus succrescere videtur, ut tibi uni serviat:» quam sententiam in duo membra παράλληλα dividit, quo diutius in ea immoremur.

18. *Servitus*] «Catervae amatorum semper novorum te circumsistunt, nec priores, quos misere decepisti, te missam faciunt.» (*Servitus* est quasi appositio v. *pubes*. «Pubes, quae tibi crescit, eadem tibi est servitus nova.»)

20. 21. *minati*] Tibull. 2, 6, 43: *Iuravi quotiens rediturum ad limina nunquam! Cum bene iuravi, pes tamen ipse redit.* — *iuvencis*] poëtis Latinis honestum nomen et de ado-

Te suis matres metuunt iuvencis,
Te senes parci miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

24. *Cura* dubia Bentleii suspicio, et sic Lips. 1.

lescentulis et de puellis nubilibus. Ovid. Am. 3, 5, 37. Mire Mitscherlich: «*Iuvenci*, non sine virtute (ἐναργείᾳ), in re turpicula.» Equidem nihil turpiculi puto inesse; immo usus est eodem vocabulo poëtico, quo Rhesus in cognomine fabula v. 387. ὁ Στρυμόνιος πῶλος ἀοιδοῦ Μούσης vocatur.

22. *miserae*] «maestae propter coniugum infidelitatem;» *puellae* autem et *virgines* haud raro etiam *nuptae* dicuntur, ut Od. 3, 14, 11: *puellae iam virum expertae*. Virg. Ecl. 6, 47. de Pasiphaë post venerem cum tauro iunctam: *virgo infelix*. Ceterum, cum in hoc quoque nonnulli errarint, nota sic construendum esse: *Virgines miserae nuper nuptae*.

24. *Aura*] varie interpretati sunt, veluti de gratia *(ut aura popularis)*; de splendore ac pulchritudine (Servius ad Aen. 6, 204.); de odore unguentorum; de odore in vestigiis ferarum, qui per auras ad canum nares delatus eos allicit; de afflatu sive halitu amoris (comparatis vv. Od. 4, 13, 19: *Quae spirabat amores)*; alii advocarunt Eurip. Iphig. in Aul. 69: μνηστήρων ἕνα Ὅτου πνοαὶ φέροιεν Ἀφροδίτης φίλαι, «*cuius amor.*» Herm. Verum ex v. 21. voc. *iuvencis* in hanc imaginem ultro devenit poëta atque eam illi ut affinem consociavit, nec vero dedecet carmen iocosum. Est «odor ille a iuvenca emissus, quo captato taurus in venerem ruit.» Talia non ad nostrum sensum diiudicanda; siquidem ab huiusmodi imaginibus ex ipsa rerum natura petitis minus abhorrebant Graeci et Romani. Virg. Ge. 3, 250: *Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum Corpora, si tantum notas odor attulit auras?* Sic etiam Orientales antiqui. Certe Hieronymus Comment. ad Ieremiam locum 2, 24. ita interpretatur: *Sicuti onager adsuetus in solitudine trahit in desiderio animae suae ventum vel spiritum amoris sui nullusque est, qui eum avertere possit.* — Haec igitur mihi videtur antiqua interpretatio et vere Romana; verum calamistratis nostrorum temporum Grammaticis magis placet Serviana illa, pro qua afferunt Propert. 2, 27, 15: *Si modo damnatum revocaverit aura puellae* (cfr. Hertzbergii Comm.). Sed omni isti elegantiae firmiter obstat unum illud *iuvencis*. *(Cura* vero probari nequit propter v. 8., ut vidit ipse Bentleius. Recte nobiscum faciens Wernsdorfius ad Prisc. Perieg. 1020: «*Aura* generatim dici poëtis solet, quidquid sensu aliquo tenui, visu, *odore*, auditu quasi levi afflatu percipitur, ut apud Virg. Aen. 7, 646: *Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.*»)

CARMEN IX.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae

IX. Inscr. volg. *Ad C. Valgium.* — *Consolatur Valgium consularem amicum suum* B. — *Consolatio ad Valgium Rufum ne diu doleat* bc. — *Ad Valgium amicum* S. — *Valgium amicum consularem consolatur* T. (Vide Unger *V. R.* p. 141.) — 3. *Versant* F e Vatic. Reginae, qui omni auctoritate caret. *(Vexant* tuentur omnes mei et Pottierii.)

IX. De C. (non T.) Valgio Rufo, consule suffecto a. u. c. 742., rhetore, grammatico, poëta docte disputarunt Weichert Poëtt. Latt. p. 208. seqq. Dissen ad Tib. 4, 1, 180. Unger de C. Valgii Rufii poëmatis Comment. Halis 1848. Aliquot eius vv. afferuntur in Virgilii Interprett. Maii ad Ecl. 7, 22. (Val. Probus ed. Keil p. 74.) sed locus misere mutilus est. Consolari conatur amicum de pueri delicati immatura morte, ut Statius Silv. 2, 1 et 6. Similis affectus Ciceronis ad Att. 1, 12: *Mehercule eram -- conturbatior; nam puer festivus, anagnostes noster, Sositheus, decesserat neque plus, quam servi mors debere videbatur, commoverat*; Plinii Epp. 8, 16: *Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, et quidem iuvenum*; Herodis Attici, lacessiti *a quodam Stoico, tamquam minus sapienter et parum viriliter dolorem ferret ex morte pueri, quem amaverat.* Gell. N. A. 19, 12. De tempore, quo carmen compositum sit, ambigitur. Plerique referunt ad a. u. c. 734., Grotefend ad. a. 735., Franke ad a. 729 vel 730. Exitum utique mutuatus esse videtur a Virgilio suo Ge. 3, 30: *Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis, Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea Bisque triumphatas utroque ab litore gentis;* cuius loci tempus itidem in controversia versatur, cum alii ad a. 724., alii ad a. 734. eum trahant. Cfr. ibi Heyne et Voss.

1. *hispidos*] Voc. *hispidus*, quod proprie de pilis densis squamisque horrentibus usurpatur, transfert ad agros stipulis et omnis generis plantis arboribusque foliis et frondibus spoliatis horridos atque asperos. Est autem dictum per prolepsin, nam ipsos per imbres *hispidi* sive squalidi fiunt agri. (Plin. 22, 6: *herbas aspectu hispidas, tactu truces.* Halm.)

2. *mare Caspium*] Pomponius Mela 3, 5: *Mare Caspium omne atrox, saevum, sine portubus, procellis undique expositum.*

3. *Vexant*] «turbant, quietum esse non sinunt.» Longe efficacius hoc, quam *versant,* sive glossema est sive solitus in his vv. librariorum error. «Qui fertur et raptatur atque huc illuc distrahitur, is *vexari* proprie dicitur.» H. Peerlkamp. Simili imagine *tormenta* apud Italos, *tourmente* apud Francogallos saevam tempestatem significat. — *inaequales*] «modo maiore, modo

Usque, nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant
Et foliis viduantur orni:

Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi Vespero

4. *nec* BbSTcd, LCtF et Bentl.: *neque* M. — 7. *querquetа* B, Bland., C. — 8. *Et*] *Aut δ* ap. Kirchn. N. Q. H. p. 56.

minore cum impetu flantes; non: «quae mare inaequale reddunt.»

4. *Armeniis*] De Tauri iugis loquitur perpetua nive opertis, ubi magnum frigus iam Xenophon (Anab. 4, 4.) et deinde Lucullus (Plut. Luc. 32.) cum copiis suis senserunt. Aeque falso acumine nonnemo proposuit *Aemoniis* atque alius *Istricos* pro *hispidos*.

5–8. *stat*] «riget, horret,» ut Od. 1, 9, 1. — *iners*] Virg. Ge. 1, 94: *rastris glebas qui frangit inertes (die säumigen, sonst nichts hervorbringenden Schollen).* — *Garganus*, mons Apuliae Dauniae prope Sipontum. — *viduantur*] in prosa orat. «spoliantur.»

9. 10. *urges*] «Tu contra perpetuo insequeris maestis elegiis Mysten, non filium, ut olim multi opinabantur, sed puerum amatum, tibi praecipitata morte ereptum.» *Urges*, ut crebro apud Horatium (v. Lübker) et apud Propert. 4, 11, 1; *Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum.* — *Mysten*] Docuit Weichert p. 232. *Mystae* nomen servorum et libertorum fuisse. Grut. 937, 1: *P. Corfidius P. L. Mystes.* 944, 6: *Popilia Mystis.* (Adde Murat. 966, 1. et inscr. apud Marinium *Atti F. A.* p. 583: *Hermes. Er. Mystes. Aegisthi. Avg. Lib. Servi.*) — *nec tibi Vespero*] Servius ad Virg. Ge. 1, 288: *Cinna in Smyrna: Te matutinus flentem conspexit Eous, Et flentem paullo vidit post Hesperus idem.* Vesperi imago est in Gerhard *ant. Bildw.* T. XXXIX. *Ein schwebender Jüngling, der, obwohl flügellos, durch einen höhern und einen niederern Stern, einmal als Phosphoros, das andremal aber als Hesperos sich zu erkennen gibt.*

11. *Surgente*] Quoniam in hoc v. ut minus proprio offendit Anton Progr. Rossleb. p. 4., cum Ungero V. R. p. 228. repetenda est Burmanni adnotatio ad Virg. Aen. 4, 352: *quoties astra ignea surgunt*: «astra crebro dicuntur *surgere*, cum oriuntur, *cadere*, cum occidunt.» Heynius ad Virg. Ecl. 8, 30. — *decedunt amores*] «A te sese removent, ita ut per aliquod saltem tempus a maestitia vaces, quam tibi Mystae memoria excitat.» Ibycus Schneidew. pag. 85. Bergk p. 654: ἐμοὶ δ' Ἔρος οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥραν. Multo languidius est Wakefieldii *labores*. Atque *amores* puerorum *delicatorum* omnino Romanis ex moribus, non ex nostris sunt diiu-

Surgente decedunt amores
Nec rapidum fugiente Solem.

At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos, nec impubem parentes
Troïlon aut Phrygiae sorores
Flevere semper. Desine mollium

11. *Surgente cedunt* T. — 12. *rapido fugiente sole* B. — 14. *omnis* bST. — 15. *nec* BbSTcd, LCtF et Bentl.: *neque* M. — *inpubem parente* T.

dicandi; quamquam hos ipsos Valgii «sanctissimos fuisse dubium non esse» Unger V. R. p. 226. suo iure asseverat.

12. *rapidum*] solitum apud poëtas solis ἐπίθετον (Virg. Ge. 1, 92 et 424. Ibid. 2, 321.), ei inditum propter celerrimum cursum ex opinione veterum quotidie rursus et inceptum et infinitum. Sic Hyperiona *celerem deum* appellat Ovid. Fast 1, 386.

13. 14. *ter aevo*] Iliad. α, 250: *(Νέστορι) ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων Ἐφθίατο -- μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.* Cic. Cat. mai. 10: Nestor *tertiam iam aetatem hominum vivebat.* Varie quidem interpretabantur vel de XC. vel de CCC. annis; sic Ovid. Met. 12, 188. — *amabilem*] propter pulchritudinem. Philostr. Imagg. 2, 7: *τὸν Ἀχιλλέα ἐρᾷν τοῦ Ἀντιλόχου πεφώρακας, οἶμαι, παρ' Ὁμήρῳ, νεώτατον τοῦ Ἑλληνικοῦ ὁρῶν τὸν Ἀντίλοχον κτλ.* Cfr. Unger V. R. p. 337. — *Antilochus*, a Memnone interfectus, bis memoratur in Odyss. γ, 112. et δ, 187. Pindar. Pyth. 6, 28. Xenoph. Cyneg. 1, 14: *Ἀντίλοχος τοῦ πατρὸς ὑπεραποθανὼν τοσαύτης ἔτυχεν εὐκλείας, ὥστε μόνος φιλοπάτωρ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀναγορευθῆναι.* Aristoteles in Peplo 15: *ὃς θάνεν ἐν Τροίῃ ῥυσάμενος πατέρα.* Ovid. Her. 1, 15. *ab Hectore victum* dicit. — Antilochum in proelio interfectum currui a Nestore patre impositum tibi monstrabit Inghirami *Gall. Om.* III. T. 78. Aliam occisi imaginem praebet Gerhard *Vaseng.* III. T. CCVIII.

16. *Troilus*, Priami filius. Virg. Aen. 1, 475: *Infelix puer atque impar congressus Achilli.* Schol. ad Iliad. ω, 257: *Σοφοκλῆς ἐν Τρωΐλῳ φησὶν λογχευθῆναι ὑπὸ Ἀχιλλέως ἵππους γυμνάζοντα παρὰ τὸ Θυμβραῖον, καὶ ἀποθανεῖν.* Idem tradit Mythogr. Vatic. 1, 210: haec addens: *Troilo dictum erat, quod, si ad annos XX. pervenisset, Troia everti non potuisset.* Cfr. Quintum Smyrn. 4, 432. *Monum. dell' Inst. archeol.* T. V. p. 251. et *Mon. dell' Inst. arch.* T. XXXIV. Eius imagines Gerhard *Vaseng.* III. T. CLXXXV. T. CCXXIV-CCXXVI. Troilon *ἀνδρόπαιδα*, ut Plinius Polycleti ephebum vocat, dixit Sophocles in Troilo Fr. Dind. 551. Cfr. Welcker *Gr. Trag.* I. p. 124. — *Phrygiae sorores*] Polyxena, Cassandra, Iliona cet.

17. *Desine mollium*] Graeca con-

Tandem querelarum, et potius nova
Cantemus Augusti tropaea

structione. Eurip. Phoeniss. 1071: *Λήξασ' ὀδυρμῶν πενθίμων τε δακρύων.* Sic Od. 3, 27, 69: *Abstineto-irarum.* (Virg. Aen. 10, 441. *tempus desistere pugnae* est dativus, ut Stat. Theb. 5, 274. *labori destitit.* Cfr. Bach *von d. Gebrauch der Casus in der lat. Dichterspr.* p. 47.)

19. *Augusti tropaea*] Quo a nimio luctu amicum avertat, eum hortatur, ut secum quasi certaturus carmine tropaea illa celebret, duplex sic propositum assequens, ut et Augustum propter res prospere gestas oblique laudet, et poëticam Valgii facultatem praedicet, etsi probe sciebat nec sibi propositum esse Augusti praeconium perpetuis panegyrici generis carminibus facere neque id ausurum Valgium, qui sese continuisse intra elegias videtur. Quamquam etiam in talibus, etsi tenuiore stilo, princeps vir laudibus efferri poterat. Omnia haec blande atque urbane, cum nimia et putida, ut solet, adulatione usus scriptor Panegyrici in Messalam (Tibull. 4, 1.) 179: *Est tibi qui possit magnis se accingere rebus, Valgius; aeterno propior non alter Homero*; de quo loco satis quidem novi Ungeri opiniones, sed meas non facio.

20. 21. De h. l. non sine fructu consulere nunc potui Unger V. R. p. 345–361. — *tropaea*] ut de eadem re Virg. Ge. 3, 32: *Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea. Nova* (recentia) autem tropaea primum sunt Armeniaca, de quibus Epp. 1, 12, 26: *Claudi virtute Neronis Armenius cecidit* (a. u. 734.), ubi vide Mon. Ancyr. ed. Franz. p. 35: *Armeniam maiorem interfecto rege eius Artaxia cum possem provinciam facere, malui maiorum nostrorum exemplo regnum id ad Tigranem, Artavasdis filium, nepotem Tigranis regis, per Tib. Neronem, qui tum erat privignus meus, transferre.* Vellei. 2, 94: Tiberius *cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem P. R. regnum eius Artavasdi dedit;* ubi error videtur ipsius scriptoris pro *Tigrani.* Tac. Ann. 2, 3. Dio 54, 9. Accedunt nummi. Eckhel VI. p. 98: *CAESAR. DIVI. F. ARME. CAPTA.* (Armenia genu flexa porrectis suppliciter manibus.) *ARMENIA. CAPTA.* (Victoria stans cultrum in tauri iacentis, id est, Tauri montis, iugulum demittit.) — *Niphates*, Armeniae mons. Strabo 11. p. 522: *ἔπειτα (ἡ Ἀρμενία) ἐξαίρεται πλέον καὶ καλεῖται Νιφάτης.* p. 523: *ἡ δὲ προσάρκτιος ὀρεινὴ καὶ τραχεῖα καὶ ψυχρά.* Dio 49, 34: *χρυσταλλώδης ἀεί ποτέ ἐστι.* Quibus e locis satis colligitur, quomodo v. *rigidus* interpretandum sit, ut vere proprium Niphatis sit *ἐπίθετον*, scilicet «frigidus», vel quibus *ἐπιθέτοις* de huiusmodi tractibus alibi utuntur, *glacialis, nivalis.* Alii explicant «saxis suis sese alte extollentem, arduum», ut iam Pisander Niphaten *εὐσκόπελον* vocarat apud Stephanum Byz. p. 594., id quod nihil habet proprii, ut singulare huius montis sit *ἐπίθετον.* Iam vero negari non potest a poëtis Latinis Niphaten habitum esse pro flumine (Lucan. 3, 245: *Armeniusque tenens volventem saxa Niphaten.* Silius 13, 765: *Pellaeo ponte Niphaten Astrinxit.* Iuven. 6, 409: *Isse Niphaten In populos magnoque illic cuncta arva teneri Diluvio.* Claudian. III. Cons. Hon. 74: *vada Caspia Medi,*

Caesaris et rigidum Niphaten, 20
Medumque flumen gentibus additum

Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten. Controversus autem quam maxime est locus Virg. Ge. 3, 30: *Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten,* ubi cum plerisque montem equidem agnosco, ut significet poëta «pulsos, debellatos esse eius accolas,» etsi Unger p. 347. rursus de flumine accipit. Etenim aequales, Horatius et Virgilius, probe sciebant montem illum esse, sed ex eorum verbis mature iam a Grammaticis in geographia minus versatis prave explicatis apud posteriores ortus est Niphates fluvius, de quo certum apud Geographos vera auctoritate praeditos testimonium nullum exstat; nam ad poëtarum locos accommodata sunt, quae Scholiastae Lucani et Iuvenalis ll. ll. afferunt; neque alio fundamento nituntur, quae dubitanter h. l. Acron et Comm. Cr.: *Scythiae fluvium; plerique Armeniae montem putant.* Servius ad Virg. l. l.: *Niphates et fluvius est et mons.* Vibius Seq. p. 15. Oberl.: *Niphates Armeniae* (flumen), *ex monte Niphate.* — Iam qui h. l. pro fluvio habent, varie v. *rigidum* interpretantur vel «glacie constrictum», vel ex Lucani *volventem saxa* «rigidum saxis, saxosum», vel propter accolarum ingenium «ferocem, tumidum,» cum sic quoque explicandum foret «frigidum» ex Statii Theb. 10, 497: *rigidique natator Oebalus Eurotae.* Alterum autem malum ex falsa hac interpretatione hoc ortum est ut prave construerent: «Cantemus tropaea et Niphaten ac Medum, duo flumina, utrumque minores volvere vertices» cet. Rectam rationem iam ego indicaram, addito exemplo Tibulli 1, 3, 17: *Aut ego sum causatus aves aut omina dira,* || *Saturni aut sacram me tenuisse diem;* sed clarius etiam Unger p. 351: «Cantemus tropaea et Niphaten (montem) || Medumque flumen volvere vertices minores», ut Propert. 2, 1, 19: *Non ego Titanas canerem - -, Non veteres Thebas nec Pergama, nomen Homeri, Xerxis et imperio bina coisse vada.* 3, 2, 7: *Et cecini Curios fratres - - Victricesque moras Fabii pugnamque sinistram Cannensem - - Hannibalemque Lares Romana sede fugantes, Anseris et tutum voce fuisse Iovem.* Item 3, 3, 18. Eleg. ad Liv. Aug. 273.

21. 22. *Medumque flumen*] Sane est Euphrates, proprius atque celebratissimus Medorum sive Parthorum fluvius. De eadem re, id est, de Crassi signis a Phraate a. u. 734. receptis Virg. Aen. 8, 726: *Euphrates ibat iam mollior undis.* Et cfr. Epp. 1, 12, 27: *ius imperiumque Phraates Caesaris accepit genibus minor,* ubi vide adnot. Mon. Ancyr. ed. Franz. p. 35: *Parthos trium exercituum Romanorum spolia et signa reddere mihi supplicesque amicitiam populi Romani petere coëgi; ea autem signa in penetrali, quod est in templo Martis Ultoris, reposui.* Alii interpretantur de fluvio *Medo* in Araxen influente prope Persepolin. Strabo 15. p. 729. Ac dictum foret ut Od. 4, 4, 38: *Metaurum flumen.* Art. poët. 18: *flumen Rhenum; mare Oceanum* et similia. At parum credibile est ab Horatio memorari flumen obscurum, cuius ne Vibius quidem Sequester mentionem fecit. — *gentibus additum*

Victis minores volvere vertices,
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

22. *volvere*] *vertere* γ (Kirchn. p. 36.), *tollere* Luctatius Plac. ad Stat. Theb. 11, 508. — *vortices* L. (Ut nos, BbSTcd.)

Victis] Sic Cicero pro Sestio 64: *orbis terrarum regiones* a Pompeio *adiunctas huic imperio* dicit, et Verr. Acc. 5, 6: *maiores cum Siciliam ad rem publicam adiunxissent. — minores*] «quia debellatum se sentit, fastum, quo prius tumebat, abiecit»; cuius demissi animi signum nobis proponit eius vertices minus aestuosos quam antea, cum nunc, ut *καθ' ὑπερβολήν* dicit, *gentibus additum*, id est, imperio Romano subiectum sit. Tacit. Ann. 1, 79: *quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluiis orbatum minore gloria fluere. — vertices*] Hanc formam, non *vortices*, videtur praetulisse etiam Virgilius. Cfr. Wagner ad Ge. 1, 481. Aen. 1, 117. Orthogr. Vergil. p. 481.

23. *Gelonos*] Virg. Aen. 8, 725: *Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos finxerat* (victos). «Geloni, primum memorati ab Herodoto 4, 108., Sarmatiae sive Scythiae Europaeae populi, in posterum iam intra suos dumtaxat fines, ut solent Nomades, *equitabunt*, neque ut antea in Romanam dicionem, qua eis nunc interdictum est ab Augusto, incursiones facient.» Florus 4, 12, 20: *Sarmatae patentibus campis (Steppen) inequitant. — Exiguis* autem, si comparaveris cum priore eorum licentia, qua fines patrios arbitratu suo excedebant, Romanos agros depopulabundi. Cfr. Mon. Ancyr. ed. Fr. p. 36: *Nostram amicitiam petierunt per legatos Bastarnae et Scythae et Sarmatarum cis Tanaim fluvium Tanaimque ultra.* (Cfr. Flor. 4, 12, 18. Suet. Oct. 21. et 43. Iustin. 42, 5.)

CARMEN X.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo neque, dum procellas

X. Inscr. volg. *Ad Licinium*, et sic S. — *Licinium alloquitur ne semper magna temptet* BT. — *Ad Licinium Murenam optimum esse medium* b, item c, addens *vitae*.

X. L. Licinius Murena proprio nomine, filius Murenae illius, quem Cicero defendit, postea per adoptionem A. Terentius Varro Murena (Fast. Cap.) appellatus, frater C. Proculeii illius, qui propter insignem in fratres liberalitatem praedicatur Od. 2, 2, 5., et Terentiae Maecenatis, *ἀκράτῳ* (inquit Dio 54, 3.) *καὶ κατακορεῖ παῤῥησίᾳ πρὸς πάντας ὁμοίως ἐχρῆτο*. Homo igitur turbulentus atque ambitiosus Augusti dominationem acerbe exagitare solebat novasque res semper moliri. Initis denique cum Fannio Caepione Augusti occidendi consiliis iisque detectis, ambo a Tiberio rei facti et, cum die dicta in iudicio non comparuissent, absentes exsilio damnati sunt et paullo post necati a. u. c. 734., quo ipso anno consul erat suffectus. Vide Baiteri Fast. Cons. pag. LVII. Vell. 2, 91. Suet. Octav. 19. et 66. Dio l. l. Drumann *Gesch. R.* 4, 193. Licinium poëta exhortari studet ad moderationem atque universae vitae aequabilitatem, ipso quoque dicendi genere ad argumentum attemperato. — Difficillimum autem diiudicatu est, nec facile quisquam exputarit, utrum Horatio suffecerit Stoicum locum communem poëtico cum ornatu proponere Licinio, quem interdum fortasse viderat apud Maecenatem, cuius uxoris Terentiae per adoptionem frater erat, an occultiore consilio usus hominem imprudentem ab insanis inceptis, quae ei necem tandem attulerunt, dehortari voluerit. Certe vel providente poëta vel imprudente carmen veluti vaticinium de misero Licinii exitu aequalibus videri debebat. Iam etsi definiri nequit, quo anno compositum sit — fluctuant inter annos 724, 728, 731. —, mirum est, aeque illud utrique favere opinioni tres Carminum libros editos esse aut 731. (Franke), certe ante Licinii necem, aut 736. (Lübker), cum plerique, ipse etiam Maecenas cum Terentia, satis iam hominis temerarii ac merito supplicio affecti essent obliti, ita ut ne mentio quidem eius ab Horatio facta cuiquam mira ac praepostera videri posset.

1 — 4. *Rectius*] «et honestius *(ἠθικῶς)* et felicius.» Ex frequente allegoria vitam humanam comparat cum navigatione, in qua non expedit cursum *urgere*, pertinaci studio semper dirigere in altum mare, neque *premere* (radere, legere) litus *iniquum*, *male fidum* (Virg. Aen. 2, 23.) propter vada et scopulos. Bassus in Anthol. Pal. II. pag. 340: *Μήτε με χείματι*

Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

6. *Diligit tutus, caret* distinguit Bentl.

πόντος ἄγοι θρασύς, οὐδὲ γαλήνης Ἀργῆς ἠσπασάμην τὴν παλινηνεμίην. Αἱ μεσότητες ἄριστα· ὅπη δέ γε πράξιες ἀνδρῶν, Καὶ μάλα μέτρον ἐγὼ τἄρκιον ἠσπασάμην. Τοῦτ' ἀγάπα, φίλε Λάμπι, κακὰς δ' ἔχθαιρε θυέλλας· Εἰσί τινες πρηεῖς καὶ βιότου ζέφυροι. (Falso, quod et ad sensum et ad caesuram pertinet, distingui iussit Monich *Cautus horrescis nimium, premendo.)*

5. *Auream*] «omnibus rebus anteferendam.» — *mediocritatem*] μεσότητα, τὸ μέτριον, ex Graeco illo dogmate περὶ μεσότητος in cupiditatibus ac praesertim in opum quaerendarum studio; vitam, quam semper temperat σωφροσύνη. Phocyl. Bergk p. 340: Πολλὰ μέσοισιν ἄριστα· μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι. Aristot. Polit. 4, 11: ὁ μέσος βίος βέλτιστος. Pind. Pyth. 11, 52: Τῶν γὰρ ἅμ πόλιν εὖρίσκων τὰ μέσα μακροτέρῳ Ὄλβῳ τεθαλότα, μέμφομ' αἰσαν τυραννίδων. Cicero quoque hac significatione usurpat de Off. 1, 25: *Nunquam iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum.* H. l. *mediocritas* et ad animum mediocri fortuna contentum et ad hanc ipsam vitae condicionem refertur.

6–8. *tutus*] Hoc v. ad universam γνώμην *tutus - - aula* nonnullis pertinere videtur: «non minus enim periculorum minari homini divitias regias ac summam fortunam quam incommodorum afferre sordidam paupertatem in misero tugurio tolerandam.» Sed totius clausulae constructio eo potius ducit, ut v. *tutus* referamus ad primam dumtaxat partem, quemadmodum *sobrius* ad alteram pertinet; *carere* vero, id est, «remotum manere», recte et de sordida casa et de regia aula summis opibus referta dicitur. — Omnino autem propter membrorum aequalitatem iungenda vv. *tutus caret*, non cum Bentleio *Diligit tutus*. — *Obsoletum* dicitur quidquid vetustate et sordibus corruptum est, veluti vestis *obsoleta*, detrita et squalida; sic domus, cuius trabes putrescunt, parietes rimas agunt, situs omnia occupat, *obsoleta*. Simili verborum compositione Cic. pro Sestio 28: *virtus - - neque alienis unquam sordibus obsolescit.* — *invidenda*] Ut Od. 3, 1, 45: *invidendis postibus*. Eadem significatione Martial. Spectac. 2, 3: *invidiosa - - atria*.

9. *Saepius*] Vide, quam scite γνώμαις imagines poëticas subiecerit hic et vv. 15, 18, 22. *Saevius* menda Ed. Rothomag. 1701., itemque Burmanni coniectura, quae multis placuit, firmatur a suspectissimo illo Valarti Cod. Sorbon. Defendi utique poterat ex Ovid. Trist. 3, 4, 6: *Saevum praeclustri*

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus et celsae graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montes.

Sperat infestis, metuit secundis

9. *Saevius* F e Valarti Cod. Sorbon. suspectissimo. — 10. *excelsae* cum Brod. Cuningh. San. Iani et F. (Ut nos, BbSTcd et omnes Pottierii.) — 12. *Fulmina* LtF e Codd. (Ut nos, omnes nostri, Cruquii et Pottierii.) — *montes* litt. *e* superscr. *i* B.

fulmen ab arce venit. Attamen recipienda non erat, quoniam in eo ipso, quod *saepius* a procellis concutitur procera pinus quam humile arbustum, satis significatur illam multo magis expositam esse periculo, ne frangatur atque eradicetur. Herodot. 7, 10: Ὁρᾷς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα ὡς κεραυνοῖ ὁ θεὸς οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει· ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτ' ἀποσκήπτει τὰ βέλεα· φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. Lucilius in Anthol. Pal. II. p. 345: Οὐ θρύῳ, οὐ μαλάχην ἄνεμός ποτε, τὰς δὲ μεγίστας Ἤ δρύας ἢ πλατάνους οἶδε χαμαὶ κατάγειν. Conf. Babrii fab. 36. Maecenas apud Senecam Epp. 19: *Fortuna altonat summa.* Praeterea v. *saevius* haud multum differret a. vv. *graviore casu*; sic vero duas percipimus notiones distinctas: «Et frequentius et periculosius praecipitat in adversam fortunam homo excelsiore loco constitutus quam humilis.» (Qui *saevius* praeferunt, appellare possunt etiam Front. Princ. Hist. Ed. Mai 1846. p. 230: *Profecto sicut arborum altissimas vehementius ventis quati videmus, ita virtutes maximas invidia criminosius incessit.)*

10-12. *Pinus*] hic quoque pulcherrima illa Italica ἀμφιλαφής, *Pinie.* — Melior duplex iunctura *et* (itemque) *celsae - - feriuntque* quam Feae ἀσύνδετον *excelsae.* — *turres*] Sic omnia aedificia alta et ampla vocantur, οἰκήματα τὰ μέγιστα Herodot. l. l. Iuvenalis 10, 105: *numerosa parabat Excelsae turris tabulata, unde altior esset Casus et impulsae praeceps immane ruinae.* — *summos - montes*] «montium cacumina.» Lucret. 6, 420: *Altaque cur plerumque petit loca plurimaque huius Montibus in summis vestigia cernimus ignis?* — «*Fulgur* proprie est splendor fulminis. Sed ex auctoritate Codd. et Hieronymi quater sic afferentis v. *fulgura* retinendum; nam *fulgur* idem saepe notare ac *fulmen* apud Virgilium, Plinium, Tacitum cet. adeo notum est, ut exemplis id probare minime hic necesse sit.» Bentl. *Fulmina* defendit Fea in auxilium vocata Senecae Agam. 93. declamatoria amplificatione: *Sidunt ipso pondere magna Cedilque oneri Fortuna suo; Vela secundis inflata Notis Ventos nimium timuere suos. Nubibus ipsis inserta caput Turris pluvio vapulat Austro; Densasque nemus spargens umbras Annosa videt robora frangi. Feriunt celsos fulmina colles,* cet.

13. 14. *infestis*] Codd. aliquot inquinati sunt gloss. *adversis.* — Ceterum vv. *infestis - secundis* Petrenz (Obss. in Hor. Carm. aliq. loc. Gumb. 1846.) pro dativis ha-

Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iuppiter, idem
Summovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit: quondam cithara tacentem

15. *informis* B. — 18. *cithara* BbT, corr. d, LCtF: *citharae* Sc, pr. d, γ et Bodl. alter, unus Bersmanni, quattuor Pottierii, Bentl. et M. (Ut nos, J.)

bet; mihi, ut ceteris poëtae lectoribus, sunt abl. absol. — *Alteram sortem*] «contrariam ei, in qua nunc versatur.» Unde dicit Sapiens: «*In die malorum, ne immemor sis bonorum, et in die bonorum, ne sis immemor malorum.*» Schol. Cruq. Similiter apud Graecos ἄτερος δαίμων. Pind. Pyth. 3, 34: δαίμων δ' ἕτερος Ἐς κακὸν τρέψαις ἐδαμάσσετό νιν. Callim. Fr. 94: Οὐ πάντες, ἀλλ' οὓς ἔσχεν ἄτερος δαίμων. Dictum haruspicis ad Caesarem apud Plut. Caes. 43: εἰ μὲν εὖ πράττειν ἡγῇ σεαυτὸν ἐπὶ τῷ παρόντι, τὴν χείρονα προσδόκα τύχην· εἰ δὲ κακῶς, τὴν ἀμείνονα. Synesius de Regno ed. Krabing. p. 6: Τὸν δὲ λαμπρὸν ταῖς τύχαις, τοῦτον ἔτι καὶ κινδύνοις ἐπιφανῆ γενέσθαι καὶ θατέρᾳ μεριδι τοῦ δαίμονος, — *bene praeparatum*] «sapientia instructum ac munitum ad tolerandam qualemcunque fortunam.» Seneca Ep. 48: *In ipsa securitate animus ad difficilia se praeparet, et contra iniurias fortunae inter beneficia firmetur.* Idem de Vita beata 8: *Sapiens in utrumque paratus artifex vitae.*

15. *Informes*] «quae deformant gratum terrarum aspectum.» Virg. Ge. 3, 354: *Sed iacet aggeribus niveis informis et alto Terra gelu late.* — *reducit*] Wagner ad Virg. Ge. 1, 249. *(Aurora diemque reducit)*: «Usurpantur vv. *redire, reducere, recurrere, referre,* alia similiter composita, ubi de rebus, imprimis naturae, statis vicibus redeuntibus agitur.»

17. *Non si male*] Theocr. 4, 41: Θαρσῆν χρή, φίλε Βάττε· τάχ' αὖριον ἔσσετ' ἄμεινον. Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὗει.

18. *quondam*] «interdum». Virg. Aen. 2, 367: *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.* — *tacentem*] «Arcum cum tendit infensus Apollo, pestem atque interitum hominibus minitatur, ut facit in Iliadis initio: idem tamen interdum mitis ac propitius mortalibus denuo lyra pulsata semet ipse ad cantum excitat, *Condito mitis placidusque telo*», ut est in Carm. sec. 33. — Ad v. *suscitat* cfr. Pind. Olymp. 9, 47: Ἔγειρ' ἐπέων σφιν οἶμον λιγύν. Isthm. 7, 1: Κλεάνδρῳ τις--ἀνεγειρέτω Κῶμον. Lucret. 2, 412: *Ac musaea mele per chordas organici quae Mobilibus digitis expergefacta figurant.* Est igitur pictura similis eius, quam ex Simonide desumpsit Himerius Orat. 16, 7: Ἀεὶ μὲν αἱ Μοῦσαι χορεύουσι καὶ φίλον ἐστὶ ταῖς θεαῖς ἐν ᾠδαῖς τε εἶναι καὶ κρούμασιν· ἐπειδὰν δὲ ἴδωσι τὸν Ἀπόλλωνα τῆς χορείας ἡγεῖσθαι ἀρχόμενον, τότε πλέον ἢ πρότερον τὸ μέλος ἐκτείνασαι ἦχόν τινα παναρμόνιον καθ' Ἑλικῶνος ἐκπέμπουσιν. — Praetuli nunc lect *cithara* alteri, quod ad Codd. auctoritatem attinet, sane pari *citha-*

Suscitat musam neque semper arcum
Tendit Apollo.

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

rae, quia minus iam placet *citharae musam*, id est, sonum. Cfr. etiam Od. 4, 15, 1: *Phoebus - - me - - increpuit lyra.* — Simulacrum Apollinis tranquille sedentis, quemadmodum is et Bacchus ab artificibus rarissime exhibentur, atque citharam pulsantis praebet Gerhard *ant. Bildw.* T. LXXXV. 1. 2.

21. 22. *Rebus angustis*] in prosa oratione «dubiis», *misslich*. Alibi res *angustae* sive *artae* (Silius 2, 103.) pauperiem significant. — *animosus atque Fortis*] lungit haec vv. etiam Cicero Cat. mai. 20, 72: *quo fit, ut animosior etiam senectus sit et fortior.* — *appare*] «monstra te ceteris hominibus.» Rutilius Lupus 1, 1, 17: *Alexander Magnus, cum aliqua res dubia accidisset, apparebat sapientissimus.* Male Scholiastae: «obtempera.»

23. *Contrahes vento*] Desinit carmen in eadem allegoria, qua in exordio poëta usus erat. *Vela* (passa) *contrahere* (vel *subtrahere*. Propert. 3, 9, 30: *Ventorum plenos subtrahis ipse sinus.*), *ὑποστέλλειν τὰ ἱστία*, dicunt de modo sapienter tenendo, ubi nimia fortuna ad fastum ac superbiam nos allicit. Ovid. Trist. 3, 4, 32: *formida nimium sublimia semper Propositique, precor, contrahe vela tui.* — *Contines* Codd. Canteri Nov. Lect. 4, 2., unde ipse volebat *contine*, quod tamen Latinae consuetudini repugnat. Iunge autem cum Seneca l. l. *(ventos nimium suos)* h. l. *vento nimium secundo*, «qui initio quidem videtur secundus, semper autem crescens atque in navem vehementius praecipitans eam tandem submergit;» neutiquam vero cum recentioribus nonnullis: *nimium turgida vela*, quae ratio pedestrem redolet orationem.

CARMEN XI.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes, Hirpine Quinti, cogitet Hadria Divisus obiecto, remittas

XI. Inscr. volg. *Ad Quintium.* — *Ad Hirpinum monens unumquemque utilitati suae consulere* B. — *Ad Quintium Hirpinum monens unumquemque (unamquamque* T) - - *consulere* bT. — *Ad Quintium Hirpinum* S. — *Ad Quintium Hirpinum monens non esse cogitationes nostras in diversum mittendas* c. — 1. *contaber* T. — 2. *Quincti* LCtF. (Ut nos, nostri Codd.) — *Adria* cd.

XI. Quintium Hirpinum, sodalem suum, ad sapientem vitae usum comiter adhortatur. Non prorsus quidem certum, verum probabile est, eundem Quintium esse, ad quem misit Epp. 1, 16. Aeque incertum est compositionis tempus; fortasse 728. aut initium 729: «cum Cantabri rebellarent et Scythae instigante Phraate contra Tiridatem expeditionem pararent. Od. 3, 8 et 4, 19.» FRANKE. Alii retulerunt ad a. 734. (Ceterum scripturam *Quinctius* praetulit in Livio Alschefski Lib. 3, 1.)

1. *Cantaber*] diu rebellis. Cfr. Od. 2, 6, 2. Od. 3, 8, 22. Epp. 1, 12, 26. — *Scythes*] Sic vocat populos in septentrionali Danubii ripa habitantes, Sarmatas et Gelonos. Od. 2, 9, 23.

2. 3. *Hirpine Quinti*] Hirpini adhuc ignoti in gente Quintia. *Hirpinus* sane pro mero cognomine, non populi nomine, habendum, ut usitata erant etiam *Antias, Sabinus, Soranus.* De ordine nominum vide ad Od. 2, 2, 3: *Crispe Sallusti.* — *cogitet*] «machinetur, moliatur.» — *Hadria Divisus*] «ac propterea nobis minime formidolosus.» Unice ad v. *Scythes* refertur, non ad Hirpinum, ut mire quidam calumniatus est. — *remittas*] Rariore usu pro «omittas.» Terent. Andr. 5, 1, 8: *Nam si cogites, remittas iam me onerare iniuriis.* Salust. Iug. 52: *aciem exornat neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare.*

4. *trepides*] «Noli sollicitus et anxius esse in quaerendis rebus ad vitae usum atque conservationem necessariis.» Od. 3, 29, 34: *Ridetque, si mortalis ultra Fas trepidat. Trepidare in usum* est «anxie providere usui.» De v. *trepidare* consule Gronov. et Drakenb. ad Liv. 27, 1, 8. Sic προεῖσθαι. Plato Phaed. 68. C.: τὸ περὶ τὰς ἐπιθυμίας μὴ ἐπτοῆσθαι. *Usum* autem, ut Liv. 6, 25: *qua quemque suorum usuum causae ferrent.* Neque vero ex hac generali sententia colligi potest Quintium fuisse hominem contracti ac pusilli animi, curis semper obnoxium, ut volunt plerique. Immo in tali sine ullo fructu abusus esset eiusmodi exhortationibus, quibus indoles atque mores hominum vix unquam mutantur.

5. *Poscentis aevi pauca*] Nam etiam quae infra memorantur, Falernum, nardus atque ea, *quibus dolet natura negatis*, pauca sunt atque exi-

Quaerere nec trepides in usum
Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis iuventas et decor, arida
Pellente lascivos amoros
Canitie facilemque somnum.

Non semper idem floribus est honor
Vernis neque uno Luna rubens nitet
Voltu: quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?

9. *honos* LCt cum Aldo. — 10. *nec* b.

gua ex hominum tunc viventium opinione, neque cavillari nonnemo debebat: «Ex praemissis istis colligendum fuisse, non: ««ergo genio indulgeamus»», sed ««ergo vitam agamus frugalem.»» Cfr. egregium Manilii locum 4, 1—80. (v. 8: *Cumque sui parvos usus natura reposcat, Materiam struimus magnae per vota ruinae.)* — Ceterum qui construxit *trepides aevi*, id est, «aevi causa», id quod simplicissimum erat *in usum aevi*, consulto noluisse perspicere videtur. Nimis vero languet Wissii coniectura *in usu*.

6. *Levis*] «λεῖα, imberbis ac tenera.» Tibull. 1, 8, 34: *Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent Ora.* — *arida*] «quae ex siccitate nascitur.»

8. *Facilem* somnum dixit etiam Od. 3, 21, 4. (et *leves somnos* Od. 2, 16, 15.): «qui facile obrepit nec vigiliis interrumpitur.»

9. *honor*] pulchritudo; brevi enim marcescunt. «Membranae, quotquot vidi, *honor*. Recte, ut vitetur sibilus iste, *floribus, honos, vernis*. Qui primus mutavit, ei defuit aurium iudicium.» Bentl.

10. *Luna rubens*] *Rubere* etiam Propertius dixit de lunae splendore 1, 10, 8: *Et mediis caelo Luna ruberet equis*. Pudoris contra significatio inest in *luna rubente* Sat. 1, 8, 35. — «Variat luna semper crescendo et decrescendo.»

11. *quid aeternis*] «Quid tu animum conficis cogitationibus infinitis, ad longissimi temporis curam pertinentibus, quibus par esse nequeat? tamquam si immortalitas tibi concessa sit.» Recte Dillenburger duplicem hic constructionem statuere videtur: *aeternis consiliis fatigas* et: *minorem aeternis consiliis*. — Cfr. Od. 1, 11, 7: *Spem longam*. Seneca de Tranq. an. 9: *spes effrenatas — et animum in futura eminentem* dixit. — *minorem*] ut ἥττων τινός, «impar.»

13. *Cur non*] Sententiarum iunctura haec est: «Tametsi iam restinctus in nobis est adolescentiae fervor, tamen etiamnunc et potando et amando nos oblectare possumus. Ergo, dum licet, sapienter vita fruamur.» — *platano*] *genialem* platanum dixit Ovid. Met. 10, 95., quia sub eius umbra libenter genio indulgebant Romani. — *vel hac*] Reprehendi solet a ludorum magistris hic versus exitus; quasi vero peritissimus artifex hac ipsa versus conformatione non

Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu iacentes sic temere et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo

Potamus uncti? Dissipat Euius
Curas edaces. Quis puer ocius

13. *subacta* T. — 15. *odorata* T et Oberlini A. — 16. *Assyrioque* B. Ceteri nostri, etiam d, *Assyriaque*. — 18. *edacis* B.

optime expresserit gratam sic iacentium negligentiam ac tranquillissimam quietem.

14. *sic temere*] Homeri illud Iliad. β, 420: $\mu\grave{\alpha}\lambda\psi$ $o\mathring{\upsilon}\tau\omega$. Plato Gorg. 506. D.: $o\mathring{\upsilon}\tau\omega\varsigma$ $\epsilon\grave{\iota}\kappa\tilde{\eta}$. Politic. 295. A.: $\kappa\alpha\acute{\iota}$ $\pi\omega\varsigma$ $o\mathring{\upsilon}\tau\omega\sigma\grave{\iota}$ $\pi\alpha\chi\upsilon\tau\acute{\epsilon}\rho\omega\varsigma$. Dio Chrysost. 15. p. 445. R.: $o\mathring{\upsilon}\kappa$ $\grave{\epsilon}\nu$ $\tau\tilde{\eta}$ $\grave{\alpha}\gamma o\rho\tilde{\alpha}$, $o\mathring{\upsilon}\tau\omega\sigma\grave{\iota}$ $\delta\grave{\epsilon}$ $\kappa\alpha\tau'$ $o\mathring{\iota}\kappa\acute{\iota}\alpha\nu$. Donatus ad Ter. Andr. 1, 2, 4: «*sic* pro leviter et negligenter, quod Graeci $o\mathring{\upsilon}\tau\omega\varsigma$ dicunt.» Cic. Arat. 230. de planetis: *Sic malunt errare vagae per nubila caeli*. Idem usus obtinet apud Virg. Aen. 1, 224: *Iuppiter - - Despiciens mare - - sic vertice caeli Constitit*. 8, 488: *sanie taboque fluentes Complexu in misero longa sic morte necabat*, $\acute{\omega}\varsigma$ $\check{\epsilon}\tau\upsilon\chi\epsilon$. Et prorsus ut Horatius, Seneca Hippol. 394: *Sic temere iactae colla perfundant comae*.

15. *Canos*] Horatius erat *praecanus*. Epp. 1, 20, 24. Od. 3, 14, 25. Pseudanacr. 36: $\Pi o\lambda\iota\grave{\alpha}$ $\sigma\tau\acute{\epsilon}$ $\phi o\upsilon\sigma\iota$ $\kappa\acute{\alpha}\rho\alpha\nu$· $\Delta\grave{o}\varsigma$ $\mathring{\upsilon}\delta\omega\rho$, $\beta\acute{\alpha}\lambda'$ $o\mathring{\iota}\nu o\nu$, $\tilde{\omega}$ $\pi\alpha\tilde{\iota}$. — *odorati*] «rosis bene olentibus coronati;» nam de oleo rosaceo cum Schol. explicari non potest, cum sequatur *nardo uncti*. Unctos capillos contra significat Od. 3, 20, 14: *Sparsum odoratis humerum capillis*.

16. *Assyria* pro «advecta ex Syria» apud poëtas frequenter. Tibull. 1, 3, 7: *Assyrios odores*. Achill. Tat. p. 3. Iacobs: $\Sigma\iota\delta\grave{\omega}\iota$ $\grave{\epsilon}\pi\grave{\iota}$ $\theta\alpha\lambda\acute{\alpha}\tau\tau\eta$ $\pi\acute{o}\lambda\iota\varsigma$· $\Tilde{\alpha}\sigma\sigma\upsilon\rho\acute{\iota}\omega\nu$ $\acute{\eta}$ $\theta\acute{\alpha}\lambda\alpha\tau\tau\alpha$. Schroeteri sententiam de vv. *Syrus* et *Assyrius* vid. in Excursu. — De *nardo* v. Od. 2, 7, 8 — Cod. antiquiss. B., ut Altorf. 2., exhibere *Assyrioque* notandum, non recipiendum duco. Iam enim Acro notandum esse dicit, quod feminino genere usus sit Horatius. Cfr. Ovid. A. A. 3, 443: *coma - - liquida nitidissima nardo*, ubi tamen complures Codd. *liquido*.

17. *Euius*] $E\mathring{\upsilon}\ddot{\iota}o\varsigma$, Liber pater. ab acclamatione $\epsilon\mathring{\upsilon}o\tilde{\iota}$ $\epsilon\mathring{\upsilon}\acute{\alpha}\nu$. Ovid. A. A. 1, 563: *pars clamant Euie euoe*. (Ecphantides in Meinek. Frgm. Com. min. p. 7: $E\mathring{\upsilon}\iota\epsilon$ $\chi\iota\sigma\sigma o\chi\alpha\tilde{\iota}$ $\Tilde{\alpha}\nu\alpha\xi$, $\chi\alpha\tilde{\iota}\rho\epsilon$.) — In Cypriis apud Müllerum p. 90, 8. Nestor ad Menelaum: $O\mathring{\iota}\nu\acute{o}\nu$ $\tau o\iota$, $M\epsilon\nu\acute{\epsilon}\lambda\alpha\epsilon$, $\theta\epsilon o\grave{\iota}$ $\pi o\acute{\iota}\eta\sigma\alpha\nu$ $\Tilde{\alpha}\rho\iota\sigma\tau o\nu$ $\Theta\nu\eta\tau o\tilde{\iota}\varsigma$ $\grave{\alpha}\nu\theta\rho\acute{\omega}\pi o\iota\sigma\iota\nu$ $\grave{\alpha}\pi o\sigma\chi\epsilon\delta\acute{\alpha}\sigma\alpha\iota$ $\mu\epsilon\lambda\epsilon\delta\tilde{\omega}\nu\alpha\varsigma$. Theognis 883: $To\tilde{\upsilon}$ $\pi\acute{\iota}\nu\omega\nu$ $\grave{\alpha}\pi\grave{o}$ $\mu\grave{\epsilon}\nu$ $\chi\alpha\lambda\epsilon\pi\grave{\alpha}\varsigma$ $\sigma\chi\epsilon\delta\acute{\alpha}\sigma\epsilon\iota\varsigma$ $\mu\epsilon\lambda\epsilon\delta\tilde{\omega}\nu\alpha\varsigma$.

18. *Curas edaces*] Od. 1, 18. 4 *Mordaces - - sollicitudines*. Hesiod. O. et D. 6: $\gamma\upsilon\iota o\kappa\acute{o}\rho o\upsilon\varsigma$ (al. $\gamma\upsilon\iota o\beta\acute{o}\rho o\upsilon\varsigma$) $\mu\epsilon\lambda\epsilon\delta\tilde{\omega}\nu\alpha\varsigma$. — *Quis puer* in pedestri or.: «Quis inter vos nostrae compotationis ministros primus refrigerabit temperabitque aqua ex praetereunte rivo hausta vinum nostrum Falernum?»

19. *ardentis*] luven. 10, 27: *lato Setinum ardebit in auro*, de vino vehementi. Eurip. Alc. 758: $\grave{\epsilon}\theta\epsilon\rho$-

Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?
Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna, dic age, cum lyra
Maturet in comptum Lacaenae

19. *Restinget* B. — 21. *elicit* T. — 23. *in comptum* B et omnes Pottierii, item CF: *incomptum* bSTcd, Aldus, Lt, *incomptam* ex uno Torrentii Codice Bentl. et M. (Ut nos, J.)

μην' αὐτὸν ἀμφιβᾶσα φλὸξ οἴνου. Meleager Anth. P. II. p. 115: *Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος· ἦν δέ νιν εἴργῃς Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.*

21. *devium scortum*] «non volgare nec nimis prostitutum, in recessu aliquo, non in lupanari habitans, remotum a Subura, celeberrima illa Romae regione secunda, ubi erant lupanaria; quod cum *κατάκλειστον* delicias faciat, nec statim, etiam quo tamquam fidicina invitatur, se confert, promissis *eliciendum* est.» Liv. 3, 13: *devium tugurium*, «a via publica remotum.» Ovid. Her. 2, 118. *Et cecinit maestum devia carmen avis*, «bubo solitarius.» V. *scortum* minime disconvenit sermonis cum sodali habiti hilaritati. Voss: «*die einsam hausende Lyde.*»

23. *Maturet*] «venire ad nos properet.» Asclepiades Anth. P. I. p. 137. herus ad servum: *Καὶ Τρυφέραν ταχέως ἐν παρόδῳ κάλεσον* ad convivium. Pseudanacr. 4, 14: *Μύρισον, ῥόδοις δὲ χρᾶτα Πύκασον, κάλει δ' ἑταίρην.* Philodemus in Anth. Pal. II. 329: *Καὶ συζεύξατέ μοι φωλίδα παρθενικήν.* Graecum igitur hunc morem tunc imitari etiam Romani solebant. — Idem mos apud Arabas obtinebat. Tharapha Reiskii p. 23: *Compotores mei sunt puellae candidae stellarum instar, et fidicina - - quae dicentibus nobis: «Eia, audiamus cantilenam», in conspectum prodit, lente, non nimis operose, tenella.* — «Ordo vv. est: *more Lacaenae religata comas in comptum nodum.* Propter Codd. autem *comam* scribendum est:» (sed vides tres meos antiquiss. praebere *comas.*) «Bentleius correxit *incomptam comam rel. nodo.* Sed, praeterquam quod *incompta coma* puellam magis dedecoret quam ornet, voc. *nodo*, quod salvo sensu abesse posset, sic nude in fine positum vehementer friget. Aptum contra locum habet, ubi addito adiectivo accuratius describitur. Lectio *incomptum nodum* linguae leges violat, cum praepositio *in* abesse in his non possit.» Iahn. — *in comptum*] «in compositum; festinantes enim mulieres pexum tantum capillum in nodum colligere consueverunt.» Cruq. Od. 3, 14, 21: *Dic et argutae properet Neaerae Myrrheum nodo cohibere crinem.* Utrobique non tam ad comandi moram respicit quam ad simplicem elegantiam nodi, qui opponitur artificiosis comas nectendi generibus. Tres enim modi praecipui capillos ornandi erant. Manil. 5, 146: *Illis cura sui cultus frontisque decorae Semper erit: tortos in fluctum ponere crines Aut vinclis revocare comas et vertice denso Fingere et appositis caput emutare capillis.* — *Lacaenae*] Sic in

More comas religata nodum.

24. *comas* ST et pr. b, item quinque Pottierii: *comae* B, *comam* cd et corr. b, septem Pott., LCt, Bentl. et M. — *relegata* T. — *nodo* Bentl. coni. et M. (Ut nos, omnes nostri et Pottierii.)

Laconum choro apud Aristoph. Lysistr. 1316: Ἀλλ' ἄγε κόμαν Παραμπύκιδδε, unde crinis ligamen παραμπύκιον. Mos hic Laconicus propter simplicitatem saepe artificibus quoque placuit. Sic picta est Atalanta in tabula Pompeiana *Mus. Borb.* VII. T. 2. prorsus ut de eadem Ovid. Met. 8, 318: *Crinis erat simplex, nodum collectus in unum.* Cfr. Apul. Met. 2, 9: *Crines paullisper ad finem conglobatus in summum verticem nodus astrinxerat.* Sic Polygnotus etiam Polyxenam Troianam depinxerat. Pausan. 10, 25: Πολυξένη κατὰ τὰ εἰθισμένα παρθένοις ἀναπέπλεκται τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ τρίχας. — Significat autem tam simplicem cultum et sibi et amico, quippe cum uterque provectioris iam sit aetatis, sufficere nec requiri ab amica ornatum illum, qua adolescentulos allicere alias soleat. — Cfr. etiam contrariam imaginem *pueri longam renodantis comam* Epod. 11, 28. — (Addo omnino amare poëtas propter pulchritudinem Lacaenas virgines memorare; Theognis 1002. Schneidew.: Εὐειδὴς ῥαδιναῖς χεροὶ Λάκαινα κόρη. «Nosti Σπάρτην καλλιγύναικα.») Animi tantum causa notandum est carmen hoc hilarum atque elegans Hofmano Peerlkampio indignum Horatio visum esse ac subditicium.

EXCURSUS

Ad v. 16 sq.

«Assyriaque nardo potamus uncti] M. A. Dietterichius (Jahn. Ann. N. Vol. 31. p. 97.) scribendum censet *Assyrioque* (coll. Horat. Od. II. 7, 8. Tib. II. 2, 7. III. 6, 63.), quod, ut ex addito *uncti* appareat, non herba aut folium, sed unguentum. significetur. At commune est poëtarum, ut non raro rem naturamque ipsam describant significaturi id quod inde effectum est. Cfr. Hor. Od. III. 29, 4. *pressa tuis balanus capillis* i. e. balanum s. myrobalanum. (v. Plin. H. N. XII. 46. Mart. Epigr. XIV. 57.) Od. I. 20, 10. *Caecuba uva*; Virg. Georg. I. 9. *inventae uvae* etc.

Quam *Assyriam* hic *nardum* Horatius nominavit Indicam esse nemo unquam videtur dubitasse. Sed quod dixit Orellius esse Indicam «ex Syria advectam», huius nominis explicandi mihi alia ratio videtur ineunda esse.

Primum *amomum* etiam *Assyrium* (Plin. H. N. XII. 28. Virg. Eclog. 3, 89. 4, 25 etc.) haud dubie *Indicum* fuit, ut *malobathrum* est (Hor. Od. II. 7, 8.), v. Hüllm. *Geschichte d. griech. Handels* p. 214. Et

Assyria bombyx apud Iuv. Sat. II. 66. ea appellatur, quae ex Seribus per *Assyriam* in Syriam deferebatur (v. Heinr. ad l. et Hüllmann p. 205.) Item Epod. 13, 9. *Achaemenium nardum* est *nardus Indica* per Persidem in Syriam delata, ut Od. III. 1, 44. *Achaemenium costum* Indicum est, v. Ovid. Fast. I. 341. Et *tura missa ab Euphrate* ibid: III. 720. Indica esse *turifer Indus* declarat. Cuius generis haud dubie est etiam *Assyrius odor* apud Catull. 68, 143. et *Assyrii odores* ap. Tib. I. 3, 7. quem Orellius contulit, qui apud Lampridium v. Heliog. c. 30. *odores Indici* appellantur. Et ibid. III. 2, 23. (apud Tibull.) verba *quas mittit dives Panchaia merces Eoique Arabes pinguis et Assyria* eo minus dubitare patiuntur, quin merces intelligantur Indicae, quae per Babyloniam sive Assyriam Mesopotamiamque in Syriam deportantur, cum etiam Petronius c. 119. v. 9. in vv. *Assyria concham laudabat miles in unda* mare Persicum significet, in quo sita est insula Tylos *margaritis* celeberrima (Plin. H. N. VI. 32. Strab. XVI. 3.). His locis mihi probatur, *Assyrias merces* omnino intelligi eas solere, quae ex India et Asia media oriundae partim per mare Persicum, partim itineribus terrestribus in Mesopotamiam Syriamque deferuntur. Eiusmodi φορτία etiam illa Ἀσσύρια fuisse apparet, quibus antiquitus usi Phoenices mercaturam cum Graecis exercebant (v. Herod. I. 1.). Et Assyriae nomine non modo Assyriae propriae (Herod. VII. 63.), sed Babyloniae etiam et Mesopotamiae populos (Plin. H. N. VI. 30.) cum ipsis Syris olim aeque comprehensos fuisse constat atque communi nomine Syriae Mesopotamiam etiam cum Babylonia et Assyria (v. Strab. XVI. 1. p. 332 seqq. Plin. H. N. V. 13.).

His expositis *Assyria nardus, Assyrii odores, Assyrium litus, Assyrius mercator* non ad Syriam portusque et oppida maris interni pertinere videbuntur, unde merces illae in Italiam portabantur, sed ad ea ipsa loca spectare, ex quibus Graeci plerumque mercatores in Syriam propriam, mari interno et Euphrate terminatam, deferebant. Et ita *malobathrum Syrium* etiam et *merx Syra* (Hor. Od. I. 31, 12.) ad eadem illa loca referenda erunt.» Schroeter, *Quaestt. Hor.* (Saarbrücken 1847.) p. 8 sqq.

CARMEN XII.

Nolis longa ferae bella Numantiae
Nec dirum Hannibalem nec Siculum mare

XII. Inscr. volg. *Ad Maecenatem*, et sic BbSc. — *Ad Mecenam prosphonetice tetracolos* T. — 2. *durum* BbSTcd, *βγκ* «cum aliis inferioris notae», item, ut videtur, Pottierii omnes, Bentleius. (*dirum* praebent Cruquii Mart. et Aldinae, *dirum* v. l. *durum* γ ap. Kirchn. p. 36.)

XII. Fuit, qui argumentum hoc esse opinaretur: «Laudes Augusti, ad quas lyrico carmine canendas a Maecenate fuerat excitatus, urbanissima conversione ipsi Maecenati prosa oratione celebrandas delegat.» Verum sic exigua sane ratio habetur exordii; nam Maecenas nunquam profecto petiit ab Horatio, ut bellum Numantinum et quae praeterea significantur, caneret, ac nulla prorsus habetur ratio totius de Licymnia loci. Itaque argumenti expositio aptior haec videtur: «Nolis (id est, nemo velit) a me lyrice celebrari res gestas maiorum nostrorum neque antiquas illas heroum pugnas; pariterque et tu et quivis alius scriptor melius pedestri oratione enarrabit fortia Caesaris facta; verum, cum res istae bellicae meo quidem ingenio minus aptae sint, praedicabo Licymniam tuam.» Dum autem Caesaris laudes praedicare abnuit, easdem urbanissimo quodam modo usus egregie extollit, ita ut neque Caesar ipse illi repugnantiae stomachari posset. Compositum videtur carmen a. u. c. 725. vel 726.

1. *longa - bella*] ab a. u. c. 643. usque ad a. 621. — *ferae - Numantiae*] Florus 2, 18, 15: *Deplorato exitu in ultimam rabiem furoremque conversi postremo mori hoc genere destinarunt: duces suos seque patriamque ferro et veneno subiectoque undique igne peremerunt.*

2. *dirum*] ut Od. 3, 6, 36. et Od. 4, 4, 42. perpetuo *ἐπιθέτῳ* nominatur Hannibal, quia Romani eius memoriam propter saevitiam ac perfidiam exsecrabantur. Altera quidem lectio *durum* invenustam efficeret oppositionem v. *mollibus*, quamquam eo ipso nomine placuit et Bentleio et Sanadono. Longe alia res est, ubi Virg. Ge. 2, 170. *Scipiadas duros bello* et Aen. 2, 7. *durum Ulixem* vocat. Tu confer Quintil. 8, 2, 9: «*proprie dictum, id est, quo nihil inveniri possit significantius, ut - - Horatius*, acrem tibiam Hannibalemque dirum.»

3. *Poeno sanguine*] primum cum C. Duilius a. u. c. 494. classem Hannibalis maioris ad Mylas superavit. Rursus L. Lutatius Catulus cos. a. u. c. 512. ad Aegates insulas Poenos proelio navali devicit cet. — *mollibus*] De se tantum loquitur, non de omni poësi melica: sicque Od. 1, 6, 10: *Imbellisque lyrae.*

4. *Aptantur* citharae *modis* (*ῥυθμοῖς καὶ μέλεσι*) verba ex metri

Poeno purpureum sanguine mollibus
Aptari citharae modis,

Nec saevos Lapithas et nimium mero
Hylaeum domitosque Herculea manu
Telluris iuvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus

Saturni veteris; tuque pedestribus

6. *domitosve* F cum Cuningh.

legibus ordinata, quibus modi concinere debent.

5. *Lapithas*] Vide Od. 1, 18, 8. Virg. Cul. 26: *Triste Iovis Phorcique canit non pagina bellum, Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus, Nec Centaureos Lapithas compellit in enses. — nimium mero*] «vino ardentem, temulentum.» Eadem constructione Tacit. Hist. 1, 35: *nimii verbis.*

6. *Hylaeum*] unum e Centauris, de quo diversae ferebantur fabulae, cum alii eum ab Atalanta, pudicitiam suam defendente, alii a Theseo, alii ab Hercule occisum narrarent. Virg. Ge. 2, 456: *Rhoetumque Pholumque Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem. Hylen* in pugna illa a Peleo occisum memorat Ovid. Met. 12, 378. — *domitosque*] Minime necesse est, ut mutemus in *domitosve*. Ubi enim nulla oppositio significatur, se excipiunt partic. *non* vel *nec-que*, ut Sat. 2, 6, 18: *nec plumbeus Auster Auctumnusque gravis;* ubi utrumque membrum distinguitur, *nec-ve*, ut Od. 2, 5, 18: *non Chloris-Cnidiusve Gyges.*

7. *Telluris iuvenes*] Terrae filios, Gigantes, quos commemorat quidem Hesiodus Theog. 185., nec tamen novit post Titanomachiam alteram Gigantum pugnam cum diis pugnatam. Herculis quae partes in hac fuerint, docet Apollodorus 1, 6: τοῖς θεοῖς λόγιον ἦν ὑπὸ θεῶν μὲν μηδένα τῶν Γιγάντων ἀπολέσθαι δύνασθαι, συμμαχοῦντος δὲ θνητῶν τινὸς τελευτήσειν. — Ἡρακλέα δὲ σύμμαχον (Ζεὺς) δι' Ἀθηνᾶς ἐπεκαλέσατο· itaque sagittis suis deorum hostes interemit. Silius 12, 143: *Tradunt Herculea prostratos mole Gigantes Telluren inieclam quatere. — unde periculum*] «a quibus motum periculum» cet. Terent. Eun. 1, 2, 35: *Dicebat - e praedonibus, Unde emerat, se audisse* cet.

8. *Fulgens*] quia aethere cincta. Od. 1, 3, 29: *aetheria domus.* Od. 3, 3, 33: *sedes lucidae* deorum. — *contremuit*] cum accusativo, ut Virg. Aen. 3, 648: *sonitumque pedum vocemque tremisco.* Seneca Ep. 65. extr.: *non contremiscamus iniurias.*

9. *Saturni veteris*] Virg. Aen. 7, 180: *Saturnusque senex. — pedestribus*] Inter scriptores, qui supersunt, Horatius primus hoc v. usus est ad Graecorum imitationem, πεζὸς λόγος. Plat. Sophist. p. 237. A.: πεζῇ τε ὧδε ἑκάστοτε λέγων

Dices historiis proelia Caesaris, 10
Maecenas, melius ductaque per vias
Regum colla minacium.

12. *minatium* T, *minantium* S et corr. b, *βx*.

καὶ μετὰ μέτρων. — Mihi videtur locus communis: «Et certe melius prosa oratione exponentur Caesaris res gestae.« *Tu* igitur mihi est, ut ita dicam, pronomen communicationis cum omnibus, qui Caesaris res gestas litteris mandare velint et possint. Quod Servius ad Ge. 2, 42. tradit a Maecenate Augusti gesta descripta esse, ex illo Virgilii loco male intellecto et ex his Horatii verbis desumptum est. Mirabilius est illud Plinii 7, 45: Caesaris *Philippensi proelio morbus, fuga et triduo in palude aegroti et, ut fatentur Agrippa et Maecenas, aqua subter cutem fusa turgidi latebra.* Sed hoc quoque ex epistola aliove libello vel etiam ex Dialogis petitum videtur. Neutiquam Horatii erat evolgare eiusmodi propositum amici, cum ipse una cum omnibus optime sciret nihil perfecti ab eo exspectari posse, atque, ut neque poëticam eius facultatem unquam laudat, ita nec poterat praedicare historicam. Ac praeterea vel maxime improbabile est Maecenati in mentem venire potuisse historiam rerum gestarum Augusti componere, in qua verax esse non poterat, falsus atque adulator comparere certe nolebat. (Errasse me in his putat Dillenburger, ipse propter nimiam fortasse animi bonitatem asserens, a Maecenate «vere» utique potuisse scribi Octaviani historiam. Verum non satis recordatus est, fieri nullo modo potuisse, ut libere atque sincere describere ac notare Maecenati concessum esset Octaviani infidelitatem adversus Senatum Romanum, cuius partes a se susceptas esse simularat, insignem in Ciceronem perfidiam, importunam atque immanem in proscriptos saevitiam, usque ad celebratissimum illud: «Surge tandem carnifex!» neque magis astutissimas illas artes, quibus paullatim dominationem acquisierat ille, nec denique artes suas proprias et consilia prudentia plena, quibus ipse ferocem Caesaris animum ad mansuetudinem et clementiam sensim traduxerat.) — Cfr. nunc Frandsen *Maecenas* p. 168.

11. *ductaque*] Nota *que - - que* non sibi respondere, ut alibi, sed sententiarum nexum hunc esse: «Et certe melius dicentur - - proelia triumphique cet.» — *per vias*] a porta triumphali per Sacram viam ad Capitolium. Manifesto autem haec referuntur ad triplicem illum triumphum, Delmaticum, Actiacum et Alexandrinum mense Sextili a. 725. a Caesare ex Oriente reduce actum. De *viis*, per quas ducebantur triumphati, consule Ambrosch *Studien* I. p. 79. excerptum a Lübkero.

12. *colla minacium*] Scriptor Consolat. ad Liv. Aug. 273: *Aspiciam regum liventia colla catenis Duraque per saevas vincula nexa manus Et tandem trepidos voltus: inque illa ferocum Invitis lacrimas decidere ora genis. Spiritus ille minax et Drusi morte superbus Carnifici in maesto carcere dandus erit. — minacium*] «antequam devicti essent.» Firmat etiam Servius l. l. *Minantium* prope absurdum esset de regibus in collo catenatis atque sic in triumpho ductis. Cfr. Bentleium.

Me dulces dominae Musa Licymniae

13. *dulces* bSd : *dulcis* BTc,FM. (item Bentl. in contextu, sed in Commentario *dulces.*) — *Licimniae* S, *Lycimniae* T, *Licimnyae* bc, *Lycymniae* cum Bland. ant. C, *Liciniae* d. (Recte *Licymniae* B. Cfr. Wagner ad Virg. Aen. 9, 546.)

13. «Me vero (id quod fortasse tibi non minus gratum erit) iubet Musa celebrare laudibus illam, quam tu tenerrimo amore amplexaris.» — *dulces*] «Etiamsi scribas *dulcis*, nihilominus erit accusat. plur. iungendus cum v. *cantus*, non *dulcis dominae*. Unica enim vera constructio est: *Musa voluit me dicere dulces cantus dominae Licymniae*. Qui iunxerunt *dulcis dominae* vel *dulcis Musa*, non satis cogitarunt, v. *cantus* epitheto carere omnino non posse, cum *oculos* quoque et *pectus* non sic nude posita sint.» REGEL. — *Licymniae*] Horatii est amica ex opinione Mitscherlichii, Teuffelii, Frandsenii *Maec.* p. 136. Estré Hor. Pr. p. 396. Verum, ut ex tota Carminum συλλογῇ colligitur, nusquam amores cum puellis ingenuis (v. 18.) sibi fuisse memorat; etenim talibus profecto non indigebat, cum formosissimae et *centum artium* libertinae ubique ei praesto essent, nec decoris sensus ipse concedebat, ut de ingenua a se amata unquam loqueretur. Morum ergo illius aetatis Romanorum prorsus obliti sunt, qui illud statuerunt. Vanderburgius habet pro liberta a Maecenate amata; pro ficto nomine Bothius vel (quod tamen ipsi minus placet) pro vero sororis aut cognatae *Lycimnii*, Caesaris liberti, qui Gallias spoliavit praefectus sub Augusto, ut testatur Dio 54, 21. (quapropter edidit *Lycimnia;* sed verum illius hominis nomen fuit *Licinus* tribus syll. brevibus, ut constat ex poëtis.) Ego Scholiastas aliosque interpretes (imprimis Weichert Poët. Lat. pag. 462.) sequor, qui rem sic expediunt: Sicuti teste Apuleio Apolog. 106. Catulli Lesbia vero nomine erat Clodia, Tibulli Delia, Plania, Propertii Cynthia, Hostia, Ticidae Perilla, Metella, ita scilicet, ut ad conservandam etiam in amoribus dignitatem matronalem nomini Romano aliud substituerent Graecum eadem syllabarum quantitate: sic statuendum est h. l. *Licymniam* significare Terentiam Maecenatis uxorem, etiam ab Octaviano aliquando amatam, ita ut utrique hic locus eximie placere deberet; ideo autem potissimum Graecum hoc nomen delectum esse, quod simile esset Terentiae fratris L. Licinii Varronis Murenae nomini. Quod autem Sanadonus opinatus est, minime decuisse Horatium uti tam teneris versibus, in quibus laudatorem ab amatore vix discernas, id quidem dictum est ex sensu Francogallorum Sanadoni aequalium, non ex amicitia ea, qua inter se coniuncti erant Horatius et Maecenas. De sponsa Terentia quod acceperunt nonnulli, moribus Romanis videtur adversari desponsae amorem ita depingi, maxime propter illam osculorum mentionem. — Nec vero, si de Maecenatis coniuge interpretamur, *dominae* nomen obstat, nam hoc non minus uxores quam amicas stabiles, ut erant Tibulli, Propertii, Ovidii, non Horatii, nisi fortasse excipias Cinaram, appellare tunc solebant. Sic de coniuge Ovid. Trist. 3, 3, 23: *Nuntiet huc aliquis dominam venisse, resurgam.* Licymnia igitur est nova nupta, admodum adolescens ac

Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos et bene mutuis
Fidum pectus amoribus;

Quam nec ferre pedem dedecuit choris
Nec certare ioco nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die.

15. *Fulgentis* BT.

pulcherrima; et re vera formosissima mulier erat Terentia, cuius amore captus erat Octavianus. (Suet. Oct. 69.)

14. *lucidum Fulgentes*] ut Od. 1, 22, 23: *Dulce ridentem*. Od. 2, 19, 6: *turbidum Laetatur*. Od. 3, 27, 67: *Perfidum ridens*. Etiam in Satiris. (1, 8, 44: *resonarent triste et acutum.)* Repeti hic usus adiectivorum potest inde ab Homero Iliad. β, 269: ἀχρεῖον ἰδών, id est, «ita oculos torquens, ut homo inutilis atque stolidus videretur»; sic etiam in locis Horatianis.

15. *bene mutuis*] ut Cic. ad Att. 14, 7: *litterae bene longae*. Tusc. 2, 19: *dolor bene plane magnus*, et *bien* Francogallorum. *Bene mutuis* igitur est «plene, prorsus, eodem amoris ardore mutuis.» Alii iungunt cum v. *Fidum*, cui rationi repugnare videtur verborum positio ac versiculi compositio.

17. *ferre pedem*] «Cuius summus est decor ac venustas in saltatione», quae iamdudum saltem intra privatos parietes in usu erat matronis (ut Sempronine apud Salustium Cat. 25.), cum antiquioribus temporibus indecora haberetur. Distinguenda a Dianae choris v. 18. haec etiam saltatio domestica, quae a poëtis *chori* nomine insignitur, ut Propert. 2, 34, 42: *ad molles membra resolve choros*. Ceterum similiter Virg. Ge. 4, 44: *Forte simul Faunique pedem* cet.

18. *certare ioco*] Nihil impedit quo minus interpretemur de conviviis, in quibus iis, qui iocorum salibus, certis convivis iudicibus, ceteros superarent, praemia proposita essent. De saltationis genere aliquo accipi nequit et propter verba ipsa, in quibus hoc non inest, nec ter saltationem commemorare poterat poëta. — *dare brachia*] Haec maxime demonstrant matronam Romanam hic significari, quibus solis ducere licebat sacros Dianae choros, una cum virginibus ingenuis. A. P. v. 232: *Ut festis matrona moveri iussa diebus*. Cfr. Od. 3, 14, 14. Od. 4, 6, 34. Qui de libertina interpretantur, privatum volunt esse sollemne Dianae, cui explicationi manifesto obstant vv. *Dianae celebris*.

19. *Ludentem*] *Ludum* choreas illas vocat propter gestus ac motus varietatem. Sic παίζειν Hom. Hymn. Apoll. 204. et Virg. Ecl. 6, 27: *Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere. — nitidis*] «festo ornatu decoris.»

20. *Dianae celebris*] «cuius dies festus magna populi frequentia celebratur.» Tibull. 4, 4, 23: *Phoebe. -- Iam celeber, iam laetus eris*.

Num tu, quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos? —:

Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,

21. *quae*] *quem* T. — 25. *Cum* BbT,L. (non Scd.) — *fragrantia* Lt. (Ut nos, omnes nostri et *βγκ.)*

21. *Achaemenes*] heros, mythicus conditor stirpis Achaemenidarum inter Persas. Cfr. Herod. 7, 11., cui est Cyri proavus. Plato Alcibiad. I. p. 120. E. Persei filium appellat Nicolaus Damasc. in Etym. M. v. Ἀχαιμένης p. 180, 40.

22. *Mygdonias*] A Mygdone, prisco rege, pars Phrygiae magnae appellabatur Mygdonia. Iliad. γ, 185: Ἔνθα ἴδον πλείστους Φρύγας, ἀνέρας αἰολοπώλους Λαοὺς Ὀτρῆος καὶ Μύγδονος ἀντιθέοιο. Pausan. 10, 27: (Ἀπὸ Μύγδονος) ποιηταῖς Μύγδονας ὄνομα ἐπὶ τοῖς Φρυξὶ τίθεσθαι καθέστηκεν.

23. *crine*] Anthol. Pal. I. 205: Ἀντὶ βοὸς χρυσέου τ' ἀναθήματος Ἴσιδι τούσδε Θήκατο τοὺς λιπαροὺς Παμφίλιον πλοκάμους. — Bentleius atque interpretes nonnulli Germanici acceperunt, ac si esset *uno crine*, cum tamen nihil frequentius sit quam *crinis* sing. collect. pro *crinibus*. Illa certe nimia exaggeratio videtur. In eandem prorsus imaginem incidit Hafis apud Iones Poës. Asiat. p. 367: *Tametsi amica nos nihil aestimet, tamen orbi terrarum non permutemus crinem illius capitis.*

24. *Arabum*] Od. 4, 29, 4: *beatis-Arabum-gazis*. Virg. Ge. 2, 115: *Eoasque domos Arabum*. Propert. 2, 10, 16: *Et domus intactae te tremit Arabiae*. Attamen h. l. cum Frankio de expeditione in Arabiam a Caesare suscipienda cogitare noli. Memorat tres populos orientales propter opes «barbaricas» a poëtis saepe celebratos. Prima huius comparationis sedes est apud Sapphonem Bergk p. 649: Ἔστι μοι κάλα πάϊς, χρυσίοισιν ἀνθέμοισιν Ἐμφέρην ἔχοισα μορφάν, Κλεΐς ἀγαπατά, Ἀντὶ τᾶς ἐγὼ οὐδὲ Λυδίαν παῖσαν οὐδ' ἐράνναν - (Reliqua desunt.)

25. *Dum*] Hoc longe aptius: *jedesmal, wann, ogni volta che; cum*, de uno dumtaxat temporis puncto. — *flagrantia*] «ardentia,» a Codd. satis munitur contra aliorum *fragrantia*, «bene olentia», id quod de Maecenatis osculis dictum prope ridiculum foret. — *detorquet*] hic quoque suam servat significationem: «a solita colli positura recta ita se deflectit, ut mariti amantis osculis occurrat.» — Martial. 4, 22, 7: *luctantia carpsi Basia.*

26. 27. *facili*] «simulata et propterea haud aegre exoranda.» — *Quae poscente magis*] Cum propter caesurae vim *magis* a *poscente* separari et ad *gaudeat* pertrahi nequeat, simpliciter sic exponendum iudico: «magis quam poscens.» Nimirum hoc dicit: «Cupide tu eam poscis

Interdum rapere occupet.

28. *occupet* BSTcd et pr. b, Pottierii plerique, LCt: *occupat* corr. b, γδκνξω et duo Bodleiani, Pott. quattuor, Bentleius, M.

oscula ; cupidius etiam ea sibi gaudet eripi Licymnia, propter quem ardorem ipsum semper carior tibi fit.» Alii, *magis gaudeat* iungentes, *poscente* explicarunt *a poscente*.

28. *occupet*] *φθάνοι ἂν ἁρπάζουσα*. Sic Codd. optimi, ac mihi certe concinnius videtur, ut idem modus servetur, quam ut legentes *occupat* regredi cogamur ad partic. *dum*. Ceterum sententiarum seriem perturbavit, qui signum interrogationis posuit post vv. *crine Licymniae*, virgulam post v. *domos*. Nexus enim hic est : «Num tu velis pro Licymniae crinibus gazas illas barbaricas accipere tum, cum eius basiis frueris ?»

CARMEN XIII.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicunque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum

XIII. Inscr. volg. *In arborem, cuius casu in agro Sabino paene oppressus est.* — *Ad arborem* BT. — *Ad arborem cuius casu paene perierat, a qua oppressus eam exsecratur* b. — *Ad arborem apeutice* (sic: id est, *ἀπευχτική.*) *tetracolos* S. — *Ad arborem cuius casu paene perierat* c. — 1. *Illum, et nefasto* N. Heinsius, *Illum, o, nefasto* Bentl. coni., *Illum, nefasto* Buttmannus.

XIII. Non sine festiva quadam hyperbola arborem exsecratur, cuius casu paene oppressus erat in agro suo Sabino; deinde immoratur in sententia de incertis vitae casibus desinitque in contemplanda piorum beatitudine, maxime cum aures praebent Alcaei et Sapphus carminibus. Ter autem praeterea illius periculi mentionem facit: Od. 2, 17, 27. Od. 3, 4, 27. et Od. 3, 8, 8. Scriptionis tempus definiri nequit. Nonnulli, ut Walckenaer, arbitrantur a. u. c. 733. Contra Lachmannus App. ad Frankium p. 240. propter v. 27. ad a. 725. refert, probabilius etiam Weber *Horaz* p. 260. ad a. 724. — Principio autem aliquantum turbato atque intricato de industria utitur, quasi recenti etiamtunc discrimine ac terrore perculsus. (Fuerunt homines artis poëticae minus gnari, qui hos quattuor vv. resecandos censerent ut subditicios.)

1. *Ille et*] Constructio est: *Ille et nefasto te posuit die, Quicunque primum posuit* (plantavit), *et* (postea) *produxit sacrilega manu.* Sic facillime amovetur coniectura et Bentleii *Illum, o, nefasto* et Buttmanni *Illum, nefasto* et Lowthii de poësi Hebr. p. 153. ed. Rosenmüll. ratio, qui distinguit: *Ille et (nefasto - - pagi), Illum et,* quasi voluisset scribere *Ille et fregit,* tum impetu lyrico abreptus, interrupto priore consilio, ita perrexisset; *Illum et - crediderim Fregisse.* At talia *ἀναχόλουθα* ab Horatiano dicendi genere prorsus abhorrent. — Addo veterem Commentatorem Cod. Franeq. apud Bosium p. 38: «Arbor, ille quicunque primum produxit te in nepotum perniciem et opprobrium pagi, posuit te et nefasto die et sacrilega manu.» — *nefasto*] Cfr. Od. 1, 35, 35. H. l. est *ἀποφράς*, dies ater, funestus, usu, qui per poëtas maxime invaluisse videtur. Gell. N. A. 4, 9: *Religiosi - dies dicuntur tristi omine infames impeditique; - - quos multitudo imperitorum prave et perperam nefastos appellant.* Attamen iam Liv. 6, 28: *terra - nefasta victoriae suae.*

3. 4. *Produxit*] «coluit, educavit, curavit, ut cresceres, velut eo consilio, ut aliquando *nepotum,* posteriorum, alicui incideres, quo facto perpetua infamia premeret totum pagum (maxime quidem si *Romanae fidicen lyrae* eo casu elisus esset).» Explicari non potest: «qui

Perniciem opprobriumque pagi;
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha
Et quidquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum

4. *que* om. T. — 8. *colchica* b et corr. d,Lt. (non BSTc, pr. d,βξ.)

te crescere passus est;» cum in tali veluti concessione *sacrilegae manui* locus non sit. — *pagi*] Mandelae, quo pertinebat Horatii Sabinum.

6. *Fregisse cervicem*] «strangulasse patrem»; ut Sal. Catil. 55. *frangere gulam laqueo*; Cic. Verr. Accus. 5, 42: *Praetorem tu accusas? Frange cervices.* Cfr. Epod. 3, 1. — *penetralia*] pr. adiectivum, unde Virgil. Ge. 1, 379. dixit: *tectis penetralibus*, Aen. 2, 297. *adytis-penetralibus*. «Intimam aedium partem (ubi erant Penates, qua re augetur scelus) noctu sparso hospitis cruore polluit.» Proximum autem parricidio est laedere Iovem Hospitalem.

8. *venena Colcha*] forma poëtica, ut Ovid. Met. 13, 24: *Colcha carina.* (Adde Plat. Euthyd. 285 C.: *τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ.*) Sunt venena, qualia fuerant Medeae Colchidis, praesentissima. Epod. 17, 35: *Cales venenis officina Colchicis.* Seneca *letales* Medeae *herbas* vocat Med. 269.

10. *Tractavit*] Venena *tractare* idem quod praeparare, miscere. Zeugma facillimum est, ut ex v. *tractavit* ad vv. *Et quidquid usquam concipitur nefas* eliciamus v. *patravit.* — *agro qui statuit meo*] Cum vi repetit initium *ille te - posuit*; nam transplantandi notio, ut volunt quidam, in verbo *statuere* non inest. Nova autem notio accedit: «in *agro meo*».

11. *triste*] Non infelix ea significatione qua ruscum, rubus, pirus silvatica (v. Macrob. Sat. 2, 16. p. 378.), sed «noxium ac sceleratum», ut Virg. Ecl. 3, 80: *Triste lupus stabulis.* — *caducum*] «quod aliquando casurum erat.» Sic Aen. 10, 622: *caduco - iuveni* «mox casuro.» Ovid. Met. 9, 654: *frondes-caducas.* Alibi significat «instabilis, fluxus, vanus», ut Ovid. Met. 9, 597. *spes-caducas*, Fast. 1, 484. *caducas-preces* dixit.

13 sqq. *Quid quisque vitet - - - rapietque gentes*] Hos quoque octo versus spurios censet Martin *de aliquot Horatii carminibus comment. crit.* (Posen 1844.) p. VII.

14. *Cautum*] Iunge: «nunquam ab homine satis *cautum est*, caveri potest, singulas *in horas*;» nos *von Stunde zu Stunde.* Noli vero cum aliis lacerare orationem sic: «*Quid quisque vitet in horas, nunquam* cet.» — Frequens ista *γνώμη* de incertis atque celeribus Fortunae vicissitudinibus varieque expressa est. Sic Pindarus Olymp. 7, 94: *ἐν δὲ μιᾷ μοίρᾳ χρόνου ἄλλοτ' ἀλλοίαις διαιθύσσουσιν αὔραις.* — *navita - Poenus*] Sidonius vel Tyrius. Sophocl. Fragm. 756. Dind.: *Φοίνιξ*

In domini caput immerentis.

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas: navita Bosporum
Poenus perhorrescit neque ultra
Caeca timet aliunde fata,

Miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur; sed improvisa leti

17. *celerem*] *reducem* Bentleii suspicio.

ἀνήρ, *Σιδώνιος κάπηλος*. — *Bosporum*] Thracium Ponti fretum, *τὸ Βυζαντιακὸν στόμα*, rapido aquarum cursu et procellis infame. Od. 3, 4, 30: *Insanientem navita Bosporum Tentabo.* (*Bospori Aestus* et *Bospori Portas* eiusmodi sunt Scholasticorum coniecturae, quae, quomodo nemo coniicere debeat, optime demonstrant.)

15. 16. *ultra - - aliunde*] relicto videlicet Bosporo, in Ponto vel, ubi revertitur, in mari Aegaeo et ex alia aliqua parte. *Ταυτολογία* non est. — *Caeca*] «quorum causae ignorantur.» Cic. Agr. 2, 14: *cur hoc est tam obscurum et caecum? — timet*] Syllaba producitur in arsi nec vero post *neque* potest scribi *timetque*, ut nuper proposuit Axtius ad Vestric. pag. 112. exponens: *timet ultra aliundeque*, ratione minime poëtica.

17. *Miles*] qui Parthi fugam timet, alius non poterat esse quam Romanus, id quod consulto non additur, cum insit vel in vv. *Italum robur*. Monendum erat propter Editoris Leidensis dubitationes. — *sagittas*] Vere sublimi imagine eundem Israëlitarum timorem a *pharetratis* Assyriis (Od. 3, 4, 35.) expressit Ieremias 5, 14: *Ἡ φαρέτρα αὐτῶν ὡς τάφος ἀνεῳγμένος*. — *celerem*] Bentleius coniectans *reducem fugam* poëtam correxit, non librarios; neque tamen *ἐπίθετον* illud est otiosum ideoque reprehendendum. «Tum, cum minime exspectant Romani, fugam simulatam capessunt Parthi, ut incaute sequantur hostes, ipsi autem denuo tenso arcu, statim versis equis redeuntes maiore cum impetu in eos incursent.» Quod cum scirent Romani, ipsa illius fugae celeritas iis erat formidolosa; etenim quo celerior erat, eo etiam insidiosior. Virg. Ge. 3, 31: *Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.* Ovid. A. A. 3, 786: *Ut celer aversis utere Parthus equis.* Seneca Oedip. 118: *Vidit et versas equitis sagittas, Terga fallacis metuenda Parthi.* Claudian. IV. Honor. 531: *Scis - - refugo quae sit fiducia Partho.* Stat. Silv. 1, 4, 78: *arcuque horrenda fugaci - - Armenia.*

18—20. *Italum Robur*] «carcerem robureum, Tullianum», quem describit Salust. Catil. 55., in quem nudus detrusus est etiam Iugurtha. Liv. 38, 59: *Ut in carcerem inter fures nocturnos et latrones vir clarissimus* Scipio *includatur et in robore et tenebris exspiret.* Tacit. Ann. 4, 29: *robur et saxum aut parricidarum poenas minitari.* Cfr. Festus in v.

Vis rapuit rapietque gentes. 20

Quam paene furvae regna Proserpinae
Et iudicantem vidimus Aeacum
Sedesque discretas piorum et

20. *gentis* BC. — 23. *discriptas* B, *descriptas* bT, quattuor Pottierii, ρ (Cod. Collegii Regii, «recentissimus» BENTL.), item LC. (Ut nos, Scd, Aldinae.)

Robur. Qui exposuerunt ῥώμην, «fortissimos milites Romanos», non animadverterunt, quantopere ita enervaretur locus. — *rapuit rapietque*] Aliquoties hac compositione utitur Horatius. Epp. 1, 2, 43: *Labitur et labetur*. Epp. 1, 7, 21: *tulit et feret*.

21. *furvae*] Iam Festus notavit similem sonum vv. *furvus*, *fuscus*, *fuligo*, *fumus*, *funus*. Vetus est vocabulum (Gell. 1, 18.) vel pontificium in hoc usu: *hostiae furvae*, nigrae, quas dis inferis immolabant, unde *mysticum nomen* vocat Schol. Cruq.; apud poëtas de rebus ad inferos spectantibus usurpatur. (Singulare illud est Hieronymi Epist. 66: *furva tunica pallatus.*) — *Proserpinae*] Prima syll. in hoc v. ab aliis producitur, corripitur etiam a Seneca Herc. fur. 548. BROUCKHUS.

22. *Aeacum*] Achillis avum. Plat. Gorg. p. 524. A.: καὶ τοὺς μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας Ῥαδάμανθυς κρινεῖ, τοὺς δὲ ἐκ τῆς Εὐρώπης Αἰακός· Μίνῳ δὲ πρεσβεῖα δώσω ἐπιδιακρίνειν, ἐὰν ἀπορῇτόν τι τῷ ἑτέρῳ.

23. *discretas*] a Tartaro. Orcus enim apud posteriores ex Elysio (diverso ab Homerico Odyss. δ, 563.) et Tartaro constat. Stat. Theb. 4, 524: *Et Styx discretis interfluа Manibus obstat*. Virg. Aen. 8, 670: *Secretosque pios*. — Firmat hanc lectionem Lactant. Inst. 7, 7: *Esse nferos Zenon Stoicus docuit et sedes piorum ab impiis esse discretas*. Aliorum *descriptas* significaret «separatim assignatas»; verum valere debet meliorum Codd. auctoritas.

24. *Aeoliis*] Poëtae Lesbii Alcaeus et Sappho Aeolica dialecto utebantur. Iam Pindarus Fr. 95. Bergk. 10, 1. Boeckh. Edit. min. de beatorum in Orco διαγωγῇ· Καὶ τοὶ μὲν ἵπποις γυμνασίοις τε, τοὶ δὲ πεσσοῖς, Τοὶ δὲ φορμίγγεσσι τέρπονται. — *querentem*] quod sibi in amore non responderent. Fragm. 43. Bergk: Ἔρος δηὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δύνει (ante B. δονεῖ) Γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον. Ἄτθι, σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο Φροντίσδην, ἐπὶ δ' Ἀνδρομέδαν πότῃ. Maximus Tyr. 24, 9: Νῦν μὲν ἐπιτιμᾷ Σαπφὼ (Γοργοῖ καὶ Ἀνδρομέδᾳ ἀντιτέχνοιν), νῦν δὲ ἐλέγχει καὶ εἰρωνεύεται αὐτὰ ἐκεῖνα τὰ Σωκράτους. Τὸν Ἴωνα χαίρειν φησὶν ὁ Σωκράτης· Πολλά μοι τὰν Πολυανακτίδα παῖδα χαίρειν, Σαπφὼ λέγει. — Ὅ τι ἐκείνῳ Ἀλκιβιάδης καὶ Χαρμίδης καὶ Φαῖδρος, τοῦτο τῇ Λεσβίᾳ Γυριννὼ καὶ Ἄτθις καὶ Ἀνακτορία. Ovid. Her. 15, 17. praeterea *vilis*, ait Sappho, *mihi candida Cydno*.

26. *sonantem*] Similiter de Anacreonte Simonides 116. Bergk: Μολπῆς δ' οὐ λήθη μελιτερπέος, ἀλλ' ἔτ' ἐκεῖνο Βάρβιτον οὐδὲ θανὼν εὔνασεν εἰν Ἀΐδῃ. — *aureo*] Sic Pind. Nem. 5, 24: φόρμιγγ'

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli!
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbrae dicere; sed magis

Ἀπόλλων ἑπτάγλωσσον χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων. Eurip. Herc. fur. 351: *Φοῖβος -- τὰν καλλίφθογγον κιθάραν ἐλαύνων πλήκτρῳ χρυσέῳ.*

27. 28. Nota versiculum minus politum: *Alcaee, plectro |dura| navis.* «In eo versuum systemate, quod Horatio prae ceteris placuisse videmus, colon tertium post quintam syllabam ea condicione inciditur, ut sexta teneat vocabulum monosyllabum, hoc modo: *Excepit ictus |pro| pudicis.* Hoc in cultissimis carminibus secutus est, neglexit in quibusdam, quae cur omnia primo et secundo libro inseruerit, miror.« LACHMANN. App. ad Frankium pag. 238. — *fugae*] «exsilii.» — *belli*] Cfr. ad Od. 2, 7, 10. locum Herodoti 5, 95. Alcaeus floruit circa Olymp. XLII. a. Chr. 644., aequalis Sapphus. Praecipue eius virtus enituit in impugnandis tyrannis, qui deinceps Mytilenes potiti erant, Myrsilo, Megalagyro, aliis. Nam cum fratre Antimenide exsulibus Mytilenaeis praefuit et ita cives vexavit, ut hi Pittacum ducem contra illos crearent. Ita Pittacum quoque et armis et conviciis aggressus est; a quo eum aliquando captum, sed incolumen dimissum, narraverat Heraclitus. Cfr. Od. 1, 32, 5.

29. *Utrumque*] Exstant etiamnunc carminum reliquiae, in quibus Alcaeus Sapphonem, haec illum alloquitur. Alc. Fr. 54. Bergk: *Ἰόπλοχ' ἄγνα μελλιχόμειδε Σάπφοι, Θέλω τι Fειπῆν, ἀλλά με κωλύει αἴδως.* Sapph. Fr. 32. Bergk p. 607. Fr. 26. Schneidew. — In celebratissimo vase Panettierano *(Boll. dell' Inst. arch.* 1838. p. 17.) Sappho et Alcaeus cum Baccho atque *Μέθῃ* consociantur; sine aliis figuris poëta et poëtria e regione sibi stantes lyras pulsant apud Millingen *Mon.* I. Tab. 33. et 34., ex quadam quasi utriusque *ἀποθεώσει.* — *sacro - silentio*] Accedo nunc Halmio ita interpretanti: «Talia eos cecinisse fingit, quae digna essent, ut, ubicunque audiebantur, *sacro silentio* exciperentur, quasi res divina ageretur. Erat enim cantus tam divinus, ut ab ipso Musarum ore profectus videretur.»

30. 31. *magis Pugnas*] «Multitudinem magis allicere et delectare solent *τὰ στασιωτικὰ καλούμενα τοῦ Ἀλκαίου ποιήματα* (Strab. 13, 617.) quam tenerae amoris querimoniae ac tenues illae Sapphus *χάριτες μετὰ σωφροσύνης.* Demetr. Phal. de Eloc. §. 167: *Ἡ Σαπφὼ περὶ μὲν κάλλους ᾄδουσα καλλιεπής ἐστι καὶ ἡδεῖα· καὶ περὶ ἐρώτων δὲ καὶ ἔαρος καὶ περὶ ἀλκυόνος· καὶ ἅπαν καλὸν ὄνομα ἐνύφανται αὐτῆς τῇ ποιήσει· τὰ δὲ καὶ αὐτὴ εἰργάσατο.* Ovid. in Sapphus Epist. Her. 15, 27: *Pegasides blandissima carmina dictant, --*

Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure volgus.
Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras belua centiceps
Aures et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

32. *humeris*] *avida* Bentleii suspicio. — *bibat* B.

Nec plus Alcaeus, consors patriaeque lyraeque, Laudis habet, quamvis grandius ille sonet. — *tyrannos*] Sic in Pittacum invehitur Fr. 37. Bergk: *Τὸν κακοπάτριδα Πίττακον πόλιος τᾶς ζαχόλω καὶ βαρυδαίμονος Ἐστάσαντο τύραννον μέγ' ἐπαίνεντες ἀόλλεες.*

32. *Densum humeris*] «ita constipatum, confertum, ut humeri humeros tangant.» Virg. Aen. 10, 361: *Concurrunt; haeret pede pes densusque viro vir.* — *bibit aure*] «Audit cupidissime.» Propert. 3, 6, 8: *suspensis auribus ista bibam.* Ovid. Trist. 3, 5, 14: *auribus illa* (verba) *bibi.* Virg. Aen. 4, 359: *auribus hausi.*

33. *ubi*] id est, «siquidem ibi.» Iunge *stupens illis carminibus*, ut Sat. 1, 4, 28: *stupet Albius aere.* Sat. 2, 2, 5: *stupet insanis acies fulgoribus.* Sat. 2, 7, 95: *Pausiaca torpes, insane, tabella.* Minus recte alii pro dativo habentes iunxerunt cum v. *demittit.*

34. *Demittit*] «aures prius arrectas ad insidiandum umbris poenae se subtrahere conantibus.» Poëtica autem licentia usus fingit etiam damnatos poëtarum in piorum sedibus collocatorum cantus exaudire. — *belua centiceps*] Hesiodus Theogon. v. 312. Cerberum ex Typhaone et Echidna natum vocat *Ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον Πεντηκοντακάρηνον.* Sophocl. Trachin. 1098: *Ἄιδου τρίκρανον σκύλακα*, id quod fere Latini poëtae adoptaverunt. «Centum Cerberi capita praeiverat Horatio Pindarus, si fides Venetis interpretibus A et B ad Iliad. ϑ, 368. Cfr. Pindari Fr. incert. 162.» Naekius in Progr. 1821. Etiam Tzetzes ad Lycophr. 678: *ὁ κύων τοῦ Ἄιδου, ὃς ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς.* Et variabant in talibus. Sic Schol. Hesiod. Theog. 313: *τὴν Ὕδραν* (Lernaeam, Cerberi sororem) *Ἀλκαῖος μὲν ἐννεακέφαλόν φησι, Σιμωνίδης δὲ πεντηκονταχέφαλον.* De centum anguibus eius caput munientibus h. l. non cogitandum cum Scholiastis. «Horatii sensum recte perceperat Seneca sive alius scriptor in eo libro, qui Apocolocyntosis inscribi solet, ubi *belua centiceps* describitur *villos horrendos*, id est, serpentes in cervice et tergo natos *excutiens*; quippe tenendum est in tergo plerumque Cerberi, non in capite, ut Horatius Od. 3, 11, 17. facit, serpentes poni.» Naekius l. l.

35. *intorti*] Cum v. *anguis* plerumque feminini sit generis, H. P. volebat *intortae*; sed etiam Cicero de Div. 2, 28: *anguis vectem circumiectus.*

36. *Eumenidum - angues*] Pausan. 1, 28, 6: *Πλησίον δὲ ἱερὸν ϑεῶν ἐστιν, ἃς καλοῦσιν Ἀθηναῖοι Σεμνάς, Ἡσίοδος δὲ Ἐρινῦς ἐν Θεογονίᾳ. Πρῶτος δὲ σφισιν Αἰσχύλος δράκοντας ἐποίησεν*

Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono;
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

38. *laborem* BT, pr. c, pr. d, Bodleianus, var. lect. Colbertini, quinque Pottierii, L et Bentleius, *labore* ω. (Ut nos, bS, corr. c et d.) — 40. *timidas* T, βκμξ, corr. ω. (non BbScd.)

ὁμοῦ ταῖς ἐν τῇ κεφαλῇ θριξὶν εἶναι· τοῖς δὲ ἀγάλμασιν οὔτε τούτοις ἔπεστιν οὐδὲν φοβερὸν οὔτε ὅσα ἄλλα κεῖται θεῶν τῶν ὑπογαίων. Aeschyl. Choëph. 1048: *αἵδε Γοργόνων δίκην Φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκταγημέναι Πυκνοῖς δράκουσιν.* Orpheo Hymn. 69. sunt *ὀφιοπλόκαμοι.* Catull. 64, 193: *Eumenides, quibus anguino redimita capillo Frons exspirantis praeportat pectoris iras.* — Contemplator Furiae Orestem persequentis imaginem apud Millingen Cohill T. 29. — *recreantur*] «levantur, cessant a perpetuo motu, quo circum Eumenidum capita vibrantur.»

37. *Prometheus*] Apud Aeschylum Prom. 1016. propter ignis furtum fulmine deiicitur subter saxi, cui affixus est, ruinam, post longum tempus ad aquilae morsus perpetiendos in lucem retrahendus, tandem tamen ab Hercule liberandus. Horatius vero de eo ita loquitur, ac si in Tartarum praecipitatus ibi mansisset, ut Od. 2, 18, 35. Verba autem Aristotelis, quae huc trahere solent, Poët. 18: *τὸ δὲ τέταρτον (γένος τῆς τραγῳδίας) οἷον αἵ τε Φορκίδες καὶ Προμηθεὺς καὶ ὅσα ἐν Ἅιδου*, ad hunc locum minime pertinent, cum hoc dicat, «tragoediae de Prometheo (ut tractatae sunt ab Aeschylo), et eae omnes, quarum scena saltem ex parte in Orco est cet.,» non vero: «Prometheum in Orco retineri.» — *Pelopis parens*] Tantalus, Odyss. λ, 582.

38. *laborum decipitur*] Ex Graeca constructione, *κλέπτεσθαι τῶν πόνων*, et Plautina *fallor sermonis* Epid. 2, 2, 55., id est, «oblivisciuntur poenarum.» Et hanc lectionem confirmant Acro, Porph. Comm. Cruq. Pro altera minus probanda *laborem* afferunt Sat. 2, 7, 114: *Iam vino quaerens, iam somno fallere curam*; item Sat. 2, 2, 12. et Ovid. Met. 6, 60: *studio fallente laborem*; itaque, ut «decipere, fallere laborem» dicatur, sic etiam posse dici: «decipior laborem.»

39. *curat*] Alioquin, ut ait Virg. Aen. 6, 654: *cura - - eadem sequitur tellure repostos.* — *Orion*] Od. 3, 4, 74: *Tentator Orion Dianae.* Odyss. λ, 572: *Ὠρίωνα πελώριον εἰσενόησα, Θῆρας ὁμοῦ εἰλεύντα κτλ.* — Orionis laeva manu leonem per caudam arripientis et clava conficientis reperies apud Inghirami *Gall. Om.* III. p. 207. Ad omnes autem Inferorum res hic memoratas cfr. vas Canusinum in Müller *Denkm.* IV. N. 275.

40. *timidos - - lyncas*] *Fugaces* vocat Od. 4, 6, 33. Feminino genere usurpant Virgilius, Plinius, Statius, sed Priscianus VI. 5. diserte affert ex h. l. masculinum. Contra cfr. Virg. Ge. 4, 183: *oculis capti - - talpae.*

CARMEN XIV.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni nec pietas moram

XIV. Inscr. volg. *Ad Postumum.* — *Ad Postumum de celeritate (brevitate* b) *vitae* BbSTc. — 1. *Heu heu* F. (Nullus meorum.)

XIV. Postumum, hominem nobis ignotum (nisi quod ad *Postumum* aliquem est etiam Propertii Elegia 3, 12.), ad abigendas nimias sollicitudines atque ad sapientem vitae usum adhortatur. Similis argumenti sunt Od. 2, 3 et 11. Od. 4, 7, cet. Verum a similibus eo potissimum differre carmen hoc videtur, quod tristiore cum aegrimonia et nescio quo maerore hic immoratur in recogitanda nimia vitae brevitate, et *μύθων* imaginumque cumulo atque congestu quasi delectatur. Demonstrat autem nec pietate in deos et sacrificiis, nec divitiis, neque ulla cautione adversus morbos pestiferos (v. 15.) devitari posse mortem, *ultimam* illam lineam rerum. Ceterum magnopere falluntur ii, qui maxime propter vv. 23 et 25. iniquius iudicant de Postumi moribus, quasi vero fuerit homo avarus ac sordidus. Est enim locus communis, poëticis coloribus egregie exornatus. — Compositionis tempus definiri nequit; referunt nonnulli ad a. 729. vel. 730.

1. *Postume, Postume*] In appellatione iterata haec inest vis: «Probe, quaeso, expende ac recogita, quae dicam!» *Ἀναδιπλώσεως* istius iam Graecis usitatae insigne exemplum praebet Sapphus illud Bergk p. 624: *Παρθενία, παρθενία, ποῖ με λιποῖσ' ἀποίχῃ;*

2. *Labuntur*] «sensim, nobis eorum decursum vix animadvertentibus.» Ovid. Fast 6, 771: *Tempora labuntur tacitisque senescimus annis.* — *pietas*] *εὐσέβεια, θρησκεία θεῶν.* Cfr. Od. 4, 7, 24.

3. *instanti senectae*] Seneca Praef. ad Quaestt. nat. L. 3: *Premit a tergo senectus.* Mimnermus 4, 4: *ὀλιγοχρόνιον γίνεται ὥσπερ ὄναρ Ἥβη τιμήεσσα· τὸ δ' ἀργαλέον καὶ ἄμορφον Γῆρας ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτίχ' ὑπερκρέμαται.*

4. *indomitaeque morti*] «inevitabili, cui nemo resistit nec sese subtrahit.» Iliad. ι, 158: *Ἀΐδης τοι ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος.* Aeschylus in Nioba Fragm. 147. Dind.: *Μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ, Οὔτ' ἂν τι θύων οὔτ' ἐπισπένδων ἄνοις, Οὐ βωμός ἐστιν, οὐδὲ παιωνίζεται· Μόνου δὲ Πειθὼ δαμόνων ἀποστατεῖ.* Similiter *ἄλλιστον* vocat Orcum Crinagoras Anthol. Palat. II. p. 502. Abou Nohama in Humberti Chrestom. Arab. p. 447: *Ne terrearis, anima mea! Nam utique tu, si rogares prorogationem vitae diei unius ultra metam, quae tibi praefinitur, non exaudireris.*

5. *trecenis*] «Non, si quotidie tres hecatombas Plutoni immoles.» Male Codd. aliq. *tricenis*, triginta, prima syllaba longa. Ceterum ne

Rugis et instanti senectae
Afferet indomitaeque morti, —

Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

3. *Ruris* T. — 5. *tricenis* BbTcd, *trecentis* S. — 6. *placens* T. — *inlacrimabilem* BSTd. — 7. *Plutoniae* T. — 8. *Geryonem* bScd,LCt et Bentl. (Non BT.)

prorsus enormis videatur hyperbola, lege Liv. 22, 10: *bubus Iovi trecentis* fieri votum est, *— eunt*] «procedunt atque nobis abeunt.» Epp. 2, 2, 55: *Singula de nobis anni praedantur euntes.* Plaut. Bacch. 5, 2, 85: *It dies: ite intro accubitum.* Seneca Med. 399: *segnis hic ibit dies?* — Plutonis imago exstat in praeclaro vase Canusino apud Müller *Denkm.* I. N. 275.

6. *Amice*] Postposita solita anacrusi longa (brevem tamen habet in huius generis versibus quaterdecies), hac allocutione utitur post eas, quae sunt v. 1., quia ea omissa totum carmen merae reprehensionis speciem haberet. Fuit, qui hoc non animadvertens proponeret *dies Annique*, quod per se quoque spectatum ab omni poëtica ratione nimium quantum abhorret. Ceterum cfr. Od. 2, 9, 5: *Amice Valgi.* — *illacrimabilem*] Formavit v. ad Graecum ἀδάκρυτος, ἄκλαυστος, «qui tam durus est atque implacabilis, ut ad lacrimas et misericordiam nullo pacto commoveri queat»; similiterque Plauto (Mil. Glor. 2, 6, 63.) *incogitabilis* est, qui non cogitat. Alia significatione usurpavit Od. 4, 9, 26.

7. *ter amplum*] «τρισώματον, triplici eodemque ingenti corpore praeditum.»

8. *Geryonen*] Chrysaoris et Callirrhoës filium, βασιλέα Ἐρυθείας τῆς νήσου τῆς νῦν Γάδειρα καλουμένης. Schol. Plat. pag. 942. Ed. nostrae. Eurip. Herc. fur. 421: ὕδραν - βέλεσιν ἀμφέβαλλε, τὸν τρισώματον οἷσιν ἔκτα βοτῆρ' Ἐρυθείας. Lucret. 5, 28: *tripectora tergemini vis Geryonai.* Virg. Aen. 6, 289: *Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae.* Imago eius ab Hercule confossi est in *Monum. dell' Inst. arch.* T. V. p. 231. Aliae in Gerhard *Vaseng.* II. T. CIV. B. seqq. Ibi eius nomen scribitur *CAPVFONES.* — *Tityonque*] Odyss. λ, 576: Καὶ Τιτυὸν εἶδον, Γαίης ἐρικυδέος υἱόν - Ἀητὼ γὰρ ἤλκησε, Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν. Iuppiter Elara, Orchomeni filia, potitus, Iunonis suspicionem veritus, eam in Terra defodit. Terra ingenti statura filium edidit, qui Tityus nominatus est. Hunc Latonae amore captum eique vim afferre conatum vel Apollo vel Diana (Pind. Pyth. 4, 460.) vel ambo sagittis transfixere. In Tartaro ei per tota novem iugera corpus porrigitur. Virg. Aen. 6, 596. — *tristi*] Virg. Ge. 4, 478: *Quos circum limus niger et deformis arundo Cocyti tardaque palus inamabilis unda Alligat et novies Styx interfusa coërcet*, Horatii *compescit*, «inclusos tenet.»

Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terrae munere vescimur,
Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.

Frustra cruento Marte carebimus
Fractisque rauci fluctibus Hadriae,
Frustra per auctumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum:

Visendus ater flumine languido

14. *Adriae* cd.

9. *omnibus*] Charontis cymbam *θεωρίδα-πάνδοκον* vocat Aeschylus S. adv. Th. 860.

10. *munere vescimur*] Iliad. ζ, 142: *οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι.* Simonides Fr. 19: *εὐρυεδυῆς ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα χθονός.* Phanocles 2. in Schneidew. Del. p. 160: *Ἀλλὰ τὸ Μοιράων νῆμ' ἄλλυτον οὐδέ πη ἔστιν Ἐκφυγέειν, ὁπόσοι γῆν ἐπιφερβόμεθα.* Seneca Phoen. 221: *aut ullo fruor Almae parentis munere?* — Memor usus Homerici poëta singulari *munere* usus est, quo ante omnia frumentum significatur, nec debebat Wakefield proponere *munera*.

11. *Enaviganda*] in prosa orat. «traiicienda.» *Enavigare* nove dictum videtur pro «navigare usque ad alteram ripam, sine reversione ac reditu.»

12. *coloni*] «qui agrum alienum colunt, vel mercede (Sat. 2, 2, 115.) vel pensionem domino solventes, Italorum *massaj*.»

13. *Marte carebimus*] «bellorum pericula devitabimus» «*Carere* h. l. *sich ferne halten von etwas*, ut Od. 2, 10, 7: *caret invidenda Sobrius aula*.» Halm. Quodsi cum Waddelio legas: *Frustra a cruento Marte* (nobis insidiante) *cavebimus*, et imaginem habebis hominis propter ignaviam ridiculi et orationem pedestrem.

14. *rauci fluctibus*] «Frustra etiam a navigatione abstinebimus.» Obtusum ac remurmurantem illum fragorem undarum ad scopulos allidentium *raucum* vocat. — *Hadriae*] Hanc scripturam legitimam esse demonstrat Monumentum Ancyranum, in quo ter legitur *Hadrianum mare*. V. Suet. Wolf. II. p. 375.

15. *per auctumnos*] Sat. 2, 6, 18: *Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.* Plin. H. N. 2, 47: *Noxius Auster* (Scirocco) *et magis siccus, fortassis, quia humidus frigidior est.*

16. Aptior est constructio: *metuemus corporibus*, quam: *nocentem corporibus*, nisi potius duplicem statuas.

17. 18. *languido*] «tardis flexibus labente.» Acheronta et *Κωκυτόν, ὕδωρ ἀτερπέστατον*, proprie flumina Thesprotidis fuisse narrat Pausan. 1, 17, 5. Iam Pindarus Fragm. 10, 1. Boekh. Ed. min. de fluminibus apud Inferos: *Ἔνθεν τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον Βλη-*

Cocytos errans et Danai genus
Infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

Linquenda tellus et domus et placens
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Te praeter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Absumet heres Caecuba dignior

18. *Cocytos* BbSTcd,γδκμνξχ, Bentleius: *Cocytus* LCtFM. — 23. *cypressos* T. — 24. *Ulla*] *Vita* γ ap. Kirchn. N. Q. Hor. p. 36.

χροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί. Virg. Ge. 4, 478: *limus niger et deformis arundo Cocyti.* Aen. 6, 131: *Tenent media omnia silvae Cocytosque sinu labens circumvenit atro.* Seneca Herc. fur. 686: *Palus inertis foeda Cocyti iacet.* — *Cocytos* autem h. l. scripsi cum Codd. meis, ut in Virgilii loco praebet Mediceus. — *Danai genus*] Ovid. Met. 4, 462: *Molirique suis letum patruelibus ausae Assiduae repetunt, quas perdant, Belides undas.*

19. 20. *damnatus--laboris*] Eadem constructione usus est, quae tralaticia est in formulis *damnatus capitis, furti, iniuriarum,* etsi in prosa orat. insolitum esset *damnatus poenae alicuius* pro dativo *(d. morti)* vel *ad poenam.* — *Sisyphus*] Odyss. λ, 593. Axiochus p. 371. E.: *ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν καὶ Δαναΐδων ὑδρεῖαι ἀτελεῖς καὶ Ταντάλου δίψος καὶ Τιτυοῦ σπλάγχνα καὶ Σισύφου πέτρος ἀνήνυτος.* Sisyphi saxum volventis imago Gerhard *Vaseng.* II. T. LXXXVI.

21. *placens*] Non tam «amabilis» quam «cara, grata.» Lucret. 3, 907. Suet. Tib. 7: *uxor bene conveniens.*

23. *Te*] Non unum Postumum hic appellat et alloquitur, quasi ei soli de generali hac sententia persuadendum sit, sed quemque lectorem. — *cupressos*] Arbor est Diti sacra atque propterea funebri signo ad domos et circa rogos ditiorum poni solita. Lucan. 3, 442: *Et non plebeios luctus testata cupressus.* Plantabantur etiam circa tumulos, unde *ἐπίθετα funebris* Epod. 5, 18., *feralis* Virg. Aen. 6, 216., *atra* Aen. 3, 64. Ovid. Trist. 3, 14 (al. 13), 21: *Funeris ara mihi ferali cincta cupressu Convenit.* Metam. 10, 141. Apollo ad Cyparissum in arborem mutatum: *Lugebere nobis, Lugebisque alios aderisque lugentibus, inquit.*

24. *brevem dominum*] «*δεσπότην ὀλιγοχρόνιον*, per breve tempus latifundia possidentem.» Mire Marcilius comparavit Philistionis illud apud Stobaeum S. 330: *κἂν μυρίων πηχῶν γῆς κύριος ὑπάρχῃς, θανὼν γενήσῃ τριῶν ἢ τεσσάρων.*

25. 26. *Caecuba*] in Latio prope Fundos. — *dignior*] «te, quoniam iis fruetur, cum tu parcas ut sacris.» — Similes sententiae reperiuntur apud Orientales. Ecclesiastes

Servata centum clavibus et mero
Tinget pavimentum superbo,
Pontificum potiore coenis.

27. *Tinguet* Td,C, Bentl. — *superbum* L e Codd., *superbus* correctus Vat. A. apud Feam, ut voluerat Barthius, *superbis* de Lynfordii et Cuningh. coni. F. (*superbo* firmant BbSTcd, omnes Cruquii et Pottierii.) — 28. *caenis* T.

2, 19: *Heres meus, quem ignoro, sapiens an stultus futurus sit, dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui. Et est quidquam tam vanum?* Ecclesiasticus 14, 4: *Qui acervat ex animo suo iniuste aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur.* — *centum clavibus*] Hyperbole pro «diligentissime.»

27. *Tinget*] «colore vini rubro pavimentum triclinii marmoreum inficiet.» — *mero - - superbo*] Sic optimi quique Codd. *Mero* ipsi superbia attribuitur eo, quod praestantiae suae conscium quasi insultat pavimento. Etenim loquitur de profusione propter *παροινίαν* solita in heluonum epulis, fortasse etiam de pytismatis. Cic. Philipp. 2, 41. de Antonio: *natabant pavimenta vino, madebant parietes.* Petron. 38: *plus vini sub mensam effundebatur, quam aliquis in cella habet.* Vitruv. 7, 4, 5: *In conviviis Graecorum hibernaculorum et quod poculis et pytismatis effunditur, simul cadit siccescitque.* Iuven. 11, 173: *Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem.* Idem mos obtinebat apud Persas. Hafis Hammeri I. p. 1: *Folge dem Worte des Wirths: Färbe den Teppich mit Wein!* actus utique effusae ac superbientis laetitiae. Neutiquam vero agitur de libatione, de propinatione, de coltabo, ut alii rati sunt. Qui legunt *pavimentum superbum*, intelligunt artificiose tesselatum, ut est Virg. Aen. 7, 12: *tectisque superbis*, Aelianus apud Suidam p. 28. Bernhardy: *ὕφει τινὶ ὑπερηφάνῳ.* (Vid. inprimis Hoss Annot. in Horat. carm. Spicil. p. 4.) Minus etiam respiciendae sunt lectiones *superbis*, commendata a Toupio ad Suidam 2. p. 539. (cum *Pontificum - - coenae* per se fuerint *superbae*, opiparae, lautissimae), et *superbus*, (ut *heres - superbus* alio modo patri insultat apud Martialem 8, 44, 12-15.), cum et *heres* iam habeat *ἐπίθετον dignior* et minus poëtice ipse dicatur *superbus* quam merum, quod profundit.

28. *Pontificum potiore*] «potiore eo vino, quod potant pontifices in epulis illis sollemnibus, quae in proverbium abierant.» Martial. 12, 48, 12: *Non Albana mihi sit comissatio tanti, Nec Capitolinae Pontificumque dapes.* Macrob. Sat. 2, 9. ubi index coenae Metelli pontificis maximi affertur. Asyndeton autem *superbo - potiore* significat propter hanc ipsam generositatem vinum *superbum* vocari.

CARMEN XV.

Iam pauca aratro iugera regiae
Moles relinquent, undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque caelebs,

XV. Inscr. volg. *In sui seculi luxuriam.* — Om. BT (qui hanc oden praecedenti continuat). — *Haec de praesentis vitae luxuria dicit* bc. — *Antiquam severitatem laudans queritur de praesenti luxuria seculi* S.

XV. Dehortatur aequales ab insano magnificas atque amplissimas aedes exstruendi morbo eosque ad antiquam simplicitatem revocare conatur. Perquam credibile est, hoc et similia carmina (Od. 3, 2. 6. 24.), quibus in seculi sui luxum invehitur, non sine Augusti assensu ipsoque fortasse instigante composita esse; nam quae huius generis proferebat Horatius, ea Augusti voluntatem exprimere nemo tum non videbat. (Scriptum carmen a. u. c. 726?)

1. 2. *regiae Moles*] «*Regium*, quod regis, *regale*, quod rege dignum est.» Arusianus. Sane hic est «regibus dignae.» Sunt ampla et magnifica aedificia, uti turrem Maecenatianam Od. 3, 29, 10. vocat *Molem propinquam nubibus*. Cfr. Sal. Catil. 13. et 20. Talia autem paullatim coartabant arva fertilia non tam per se ipsa quam propter silvas, porticus, gestationes, ambulationes, leporaria, piscinas, euripos, lacus adiectos. Ac re vera hic villarum luxus, cum domini per maiorem anni partem Romae degerent, in causa fuit, cur sensim desereretur antiqua illa et strenua agri cultura semperque desertior fieret Italia. Tiberius apud Tac. Ann. 3, 53: *Quid primum prohibere et priscum ad morem recidere adgrediar? villarumne infinita spatia?* cet. Seneca Controv. 5, 5: *Arata quondam populis rura singulorum nunc ergastulorum sunt.*

3. *visentur*] «cum admiratione conspicientur ex omni parte, ubi spectator constiterit.» Mire Scholiastae iungunt *latius visentur*. — *Lucrino*] prope Baias iuxta lacum Avernum, lacu piscoso ostreisque abundante. — In hoc genere incredibilem in modum insanierant L. Lucullus, Q. Hortensius, C. Hirtius. Aptissime autem piscinas illas luxuriosas comparat cum lacu Lucrino, utpote in quo Octavianus a. u. c. 717. in magnum imperii Romani commodum portum Iulium, «*regis opus*» (A. P. 65.) construxisset; vivaria contra illa privati dumtaxat luxus turpia erant monumenta.

4. *Stagna*] Seneca Controv. 4, 5: *navigabilia piscinarum freta*. De piscinis consule Varr. R. R. 3, 17. Harum amatores, Lucullos, Crassum, Hortensium *piscinarios* vocat Cic. ad Att. 1, 19, 6. — *platanusque caelebs*] Martiali 3, 58, 3: *vidua*

Evincet ulmos; tum violaria et
Myrtus et omnis copia narium
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori;

Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli

10. *aestus* d,δμξχ, var. lect. κ. (Habent *ictus* bSTc. Excidit hic v. ex B, in quo ultimus v. 12.)

«quae vitibus maritari non potest propter ramos densos lateque extentos.» Noti sunt Romanorum platanones opaci. Plin. Epp. 1, 3. Adeo autem in *geniali* hac arbore (Ovid. Met. 10, 95.) colenda insaniebant, ut Q. Hortensius orator vinum platano, quam in Tusculano posuerat, ipse suffunderet. Macrob. Sat. 2, 9. p. 353.

5. *Evincet*] «cedere coget agris,» ut Plin. H. N. 18, 21: *Faba - - evincit herbas (verdrängen)*. Ulmi et populi diligenter putatae *maritabantur* vitibus. Plin. 16, 17. *Inter has* (arbores steriles) *atque frugiferas materie vitiumque amicitia accipitur ulmus*. Manil. 3, 662. (auctumni tempore): *Tunc Liber gravida descendit plenus ab ulmo. — tum - - Tum*] quae a divitibus illis porro perfici soleant, enumerat: *dann - - dann, poi - - poi*, potius quam «modo - - modo,» ut alii explicant. — *violaria*] Varr. R. R. 1, 35: *violaria in fundo facere non est utile*.

6. *Myrtus*] numero multitudinis ut Virg. Ge. 2, 64: *Paphiae-myrtus*; quocirca minime cum Glareano leg. *myrtusque*. — *copia narium*] «Omnes flores omniaque virgulta, ex quibus suavis odor naribus afflatur.» Schol.: «luxus odorum.» Nove fortasse dictum, sed tam *έναργῶς*, ut lectorum quivis illico intelligere deberet. Cfr. Aelian. V. H. 13, 1: *ἀνθέων εἰς ἑορτὴν ὄψεως συντελεῖν δυναμένων*.

7. *olivetis*] «Ex utilibus antea olivetis iam sterilia fient violaria, myrteta, rosaria, laureta sive daphnones.» Seneca de Vita b. 17: *Cur arbores praeter umbram nihil daturae conseruntur?* Quintil. 8, 3, 8: *An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia et violas et anemonas, fontes surgentes, quam ubi plena messis aut graves fructu vites erunt? Sterilem platanum tonsasque myrtos quam maritam ulmum et uberes oleas praeoptaverim?*

9. *laurea*] pro lauro dixit etiam Liv. 32, 1. Ovid. Met. 10, 92: *innuba laurus*. De lauri usu in topiario opere v. Plin. H. N. 15, 30. In Violantillae domo Stat. Silv. 1, 2, 154: *Excludunt radios silvis demissa vetustis Frigora*, id est, arbores umbra sua frigus praebentes ex vetustis silvis illuc transpositae. Talia arboreta et *silvas* et *viridaria* sive *viridia* vocabant.

10. *ictus*] Eadem metaphora, qua poëtae, imprimis Lucretius, *luminis ictus, verbera solis, tela diei*. Lucan. 7, 215: *Miles ut adverso Phoebi radiatus ab ictu* cet., ubi multa exempla congessit Cortius. Eurip. Phoeniss. 169: *φλεγέθων βολαῖς ἡλίου*. Anon. in Stob. Flor. Grot. 393: *θέρμ' ἡλίου τοξεύματα*, nisi quod Horatius omisit v. *solis*.

Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton,
Nec fortuitum spernere caespitem

cuius tamen notio inest in v. *fervidos*. Propterea nonnulli substituerunt gloss. *aestus*. — *Romuli*] «quo regnante bina iugera populo Romano satis erant.» Plin. H. N. 18, 2.

11. *intonsi*] prisci illius Censorii. Anno demum u. c. 454. tonsores e Sicilia Romam venerunt. Plin. H. N. 7, 59.

12. *Auspiciis*] «exemplis, quae nobis quoque vitae regulas suppeditare deberent.» Primam suam significationem retinet, quatenus prisci illi duces rem publicam gesserant auspiciis suis, ex quibus summae virtutis exempla ediderant, «quae etiamnunc», inquit, «nos sequi par erat.»

13. 14. *brevis*] in prosa orat. «tenuis, exiguus.» — *Commune*] τὸ κοινόν, aerarium, ager publicus, vectigalia. *(Gemeingut.)*

15. *privatis*] non per se accipiendum genere mascul., vel: «metata a privatis hominibus»; vel: «excipiebat privatis (dativ.)»; sed est ἐπίθετον v. *decempedis*, perticis X. pedum «quibus in magnificis porticibus exstruendis *privati* nunc utuntur.» Porticus significat adeo longas et latas, ut ad eas commetiendas decempedis opus sit; porticus *publicae* circa theatra ac templa si tam amplae essent, non indignaretur.

16. *excipiebat Arcton*] «patebat versus Septentrionem, qui loca ad se versa *opaca* ac propterea frigidiora reddit.» In huiusmodi porticibus per aestum frigore fruebantur. Seneca Ep. 55, 6: (in villa mea) *speluncae sunt duae magni operis, cuivis laxo atrio pares, manu factae, quarum altera solem non recipit, altera usque in occidentem tenetur*. Sidonius Apollinaris 22, 179: *Porticus ad gelidos patet hinc aestiva triones*. Contra de coenatione hiemali Iuven. 7, 183: *longis Numidarum fulta columnis Surgat et algentem rapiat coenatio solem*. Adde Varr. R. R. 1, 13, 7: *hi laborant, ut spectent sua aestiva tricliniaria ad frigus orientis, hiberna ad solem occidentem, potius quam, ut antiqui, in quam partem cella vinaria aut olearia fenestras haberet* cet. Lucian. Hipp. 7: ὁ σοφὸς ὡς ἀληθῶς Ἱππίας τὸν μὲν ψυχροδόχον οἶκον εἰς βορρᾶν προκεχωρηκότα ἐποίησεν, οὐκ ἄμοιρον οὐδὲ τοῦ μεσημβρινοῦ ἀέρος· τοὺς δὲ πολλοῦ τοῦ θάλπους δεομένους νότῳ καὶ εὔρῳ καὶ ζεφύρῳ ὑπέθηκεν.

17. 18. *fortuitum*] «ubique facile reperiundum, vilem.» Petronius Carm. min. 4, 8: *At paries circa palea satiatus inani Fortuitoque luto*. Similiter Pindarus Pyth. 4, 35. glebam vocat προτυχὸν ξένιον. «*Fortuitus* i et producit et corripit.» Serv. ad Aen. 6, 469. vel potius

Leges sinebant, oppida publico
Sumptu iubentes et deorum
Templa novo decorare saxo.

per synaeresin fit trisyllabum, ut Manil. 1, 180: *Nam neque fortuitos ortus surgentibus astris* cet. Idem valet de vv. *gratuitus, pituita*. Ut hic, Phaedrus 2, 4, 4: *Post fortuitum feles contubernium* cet. — Ex hoc igitur caespite ubivis obvio faciebant antiqui partim parietes et culmina tectorum (Virg. Ecl. 1, 69: *tuguri congestum caespite culmen*. Sic Romuli casa stramentis tecta; Virg. Aen. 8, 654: *Romuleoque recens horrebat regia culmo*.); partim alios ad usus adhibebant, veluti ad aras temporarias. Stat. Th. 2, 246: pauperes litant *caespite nudo*, quod incredibiliter exponunt: «farre». Tibull. 2, 5, 99: *At sibi quisque dapes et festas exstruet alte Caespitibus mensas caespitibusque torum*. Contra satis perverse alii interpretati sunt de iis, qui sub dio humi se sternunt apricationis vel meridiationis causa. — Ceterum in eo nemo haerebit, quod de talibus legibus, quae caespite in privatis aedificiis, in publicis vero lapidibus uti iuberent, nihil nunc constat; nam poëta id tantum spectavit, ut vivida imagine priscae vitae simplicitatem nobis prae oculis poneret, ut Ovid. Fast. 1, 203: (prisco tempore) *Frondibus ornabant, quae nunc Capitolia gemmis, Pascebatque suas ipse senator oves. Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem, Nec foenum capiti supposuisse fuit* cet.; atque consuetudinem moresque antiquos potius respexit quam leges scriptas. — *oppida*] muros praesertim atque aedificia publica.

20. *Templa*] «Caesar Octavianus, *veterum legum tenax*, a. 726. censuram agens aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit, easque et ceteras opulentissimis donis adornavit, referente Suetonio Octav. 30.» Franke, qui hinc recte colligit, eodem illo tempore hoc carmen compositum esse. — *novo decorare saxo*] «recens e lapicidinis exciso ad templa construenda.» Non video, cur cum Handio ad Gron. Diatr. 1. p. 76. interpretari debeamus: «miro, admirando, quod inusitatam speciem decusque habet.» Nam multa et antiquissima erant in Italia opera e saxis constructa, muri illi Cyclopii, Capitolii substructiones, cloaca maxima, emissarium lacus Albani cet., adeo ut templum e saxis quadratis aedificatum inusitatam speciem vix praeberet primis tribus Urbis seculis. Ceterum cfr. Cic. pro Flacco 12: *Haec ratio ac magnitudo animorum in maioribus nostris fuit, ut, cum in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent.*

CARMEN XVI.

Otium divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent

XVI. Inscr. volg. *Ad Pompeium Grosphum*, et sic BS. — *Modo loquitur ad Grosphum* b. — *Ad Grosphum Pompeium* T. — *Grospho ostendens quam iocundum sit otium* c. — 1. *patente* ω, Bentleius. — 2. *Pressus* Codd. aliquot (δ ap. Kirchn. N. Q. Hor. p. 56.), etiam Pottierii; nostri non. — 3. *lunam* superscr. «vel *lumen*» d. (*lumen* unus apud Combe et corr. Vatic. A.)

XVI. Grosphus est Pompeius Grosphus, eques Romanus Siciliensis, de quo Epp. 1, 12, 22., fortasse ex eadem gente, qua fuit Eubulidas Grosphus Centuripinus (Cic. Verr. Acc. 3, 23). Hunc Horatii amicum vel patrem eius civitatem Romanam per Cn. aut Sex. Pompeium adeptum esse arbitror. — Sententias duas primarias habes v. 13. et v. 25. — Compositionis tempus definiri nequit; fluctuant inter a. 726 et 734.

1. *Otium*] «quietum vitae statum coniunctum cum sufficientibus fortunis semperque remotum a periculis, curis, vehementioribus animi motibus, negotiis item ac muneribus publicis, imprimis a militia.» Hanc σχολήν, Aristoteli saepe διαγωγήν, tranquillitatem tamquam finem bonorum expetunt illi ipsi, qui maximis se vitae discriminibus exponunt, mercator et miles, ut copiis paratis tandem otientur; verum autem otium pendet ex animi bene compositi constantia atque rerum externarum despicientia, quam quisque sibimet ipse αὐταρκείᾳ sua praestare debet neque exspectare, ut casu nanciscatur id, quod optat. (Sic ter *otium* Catullus 51, 12.) — *in patenti*] «in alto mari procelloso.» Monstrum lectionis habebat Barthii Codex: *impatenti*, unde Sanadonus *impotenti*.

2. *Prensus*] Ovid. Met. 11, 663: *Nubilus Aegaeo deprendit in aequore navim Auster*. Virg. Ge. 4, 421: *Deprensis olim statio fidissima nautis*; ubi Servius: «*deprensus* nauticum verbum est, cum tempestate occupantur.» Sic Plato Phaed. pag. 58. B: ὅταν τύχωσιν ἄνεμοι ἀπολαβόντες αὐτούς. Apollon. Rhod. 2, 1087: οὔ σφε κατέλλαβε χείματος ὥρη Ἀπροφάτως. *Prensus* igitur subitum procellae impetum significat; *pressus* naufragii periculum. Illud sane ποιητικώτερον. Hoc dicit: «In huiusmodi extremo vitae discrimine deos precatur nauta, ut hoc etiam superato otium tandem illud diu quaesitum sibi obtingat.»

3. «*Lumen* pro *lunam* magis placet, ut etiam sol comprehendatur.» Gesner. «Sed imago noctis est loco et rei aptior.» Zeune. — *certa*] «quibus alias, cum eorum claritudo

Sidera nautis;

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura venale neque auro.

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus

8. *nec auro* CtF et Bentl. (Nostri omnes *neque.*)

pernox est, secure fidere potest mercator navigans», nominatim Helice et Cynosura. Cic. Arat. 37 sqq. Manil. 1, 467: *Praecipue medio cum luna implebitur orbe, Certa nitent mundo* sidera. Tibull. 1, 9, 10: *Ducunt instabiles sidera certa rates.*

5. 6. *bello furiosa*] «asperis bellis semper implicata.» *Τὴν ἀρειμανῆ* vel *δοριμανῆ* significare videtur intellectu activo Lobeckio ad Aiac. 143. Sophocl. Antig. 970: *Θρῃκῶν -- ἀγχίπτολις Ἄρης.* Eurip. Hec. 1088: *Θρῄκης Λογχοφόρον, ἔνοπλον, εὔϊππον, Ἄρει κάτοχον γένος.* Virg. Aen. 3, 13: *Terra procul vastis colitur Mavortia campis; Thraces arant.* Manil. 4, 686: *Thrace Martem sortita colonum.* — *Medi*] Parthi, ut saepe.

9. *Non enim gazae*] Varro in Anthol. Lat. Burm. I. pag. 542: *Non fit thesauris, non auro pectus solutum; Non animis demunt curas ac religiones Persarum montes, non atria diviti' Crassi.*

10. *Summovet*] verbum proprium de lictoribus. Festus: *Matronae non summovebantur a magistratibus.* Sine imagine: «nec divitiae neque summi honores curis nos liberant.» — *tumultus*] saepe de animi perturbationibus ex cogitationibus in diversa trahentibus. Sat. 2, 3, 208.

11. *laqueata-Tecta*] «tecta triclinium laquearibus sive lacunaribus plerumque auro atque ebore vel opere musivo picturisve ornatis magnifice variegatorum.» Proprium autem est vocabulum. Cic. de Legg. 2, 1: *pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno.* Stat. Theb. 1, 144: *crasso laquearia fulta metallo.* — *Curas* cum alitibus funestis ita comparat, ut volatus imaginem leviter, quemadmodum par erat, significet. Cfr. statim v. 21. Theognis 729. B.: *Φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερὰ ποικίλ' ἔχουσαι κτλ.*

13. *Vivitur parvo bene*] «beateque ei (ab eo), cui nihil deest, etsi divitias non possidet.» Qui distinxere: *Vivitur parvo bene. Cui paternum* cet., non viderunt priora verba tunc nihil continere nisi locum communem eumque admodum tenuem, et pro *Nec* tunc requiri *Non.* — Pedestris orationis esset H. P. *ubi* pro *cui.* — *paternum - salinum*] «ex patria hereditate acceptum», quo significatur patris iam modica fortuna a filio neque aucta neque imminuta. Hoc autem aureae mediocritatis erat apud Romanos, habere salinum ex argento veluti vas sacrum. Pers. 3, 25: *rure paterno Est tibi far modicum, purum et sine*

Mentis et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Quid brevi fortes iaculamur aevo

12. *volantis* BT. — 15. *levis* T. — 17. *fortes* superscr. «vel *sontes*» d, et *sontes* χ, var. lect. *il.*

labe salinum. Quid metuas? Arnob. 2, 67: *Sacras facilis mensas salinorum appositu et simulacris deorum.* Valer. Max. 4, 4, 3. de C. Fabricio et Q. Aemilio Papo: *uterque enim patellam deorum et salinum habebat.* Simile huic salino, etsi aliquanto lautius, est illud, de quo Seneca de Tranq. an. 1: *Placet argentum grave rustici patris, sine ullo opere et nomine artificis.*

14. *Splendet*] quia a servis quotidie tergetur, ut in munda domo. — *tenui*] ubi cum ditiorum mensis comparetur; «modica», non «inopi».

15. *leves*] Od. 2, 11, 8: *faciles*, Od. 3, 1, 21: *lenes*, Virg. Ge. 2, 470: *molles*, Stat. Theb. 10, 116: *teneros.* Contraria sunt partim *somnus gravis* (Seneca Herc. fur. 1054.) «molestus», partim *tenues somni* (Stat. Theb. 1, 389.), «ex quibus facile excitere.» — *cupido*] Apud Horatium semper genere masculino, ut apud Plautum Amphitr. 2, 2, 208. *sedatum cupidinem.* Ovid. Met. 8, 74. 9, 734. Sil. 6, 615. Seneca Hippol. 533: *auri - Caecus cupido.*

17. *fortes*] «constantes in audacia, quasi humanae naturae magni aliquid assequi liceat.» Halm. Pind. Nem. 11, 43: *τὸ δ' ἐκ Διὸς ἀνθρώποις σαφὲς οὐχ ἕπεται Τέκμαρ· ἀλλ' ἔμπαν μεγαλανορίαις ἐμβαίνομεν, Ἔργα τε πολλὰ μενοινῶντες.* Patrocles tragicus apud Stob. 111, 3: *Τί δῆτα θνητοὶ πόλλ' ἀπειλοῦμεν μάτην, Δεινοὺς ἐπ' ἀλλήλοισι πέμποντες λόγους, Καὶ πάντα συννοοῦμεν ἐκπράξειν χερὶ Ἱρόσω βλέποντες, τὴν δὲ πλησίον τύχην Οὐκ ἴσμεν οὐδ' ὁρῶμεν ἀθλίου μέρου;* Moschus 3, 109: *Ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι καὶ καρτερικοὶ σοφοὶ ἄνδρες, Ὁππότε πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.* — *iaculamur*] «acerrimo studio petimus.» Usitata imago etiam Graecis. Soph. Oed. Tyr. 1196: *Ὅστις καθ' ὑπερβολὰν Τοξεύσας ἐκράτησε τοῦ Πάντ' εὐδαίμονος ὄλβου.* Eurip. Suppl. 744: *Ὦ κενοὶ βροτῶν, Οἳ τόξον ἐντείνοντες ὡς καιροῦ πέρα κτλ.* Hec. 603: *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ νοῦς ἐτόξευσεν μάτην.* Poëta apud Plut. de aud. poët. p. 124. W.: *Τόδ' ἐστὶ τὸ ζηλωτὸν ἀνθρώποις, ὅτῳ Τόξον μεμίμνης εἰς ὃ βούλεται πέσῃ.* Horatii sententiam simplicissime praecepit Simonides Amorg. Fr. 1, 6. Schn.: *Ἐλπὶς δὲ πάντας καὶπ' ἀπειθίῃ τρέφει Ἄπρηκτον ὁρμαίνοντας.* Iunge *iaculamur brevi aevo*, non, ut fecerunt

Multa? Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriae quis exsul
Se quoque fugit? 20

Scandit aeratas vitiosa naves
Cura nec turmas equitum relinquit,

18. *calentis* T. — 19. *mutamus patria? Quis exsul* Nescio cuius coni. apud Bentleium. — 21. *nauis* BTc, *puppes* Excerpta Bodleiana apud Bentl.

alii: *brevi aevo fortes.* Ad v. 18. cfr. Virg. Ge. 2, 542.

19. *mutamus? Patriae*] Cum vv. *Patriae quis exsul se quoque fugit?* a nemine aliter intelligi possint quam sic: «Quis *πατρίδος φυγάς*, patriam sua sponte relinquens ea spe, fore, ut alibi meliore vita fruatur, propterea liberat se sollicitudinibus, quae antea eum angebant?», ea lectorum intelligentia fretus Horatius ausus est dicere: *Quid terras alio calentes Sole mutamus?* certus haec ab omnibus ita perceptum iri, ac si dixisset: «Cur patria propter nescio quod fastidium derelicta longinquas (ut solebant Romani) regiones petimus?» nec praevidebat, quantas multis post seculis turbas excitaturus esset interpretibus. Scilicet minus apte nonnulli volgatam lectionem interpretati sunt: «Quid ex una peregrina terra identidem in aliam rursusque in aliam pergimus?» ut sane est apud Senecam de Tranq. an. 2: *Proprium aegri est nihil diu pati et mutationibus ut remediis uti. Inde peregrinationes suscipiuntur vagae et litora pererrantur et modo mari se, modo terra experitur semper praesentibus infesta levitas. «Nunc Campaniam petamus!» Iam delicata fastidio sunt: «Inculta videantur! Bruttios et Lucanos saltus persequamur»* cet. Iis autem, qui distinxerunt: *Quid terras alio calentes Sole mutamus patria?* satis respondit iam Bentleius: «Ingeniose profecto. Illud tantum coniecturae huic adversatur, quod hoc pacto frigeant aliquantulum ea, quae sequuntur: *Quis exsul se quoque fugit?* perit enim antitheti gratia et venustas singularis: *Quis exsul patriae se quoque fugit?* Se ipsum non fugiet, quamvis patriam fugerit.» Praeterea ipse quoque versus propter imminutam solitae caesurae vim coniectura ista pessumdatur. Ceterum similiter Seneca Ep. 28: *Quaeris, quare te fuga ista non adiuvet? Tecum fugis.* Idem Bentleius de *ἀντιστρόφῳ* usu v. *mutare*: «Eodem plane sensu poteris dicere: *mutavit patriam exilio* et: *mutavit exilium patria*: in priore constructione locus praesens sive terminus a quo ponitur casu accusativo, in posteriore locus absens sive terminus ad quem, quam formam bis vel ter secutus est Horatius. Od. 1, 17, 1: *Velox amoenum saepe Lucretilem Mutat. Lycaeo Faunus.* Sat. 2, 7, 109: *qui puer iuam Furtiva mutat strigili*, hoc est, ut communius loquuntur, *Lycaeum Lucretili*, et *strigilem iua.*» Sicque Graeci utuntur v. *ἀλλάσσειν*. Aristoph. Av. 447: *εἶτ' αὖθις ὀρνίθων μεταλλάξας φύσιν*, in eam transiens. *Exsul* autem cum genitivo, ut Ovid. Met. 6, 489: *Exsul erat*

Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro.

Laetus in praesens animus quod ultra est
Oderit curare et amara lento
Temperet risu; nihil est ab omni

26. *laeto* Ct (contra Codd. nostros et Pott. omnes), *leni* Bentleii suspicio. Praeterea idem dubitanter proponit: *animi - - Oderis - - Temperes.*

mundi. 9, 409: *exsul mentisque domusque*. Lucan. 8, 334: *transfuga mundi*. Petron. Fr. 5: *Ciconia - - exsul hiemis*, Graeco modo; Eurip. Hippol. 281: ἔκδημος-χθονός. Theocr. 24, 127: φυγὰς Ἄργεος.

21. *Scandit - - Cura*] Od. 3, 1, 40: *Post equitem sedet atra Cura*. Lucret. 2, 46: *Re veraque metus hominum curaeque sequaces Nec metuunt sonitus armorum nec fera tela Audacterque inter reges rerumque potentes Versantur neque fulgorem reverentur ab auro Nec clarum vestis splendorem purpureai*. — *vitiosa*] «morbosa, ex mentis vitio orta.» — *naves*] Excerptorum Bodl. *puppes* ortum est vel ex fortuitis illis librariorum aberrationibus, quibus homonyma alia aliis substituunt, vel ex vano elegantiae studio.

22. 23. *turmas equitum*] proprie accipiendum de equitibus in bellum proficiscentibus; hos angit vel suorum desiderium vel praedae cupido vel mortis timor. — *agente*] «prae se pellente.»

25. 26. *Laetus in praesens*] Mirari profecto subit, quomodo quis in his vv. haerere potuerit. Quid enim aliud dicit nisi hoc: «Sapiens eo pervenit, ut in praesenti tempore et quotidiana vitae condicione comparata tranquillus sit atque etiam hilaris futurum minime curet, quia prorsus incertum est, et si quid ipsi amarum (ingratum) primo conspectu videatur, id tamen veluti subridens despiciat moxque obliviscatur.»? — *quod ultra est*] «τὰ πόῤῥω, *futura*.» — *Oderit*] *odisse, fugere* apud poëtas pro «nolle». — *lento*] «quieto, moderato» *(gelassen)*; nam risus est etiam contumeliae, est interdum desperationis, violentus. Sic apud Cic. de Or. 2, §. 190. *irae* opponitur *aliquid lente ferre*. Virg. Ecl. 1, 4: *Tu, Tityre, lentus in umbra* cet., ubi Wagner: «*lentus* est tranquillus, non commotus.» (Ibi quoque Codd. aliq. *laetus.*) Consol. ad Liv. Aug. 279: *Consistam laetisque oculis lentusque (gleichgültig, indifferent) videbo Strata per obscoenas corpora nuda vias*. Sic etiam Martialis 2, 46, 7: *Tu spectas hiemem succincti lentus amici*. Qui non intelligebant, scripserunt *laeto*, quod intolerabile est post v. *Laetus*. Bentleii *leni* apta est interpretatio, non emendatio. Anthol. Pal. I. p. 349: Ὃ τὸν πολυστέναχτον ἀνθρώπων βίον Γέλωτι κεράσας Νικασὺς Φιλιστίων κτλ.

27. *nihil est*] in rebus humanis; idem de singulis mortalibus affirmat Bacchylides Fr. 1. Bergk.: Ὄλβιος, ᾧτινι θεὸς μοῖραν τε καλῶν ἔπορεν Σύν τ' ἐπιζάλῳ τύχᾳ ἀφνειὸν βιοτὰν διάγειν· Οὔ γάρ τις ἐπιχθονίων πάντα γ' εὐδαίμων ἔφυ.

Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus,
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Te greges centum Siculaeque circum

29. 30. *clarum*] «sempiterna quidem gloria excellentem, sed item *μιννυθάδιον*, *ὠκύμορον*.» — *Tithonum*, Laomedontis filium, consumpsit senium, quia Aurora, cum a Iove immortalitatem ei impetrasset, *ἀγηρασίας*, aeternae iuventutis, efflagitandae oblita erat, adeo ut, quemadmodum narrat Servius ad Ge. 1, 447., tandem in cicadam converteretur, quod tamen nondum narrat Hymn. Hom. in Ven. 220., neque de hac *μεταμορφώσει* cogitavit Horatius. Mimnermus Bergk p. 345: *Τιθωνῷ μὲν ἔδωκεν ἔχειν κακὸν ἄφθιτον ὁ Ζεὺς Γῆρας, ὃ καὶ θανάτου ῥίγιον ἀργαλέου*. Ceterum lege omnino Propert. 2, 18, 7. — Tithoni imago est in *Ann. dell' Inst. arch.* T. 8. pag. 110. — Ab hoc quoque heroë praemium vitae longissimae, et quam semper vegetam fore Aurora frustra speraverat, senectutis ipsum lente tandem consumentis incommodis luendum fuisse significat, ut sententiam illam *nihil* cet. declaret.

31. 32. *Et mihi*] Tertium, ut ita dicam, exemplum proponit sententiae illius v. 27., petitum a semet ipso et a Grospho, *ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ*. — «Fieri potest, ut bonum aliquod frustra a te optatum mihi insperanti obtingat.» In tota carminis clausula lenis inest *εἰρωνεία*, quae tamen Grosphum, si tanti faciebat Horatium, quantum sane merebatur, offendere non poterat. — Cod. Franeq. *Et mihi fors et tibi*. unde Bosius suspicatus est *forsit tibi*, ut Sat. 1, 6, 49. Ingratum tamen sonum *it ti* procul dubio vitavit poëta, et qui scripsit Codicem illum ceteroquin haud spernendum nescio quo mentis errore in falsam compositionem *Et mihi -- et tibi* incidit. Recentiorum sensum secutus est, qui proposuit: *Et tibi forsan, mihi* cet. interpretatus: «Fortasse te longior, me brevior vita manet.» — *hora*] «singulae occasiones, prout tempore procedente sese per vices offerunt.» Pro *προσωποποιΐᾳ*, ut sit vel Hora dea vel latius etiam, Fortuna, equidem habere nolim. Est ut apud Senecam Thyest. 598: *Ima permutat levis hora summis*. Contra de Horis deabus Dio Chrysost. in Charidemo 31. p. 354. Emp.: *διακονεῖσθαι τοῖς ἀνθρώποις τὰς Ὥρας, οἷα δὴ νεωτάτας οὔσας τῶν θεῶν, εὖ μὲν ἀμπεχομένας, καλὰς δὲ ἰδεῖν, οὔτι που χρυσῷ κεκοσμημένας, ἀλλὰ παντοίων ἀνθῶν στεφάνοις*.

33. 34. *greges*] «Te circumbalant greges ovium»; id quod assumendum ex seqq. Nolim enim explicare «greges Sicularum vaccarum.» —

Mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctae

Vestiunt lanae: mihi parva rura et
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
Spernere volgus.

34. 35. *hinni* || *Tum apta* T. — (40. Habet *volgus* c.)

hinnitum] Nota elisionem in fine v. *hinnit' Apta*.

35. *Apta*] non «iuncta», sed «idonea». — *equa*] Equabus in primis, non equis, utebantur in certaminibus. Virg. Ge. 4, 59: *Eliadum palmas Epiros equarum*.

36. *Murice*] Epod. 12, 21: *Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae*. Epp. 2, 2, 181: *vestes Gaetulo murice tinctae, δίβαφα*; purpura nigricante. Murex e genere testaceorum, qui ad Phoenices, Africae, Laconicae litora ab urinatoribus extrahebatur. Suo more hoc ita amplificavit Lucanus 10, 123: *Strata micant; Tyrio quorum pars maxima fuco Cocta diu, virus non uno duxit aëno*. Vide Excursum.

37. *parva rura*] «agellum Sabinum.» Bacchylides Fragm. 28. Bergk: *Οὐ βοῶν πάρεστι σώματ', οὔτε χρυσός, οὔτε πορφύρεοι τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενὴς* || *Μοῦσά τε γλυκεῖα καὶ Βοιωτίοισιν ἐν σκύφοισιν οἶνος ἡδύς*.

38. *Spiritum*] *ἐνθουσιασμόν*. Cfr. Od. 4, 6, 29. Sine *Camenae* imagine: «facultatem poëticam, Graecis illis veteribus haud indignam, ingenium promptum atque animosum.» Sic Graeci *πνεῦμα*. Philostr. Vit. Soph. p. 492 *δ'*.: *Γοργίας ὁρμῆς τε τοῖς σοφισταῖς ἦρξε -- καὶ πνεύματος*. — *tenuem*] Non significat «particulam aliquam exiguam spiritus, vividae illius facultatis poëticae», ut Ianum secuti falsam modestiam Horatio tribuentes Eschen, Preiss, Schmidt, Voss, Binder, Garve: *ein wenig Geist* vel *ein Pröblein Geist*; sed «subtilem atque ingeniosum, *fein, zart*»; ut A. P. 46: *In verbis etiam tenuis cautusque serendis*. Cic. de Or. 3, 52: oratio -- *plena quaedam, sed tamen teres et tenuis, non sine nervis ac viribus*. Idem ad Att. 12, 6: *tenuem θεωρίαν* mox vocat *acutam et gravem*. Martialis 6, 64, 17: *tenues Athenae*, similique imagine Plin. Epp. 2, 3: *praefatio gracilis*. Panegyr. in Pison. 230: *gracilis -- Horati*. Aliter etiam Baxterus: *«tenuem*, quia res grandes non attigit.» Sed cum de tota Graecorum poësi lyrica loquatur, tenuitatem hac significatione ei tribuere non poterat.

39. *non mendax*] «cuius decreta in cuiusque hominis ortu pronuntiata certum semper habent exitum.» Carm. Sec. 25. Parcae sunt *veraces*. Persius 5, 48: *Parca tenax veri*. — *malignum*] «invidum atque iniquum plerumque in eos, qui in qualicunque genere excellunt.»

EXCURSUS

Ad v. 35.

Rivista Europea 1838, p. 237. L'Amati *(De restitutione purpurarum)* conta nove colori semplici della porpora, nero, grigio, violetto, rosso, celeste scuro e chiaro, giallo, rossastro, bianco, e cinque mischi. Voleasi tingere in rosso o in azzurro, dovea bastare una tintura; due si davano per ottenere le infinite gradazioni tra quei due colori; onde Orazio indica le *purpurae dibaphae*, cioè che riceveano un colore, per lo più violaceo, di sotto, e di sopra un altro.

CARMEN XVII.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec dis amicum est nec mihi te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.

Ah te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque nec superstes

XVII. Inscr. volg. *Ad Maecenatem*, et sic BbSc. — *Ad Mecenatem paranetice (παραινετική) tetracolos* T. — 1. *querellis* bT. — 5. *Hate* d, *At te* S. (Ut nos, BbTc.) — 6. *alteram* Codd. aliq. (nostri non.) — (Vv. 7—9. desunt in B.)

XVII. Congratulatur amico, cum ex gravi morbo convaluisset, simulque eum consolari studet atque hortatur, ne querelis nimis indulgeat. Plinius H. N. 7, 54: *Quibusdam perpetua febris est, sicut C. Maecenati. Eidem triennio supremo nullo horae momento contigit somnus.* Seneca Epp. 101: *Inde illud Maecenatis turpissimum votum, quo et debilitatem non recusat et deformitatem et novissime acutam crucem, dummodo inter haec mala spiritus prorogetur: «Debilem facito manu, Debilem pede, coxa; Tuber adstrue gibberum, Lubricos quate dentes: Vita dum superest, bene est! Hanc mihi, vel acuta Si sedeam cruce, sustine.»* Scriptum est carmen a. u. c. 728., censente Frankio, aliis auctoribus a. 733. vel 734. Cfr. nunc Frandsen Maecenas p. 206—209.

1. *exanimas*] «conturbas et summo maerore afficis.» Cic. pro Mil. §. 93: *Me -- exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue.* Sic etiam *enicare* Terent. Andr. 4, 1, 36. — Primus versus satis indicat Horatium loqui de diuturno Maecenatis morbo, non de casu aliquo repentino, qui exitium ei minatus sit.

2-5. *amicum est*] pro «placet», Graeco modo. Iliad. ι, 23: *Οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι.* — *Grande decus*] Cfr. Od. 1, 1, 2. — *columenque*] Sic apud Lucian. Tim. 50. Timon vocatur *τὸ ἔρεισμα τῶν Ἀθηναίων*. Pind. Ol. 2, 6: *Θήρωνα -- ἔρεισμ' Ἀκράγαντος*. — *partem animae*] Od. 1, 3, 8.

6. *Maturior vis*] «Si leti vis te citius quam me exstinguat, quid ego altera unius eiusdemque animae nostrum amborum pars in vita remaneo?» Falso acumine Burmannus et Cuninghamius *alteram*. Qui vero construxerunt: *quid moror, altera* (ablat.) *nec carus aeque*, non animadverterunt hac distractione ingratissimos evadere numeros et modum esse perquam contortum.

7. *carus aeque*] «atque prius eram.» Dictum est ut Epp. 1, 3,

Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati.

8. *Illa* Codd. aliq. (nostri non; neutram lect. memorant Bentl. et Pott.) — 9. *nec ego* S.

29: *Si patriae volumus, si nobis vivere cari.* Alii ex v. 2. huc arcessunt *dis carus*, quod forsitan defendi possit ex Od. 1, 31, 13: *Dis carus ipsis*; sed longe praestat prior ratio, ut dicat «se amissurum omnem propriae vitae iucunditatem ac fructum.» — *superstes*] «Nec sum vitam habiturus integram parte mei altera in te exstincta.» SCHOL. Anthol. Meyeri Epigr. 436: *Ablatus mihi Crispus est, amici; Pro quo si pretium dari liceret, Nostros dividerem libenter annos. Nunc pars optima me mei reliquit. Crispus, praesidium meum, voluptas, Pectus, deliciae; nihil sine illo Laetum mens mea iam putabit esse. Consumptus male debilisque vivam; Plus quam dimidium mei recessit.*

9. 10. *Ducet ruinam*] Sic Virgilius aliquoties (Aen. 2, 466. cet.) *trahere ruinam*, quia ea pars aedificii, quae prima cadit, secum *ducit, trahit* etiam ceteras. — Superstes fuit Horatius Maecenati perbreve tempus, siquidem uterque mortuus est a. u. c. 746. Maecenas Augusto paullo ante mortem scripsit: *Horatii Flacci ut mei esto memor.* — Horatius autem *humatus et conditus est extremis Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum.* Sueton. in Vita Horatii. Hinc ingenioso ac vere poëtico consilio (modo Latinitas et versus praestantiores essent) Thomas Valperga Caluso composuit: *Epistolam Horatii ad Augustum in morte Maecenatis.* Augustae Taurinorum 1812. 4. — *perfidum Dixi sacramentum*] «peieravi.» Proprie locutus est. Caesar B. C. 1, 23: *Milites Domitianos sacramentum apud se dicere iubet.*

11. *Utcunque*] «Quandocunque tu mortem obibis, eodem temporis puncto ego quoque hinc discedam.» — *supremum iter*] Sophocl. Antig. 807: *τὰν νεάταν ὁδόν.*

12. *Carpere iter*] Locutio poëtica (Sat. 1, 5, 95.), quia singulis passibus aliquam totius itineris particulam quasi auferimus. Festinationis significatio per se non inest, nisi ubi additis aliis vv. exprimitur, ut Virg. Ge. 3, 142: *Carpere prata fuga*; Ge. 4, 311: *aëra carpunt*, «volant». Cfr. etiam *συντέμνειν* sc. *τὴν ὁδόν.* Soph. Antig. 1103.

13. *Chimaerae*] Talia monstra in aditu ad umbrarum loca a Virgilio collocantur Aen. 6, 285: *Multaque praeterea variarum monstra ferarum, Centauri in foribus stabulant Scyllaeque biformes Et centumgeminus Briareus ac belua Lernae Horrendum stridens flammisque armata Chimaera. Πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ* vocat Hesiod. Theog. 319. Cfr. Od. 1, 27, 24. Chimaerae pulcherrima imago est in anaglypho basilicae Ulpiae. *Museo Chiaram.* II. T. L.

14. *resurgat*] nunc prostratus in Tartaro. Hoc dicit: «Maximi ter-

Me nec Chimaerae spiritus igneae
Nec, si resurgat, centimanus Gyas
Divellet unquam: sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis.

Seu Libra seu me Scorpios adspicit

14. *gigas* BbSTcd, item Bentleii et Pott. omnes, Ct, *Gyges* cum Mureto Bentleius et F. (Ut nos, LMJ.) — 17. *Scorpios* B et Bentleius: *Scorpius* bSTcd, LCtFM.

rores et pericula nunquam me a te segregabunt.» — *Gyas*] Libri, ut Od. 3, 4, 69., *gigas*. *Gyas* praetulit Meineke, ut in Hesiodi Theog. 149. Iunta et Goettling *Γύης* scribunt pro *Γύγης*. Item G. Hermannus in Opuscc. II. pag. 476. et Loehrs ad Ovid. Trist. 4, 7, 18: *Centimanumque Gyan*. Atque vide, ne ex illo Herodoti et Platonis Gyge dubius hic Hesiodeus originem traxerit. Contra Muetzell de Em. Th. Hesiod. p. 206: «Vix», inquit, «negari poterit nomen *Γύγης* probatissimorum grammaticorum consilio fuisse in Theognia sive scriptum seu potius ex antiquissimis exemplaribus conservatum.» Hesiod. l. l. *Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο Τρεῖς παῖδες -- Κόττος τ' Ὀβριάρεώς τε Γύης* (al. *Γύγης*) *θ' ὑπερήφανα τέκνα· Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο κτλ.*

16. *Iustitiae*] *Δίκῃ*, Iovis et Themidis filiae, Parcarum sorori, quibuscum h. l. aptissime coniungitur tamquam *πάρεδρος*. Hesiod. Th. 902. Eius imaginem Chrysippus apud Gell. N. A. 14, 4. hanc exhibet: *Σκυθρωπὴ γράφεται καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον καὶ ἔντονον, καὶ δεδορκὸς βλέπουσα, ὥστε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος.*

17. *Seu Libra*] Tres proponit horoscopos quam maxime diversos, inter quos unum fortasse suum esse dicit. Etenim ex ipsa particula *seu* ter repetita apparet Horatium, qui sane astrologorum ineptias contemnebat (Od. 1, 11.), minime voluisse exponere horoscopum, qualis, si vel per iocum aliquando consuluisset Chaldaeum, ab hoc constitutus esset, sed totum locum poëtice tractavit hac sententia: «Quaecunque est genitura mea, certe incredibiliter cum tua consentit, adeo ut in vita eiusque vicissitudinibus atque in obitu ipso iisdem prorsus fati legibus obedituri simus.» Interpreti consulenda est Reimeri operosa disputatio apud Mitscherlich T. 2. pag. 696. Verum *πρῶτον ψεῦδος* ab eo commissum hoc est, quod omnia, quae de astris affert poëta, ex Maecenatis genitura aliquando a mathematicis computata desumpta esse ratus est. Scilicet Horatius una cum omnibus, qui tunc vivebant, ipse quoque sciebat alia sidera amica putari mortalibus, alia inimica, eamque opinionem secutus hos versus scripsit, ceterum prorsus securus et de suo et de amici horoscopo. Recte de h. l. contra miras nuperi interpretis opiniones disputavit Luebkerus in Horatianis pag. 11. — *adspicit*] Apud mathematicos proprie sidera ipsa in singulorum hominum genitura sese adspiciunt. Manetho 1, 18: *Ἦν Κρόνος Ἥλιός τ' ἄμφω κατίδωσι*

Formidolosus, pars violentior
Natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae,
Utrumque nostrum incredibili modo

49. *Fatalis* b, *Letalis* cum Pott. sex pr. c et pr. d; in hoc corr. *Natalis*. — 21. *Utcumque* Schol. Cruq. (nisi merus est operarum error), prob. Bothio.

Κυθήρην. Ibid. v. 409: *Ἄρεος εἰσβλέψαντος ὁμοῦ Μήνην Παφίην τε·* et sic saepissime, ut et apud Manil. 2, 290. Iacob: *--Libram, tortus Capricornus et illam Conspicit, hunc Aries.* Ibid. 496: *Erigone Taurum spectat, sed Scorpion audit* cet. Proxime tamen fortasse ad Horatii locum accedit Manetho 4, 116: *Ἦν δέ τ' ἀνοικείοισι τόποις ὡροσκόπον Ἄρης Φέγγος ἐπιτρέψῃ γονίμην ἐπὶ γαστέρα θνητῶν, Χωλόποδας τεύχει·* et 122: *Ἦν δ' ἐπὶ μαρτυρίην Ἄρεως ἐλθοῦσ' Ἀφροδίτη Ὄμμα βάλῃ παντευγὲς ἐν ἡμερινῇσι λοχείαις* κτλ. Sic paullatim invaluit usus, ut sidera ipsa nascentes adspicere dicerentur. Mamertin. Genethl. Maxim. 19: *nascentes vos--bona sidera et amica viderunt*; prorsus ut ex antiquiore etiam doctrina di *placido numine* nascentes adspiciunt. (Od. 4, 3, 2.) Hesiod. Theog. 84: *Ὁντινα τιμήσωσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο Γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι* κτλ. (Eadem significatione Ovidius in Ibidis v. 244. verbo *affulgere* usus est in Ibidis horoscopo exponendo: «*Non Venus affulsit, non illa Iuppiter hora.*) — In praesenti *adspicit*, id est, «adspexit nascentem et adhuc vim suam in me exercet», noli cum Ed. Leidensi argutari. — De Libra autem et Scorpio Manil. 4, 548: *Felix aequato genitus sub pondere Librae! Iudex examen sistet vitaeque necisque Imponetque iugum terris legesque rogabit. Illum urbes et regna trement nutuque regentur Unius, et caeli post terras iura manebunt. Scorpios extremae cum tollet lumina caudae, Si quis erit stellis tum suffragantibus ortus, Urbibus augebit terras iunctisque iuvencis Moenia succinctus curvo describet aratro, Aut sternet positas urbes, inque arva reducet Oppida et in domibus maturas reddet aristas.* Cfr. de Scorpio etiam Manil. 4, 217 seqq. Ceterum scriptura *Scorpios* usi sunt Cicero quoque et Germanicus (qui fertur) in Arateis, item Virg. Ge. 1, 35. Bosscha consuli iubet Ptolemaeum 4, 7. — Suo loco nunc addidi, quae in Iulii Firmici capitibus a Lessingio primum editis *Zur Geschichte und Litteratur* III. faciunt ad Horatii versus illustrandos.

18. *Formidolosus*] Manil. 4. 247: *Scorpion armat uti violenta cuspide cauda* cet. — *pars*] «sidus quod una cum aliis, quae adspicit, hominis genituram format atque definit.» — *violentior*] In omni genitura est unus semper *ἀστὴρ* auctore Manethone 1, 341 et 3, 443: *ὅς ῥά τε δεσπόζει γενέθλης μέγα τε κράτος ἔχει*, ideoque mathematico prae ceteris spectandus. Eadem stella Firmico l. l. pag. 254. *fortior radiatio* et *fortiores stellae*. *Violentior* itaque, «quae maximam vim in genituram eius, qui in illius aspectu natus est, exercet;» non: «quae propter violentiam, qua grassatur, homini ei subiecto periculum minatur.»

19. *Natalis*] *Letalis* in Codd. aliq.

Consentit astrum. Te Iovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit volucrisque Fati
Tardavit alas, cum populus frequens

25. *te populus* c.

ortum videtur e gloss. v. *violentior* superscripto eoque insuper falso. — *tyrannus*] «qui tempestates in mari occidentali, quod Hispaniam alluit, excitare solet.» Manil. 4, 791 Iacob: *Tu, Capricorne, regis, quidquid sub sole cadente Est positum gelidamque Helicen quod tangit ab illo, Hispanas gentes et quot fert Gallia dives, Teque feris dignam tantum, Germania, matrem Adserit ambiguum sidus terraeque marisque.* Propert. 4, 1, 85: *Quid moveant Pisces animosaque signa Leonis, Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua, Dicam.* Capricornus thema erat ipsius Augusti (Suet. Oct. 94.); unde frequenter in eius nummis conspicitur.

21. *Utrumque*] Pessimos versus hos dicit Sanadonus, ideo fortasse, quod intimos animi sensus maxima cum simplicitate exprimunt. Aliud certe fuit Persii iudicium ad Cornutum, praeceptorem suum, scribentis 5, 45: *Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo Consentire dies et ab uno sidere duci. Nostra vel aequali suspendit tempora Libra Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora Dividit in Geminos concordia fata duorum Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.* «Ptolemaeus ex trigonis amicitias nasci volt, quae *συναστρίαι* vocantur.» SCALIGER ad Manil. Ed. 1655. p. 158.

22. 23. *Te* cet.] Duplex est constructio v. *Saturno* et ad v. *refulgens* et ad v. *Eripuit*. — *Tutela*] Hoc quoque astrologorum vocabulum. Manil. 2, 434. 4, 698. — *impio-Saturno*] Manetho 1, 110: *Κρόνῳ βλαβερῷ*, 4, 309: *Κρόνου βλαβερανγέος ἀστήρ*, et 6, 36: *Φαίνων -- Δαίμονα τόν τε κακὸν πρότεροι φῶτες καλέσαντο.* (Achill. Tat. c. 24: *ὅμμα Κρόνιον εἰς τὸν οἶκον ἐνέσκηψε, τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον μετάγον μεταβολήν.*) Iulius Firmicus l. l. p. 229. *nefarium* dicit *Saturnum* eidemque *minacem radiationem* aliquoties tribuit, ut pag. 226. Idem p. 328: *Si Iove in parte horoscopi constituto in occasu et in diametro Saturnus constitutus Iovem horoscopumque* RESPICIAT *in diurna genitura et Luna plena referatur ad Iovem, divitias, felicitates et summae beatitudinis incrementa decernunt.* Saturnus in horoscopo positus, auctore Firmico 3, 3., multorum malorum et periculorum adventum, aegritudines et languores significat: amicum vero mortalibus sidus, Iuppiter, illius vim coërcet et vincit. Apelt *die Conjunction des Iuppiter und Saturn in Bran's Minerva; Iuli* 1840. S. 13: «*Bei Averroës sind Saturn und Iuppiter die mächtigsten astrologischen Herrscher.* — *refulgens*] «ex adverso radians.» Similis oppositio Ovid. Am. 1, 8, 29: *Stella tibi opposita nocuit contraria Martis: Mars abiit; signo nunc Venus apta tuo.*

24. 25. *volucrisque Fati*] «Mortem impendentem et iamiam adventantem a capite tuo depulit.» — *alas*] Est imago celeritatis, qua letum mortales rapere solet. Bent-

Laetum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas

26. *Festum* Codd. aliq. teste Cuningh., qui coni. *Faustum*. — 27. *inlapsus* T.

leius iungit: *volucrisque alas* (et habent Codd. aliquot *volucresque*). Iam etsi Ovidius A. A. 2, 45. dixit: *Remigium volucres disponit in ordine pennas*, vix puto Horatium, poëtam in epithetis deligendis multo cautiorem, dicturum fuisse *volucres alas* pro *celeribus*, ut Od. 3, 29, 53: *celeres-Pennas*. Virg. Aen. 5, 217: *celeres neque commovet alas*. — Lachmanni *alas; cui populus* cet. otiosam infert narrationem, nimis disiunctam a salute, quam nactus erat Maecenas. Hoc dicit: «tunc cum impio Saturno ereptus esses, populus, rursus sospitem te in theatro conspiciens, ter tibi plausit.»

26. *ter crepuit*] «Ter laeto plausu te populus excepit, cum levatum a morbo in theatro conspexit.» Propria hoc *ter*, haudquaquam nescio qua metaphorica significatione, ut volunt nonnulli, accipiendum est. Cfr. Propertii locum infra positum, de re Od. 1, 20, 3. *Crepare* cum accusativo poëtarum est. Propert. 3, 10, 4: (Musae) *manibus faustos ter crepuere sonos*.

27. 28. *Me truncus*] Cfr. Od. 2, 13. — *sustulerat*] Saepe sic actio, quam dicunt hypotheticam *(sustulisset)*, quasi re vera locum habuisset, exprimitur tempore plusquamperfecto modi indicativi. Tacit. Ann. 3, 14: *Effigies Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant, ni iussu principis protectae reposi-taeque forent*. — *Faunus*] Od. 3, 8. 7., ut poëtae licebat, Baccho suam conservationem tribuit. Hic *Faunus*, silvarum et agrorum deus, poëtam agri amantem atque solitudines libenter perambulantem protegit. (Lucian. bis Accus. 40: ὦ Πάν, μουσικώτατε καὶ πηδητικώτατε Σατύρων πάντων. Quia μουσικώτατος est, protegit poëtas.)

29. *levasset*] «deflexisset, avertisset.» Proprie est «in altum tollere ictum, dum cadit, itaque eum debilitare et repellere atque impedire, quominus feriat elidatque hominem, quem prius petebat.» — *Mercurialium*] Hoc nomine mercatorum sodalicium erat Romae a Cicerone ad Q. Fr. 2, 5. et in Inscriptt. meis Lat. 434. 2381. memoratum. Hic autem festive ita vocat poëtas, quos in tutela habet Ἑρμῆς λόγιος. Philostr. Her. pag. 286. ed. Kayser: τὶς τῶν παρ' Ἑρμοῦ σοφῶν. Sic Neoplatonici (Procl. ad Alcib. I. p. 449. Creuz.) viros praeclaro ingenio praeditos *Διίους ἄνδρας*, *Ioviales*, vocant. (Et similiter in Ἑρμογένους nomine ludit Plato in Cratylo 408. B.)

30. *Reddere*] Verbum proprium de votis, ut *solvere*. Prop. 2, 28, 59: *Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo, Munera Dianae debita redde choros*.

Aedemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

31. 32. *Aedemque votivam*] *SALUTI* deae. Inscriptt. m. Lat. 1827. vel *IOVI DEPULSORI-CONSERVATORI*. Ibid. 1230. 1629. — Venuste differentiam, quae intercedat inter immensas Maecenatis opes et suam paupertatem (significatione Latina) his versibus significat. Sic Ovid. Trist. 1, 10, 43: *Haec si contigerint, meritae cadet agna Minervae; Non facit ad nostras hostia maior opes.*

CARMEN XVIII.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiae

XVIII. Inscr. volg. *Ad avarum* et sic ST. — *Ad aurum* B. — *Ad uarum* b. — *De continentia qua paupertatem suam divitiis praefert* c. — 3. *Hymettias* - - *recisae* Th. Gale, non improbantibus Bentl. et Cuningh.

XVIII. «Ego mediocri mea sorte contentus despicio avaros, quos aeque ac pauperes mors manet.» Scriptum videtur carmen circiter a. u. c. 726. Cfr. Od. 3, 24. similis plane argumenti. — Ipsa autem metri, ut ita dicam, volubilitas et celeritas mirifice confert ad affectum animi sua sorte prorsus contenti atque omnia, quae supervacanea sunt, cum honesta quadam laetitia spernentis exprimendum. (Ceterum Horatius hic tantum eo usus est.)

1. 2. *ebur*] «*pro derivativo eburneum.*» Gloss. Codicis T. Bacchylidis Fr. 27. Bergk: *χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε μαρμαίροισιν οἶκοι.* — *aureum - lacunar*] «eburneis et aureis laminis ornatum lacunar s. laquear vel laqueare, laquearium.» De formis huius voc. cfr. Markland ad Statii Silv. 4, 2, 34. Manil. 5, 292: *triclinia templis Concertant, tectique auro iam vescimur auro.* Pausan. 1, 18,9: *οἰκήματα - - ὀρόφῳ τε ἐπιχρύσῳ καὶ ἀλαβάστρῳ λίθῳ.* — *renidet*] Cfr. Od. 2, 5, 19. Lucret. 2, 27: *Nec domus argento fulget auroque renidet.*

3. *Trabes Hymettiae* sunt epistylia *(architravi)* ex marmore albicante montis Hymetti prope Athenas; et *columnae recisae ex ultima Africa* sunt columnae e marmore Numidico seu Libyco (Epp. 1, 10, 19.), quod volgo appellamus *giallo antico.* Fea. Strabo 9. p. 613: *μαρμάρου δ' ἐστὶ τῆς τε Ὑμηττίας καὶ τῆς Πεντελικῆς κάλλιστα μέταλλα πλησίον τῆς πόλεως.* Amabant autem antiqui hanc marmorum varietatem, ut in Hippiae balneo primum erat Laconicum, tum Phrygium, denique *Νομὰς λίθος*, ut hic. Vidé Lucian. Hipp. 5. Stat. Silv. 1, 3, 35: *Auratasne trabes, an Mauros undique postes, An picturata lucentia marmora vena Mirer?* In balneo Claudii Etrusci apud Stat. Silv. 1, 5, 36: *Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis Purpura.* Propert. 3, 2, 9: *Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis Nec camera auratas inter eburna trabes - - At Musae comites.* Seneca Thyest. 646: *Immane tectum, cuius auratas trabes Variis columnae nobiles maculis ferunt.* Cfr. Becker *Gallus* I. ed. alt. p. 33 sq.

5. *neque Attali*] «Neque vero, ut aliquando (a. u. c. 624.) Romani veluti ex insperato heredes facti sunt Attali III. Philometoris, regis Pergameni, eiusque regiam thesaurosque occuparunt, qua occasione multa impune avertere poterant legati ad eam rem administrandam missi, ita ego necopinato aliquo

Premunt columnas ultima recisas
Africa, neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi,
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae:
At fides et ingeni
Benigna vena est, pauperemque dives
Me petit; nihil supra

8. *clientes* bcd, *clyentes* S. (non BT.) — Vv. 22-29. desunt in B.

casu dives sum factus.» In proverbium abierant Attali opes. Vid. Od. 1, 1, 12. Livii Epit. 58. Cfr. Vanderburgii Excursum Vol. I. p. 380. Nimis vero vaga videtur interpretatio, quam nuper proposuit Estré Hor. Pr. p. 220: «Horatium tangere homines sui temporis ignotos, recens divites factos, tanta luxuria, tanta superbia, uti domum, qualis vel Attali fuerat, occupare auderent.»

6. *Ignotus heres*] Attalus enim eos, quos testamento suo divites redditurus erat, ne noverat quidem, cum illud scriberet. Inest amara *εἰρωνεία*. De Aristonico, «qui mortuo rege Attalo, mentitus regiae stirpis originem, armis Asiam occupaverat victusque a M. Perperna ductusque in triumpho, sed a M'. Aquilio, capite poenas dedit» (Vellei. 2, 4.), nequaquam verba facit.

7. *Laconicas*] «Neque lanam in Laconia purpura tinctam (quae purpura nobilioris generis erat atque lucidior) mihi nent clientae, ut solebant vel mercede conductae vel gratis, ut patronorum gratiam inirent; nullas enim clientas habeo.» Est igitur sublata imagine: 1) «nec purpureis vestibus utor; 2) neque nobilitate conspicuus sum.» (V. *clienta* formatum tamquam a *clientus*. Lindemann ad Festum pag. 388.) Quod clientae ipsae *honestae* sunt, non infimae sortis, id auget patroni dignitatem. Non significat «pulchrae»; nihil enim hoc attinebat, utrum pulchrae essent clientae, quae lanificium exercerent, necne. («Ostendit votum clientum, quorum uxores, cum nobilibus togae praetextae fiunt ad spem magistratuum gerendorum, purpuras carpentes, iuvant matronas.» Schol. Haec si ex antiquis interpretibus desumpsit, bene habet: sed vide, ne sit recentioris alicuius commentum.) Mirifica est HP. interpretatio: «Pulchrae clientae non mihi, mei honoris causa et ut mihi placeant in longis purpureis vestibus incedunt et ad me veniunt.»

10. *Benigna vena*] ut A. P. 409: *sine divite vena*; quam metaphoram a metalli venis plerique repetitam putant; aliter Ovid. Trist. 3, 15 (al. 14), 33: *Ingenium fregere meum mala, cuius et ante Fons infecundus parvaque vena fuit*, ubi est vena aquae.

11. *Me petit*] «saepe ad se me vocat libenterque et comiter mecum versatur. Ultra haec autem nihil a dis impenso studio efflagito.» Cic. ad Fam. 13, 1, 1: *eos non sequebatur, qui me petebant;*

Deos lacesso nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novaeque pergunt interire lunae.
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus et sepulcri
Immemor struis domos

ubi *invidentibus* opponitur. Minime vero significat, ut alii voluerunt: «Multi, qui bonis suis nunquam contenti sunt, ad me solent venire, ut veram vivendi artem a me condiscant.»

12. *Deos lacesso*] Ut *fatigare* et *obtundere precibus* dicunt, sic etiam *lacessere* significat, «enixe precari deos, donec nos exaudiant.» Nolim enim cum Forcellino explicare: «deos ad iram provoco.» — *potentem amicum*] «aliquem, ut faciunt multi.» Generalis mihi videtur sententia, non de solo Maecenate accipienda; neutiquam enim, opinor, hunc ipsum *potentem* vocasset, qui potentiam suam quam maxime occultare studebat.

14. *Sabinis*] quae praedia a Maecenate dono acceperat a. u. c. 723., vel iam 720., ut demonstratum ivit Grotefend *Rh. Mus. N. F.* III. p. 471. Primum memoratur Sat. 2, 3, 10. Non obliviscendum longe minoris aestimatos esse fundos Sabinos quam Tiburtes, Tusculanos cet. Catull. 44, 1: *O funde noster seu Sabine seu Tiburs: Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est Cordi Catullum laedere; at quibus cordi est, Quovis Sabinum pignore esse contendunt.*

15. 16. *Truditur* cet.] in prosa oratione: «dies diem celeriter excipit mensisque mensem. Lunae continua vicissitudine crescunt et decrescunt.» Ammianus in Anthol. Pal. II. pag. 322: Ἠὼς ἐξ ἠοῦς παραπέμπεται, εἶτ', ἀμελούντων Ἠιῶν, ἐξαίφνης ἤξει ὁ ποφφύρεος.

17. *Tu*] Senem aliquem divitem, quem sibi obviam factum fingit, cum indignatione alloquitur, figura etiam oratoribus usitata. Cic. Philipp. 14, 7: *Tu, si ego de re publica optime sentiam, ut me vincas, ipse pessime senties?* — «Tu morti iam vicinus *locas*, id est, cum redemptore aliquo pactum inis, qui secanda marmora curet suo periculo.» *Secabatur* autem marmor in tabulas ad pavimentorum usum et ad parietes crusta marmoris operiendos. Plin. H. N. 36, 6: *Primum-marmoreos parietes habuit scena M. Scauri aedilis, non facile dixerim sectos, an solidis glebis positos. – – Nondum enim secti marmoris vestigia in Italia. Sed quisquis primum invenit secare luxuriamque dividere, importuni ingenii fuit.* Nimirum unam dumtaxat totius aedificationis partem verbo proprio denotavit, poëtarum more, neque debet explicari «excidere columnas vel solidas marmoris glebas.»

20-22. *Baiis*] oppidum Campa-

Marisque Baiis obstrepentis urges
Summovere litora,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos et ultra
Limites clientium
Salis avarus? Pellitur paternos

20. *bais* T. — 25. *Limitem* Pottierii quattuor et alii prob. Gesnero. (Ut nos, nostri.)

niae litorale, celebre amoeno situ et aquis calidis. Conf. Becker *Gallus* I. ed. alt. p. 124 sqq. — *urges*] «summo studio in id incumbis, ut longius promoveas litus molibus exstructis, non satis habens loci in litore. — *Ripam* pro *litore* et *litus* pro *ripa* usurpant poëtae; quid, quod etiam Cic. de Inv. 2, 34. de *litore* Eurotae loquitur? Volgo per *σύγχυσιν* nescio quam explicant, dicentes proprie *summoveri mare*, ut Seneca Controv. 5: *maria summoventur proiectis molibus*; sed h. l. dictum esse pro *promovere litora*, ut emendandum suasit Ed. Leidensis. Sed nihil obstat quin interpretemur, nullam sermoni vim inferentes, ex propria significatione huius verbi: «summovere litora, quae antea erant, et his nova eaque, ut consentaneum est, longius in mare excurrentia substituere.» Seneca de Tranq. An. 3: *Si generi humano renuntiamus, - - incipiemus aedificia alia ponere, alia subvertere et mare summovere et aquas contra difficultates locorum ducere.* Ceterum *continente ripa* non est «vicina», ut explicatur in Lexicis, sed «terrae continentis litus», ut Liv. 44, 28: *continenti litore.*

23. 24. *Quid, quod*] «Neque vero hoc tibi sufficit, sed semper cet.» — *proximos*] Hinc ductum est illud Quintiliani Declam. 13, 2: *Postquam proximos revellendo terminos ager locupletis latius inundavit.* — *Revellis*] Termini proprie dicuntur *moveri, exarari.* Festus in v. *Termino* p. 157. Lindem.: » *Numa Pompilius statuit eum, qui terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse.* Et terribilis imprecatio legitur in cippo apud Sponium Misc. p. 11. *Quisquis hoc sustulerit aut iusserit, ultimus suorum moriatur!*

25. 26. *clientium*] Lex XII. Tabb. (8, 21.): PATRONUS SI CLIENTI FRAUDEM FECERIT, SACER ESTO. — *Salis*] Inest in hoc v. audaciae significatio. Solonis lex apud Dirksen XII. Tabb. p. 734: *Ἐάν τις αἱμασιὰ παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρυγῇ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν.* — *Pellitur*] Haud infrequens illo tempore facinus, quia inopes clientes patronum iniustum, sed pecunia ac potentia vallatum, in ius arcessere non audebant. Sal. Iug. 41: *Interea parentes aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur.* Cic. pro Sulla 25: P. Autronius (Catilinarius ille) *exturbare homines e possessionibus, caedem facere vicinorum* solebat. Philipp. 14, 3: Antoniani inter alia scelera *eiiciunt vicinos.* Plin. H. N. 2, 68: *haec* terra, *in qua conterminos pellimus furtoque*

In sinu ferens deos
Et uxor et vir sordidosque natos.

Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata
Aula divitem manet

28. *que* om. T. — 30. *Capacis* Bentleii suspicio. — *fine* BbSTcd, Pott. omnes, LCtF: *sede* ex *δ* et tribus Cruquii (non Bland.) Bentl. M.

vicini caespitem nostro solo ordimur, ut qui latissime rura metatus fuerit ultraque famam exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? Exemplum perbene narratum praebet Apuleius Met. 9, 35. Quid, quod iam Hebraeus scriptor sic de eo facinore locutus est Proverb. 23, 10: *Ne attingas parvulorum terminos et agrum pupillorum ne introeas; propinquus enim illorum fortis est et ipse iudicabit contra te causam illorum.*

27. 28. *In sinu*] Tacit. Ann. 4, 40: *Incedebat profuga ducis uxor parvulum sinu filium gerens.* — *sordidosque natos*] «pannosos.» Voss: *die nackten Kindlein.* Von der Decken: *die bleichen Kindlein.* Gargallo: *i figli ignudi.* Ausus est Garve: *schmutzvolle Kindlein.* Minus quam nos in hac imagine offendebant antiqui, qui frequenter reos sordidatos videbant. Ovid. Am. 1, 8, 39: *immundae — — Sabinae.*

29—32. *Nulla certior*] «Quid migrare moliris naturae fines legesque mortalitatis? Pro certo tibi moriendum est.» Hunc locum communem et imaginibus et constructione aliquanto difficiliore poëticum reddidit. — *Rapacis*] Callimach. Ep. 2, 6: Ἅιδης ἁρπακτήρ. Et cum Orcus h. l. (maxime propter v. 36.) personae vicem sustineat, melior utique est Codd. lectio quam Bentleii suspicio *capacis*, quod Orco convenit, quatenus locum significat, ut Tib. 1, 3, 65: *rapax mors*, contra Ovid. Met. 4, 439. et Sen. Herc. fur. 664: Ditis *regnum capax.* — *fine*] Firmant hanc lect. Codd. mei cum omnibus Pottierii. Vocabulo explicatu difficiliori nonnulli substituerunt gloss. *sede.* Sed *finis* h. l. est «certus terminus, quem Orcus statuit hominibus rebusque humanis suum tandem in regnum recidentibus.» *Finis* autem hic *destinat*, designat, describit limite *(umgränzt)* Orci aulam; id est, «Orci aula certos habet limites, intra quos ubi semel fati lege pervenimus, nobis in perpetuum manendum est.» — *destinata*] ablat. comparationis iungendus cum supplenda voce *aulâ*, non cum *fine* (quod voc. semel dumtaxat genere fem. usurpavit Horatius Epod. 17, 36: *Quae finis?* ut statim acciperetur τί τέλος, non τίς σκοπός); neque ullam auctoritatem habent duo Feae Codd. *destinato* exhibentes. *Destinare* autem h. l. limitibus circumscribere, ut Virg. Cul. 389: *locum capit impiger: hunc et in orbem Destinat.* — *Aula*] «quaevis sedes ampla,» apte etiam de inferorum sede. Eurip. Alc. 259: Ἄγει μέ τις — — νεκύων ἐς αὐλάν. — *horum*] «te, multorum mancipiorum dominum locupletissimum.» — Iam videamus constructionem: *Nulla aula certior manet horum divitem* aulâ *destinatâ* (quam aula destinata)

Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris, nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum

32. *Erum* BT. — 36. *Revinxit* Sc et pr. b, *Revinxit* superscr. *Revexit* d. (Ut nos, BT et corr. b.)

fine Orci rapacis. Reiicio igitur ceteras: 1) *Nulla aula manet herum divitem certior fine destinata (als das vorher bestimmte Ende) Orci rapacis*. 2) *Nulla certior* (certius) *destinata aula manet herum divitem fine* (quam finis) *Orci rapacis*. Reiicienda etiam Bentleii interpretatio: «*nulla certior*, hoc est, *non certior* (vide Servium ad Georg. 1, 125.) *aula manet divitem herum* quam pauperem clientem.» Primum enim Latine opponeretur clienti non *herus*, sed *patronus*; deinde nulla omnino hic est comparatio inter patronum et clientem, sed inter *aulam* (qualecunque domicilium amplum et magnificum a divite exstructum) et aulam illam tenebricosam Orci, in quam etiam dives tandem deveniat necesse est. Denique nemini, ut opinor, magnopere placebit distinctio a Doederleinio Il. *Samml.* p. 224. excogitata: *Nulla certior tamen Rapacis Orci fine. Destinata Aula divitem manet Herum; quid ultra tendis?* praesertim cum prima enuntiatio: *Nulla - fine* nimis sit abrupta et ambitus unius sententiae ex solita ratione amplus ac plenus divisione illa in duas sententiolas similes nimis extenuetur.

33. *recluditur*] «Tellus, quae in omnes iisdem legibus utitur, aperit se ad recipiendas in Orcum mortuorum umbras.» Neutiquam explicandum cum Schol. Cruq.: «Tu regis filius sive potens sepeliendus es aequali terrae mensura cum paupere» (cfr. ad Od. 2, 14, 24.); qua significatione usurpanda erant vv. *tegi terra, tantundem terrae habere*. Est Menandri illud Mein. pag. 196: *Κοινὸν τὸν ᾅδην ἔσχον οἱ πάντες βροτοί.*

34. *satelles Orci*] Charon, propter v. 36. *Revexit*, non Mors, ut volebat Cruquius. Similiter Leonidas in Anthol. Pal. I. pag. 325: *Ἄϊδεω λυπηρὲ διήκονε, τοῦτ' Ἀχέροντος Ὕδωρ ὃς πλώεις πορθμίδι κυανέῃ* κτλ. (Charontis imago est in Gerhard *Gef. u. Trinksch.* T. X.)

35. *Callidum Promethea*] *Ποικίλον, ποικιλομήτην, ἀγκυλομήτην* eum vocant Graeci. Cfr. Aesch. Prom. 308. — De Prometheo in Orcum detruso cfr. Od. 2, 13, 37. Hic poëta Graecam aliquam fabulam, ex qua Prometheus auro oblato frustra aliquando a Charonte petierit, ut ipsum ad superos reveheret, videtur respexisse. — *Revexit*] Tres Vanderb. Codd. tresque mei *revinxit*, quod secutus est Voss. Sed apud Virgilium et Propertium hoc v. significat «arcte ligare»; «solvere» demum apud Columellam 1, 8, 16.

36. *auro captus*] Cfr. Epp. 2, 2, 178: *Orcus - - non exorabilis auro*. — *Hic*] «Orcus», non «satelles Orci», Charon, ad quem ultimi certe versus nullo pacto referri queunt. Nam alia res est, si Eurip. Alce-

Tantalum atque Tantali
Genus coërcet, hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit. 40

stis ita loquitur v. 252: *νεκύων δὲ πορθμεὺς - Χάρων μ' ἤδη καλεῖ.* Charontem autem nemo invocabat ut deum.

37-40. *Tantali Genus*] Pelopem, Atreum, Agamemnonem, Orestem. — Infinitivum *levare* melius construes cum participio *Vocatus* («vocatus, ut levet») quam *levare - - - audit.* (Lamb.) — *functum - laboribus*] Euripides in Cresphonte apud Cic. Tusc. 1, 48, 118: *qui labores morte finisset graves.* — *Vocatus atque non vocatus*] Apud Thucyd. 1, 118. *αὐτὸς* (Apollo) *ἔφη, ξυλλήψεσθαι καὶ παρακαλούμενος καὶ ἄκλητος.* — *audit*] Proprie *exaudit* eum dumtaxat, qui vocavit; sed per brachylogiam hanc contraxit sententiam: «pauperis, qui in hac vita multa mala perpessus est, miseretur sive ab eo invocatus, sive non invocatus, eumque levat.» Minime autem, ut voluit nonnemo, est *ἀντίθεσις* inter *Tantalum* impium, locupletem ac potentem, et *pauperem*, innocentem. (Huic succurrit mors, illum redire frustra cupientem aeternis vinculis retinet ac punit.) «Alludit Horatius ad notissimam fabellam de sene Mortem invocante, ut sibi onus levet.» Halm. Fabellae tamen ipsius Aesopiae Ed. Cor. 20. p. 13. sensus plane est diversus.

CARMEN XIX.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem — credite posteri —
Nymphasque discentes et aures
Capripedum Satyrorum acutas.

XIX. Inscr. volg. *Hymnus in Bacchum.* — *Ad Liberum patrem* BST. — *Liberi patris laudes* c. (Om. b.) — 3. *auris* T.

XIX. Videtur ex Graeco aliquo exemplari expressus hic in Bacchum hymnus prope ad dithyramborum genus accedens. Pulchre autem et gradatim a Bacchi lusibus usque ad res ab eo inter deos atque ipso in Orco domito gestas progreditur, in qua mirabili imagine desinit carmen. Similes hymni sunt Properti 3, 17., Ovidii Metam. 4. init., Trist. 5, 3. Compositionis tempus nos latet.

1. *remotis*] Sic absolute etiam Cic. ad Fam. 7, 20, 2: *remoto, salubri, amoeno loco.* — *carmina*] «hymnos mysticos ad Bacchi cultum pertinentes.» — *rupibus*] Bacchus ὄρειος, ὀρειφοίτης (Phanocl. Fr. 3.), recessus amans. Eur. Cycl. 74: *ὦ φίλε Βάκχιε, ποῖ οἰοπολεῖς ξανθὰν χαίταν σείων;* Soph. Oed. Tyr. 1105: *ὁ Βακχεῖος θεὸς ναίων ἐπ' ἄκρων ὀρέων.*

3. *Nymphasque*] Longus 3, 23: *αἱ Νύμφαι πᾶσαι μουσικαί.* Pratinas in hyporchemate apud Athen. 14, 8. Bergk p. 842: *Βρόμιον Ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν Ἀν' ορεα σύμενον μετὰ Ναϊάδων.* Fuerant autem Bacchi olim *τιθῆναι*, nutrices. Anacreon Fr. 2. Bergk.: *Ἴωναξ, ᾧ δαμάλης Ἔρως Καὶ Νύμφαι κυανώπιδες Πορφυρέη δ' Ἀφροδίτη Συμπαίζουσιν· ἐπιστρεφεαι δ' Ὑψηλῶν κορυφὰς ὀρέων, γουνοῦμαί σε.* Soph. Oed. Col. 678: *ἵν' ὁ βακχιώτας ἀεὶ Διόνυσος ἐμβατεύει θεαῖς ἀμφιπολῶν τιθήναις.* Himerius Orat. 1, 20: *Νυμφῶν χορὸς καὶ Δρυάδων ἠχὼ καὶ Σατύρους σκιρτῶντας καὶ Πᾶνα συρίζοντα καὶ πάντα τὸν Διονύσου θίασον.* Conf. Od. 1, 1, 31: *Nympharum - leves cum Satyris chori.*

4. *Capripedum*] *τραγόποων* Pana vocat iam Simonides p. 189. Schneidew. *Capripedes* autem *Satyros* hos cum Paniscis confundentes dixerunt Lucretius 4, 582. et h. l. Horatius. Atque haud raro sic posteriores. Anth. Pal. II. p. 705. de Praxitelis Satyro: *Ὁ τραγόπους, ὁ τὸν ἀσκὸν ἐπηρμένος.* Ibid. p. 629: *Σύντροφος εὐάσταις, αἰγοπόδης Σάτυρος.* Duo tales Satyri nominantur *ΣΙΜΟΣ*, *ΚΩΜΟΣ*, Nympha *ΧΑΙΡΑΣ*, alibi duae Nymphae Bacchicae, *ΓΑΛΗΝΗ* altera, altera *ΕΤΑΙΑ* tempus serenum, non *ΕΤΟΙΑ* ab Evoe, ut coniecit Gerhard *ant. Bildw.* p. 222. Ceterum de Horatii loco vide Zoëga *Bassirilievi* T. 75. Not. 14. Lanzi *de' vasi dipinti* p. 107. Gerhard *del dio Fauno* p. 35. Macrob. Sat. 1, 18. p. 287: *In Parnaso Satyrorum frequens cernitur coetus et plerumque voces propriae eorum exaudiuntur.* Eleganter in hac Nympharum Satyrorumque

Euoe, recenti mens trepidat metu
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur. Euoe, parce Liber,
Parce, gravi metuende thyrso!

5. 7. *Euhoe - - - Euhoe* T.

inter se lascive ludentium imagine luxuriatur Ausonius in Mosella 170 seqq. Immo iam Hesiodus Fragm. 91. Ed. Didot.: *οὖρειαι Νύμφαι θεαί - - Καὶ γένος οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοεργῶν.* Contra Ovid. Trist. 5, 3, 37: *Sic tibi* (Bacche) *cum Bacchis Satyrorum gnāva iuventus Adsit, et attonito non taceare sono. — acutas*] significatione propria accipiendum, non «arrectas, attentas,» quae notio potius inest in ipsa v. *aures*. Fingebantur enim *ὀξεῖς τὰ ὦτα* et calvi. Lucian. Deor. Conc. 4.

5. *Euoe*] In vase Bacchicis imaginibus referto pluries est *ΕΥΑ ΕΥΟΕ*. Iahn *Vasenbilder* 1839. p. 21. — *trepidat*] «acriter agitatur saevo illo horrore, qui *θεοφανείας* comitari solet.» Virg. Aen. 4, 279: cum Mercurius apparuisset: *At vero Aeneas aspectu obmutuit amens Arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.* Iliad. *υ*, 134: *χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς.*

6. *Plenoque pectore*] Od. 3, 25, 1: *Quo me, Bacche, rapis tui Plenum?* Ovid. Fast. 6, 538: *Fitque sui toto pectore plena dei. — turbidum Laetatur*] «Confert Meinekius cum h. l. Pherecratis Fragmentum II. p. 314: *γελῶντα καὶ χαίροντα καὶ τεθολωμένον.*» Halm. Sic Virg. Aen. 8, 559: *inexpletum* (al. *inexpletus*) *lacrimans* et frequenter apud poëtas. Od. 1, 22, 23: *Dulce ridentem.* Silius 6, 540: *densum texitur ferri stimulus.*

7. *Euoe, parce*] Metuit primum se deo tradere, quia *θεολήπτων* saepe miser exitus; sed cum resistere iam non possit potenti eius afflatui, quem iam benignum esse sentit, exclamat *Fas - est* cet. Ex lyricorum autem more omissus est transitus, itaque motus et laetitia sese prope permiscent, ut in philosopha Lucretii mente (3, 28.) *divina voluptas atque horror.* Cfr. apud Ovid. Her. 16, 63. Paris de Mercurio: *Fas vidisse fuit; fas sit mihi visa referre.*

8. *gravi metuende thyrso*] Est *ἐπίθετον* generale, ut in Anthol. Pal. II. p. 682. de Baccho et Hercule: *(ὁ μὲν) θύρσῳ δεινός, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.* Himer. Eclog. 19, 2: *τὰ τοῦ Διονύσου ὅπλα νεβρίδες καὶ θύρσοι·* neque cum Scholiastis explicandum: «Putat per mentis perturbationem, sibi infesto thyrso deum imminere;» ut est fere apud Ovid. Am. 3, 15, 17: *Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus.* Item in Eurip. Ione 216: *Βρόμιος ἄλλον Ἀπολέμοισι κισσίνοισι βάκτρος ἐναίρει Γᾶς τέκνων.*

9. *Fas - est*] «Propter furorem *(ἐνθουσιασμόν)*, quo Bacchus me concitat, sentio fas esse mihi canere deum neque ideo illum iratum mihi fore.» — *pervicaces*] «assidue violento cum motu tripudiantes, in furore perstantes, effrenes.» Catull. 63, 23: *Ubi capita Maenades vi iaciunt hederigerae. — est mihi*] Haec Codd. lectio magis poëtica et efficacior est quam Bentleii *sit mihi.* — *Θυιάδες* s. *Θυΐάδες*

Fas pervicaces est mihi Thyiadas
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos atque truncis
Lapsa cavis iterare mella;
Fas et beatae coniugis additum

9. *sit mihi* Bentleius coni. — *Thyadas* BbSTcd,LCt.

a v. *θύειν*, furere. Soph. Antigon. 1152: *Θυιάσιν αἴ σε μαινόμεναι κτλ.*

10. *Vinique fontem*] Eurip. Bacch. 704: *Θύρσον δέ τις λαβοῦσ' ἔπαισεν ἐς πέτραν, ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς· ἄλλη δὲ νάρθηκ' ἐς πέδον καθῆκε γῆς, Καὶ τῇδε κρήνην ἐξανῆκ' οἶνον θεός· Ὅσαις δὲ λευκοῦ πώματος πόθος παρῆν, ἄκροισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα Γάλακτος ἑσμοὺς εἶχον· ἐκ δὲ κισσίνων Θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί.* Plato in Ione p. 534. A.: *αἱ Βάκχαι ἀρύτονται ἐκ τῶν ποταμῶν μέλι καὶ γάλα κατεχόμεναι, ἔμφρονες δὲ οὖσαι οὔ.* Philostr. Imagg. 1, 14: *(ἡ γῆ) καὶ συμβακχεύσει (τῷ Διονύσῳ) καὶ οἶνον ἀφύσσειν ἐκ πηγῶν δώσει γάλα τε οἷον ἀπὸ μαζῶν ἕλκειν τὸ μὲν ἐκ βώλου, τὸ δὲ ἐκ πέτρας.* Claudianus Laud. Stilich. 1, 85. de Serenae egressu: *mellisque lacus et flumina lactis Erupisse solo* (ferunt).

11. *truncis*] Antiquissimum abundantiae symbolum, ubi e cavis truncis mel manat. Exod. 3, 8: *Κατέβην εἰσαγαγεῖν αὐτοὺς - - εἰς γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι.* Hesiod. O. et D. 230: *Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον, οὔρεσι δὲ δρῦς ἄκρη μὲν φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας.* Virg. Ecl. 4, 30: *Et durae quercus sudabunt roscida mella.*

12. *iterare*] Nolim explicare cum aliis: «semel atque iterum narrare», nec: «post alios exponere.» Nimirum *iterat* poëta, quae gesta describit, quae *μιμεῖται*. Asellio apud Gell. 5, 18: *Quae eo in bello gesta sint,* (non explicatis causis et consiliis) *iterare, - - id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.* Sic est «narrare, quae ante facta sunt», in Plauti Asin. 3, 2, 21: *tua quoque male facta iterari multa - - possunt,* ubi nemo supplebit «post alios.»

13. 14. *beatae*] *ἀποθεωθείσης.* — *coniugis*] Ariadnae, Minois et Pasiphaës filiae, prius a Theseo in Naxo insula desertae, ex qua Ceramum Bacchus suscepit. Pausan. 1, 3, 1. — Vide Excursum ad hoc carmen. — Iliad. *σ*, 592. Odyss. *λ*, 321. Hesiod. Th. 947: *Χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην - - ποιήσατ' ἄκοιτιν.* Varii de eius corona inter sidera relata *μῦθοι* erant; v. c. Theo ad Arati Phaen. 71: *τὸν κίσσινον στέφανον, ὃν ἐφόρει ὁ Διόνυσος, μετὰ θάνατον τῆς Ἀριάδνης ἰσχυροπαθῶν ἀπέθετο καὶ κατηστέρισε μνημόσυνον τῆς ἐπ' Ἀριάδνῃ συμφορᾶς.* Sed frequentior erat fabula auream fuisse coronam, opus Volcani, ab hoc Veneri, a Venere Baccho, ab hoc Ariadnae muneri datum. Cfr. egregium locum Ovidii Fast. 3, 459 seqq. Propert. 3, 17, 8: *Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis.* Ovid. Her. 6, 115: *Bacchi coniux redimita corona Praeradiat stellis signa minora suis.* Seneca Herc. fur. 18. Iuno irata: *«Mundus puellae serta Gnosiacae gerit.»* Nonnus 8, 98: *Καὶ στέφος*

Stellis honorem tectaque Penthei
Disiecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

Tu flectis amnes, tu mare barbarum,
Tu separatis uvidus in iugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines:

14. *panthei* T.

ἀστερόφοιτον ἐπιχθονίης Ἀριάδνης, Σύνδρομον Ἠελίοιο, συνέμπορον Ἠριγενείης. Cfr. eundem Lib. 48. extr. — *honorem*] ornamentum, ut Virg. Aen. 7, 815. *regius honos* de chlamyde purpurea. Avien. Arat. 497: *Aspice, ceu rutilis vibret lux Gnosia flammis: Haec quondam Bacchi monumentum fulget amoris, Haec Ariadnaei capitis testatur honorem.* — *Penthei*] regis Thebarum, qui Bacchi numen agnoscere cum nollet, ab eo exitio datus est. Cfr. Euripidis Bacchas, ubi v. 633: (*Βάκχιος*) *Δώματ' ἔρρηξεν χαμᾶζε· συντεθράνωται δ' ἅπαν.* Nonnum 46, 209. Quod fulmine ictum Pentheum dicit Schol., videtur ex male intellecto hoc loco ortum esse. Apud Euripidem enim, Theocritum Id. 26. aliosque ab Agave matre, Inone et Autonoa discerpitur vel in Cithaerone monte (Strabo 9. p. 408. D. et imprimis Philostr. Imagg. 1, 18.) vel in Parnasso. (Aeschyl. Eumen. 24.) Totam fabulam egregie exposuit O. Iahn: *Pentheus und die Mainaden. Kiel*, 1841. Eius exitium v. Millin *Gal. myth.* T. LIII.

16. *Lycurgus*, Edonorum rex, ob pulsas cum Libero Bacchas a Iove excaecatus, Iliad. ζ, 130.; ut alii ferunt, ob vites excisas a Baccho in furorem actus, quo et Dryantem filium interfecit et sibi ipse crura falce amputavit. Prop. 3, 17, 23: *Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum* (dicam). Aliter Stat. Theb. 4, 385. ubi *regina chori* exclamat: *ferrato rapidus quatis Ismara thyrso Pampineumque iubes nemus irreptare Lycurgo.* Cfr. de Lycurgo Sophocl. Antig. 955. Longin. S. 15. p. 62. W.: *Παρὰ μὲν Αἰσχύλῳ παραδόξως τὰ τοῦ Δυκούργου βασίλεια κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Διονύσου θεοφορεῖται, Ἐνθουσιᾷ δὴ δῶμα, βαχχεύει στέγη.* Anth. Pal. II. p. 663.

17. *amnes*] Bacchum Hydaspen et Orontem thyrso suo tactos sicco pede transisse prisca narratio erat. Nonn. 13, 123. — *mare barbarum*] «Indicum». Seneca Herc. fur. 905: *Adsit Lycurgi domitor et rubri maris.* Ex v. *flectis* eliciendum: «sedas, tranquillum reddis.» (Bacchi triumphum Indicum vide in Zoëga *Bassi rilievi* I. p. 25. item p. 41.)

18. 19. *separatis*] «remotis ac solitariis.» — *uvidus*] Cfr. Stob. T. 5, 102: *ἡνίκα τοῖς πότοις ὑπὸ τοῦ οἴνου δροσισθῇ ἡ ψυχή.* Ibid. 120. ex Heraclito: *ἀνὴρ ὑγρὴν τὴν ψυχὴν ἔχων*, «bene potus.» Eurip. El. 326: *μέθη δὲ βρεχθείς.* — *coërces*] Ad v. usum cfr. Ovid. Met. 4, 477: *Vitta coërcebat positos sine lege capillos.* Halm. — «Ludens crinibus *Bistonidum*, Thraciarum Baccharum, implicas pro nodis viperas, quae

Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala;

Quamquam choreis aptior et iocis
Ludoque dictus non sat idoneus
Pugnae ferebaris: sed idem

23. *Rethum* Sd, *Rhoecum* corr. Bland., LCt. (Ut nos, BbTc.) — 24. *horribilisque* Bentleii suspicio.

tamen nec tibi nec illis quidquam nocent.» Alibi Bacchae semet ipsae anguibus cingunt. Eurip. Bacch. 103: (*Ζεὺς*) *θεὸν Στεφάνωσέν τε δρακόντων στεφάνοις, ἔνθεν ἄγραν Θυιάσφοροι μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις.* Catull. 64, 258: Bacchi comitum *Pars sese tortis serpentibus incingebant.* In aliis monumentis antiquis Bacchae utraque manu serpentem tenent. V. Raoul-Rochette *Mon. inéd.* p. 22. — *sine fraude*] «sine noxa.»

24. 22. *Tu* cet.) Etenim cum in campis Phlegraeis di cum gigantibus ancipiti proelio diu decertassent, ferunt Terram Iovi dixisse non aliter deos Gigantibus superiores futuros, nisi duos semideos sibi belli socios et adiutores adiungerent. Ita Bacchus (unde *γιγαντολέτωρ* vocatur) et Hercules arcessiti sunt, quorum opera et virtute di victoria sunt potiti. De Hercule autem supra Od. 2, 12, 6. Lamb. Eurip. Cyclops v. 5. Silenus: *Ἔπειτα δ' ἀμφὶ γηγενῆ μάχην δορὸς Ἐνδέξιος σῷ ποδὶ παρασπιστὴς γεγώς, Ἐγκέλαδον ἰτέαν μέσην θενὼν δορὶ Ἔκτεινα.* Ceterum post Hesiodum demum Bacchus deorum auxiliator est in debellandis Gigantibus. Cfr. Apollod. 1, 6, 2: *Εὗρτον δὲ θυρσῷ Διόνυσος ἔκτεινεν.* (Gerhard *Vasenq.* II. T. LXXXV.) Immo fabula semper magis luxuriante apud Nonnum Bacchus fit solus Gigantum victor L. 25, 205: *θυρσοφόρος δὲ Μοῦνος ἀποτμήξας ὀφιώδεας νίας ἀρούρης Εὔιος ἔχραε πᾶσι, Διὸς πρόμος.* — *per arduum*] non tam «per arduos montes, Ossam et Pelion, ab iis exaggeratos,» quam «in sublime enisa.» — *scanderet*] Pindarus apud Eustath. Schneidew. pag. 36: *πίτναντες θοὰν Κλίμαχ' ἐς αἰπὺν οὐρανὸν -- Ἀλλαλοφόνους δ' ἐπάξαντο λόγχας.*

23. *Rhoetum*] unum Gigantum. Od. 3, 4, 55. — *retorsisti*] «summo impetu reppulisti.» — *leonis*] Qua forma assumpta perterrefecit etiam piratas Tyrrhenos. Hymn. Hom. 6, 44. — De Baccho leonino v. Gerhard *Etr. Spiegel.* p. 44.

25-27. *iocis*] Apud Platonem Cratyl. 406. C. Bacchus et Venus *φιλοπαίσμονες θεοί.* — *ferebaris*] a dis; «primum tibi ut *φιλοπαίγμονι* (Anacr. 42, 2.) tuoque auxilio haud nimis fidebant, sed viribus ac fortitudine tua cum deiecti statu sunt Gigantes, aliter iam de te iudicarunt.» De construct. *quamquam - sed* hic et in Statii Achill. 1, 3. egit Markland ad Stat. Silv. 3, 3. pag. 163. errans tamen de Ovid. Met. 3, 54.; de *etsi - - sed* cfr. Hand Turs. II. p. 603. Quo significarem, *quamquam* hic abso-

Pacis eras mediusque belli.

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens

lute (*zwar, bensì*, ut Cic. pro Ligario 8, 24: *Quamquam, quid facturi fueritis, dubitem, cum videam quid feceritis?*) accipiendum esse, pro virgula colon nunc posui ante v. *sed*.

28. *mediusque*] «idem ad utrumque aeque aptum te praebebas, et ad bellum, nam fortissimus eras ac terribilis, et ad pacem, es enim laetitiae plenus, *ἐγερσίγελως*, *χορευτής*.» Nemo adhuc prorsus simile exemplum attulit construct. *medius belli* cet. pro: «qui in bello atque in pace aeque insignis est, et summus pacis amicus atque tutor, et fortissimus bellator.» (Paullo aliter Dillenburger: «Bacchus medius est belli pacisque, inter bellum et pacem, neque per se alterutri deditus, sed, ut tempus fert, modo bellicosus, modo pacis amator.») Differunt exempla et Forcelliniana et prorsus absonum est, quod afferunt Interpretes, Ovid. Metam. 5, 564: *At medius fratrisque sui maestaeque sororis Iuppiter*, ubi est «*μεσίτης*, pacificator.» Apposite ad h. l. Aristides in Dionyso p. 49. Dind.: *ὥσπερ γὰρ δίδυμος πάντη αὐτὸς πρὸς ἑαυτόν ἐστι - - πολεμικός τε δὴ καὶ εἰρηναῖος διαφερόντως θεῶν*. Comparare licet etiam Virg. Aen. 11, 658: *pacisque bonas bellique ministras*. Cfr. Regel ad h. l. — De hac collocatione part. *que, ne, ve* apud poëtas, qui eas ita interdum verbo duobus orationis membris communi annectunt, ut hic proprie pro «medius pacis mediusque belli», inspice Dissen ad Tib. 1, 1, 51: *O quantum est auri potius pereatque smaragdi!* (1, 3, 56: *Messala terra dum sequiturque mari*. Cfr. apud Horat. mox v. 32. Od. 3, 1, 12. 3, 4, 11.) — Ceterum vv. 25—28. resecari iussit Guietus tamquam nimis languidos et volgarem continentes amplificationem. Verum summa arte usus tranquillo hoc carminis exitu, qui consulto opponitur impetuoso illi exordio, significat poëta turbidam suam laetitiam paullatim transisse pium in *ἐνθουσιασμόν*, qualis eorum est, quorum mens una cum diis versatur. (Minime intelligo, cur a Sanadono, Ianio nuperque a Luebkero haec stropha, quae mihi semper pulchra ac venusta visa est, tam acriter reprehendatur.)

29. *insons*] «ita ut tibi nulla ex parte noceret.» Adiit autem Bacchus inferos Semelen matrem inde reducturus. Apollod. 3, 5, 3. Pausan. 2, 37, 5: *Εἶδον - - καὶ τὴν Ἀλκυονίαν λίμνην, δι' ἧς φασὶν Ἀργεῖοι Διόνυσον εἰς τὸν Ἅιδην ἐλθεῖν Σεμέλην ἀνάξοντα*.

30. *Cornu*] antiquum hoc impetus ac roboris, cui resisti non potest, symbolum, ut in Fluviis. Hinc poëtis *χρυσόκερως*, *κερασφόρος*, *ταυρόκερως* Orph. Hymn. 52, 2. Tibull. 2, 1, 3: *Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva Pendeat*. Propert. 3, 17, 19: *Quod superest vitae, per te tua cornua, vivam Virtutisque tuae, Bacche, poëta ferar*. — *atterens*] proprie: «adfricans caudam ventri,» leni motu tibi *adulans* (prima significatione: *σαίνων*). Simpliciter non potest significare «subiiciens», cum in v. *leniter* manifesto motus significatio insit. Nec igitur conferri debebat Virg. Aen. 11, 812. de lupo: *caudamque remulcens Subiecit pavitantem utero*; non enim pavorem Cer-

Caudam, et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

beri depingit (ut Seneca Herc. fur. 843: Cerberus ab Hercule domitus *Herumque fassus, ore submisso obsequens Utrumque cauda pulsat anguifera latus.)*, sed adulationem adversus deum. — Duae autem sunt imagines, una in Orcum intrantis Liberi, ubi Cerberus caudam leniter movet, altera exeuntis, ubi illi pedes lambit; quibus imaginibus poëta potentissimi dei securitatem, qua inferorum loca perambulat, exprimit. Hoc minus intelligens Upton ad Arrian. p. 222. in unam sic confudit: *Cornu decorum et, leniter atterens Caudam, recedentis* cet.

34. 32. *trilingui Ore*] «uno ore, in quo tres linguae sive lingua trifida, qualis solet in serpentibus fingi.» Naeke in Progr. 1821. Quam tamen interpretationem rectam esse non credo, sed explico de Cerbero tricipite. Sic Valerius Flaccus 7, 184. triplici Hecatae *cantum trilinguem* tribuit. Atque omnino quaeri potest, num Cerberum aliter quam vel tricipitem vel centicipitem descripserint poëtae Latini. Cfr. Virg. Aen. 6, 417. Ovid. Met. 10, 21. Pseudotibullus 3, 4, 3., qui omnes Cerbero *tres linguas* tribuentes tria eius capita significant. Vide Od. 3, 11, 20.

EXCURSUS

Ad C. XIX.

Significare iuvat, quomodo ex antiquis aliquot monumentis illustrari possit Horatianum hoc carmen. V. 3. *Nymphasque - - Satyrorum*] *ΧΑΙΡΑΣ* illa, *ΣΙΜΟΣ* et *ΚΩΜΟΣ* est in *Museo Borb.* II. T. 45., *ΓΑΛΗΝΗ* et *ΕΥΔΙΑ* Nymphae apud Millingen Coghill. T. 19. — 8. *metuende thyrso*] Sic in vase picto apud Millingen *Uned. Mon.* I. T. 25. Bacchus Eurytum vel Deriadem, qui gladio destricto cum eo congreditur, thyrso transfodit. — 13. *beatae coniugis*] Satis frequentes Ariadnae sunt imagines, veluti duae illae in Beckeri *Augusteo* T. 7. (cfr. p. 407.) et T. 67. Ariadnae a Theseo desertae una cum Cupidine longinquam iam huius navem demonstrante imaginem habes apud Inghirami *Gall. Om.* III. p. 211., aliam apud Gerhard *Vasengem.* T. 48. Inspice etiam *Museo Borbonico* XIII. T. VI. et VII. Cfr. Avellino *Bull. arch. A.* III. p. 26. — Ariadnam desertam consolatur Bacchus inspectante Cupidine in vase picto apud Millingen *Uned. Mon.* I. T. 26. Eiusdem a Somno, qui alatus puellae assidet, sopitae, et a Baccho totoque eius choro ex Naxo insula abductae pictura Pompeiana est in *Mus. Borb.* XIII. T. 6. Sed prorsus egregia est imago Bacchi et Ariadnae cum Como, illius vel filio vel alumno, atque Tragoedia apud Gerhard *Vasengem.* T. 56, 2. (Bacchus et Ariadne egregie descripti sunt ab Ovidio A. A. 1, 527 sqq.) — 14. *Penthei*] Pausan. 1, 20, 3: *(Ἀθήνησι) Διονύσου ἐστὶ πρὸς τῷ θεάτρῳ τὸ ἀρ-*

χαιότατον ἱερόν. -- Γραφαὶ δέ αὐτόθι -- καὶ Πενθεὺς καὶ Λυκοῦργος ὧν ἐς Διόνυσον ὕβρισαν διδόντες δίκας· Ἀριάδνη δὲ καθεύδουσα καὶ Θησεὺς ἀναγόμενος καὶ Διόνυσος ἥκων ἐς τῆς Ἀριάδνης τὴν ἁρπαγήν. Has picturas Horatius fortasse viderat Athenis. — De Lycurgo cfr. imprimis Zoëga *Abhandl.* I. *Kunstblatt* 1829. N. 15. Eum videbis in vase italo-graeco in Millin *Descr. des tomb. de Canose* T. 2. N. 14. et in altero *Mus. Borb.* XIII. T. 29., ubi iam amens factus vel filio vel Baccho ipsi (Inghirami *Gall. Om.* I. p. 156.) securi ictum intentat. Lycurgi exitium ipsum, ubi Furia ferro acutissimo eum excaecat, est ibid. Iliad. Tab. 82. comparato Nonno 20, 35. (Conf. etiam Gerhard *Archaeolog. Zeitung.* IV. p. 254.) — v. 20. *Bistonidum*] Bacchae utraque manu serpentes gestantes v. apud Raoul-Rochette *Mon. inéd.* I. p. 22. — 22. *Gigantum*] Bacchi Gigantem confodientis egregia est imago apud Gerhard *Vasengem.* T. 64. Item Bacchus barbatus Eurytum confodiens apud Millingen I. T. 25. atque Ephialten ibid. T. 7. — 23. *leonis*] Interdum, sed raro, leo Bacchi est famulus sive comes in antiquae artis operibus. Cfr. Gerhard *Vasengem.* T. 38. — 29. *Te vidit*] Cum Semelen matrem ex Orco reduceret, cuius incepti a Libero patre feliciter patrati pulcherrima imago exstat in *Monum. dell' Inst. archeol.* T. 56.

CARMEN XX.

Non usitata nec tenui ferar

XX. Inscr. volg. *Ad Maecenatem*, et sic BbS. — *Ad Mecenatem allegorice tetracolos* T. — *Se immortalem futurum et in cignum convertendum* c. — 1. *non tenui* d, $\varkappa\mu$, Pott. duo, Fea. (Ut nos, BbSTc.)

XX. In cycnum se mutatum atque a terris mox discessurum fingens, nomen poëtae ab omnibus honorati immortalemque gloriam sibi pollicetur. Egregius nostrae aetatis philologus (Eichstadius) ita de hoc carmine iudicavit: «Horatium non serio rem egisse, sed urbana quadam ad Maecenatem iocatione usum putamus, qua poëtam se quidem et propter lauream poëticam haud indignum Maecenatis amicitia profiteretur, sed per ipsam summae ostentationis simulationem, quantum ostentationis vanitas distet ab festivi hominis hilaritate declararet.» — Illud ante omnia Horatio propositum erat, ut, multos cum haberet iniquos atque obtrectatores, partim malos poëtas, partim grammaticos antiquarios, ab aequalium optimis quibusque et sanissimis tandem agnosceretur *Romanae fidicen lyrae*; quod quidem propositum cum teneret, libri secundi ultimo carmine, in illustri loco posito et cui lector aliquantisper saltem immorari debebat, antequam ad tertium librum transiret, suam quasi *ἀποθέωσιν* celebrare atque illud, ut primi libri primum carmen summo suo fautori inscribere decrevit; carmine vero iocoso *(burlesco)* hunc librum concludere non poterat, nisi si ineptus iure videri voluisset; neque vero metrum Alcaicum eiusmodi ioco satis convenit. Attamen in eandem fere cum Eichstadio opinionem inclinat Schneidewin in Coniect. crit. 1839. 8. p. 17, et in altero libello Coniect. crit. p. 32. deceptus, ut mihi quidem videtur, ab Alcmane, cuius carmen vel hoc nomine distabat ab Horatiano, quod in illo enarrabantur populi portentosi et longissime a Graecia remoti, Riphaei, Issedones cet.; in hoc autem omni *εἰρωνείας* suspicioni prorsus repugnant verba: *et qui dissimulat metum Marsae cohortis Dacus*. Amicus quidam meus aliquando haec mihi scripsit: «Non sine causa nonnulli toto in carmine reprehendisse mihi videntur nescio quem *παρένθυρσον*. Praeterea haud scio an non putidi aliquid habeat vv. 9—12. nimis accurata illa singularum, quas subierit, mutationum quasi enumeratio.» Respondi non magis eam displicuisse videri Horatii aequalibus quam similes *μεταμορφώσεις* Ovidianas, et quaesitam ab utroque poëta *ἐνάργειαν*, quae nobis fortasse nimis operosa videatur. Sed libere fateor strophen tertiam mihi quoque non magnopere placere, et alia est epica talium pictura, ut apud Ovidium, alia debebat esse lyrici. Nec facile quis neget totum carmen potius arte factum esse quam a vero *ἐνθουσιασμῷ* poëtico Horatio inspiratum; sed propterea nemo sanus

Penna biformis per liquidum aethera
Vates, neque in terris morabor
Longius, invidiaque maior
Urbes relinquam. Non ego, pauperum

2. *Pinna* B. — 3. *terra* Scd, *βκνξχ.* (non BbT nec Pott. octo.) — 6. 7. *quem vocant*, *Dilecte Maecenas* Bentleii suspicio.

cum Scholasticis nonnullis pro subditicio habebit. Cf. Steiner *Comm. Hor.* Spec. II. p. 12. — Ceterum iam apud Graecos hoc mutationis in cycnum *φάντασμα* reperire licet. Eurip. Fragm. incert. 102. D.: *Χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ Καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα Ἁρμόζεται· Βάσομαί τ' ἐς αἰθέρα πολὺν Ἀερθείς, Ζηνὶ προσμίξων.* Apud Aristoph. Av. 1373. Cinesias poëta: *Ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις.* — Pausan. 1, 22, 7: *Ἔπη* (quae Onomacrito tribuit) *ἐν οἷς ἐστὶ πτέσθαι Μουσαῖον ὑπὸ Βορέου δῶρον.* Cfr. Homeri *Ἀποθέωσιν* ex museo Herculanensi in Millingen *Monum.* II. T. 13. et Inghirami *Gall. Om.* III. p. 16. — Tempus autem, quo hoc carmen compositum sit, nullo modo definiri potest. Nonnulli referunt ad a. u. c. 735., Walckenaer ad a. 734. «Portentosum vero est Peerlkampii commentum, ultimum hoc esse carmen paullo ante ab Horatio scriptum quam mortem sibi ipse consciverit veneno, quia Maecenati iam mortuo superesse nollet nec posset.» Dillenburger et Franke. Huic autem *φδαρίῳ* quorundam innititur opinio primum duos dumtaxat libros editos esse, deinde Maecenatis rogatu tertium adiectum. Cfr. Vanderburgii Scholiastam ad Od. 2, 19. et 3, 1.

1. *Non usitata*] «quia primus *Romanae fidicen lyrae.*» — *nec tenui*] «sed densa ac valida.»

2. *biformis*] «Quis unquam sanae mentis poëta, ubi rem serio agebat, monstri formam induit et, ut per aërem volaret, humano capiti collum cycni adiunxit cycneasque corpori pennas induxit? Num haec prodigiosa imago differt ab illa, quam Horatius in Arte risui amicorum exposuit?» Eichstadius. Verum minime cogitandum de forma ex humana et cycnea prodigialiter commixta, eademque a pictore imitanda; sed et poëtae et lectoris eum recte intelligentis *φαντασίᾳ* obversabatur cycnus per caelum alis latus, qui tamen idem divinus manserit poëta. Omnino *κοῦφον χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερόν.* Plat. in Ione p. 534. B. (Mire *biformis* explicarunt Schol. et Lambinus: «vates lyricus et satiricus.») — *liquidum*] «clarum ac lucidum.» Virg. Ge. 1, 404: *Apparet liquido sublimis in aëre Nisus.* Similiter apud Parthenium 21: *ὁ τὴν Λέσβου κτίσιν ποιήσας· «πολλὰ δ' ἐς ὑγρὴν Ἥρα χεῖρας ἔτεινεν.»*

4. *invidiaque maior*] «Cuius gloria superat invidiam.» Schol. Callimach. Ep. 22: *ὁ δ' ἤεισεν κρείσσονα βασκανίης.*

5. *Urbes*] H. l. *terrae* et *urbes* componuntur ut Od. 3, 4, 45. — *pauperum*] Inest in his *ἀντίθεσις*· «Ego, quem multi libertino patre natum carpunt, etsi non nego me libertino patre natum esse; quem tu tamen nihilominus tua amicitia dignaris, nunquam mortem obibo.»

Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo
Nec Stygia cohibebor unda.

Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles, et album mutor in alitem

6. 7. *quem vocas, Dilecte Maecenas*] *quem* (quamvis pauperem) *vocas* simillimum illius est: *pauperemque dives me petit* (Od. 2, 18, 10). Utrumque enim significat liberum sibi ad Maecenatem aditum patere, seque ab eo veri amici loco haberi et sincere diligi; neutiquam vero hoc tantum, se ab illo crebro ad coenas invitari, quae sententia sane parasito quam poëta dignior foret; quamquam *καλεῖν* et *vocare* hac significatione absolute interdum usurpatur, ut a Theognide 1203: *Οὐκ εἶμ' οὐδ' ὑπ' ἐμοῦ κεκλήσεται - - τύραννος ἀνήρ*, et a Cic. Verr. Accus. 3, 4: *hic cum venit* (in domum aliquam), *extra ordinem vocatur*, id est, invitatur. (Dillenburger, qui de toto hoc loco consulendus est, refert ad Sat. 1, 6, 64: (me) *revocas nono post mense iubesque Esse in amicorum numero*; sed illo secundae admissionis tempore hoc carmen componi non potuit.) Dein vv. *Dilecte Maecenas* prorsus ut Od. 1, 20, 5: *Care Maecenas*, ac similiter Epod. 3, 20: *Iocose Maecenas*, Epod. 14, 5: *Candide Maecenas*, (quibus omnibus nemo nisi illius necessarius perfamiliaris uti poterat,) mutuum amicitiae sensum et vere et simpliciter exprimunt. *Petis* autem, ut l. l., hic nimis ambitiosum ac prope superbum fuisset, quare modestius dicit *vocas* ut Sat. 2, 3, 262: *Nec nunc, cum me vocat ultro, Accedam?* Prorsus autem indigna tali amicorum pari est nonnullorum interpretatio: «Non ego ut homò volgaris, qualem tu me nunc appellas, dilecte Maecenas, et qualis tibi esse videor, morti ero obnoxius»; itemque alia: «quem tu ioco saltem libertini filium vocare soles.» Violenter rursus et contra ipsius metri rationem alii cum Scholiastis distrahunt vv. sic: *quem vocas Dilecte, Maecenas*, id est, ut contendunt: «quem tu, Maecenas, soles appellare, Dilecte Horati,» vel: «quem tu vocas dilectum,» ad quam constructionem defendendam inde ab Ascensio advocant Lucae 6, 46: *Τί με καλεῖτε κύριε;* praeterea Ovid. Am. 1, 7, 49: *Quis mihi non demens, quis non mihi barbare dixit?* Alii ad miseras coniecturas confugerunt: *quem vocant, q. notant, q. foves, q. vetas* scil. obire.

8. *Stygia - unda*] quae *cohibet* animas, reditum vetans. Lucceii Epitaph. Poët. min. Wernsd. 3, 290: *Non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas - - atris Non errabo locis nec cohibebor aquis.* Conf. Od. 3, 4, 80.

9. *residunt*] «Pellis aspera fit; dum enim crura humana extenuantur et cycneorum formam exilem induunt, necesse est, ut cutis, quae mollibus ante ac succulentis partibus inducta fuerat, his evanescentibus *subsidat*, ossibus propius admoveatur, quaeque antea pleniore corpore extensa erat, nunc contrahatur, adeoque *aspera*, id est, rugosa evadat.» Mitsch. *(Schon*

Superne, nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.
Iam Daedaleo ocior Icaro
Visam gementis litora Bospori
Syrtesque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque campos.

11. *Superna* F cum Codd. aliq. *(δ)*, *Supernae* T, *γν.* — 13. *nocior* (sic) T, *notior* B,*γ*, quattuor Pott.; *tutior* malebat Bentleius. (Ut nos, bScd.)

erhartet rauher am Fuss hinab die Haut. Voss.)

11. *Superne*] A. P. 4: *Desinat in piscem mulier formosa superne.* Ultima cum corripiatur a Lucretio 6, 543. et 596., nihil attinet corrigere *Superna.* — *leves*] Male alii scribunt *laeves.* Est λεῖος.

13. *Daedaleo ocior*] Similes hiatus sunt Od. 1, 28, 24: *Ossibus et capiti inhumato.* Epod. 5, 100: *Et Esquilinae alites.* Epod. 13, 3: *Threicio Aquilone sonant.* Virg. Ecl. 2, 24: *in Actaeo Aracyntho.* Ge. 1, 281: *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.* 2, 144: *tenent oleae armentaque laeta*, ubi, ut hic, interpolarunt vel *oleaeque* vel *sarmentaque.* Aen. 3, 74: *Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.* Ibid. v. 244: *Insulae Ionio in magno.* Ovid. Her. 4, 99: *in Maenalia Atalanta.* Her. 9, 87: *cupressifero Erymantho.* Ibid. 9, 133: *atque insani Alcidae.* Ib. 144: *in letifero Eveno.* A. A. 2, 185: *Nonacrina Atalanta.* Met. 3, 184: *aut purpureae Aurorae.* Ibid. 8, 309: *Cumque Pheretiade et Hyanteo Iolao.* Ibid. 11, 17: *Bacchei ululatus.* Ibid. 93: *cum Cecropio Eumolpo.* Fast. 2, 43: *Naupactoo Acheloo.* Nostro loco hiatum quo removerent, nonnulli vocabulum minime aptum substituerunt *notior*; alii coniecerunt *tutior, cautior, laetior, audacior, ornatior*; frustra omnes. In Icaro h. l. audacem tantummodo in sublime volatum, non casum fatalem, respexit; casum contra Od. 4, 2, 2.

14. *gementis*] Virg. Aen. 5, 806: *gemerentque repleti Amnes.* Od. 2, 14, 14: *rauci-Hadriae.* Soph. Antig. 592 D.: *Στόνῳ βρέμουσι δ' ἀντιπλῆγες ἀκταί.* Eurip. Phaëth. Fr. II. 33: *Πηγαῖς τ' ἐκ Ὠκεανοῦ Μελιβόας κύκνος ἀχεῖ.*

15. *Syrtesque*] Cf. Od. 1, 22, 5. 2, 6, 3. — *canorus*] Od. 4, 3, 20. Himer. Ecl. 21, 1: *λύει καὶ κύκνος σιγήν, λύραν ὅταν Ἀπόλλωνος ἀκούσῃ πλήττοντος.* Pratinas apud Athen. 14, 8: *οἷόν τε κύκνον ἄγοντα Ποικιλόπτερον μέλος.* — «Orphei animam Plato refert Lib. 10. de Rep. (p. 620 A.) cycni vitam elegisse, lusciniae Thamyrin. Cycnum ipse H. Pindarum appellat Od. 4, 2, 25., et sic vocantur poëtae omnes apud Virg. Ecl. 9, 29.» Torrent. ex Turnebo.

16. *Hyperboreosque*] Pind. Ol. 3, 16: *δᾶμον Ὑπερβορέων — Ἀπόλλωνος θεράποντα.* Adde Pyth. 10, 31. insignem de Hyperboreorum felicitate locum et Aeschyl. Choëph. 373: *Μεγάλης δὲ τύχης καὶ ὑπερβορέου Μείζονα φωνεῖς·* ex quibus huius loci ornatum melius intelliges. Simmias in Anal. Br. II. p. 525: *Τηλυγέτων δ' ἀφνειὸν*

Me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Hiber Rhodanique potor.

Absint inani funere neniae
Luctusque turpes et querimoniae;
Compesce clamorem ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

20. *Iber* LCt.

Ὑπερβορέων ἀνὰ δῆμον. «Visam campos illos felices supra Aquilonem et Rhipaeos montes sitos.» (Plin. H. N. 4, 26.)

18. *Marsae cohortis*] Marsi pro fortissimis Italiae populis et peditatus Romani robore habebantur; «hoc igitur robur metuit Dacus rebellis, sed prae pudore fingit se timore vacare.» — Alii (Dacierius, Walckenaer II. p. 208.) interpungunt post v. *cohortis*, ut his vv. *et qui - - cohortis* significentur Parthi. Non placet propter incommodum *ἀσύνδετον* ante v. *Dacus*.

19. *Noscent*] «audient meum cantum.» Statius Theb. 12, 814: *Iam te* (Thebaida) *magnanimus dignatur* NOSCERE *Caesar, Itala iam studio* DISCIT *memoratque iuventus.* — *Geloni*] Conf. Od. 2, 9, 23. — *peritus*] per prolepsin: «ubi aliquando erit *peritus*, cultus»; absolute, ut Epp. 2, 2, 213: *decede peritis.* «Hispani et Galli Transalpini, qui nunc rudes sunt atque inculti, humanitate aliquando imbuti cupide meos quoque cantus audient.»

20. *Rhodanique potor*] «accola»; ex antiquissima ratione populos designandi. Iliad. *β*, 825: *πίνοντες ὕδωρ μέλαν Αἰσήποιο.* Pindar. Olymp. 6, 85: *Θήβαν, - τᾶς ἐρατεινὸν ὕδωρ Πίομαι.* Seneca Troad. 9: *qui - Septena Tanain ora pandentem bibit.* — Hoc ergo dicit: «Per totum orbem terrarum Romano imperio subiectum nomen meum propagabitur.»

21. 22. *inani funere*] «quoniam quidem abest corpus, quod sepeliri possit.» — *neniae*] quas praeficae canere solebant; *querimoniae* amicorum sunt. Mire Sanadonus iunxit: *et querimoniae* (gen. sing.) *compesce clamorem.* — *turpes*] «quatenus faciem deformant.» Ovid. A. A. 1, 534: *Clamabat flebatque simul, sed utrumque decebat, Nec facta est lacrimis turpior illa suis.* Ennius apud Cic. Tusc. 1, 15: *Nemo me lacrumis decoret nec funera fletu Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virum.* Seneca Ep. 92: *Neminem de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo. Diserte Maecenas inquit: «Nec tumulum curo; sepelit Natura relictos.»*

24. *supervacuos honores*] Epicuri iam fuerat *δόγμα, τὸν σοφὸν οὐδὲ ταφῆς φροντιεῖν.* Diog. Laërt. 10, 118. Plin. Epp. 9, 19: *Impensa monumenti supervacua est. Memoria nostri durabit, si vita meruimus.* (Inter scriptores, qui nobis supersunt, hac forma primus usus est Horatius, Cicero semper praefert *supervacaneus.*)

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER TERTIUS.

CARMEN I.

Odi profanum volgus et arceo;

1. Inscr. volg. *Ad chorum virginum et puerorum,* et sic Bc. — *Ad choros virginum et puerorum* T, item corr. b. — *Ad indoctos* b, item c post priorem inscr. — Om. S.

1. Rectum de rebus humanis iudicium ac sapientem vitae fugacis usum commendat poëta seque ipsum felicem praedicat, qui quod voluerit iam adeptus sit neque ultra quidquam appetat. Principalis est *γνώμη* v. 25: «Desidera, quod satis est.» Non sine causa autem sententiis, quas aliquoties iam tractaverat, splendidissimum praemisit exordium, ut totum carmen simul esset veluti prooemium libri *μελῶν* tertii a se editi, memor fortasse praecepti Pindarici Olymp. 6, 1: *Χρυσέας ὑποστάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου Κίονας, ὡς ὅτε θαητὸν μέγαρον, Πάξομεν· ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές.* — Compositionis tempus definiri nequit: Franke a. 726., Kirchner et Walckenaer a. 736. Ceterum etsi sex priora huius libri carmina similis utique generis sunt, id est, didactici (nam his omnibus castigare praecipua aequalium vitia et bonos, iuventutis imprimis, mores confirmare studet), noli tamen, ut nunc mos est, in nescio quo cyclo sive arcano inter ea nexu statuendo nimis ac prope ridicule argutari; huiuscemodi enim artificia a vera poësi prorsus sunt aliena. Quamquam magis sobrie atque intelligentius in eam sententiam disputavit Dillenburger p. 84. quam Monich. — Recte Franke p. 487: «Quaerentem me, quo tandem impulsu Venusinus ad haec carmina prorsus singularia scribenda permotus sit, non pudet eorum adstipulari sententiae, qui Horatio vel a Maecenate vel ab ipso Caesare id negotii demandatum esse suspicati sunt, ut virtutis commendatione labenti Romanorum disciplinae succurreret atque aequalium pectora bonis salutaribusque praeceptis imbueret.»

1. *Odi*] «Volgus verae sapien-

Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges, 5
Reges in ipsos imperium est Iovis

tiae, quam in vita sequi debemus, nequaquam capax despicio longeque a me recedere iubeo.» *Profani* proprie sunt ἀμύητοι, sacris non initiati. Orpheus apud Iustinum Cohort. ad Graecos 15: φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι Πάντες ὁμῶς. (scil. τοῖς ὡσί.) Callim. H. in Apoll. 2, 2: ἑκάς, ἑκάς, ὅστις ἀλιτρός. in Cer. 3. Blomf. θύρας ἐπίθεσθε βέβαλοι. (Volgo χαμαὶ θασεῖσθε βέβαλοι.) Virg. Aen. 6, 258: *Procul, o procul este profani.*

2. 3. *Favete linguis*] «Vos autem digni, qui ad haec sacra accedatis, εὐφημεῖτε vel bona verba dicendo vel potius prorsus tacendo.» Aristoph. Thesmoph. 39: Εὔφημος πᾶς ἔστω λεώς, Στόμα συγκλείσας. Ran. 354: Εὐφημεῖν χρὴ καξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν Ὅστις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων κτλ. Eurip. Fr. Phaëth. II. 60: ἔχειν χρὴ Στόμ' ἐν ἡσυχίᾳ. Ibid. 74: ἀλλὰ σῖγ' ἔστω λεώς. Tibull. 2, 2, 1: *Dicamus bona verba: - - Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.* Solitam formulam amplificavit Ovid. Fast. 1, 71: *Linguisque animisque favete!* variavit Virg. Aen. 5, 71: *Ore favete!* sicque Ovid. Am. 3, 13, 29: *Ore favent populi.* Propert. 4, 6, 1: *Sacra facit vates: sint ora faventia sacris.* Cic. de Div. 1, 45, 102. Seneca de Vita beata 26: *Imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente. — non prius Audita*] Praeceptorum a communi hominum volgarium sensu abhorrentium gravitatem significat. Maximopere enim eas ipsas virtutes, quae tunc a plerisque negligi solebant, commendat. — *Musarum sacerdos*] Callim. Fr. 83. Bentl.: Μοῦσαι καλαὶ χἌπολλον, οἷς ἐγὼ σπένδω. Ovid. Ibidis v. 98: *peragam rata vota sacerdos: Quisquis ades sacris, oro favete, meis.* Idem Am. 3, 8, 23: *Ille ego Musarum purus Phoebique sacerdos.*

4. 5. *Virginibus*] Recentiores interpretes explicaverunt de puerorum virginumque choro, qui sacerdotem cingat laudesque deorum canat. At cum in toto hoc carmine γνωμικῷ καὶ ἠθικῷ nihil plane insit, quod a choris cani possit, cum Dillenburgero redeo ad Scholiastarum expositionem: «Dicit se carmen prodituram, quo teneras aetates instituat ad honesta studia, quibus ad beatam vitam pervenire possint.» Utique enim de eo, ut talibus carminibus aequales suos provectioris aetatis commovere pravosque eorum mores corrigere posset, omnis spes deponenda erat. — *greges*] quia reges ποιμένες λαῶν. Philemon. Mein. pag. 366: δοῦλοι βασιλέων εἰσίν, ὁ βασιλεὺς θεῶν, Ὁ θεὸς ἀνάγκης. Caesar apud Suet. Caes. 6: *Est in genere* (meo) *et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.*

6. 7. *in ipsos imperium*] Nescio cur nonnemo dubitarit de huius constructionis Latinitate. Plaut. Men.

Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Est, ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in Campum petitor,
Moribus hic meliorque fama
Contendat, illi turba clientium

9. *Esto* malebat Bentleius.

5, 7, 44: *Si quod imperi est in te mihi.* Pers. 3, 1, 45: *Meum, opinor, imperium in te, non in me tibi est.* Cfr. Lübker. — *Giganteo triumpho*] quo ipse legitimum orbis terrarum totiusque mundi imperium adeptus erat. — Curru in Gigantum strage invectum Iovem exhibet Winckelmann *Mon. ined.* p. 9. N. X. *Museo Borbon.* I. T. 53. Gigantomachia, in qua Hercules Iovis est auriga. *Mus. Gregor.* T. VII. imprimis Gerhard *Vaseng.* II. T. LXXXIV. *Archaeol. Ztg.* II. p. 264. et 380. Iuppiter imberbis Titanas fulminat in gemma apud Schlichtegroll *Pierres gr.* T. 20. Hinc Lucianus Tim. 4. deridet eius epitheta a poëtis usurpata *Γιγαντολετωρ καὶ Τιτανοκράτωρ.*

8. *supercilio*] Iliad. α, 528: Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων· Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Catull. 64, 204: *Annuit invicto caelestum numine rector, Quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt Aequora concussitque micantia sidera mundus.* Virg. Aen. 9, 106: *totum nutu tremefecit Olympum.* — Fuerunt (in quibus Boettiger), qui statuerent nullum prorsus esse nexum inter vv. 5—8. et ea, quae sequuntur. Verum sane sic procedunt iunguntque sententiae: «Vel ipsi reges, qui primi inter mortales ducuntur et popularibus suis timorem incutiunt, summo Iovis imperio subiecti sunt: pariter quoque locupletes, generosi, potentissimi quique inter ceteros homines Necessitati parent, cuius iussa severa eadem sane sunt atque Iovis supremi imperium.»

9. *Est, ut*] «ἔστιν, ὅπως κτλ., usu venit, ut alius alio» cet. Cfr. Epp. 1, 12, 2. «Qualecunque est inter mortales discrimen, ut alius excellat latifundiorum possessione, generis nobilitate alius, alius probitate morum, alius rursus clientum multitudine, omnes tamen aeque parent supremae Necessitati.» — *latius*] «Fieri potest, ut aliquis per ampliorem, quam alii habent, fundum serat vites et oleas.» Colum. 3, 13: *aut scrobibus aut sulcis vineae plerumque conseruntur.* — *ordinet*] «in quincuncem serat.» Varro R. R. 1, 7, 2.

10. 11. *Arbusta*] maxime vineas. Virg. Ecl. 3, 10: *cum me arbustum videre Miconis Atque mala vites incidere falce novellas.* Georg. 2, 416: *Iam vinctae vites, iam falcem arbusta reponunt.* — *Campum*] etiam in pedestri oratione persaepe pro Campo Martio. Ceterum loquitur

Sit maior: aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus

17. *Districtus* cd,Ct.

quasi vetere re publica etiamtunc manente. Cfr. Tacit. Ann. 1, 15. ad Od. 1, 1, 7.

12. 13. *meliorque fama*] «etsi homo novus, per se tamen spectatus praestet nobilibus ac potentibus.» — *Contendat*] «de honoribus cum competitoribus, nihilominus pari condicione Fatum ei mortem destinat.»

14. *Necessitas*] Necessitas tamquam dea etiam Od. 1, 35, 17.; longe tamen rarius a Latinis memoratur quam a Graecis *Εἱμαρμένη* vel *Ἀνάγκη*. Pausan. 2, 4, 6: *(ἐν τῷ Ἀκροκορίνθῳ) Ἀνάγκης καὶ Βίας ἐστὶν ἱερόν· ἐσιέναι δὲ ἐς αὐτὸ οὐ νομίζουσιν.*

16. *movet urna*] Od. 2, 3, 26. H. l. *Εἱμαρμένη* ipsa mortis sortes ducit. Sic Ammianus Marc. 14, 11: *Adrastea regina causarum et arbitra rerum ac disceptatrix urnam sortium temperat.* Seneca Herc. fur. 492: *Recipit populos urna citatos.*

17. *Destrictus*] De scriptura consule Lübkerum. Addo inscriptionem aetatis Augusteae in Iahnii Specimine p. 27., ubi est Priapus PENE DESTRICTO. — «Quid, quod qui externa tantum bona possident, ne beati quidem sunt, infelicissimi vero, si scelerum conscientia anguntur.» Significat notam illam de Damocle et Dionysio maiore narratiunculam. Cic. Tusc. 5, 21. Persius 3, 40: *Et magis auratis pendens laquearibus ensis Purpureas subter cervices terruit* cet.? Atque quasi in proverbium abiit. Plut. S. N. V. 9: *ὡς – – ὑπὲρ κεφαλῆς τοῦ σχοινίου κρεμαμένου.* Iob. 15, 21: *Sonitus terroris semper in auribus impii; et, cum pax sit, ille semper insidias suspicatur, circumspectans undique gladium.*

18. *Siculae dapes*] «*conquisitissimae epulae*», ut de Dionysii mensa Cic. Tusc. 5, 21. Plato de Rep. 3. p. 404. D.: *Συρακοσίαν δέ, ὦ φίλε, τράπεζαν καὶ Σικελικὴν ποικιλίαν ὄψου, ὡς ἔοικας, οὐκ αἰνεῖς.* Epist. 7. p. 326. B.: *Ἐλθόντα δέ με (εἰς Σικελίαν) ὁ ταύτῃ λεγόμενος αὖ βίος εὐδαίμων, Ἰταλιωτικῶν τε καὶ Συρακουσίων τραπεζῶν πλήρης, οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἤρεσε.* Plautus in Rudentis Prol. 53: *Infit lenoni suadere, ut secum simul Eat in Siciliam; ibi esse homines voluptarios Dicit.*

19. 20. *elaborabunt*] «operose parabunt»; sed ipsum hoc verbum demonstrat id fieri vix posse. — *saporem*] «Etiam exquisitissimae epulae ei videbuntur insuaves.» — *avium* cet.] Rutilius 1, 111: *Quid loquor inclusas inter laquearia silvas, Vernula quis vario carmine ludat avis?* Sen. de Prov. 3: (Mae-

Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem quod satis est neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis

22. *humilis* S. — 23. *umbrosamve* et v. 30. *Fundusve* (Lips. 4.) Iani. (Ut nos, nostri Codd.)

cenati) *somnus per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium quaeritur.*

21. 22. *reducent*] «somnum curis ac sollicitudinibus saepe interruptum denuo conciliabunt.» — *Lenis*] quem Menander Mein. Com. Ed. min. p. 920. vocat ἡδὺν καὶ πρᾷόν τινα ὕπνον. — Hic quoque duplicem statuemus constructionem: *Somnus lenis agrestium virorum non fastidit virorum agrestium* (eorum) *humiles domos* (casas, tuguria). Ecclesiastes 5, 11: *Dulcis est somnus operantis – –; saturitas autem divitis non sinit eum dormire.* Anacreon Fr. 88. B. κοὐ μοχλὸν ἐν θύρῃσι διξῇσιν βαλὼν Ἥσυχος καθεύδει. Teles apud Stob. T. 93. Vol. 3. p. 206: Πάντα μὲν ἐφ' ὕπνῳ παρασκευαζόμενος δυσκολωτέρους ἔχει διὰ τοῦτο τοὺς ὕπνους· ἑτοιμότεροι δ' εἰσὶν οἱ κατὰ φύσιν. — De discrimine particc. *que* et *ve* recte disputat Dillenburger p. 102.

24. *Tempe*] Vid. Od. 1, 7, 4. Hic pro qualibet convalle amoena.

25. 26. *quod satis est*] Epp. 1, 2, 46: *Quod satis est cui contingit, nil amplius optet.* Alexis in Grotii Exc. p. 593: Τὰ περισσὰ μισῶ· τοῖς ὑπερβάλλουσι γὰρ Λαπάνη πρόσεστιν, ἡδονὴ δ' οὐδ' ἡτισοῦν. Publius Syrus 677. Or.: *Quod volt habet, qui velle, quod satis est, potest.* — *sollicitat*] Ep. 2, 6: (rusticus beatus) *Neque horret iratum mare.*

27. *Arcturi cadentis*] Arctophylax occidit IV. Kal. Nov. Leonid. Tar. Ep. 92: Ἑρμιονῆα – – πολὺ κῦμα Ὤλεσεν, Ἀρκτούρου λαίλαπι χρησάμενον. Plautus Rud. 70: *Arcturus signum sum omnium acerrimum: Vehemens sum exoriens; cum occido, vehementior.*

28. *Haedi*] Oriuntur Haedi pridie Non. Octobr. Theocr. ζ', 53: Χὼταν ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ Κύματα, κἈρίων ὅτ' ἐπ' Ὠκεανῷ πόδας ἴσχει, ubi Schol.: Ὅταν ἀνατέλλωσιν οἱ ἔριφοι, ἀγριαίνεται ἡ θάλασσα. Virg. Aen. 9, 668: *Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis Verberat imber humum*; et *nimbosos* vocat Ovid. Trist. 1, 11, 13.

29. *verberatae*] Epp. 1, 8, 4: *quia grando Contuderit vites.*

30–32. *mendax*] Frequens figura, etiam apud Orientales. Osee 9, 2: *Area et torcular non pascet eos et vinum mentietur eis.* Habacuc 3, 17: *Ficus non florebit et non erit germen in vineis: mentietur opus olivae et arva non afferent cibum.* Hor. Epp. 1, 7, 87: *Spem mentita seges.* Tibull. 2, 3, 64. Diss.: *At tibi dura Ceres – – Persolvat nulla semina terra*

Impetus aut orientis Haedi,
Non verberatae grandine vineae
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus; huc frequens
Caementa demittit redemptor

35. *dimittit* bd,L.

fide. Ovid. Fast. 4, 645: *Saepe Ceres primis dominum fallebat in herbis*; contra Od. 3, 16, 30: *segetis certa fides meae.* Ad v. *culpante* cfr. Philem. Mein. p. 393. — Hic omnibus vitam tribuit: «Arbor (collective; oleam tamen praecipue intelligas licet, v. Epp. 1, 8, 5.) sterilis coram domino minaci culpam sterilitatis tribuit modo imbribus, modo nimio solis aestui agros per dies caniculares exurenti, modo frigori.» — *Sidera*] *Siderationem*, *ἀστροβολισμόν*, vocabant, ubi plantae nimia siccitate post ortum Caniculae aut Cancri exarescebant. Plin. H. N. 17, 24. Theophrast. C. P. 5, 10: *Ἀστροβλῆτα μὲν οὖν μάλιστα γίνεται τὰ φυτά - -, ὅταν ἡ γῆ ξηρανθῇ καὶ μὴ ἔχωσιν ἕλκειν ὑγρότητα· διὸ καὶ ὑπὸ ἄστρον* (Caniculam) *πλεῖστα.*

33. *Contracta*] *καθ' ὑπερβολήν* minime reprehendendam: «piscibus ipsis mare iam videtur coartatum.» Nequaquam vero cum aliis explicari potest: «Piscinis includuntur pisces amplissimis, quae iam quasi alia maria sunt.» Cfr. Od. 2, 15, 1. Tibull. 2, 3, 45. Diss.: *Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra Negligat hibernas piscis adesse minas.* Manil. 4, 263: *Litoribusque novis per luxum illudere ponto.* Petron. Bell. civ. 87: *Aedificant auro sedesque ad sidera mittunt; Expelluntur aquae saxis, mare nascitur arvis.*

34. *Iactis*] «Verbo ipso usus est fabricantium.» Schol. Seneca Thyest. 459: *retro mare Iacta fugamus mole.* — *frequens*] «multis operis ac servis circumdatus.» Lübker nescio quam bene interpretatur de redemptore in his aedificiis construendis ubique et semper praesente. Non credo; dictum est, ut, indicante mihi Halmio, contrarium Soph. Oed. R. 750: *Πότερον ἐχώρει βαιός, ἢ πολλοὺς ἔχων Ἀνδρας λοχίτας.*

35. *Caementa*] unde Italorum *cimento (Kitt)*, omnis generis lapides sunt parvi vel comminuti, plerumque pulvere Puteolano coagmentati et ad muros farciendos destinati, opponunturque saxis quadratis. Vitruv. 8, 7: *caementum de silice frangatur ne gravius quam librarium.* Plin. H. N. 36, 22, 54: *Medios parietes farcire fractis caementis διάμικτον vocant.* Plin. Epp. 10, 48: parietes *caemento medii farti.* Est igitur: «inter duos muros ex lapidibus quadratis constructos caementa cum sufficiente mortario demittit.» — *redemptor*] «*ἐργολάβος*, alibi manceps, id est, architectus,

Cum famulis dominusque terrae
Fastidiosus. Sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra Cura.
Quodsi dolentem nec Phrygius lapis

39. 40. *triremi Postque* malebat Bentl., cum *et* omitterent ipsius Codices, ut nostri BT.

qui opus hoc immensum faciendum a domino sive possessore illud locante conduxit.» Cf. Epp. 2, 2, 72.

36. *dominusque*] «qui urget insanum hoc opus; eum adeo taedet terrae continentis, ut iam in ipso mari habitare velit.» Seneca Ep. 89: *Ubicunque in aliquem sinum litus curvabitur, vos* (luxuriosi) *protinus fundamenta iacietis nec contenti solo, nisi quod manu feceritis, maria agetis introrsus.*

37—40. *Sed* cet.] «Quocunque autem is vel ab hac aedificatione vel alio ab negotio sese convertit ad oblivionem curarum aut novam voluptatem quaerendam, nihilominus eum comitantur priores sollicitudines.» Eandem sententiam iisdem fere verbis poëta expressit Od. 2, 16, 21: *Scandit aeratas vitiosa naves Cura nec turmas equitum relinquit.* Cf. Lucret. 2, 46: *Metus hominum curaeque sequaces - - neque fulgorem reverentur ab auro Nec clarum vestis splendorem purpureaï.* — *Timor*] ne casu adverso vel immatura morte bonis suis excidat, unde perpetua anxietas et trepidatio eum vexat. — *Minae*] internae propter facinora commissa. — *aerata*] «quae habet rostrum aereum.» — *triremi*] Intellige de qualibet magna nave hominis locupletis. Sic C. Verri Mamertini donarant *navem cybaeam maximam, triremis instar.* Cic. Verr. Accus. 5, 17. Epp. 1, 1, 93: *priva triremis.* — *Curae* personae sunt etiam Virg. Aen. 6, 274. et Horatio Od. 2, 16, vv. 11 et 22. Refertur maxime ad hominis avari perpetuas sollicitudines. *Atrae* autem, i. e. «tristes, funestae», vocantur etiam Od. 3, 14, 13. 4, 11, 35. Sat. 2, 7, 15.

41. *Quodsi*] Cfr. Od. 1, 1, 35. Post praecedentes *γνώμας* et imagines propositas ad semet ipsum nunc se convertit poëta, ut in hac *αὐταρκείᾳ*, quam tantopere praedicat, se confirmet. — *dolentem*] «aegrum animi et sollicitum.» — *Phrygius lapis*] «Est marmor Docimenum sive Synnadicum, volgo *paonazzetto*, inter pulchriora et pretiosiora, ex quo praesertim columnae fiebant, quales sunt peraltae illae in Pantheo M. Agrippae.» Fea. Poëtice describitur a Statio Silv. 1, 5, 36. in balneis Etrusci: *Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis Purpura, sola cavo Phrygiae quam Synnados antro Ipse cruentavit maculis lucentibus Attis.* Pseudotibull. 3, 3, 13: *Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis?* Martial. 6, 42, 13.

42. 43. *sidere clarior*] Sic Silius 2, 167. de purpura: *radiantis te-*

Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,

Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina

43. 44. *Delenit* B,LCt: *Delinit* bSTcd, Bentl. FM. (Ut nos, J.) — *falernae Vites* T. — *Achaemeniumve* Bentleii coni. — 46. *molior* T. —

gmina laenae. — *Delenit*] «permulcet, dum internos tumultus sedat.» (Utraque scriptura *delenio* et *delinio* videtur in usu fuisse. Secutus nunc sum antiquissimum Cod. B., ut Bach ad Ovid. Met. 11, 163.) — *Clarior* autem *usus purpurarum* audacius dictum pro his: «purpureae, quibus utuntur, vestes clariores siderum splendore.» Virg. Ge. 2, 466: *Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi*, id est, oleum, quo utuntur.

44. *Achaemeniumque*] ab Achaemene, auctore generis regii Persarum, cui in inscriptt. Pers. cuneatis *Hakhâmanish* i. e. vir *animo benigno* nomen est, dicitur costum, quia ex India (Ovid. Fast. 1, 344: *Tura nec Euphrates nec miserat India costum.*) et Arabia per Parthorum fines Romam advehi solebat. Conf. Epod. 13, 8: *Achaemenio - nardo.* — Iam cum sine ulla oppositione quattuor haec, marmora nitentia, purpurae, vina generosa, unguenta ad beatam locupletium Romanorum vitam aeque pertinerent, etiam contra meos Codd. antiquiss. minime cum Bentleio scribendum esse *Achaemeniumve* manifestum est. — *costum*] Stat. Silv. 2, 1, 160: *munera graminis Indi.* Est unguentum e radice fruticis, qui a Linnaeo vocatus est *costus* (κόστος) *Arabicus*, et Plinio Hist. Nat. 12, 25. auctore in Patale, Indiae insula, provenit. Vid. Excursum.

45. 46. *invidendis postibus*] Od. 2, 10, 7: *caret invidenda Sobrius aula.* Invidendis autem, quia vel nitente marmore tecti erant vel *varii pulchra testudine* (Virg. Ge. 2, 463.) — *novo-ritu*] «ad novas architecturae regulas accommodato, qui invaluit ex quo domos sumptuosiores exstruere coeperunt homines locupletes.» Alii explicant: «novam, id est, mirandam speciem praebente.» Verum hic certe in simplici voc. *novo* haec sententia non inest; sed opponitur «*atrium ex more veterum*», simplicius nec tam amplum. Plin. Epp. 5, 6, 15. — *atrium*] ubi consulebantur iure consulti, asservabantur maiorum imagines eratque etiam lectus genialis apud eos, qui uxores habebant. *(Hochgewölbtes Audienzzimmer der römischen Grossen, wo die Clienten ihrem Patronus die* Salutatio *brachten. Voss zu Virgil. Ge. 2, 464. mit prächtigen Marmorsäulen und sonstigem Schmuck;* atrium *nämlich der erste oder vorderste und zugleich der grösste Saal im Hause nach* Becker's *Gallus* I. 76.» Lübk.)

47. *permutem*] Recentiores linguae respuentes hunc Latinorum

Divitias operosiores ?

48. *onerosiores* Bentleii dubia suspicio.

usum, apud quos eadem sententia dicebatur «muto locum illum cum hoc et hunc cum illo» (cfr. Od. 1, 17, 2.), haec ita efferre coguntur: «Cur vallem permutem Sabinam divitiis aerumnosioribus, quarum administratio longe maiores labores curasque requirit quam simplex mea villula?» Cfr. Lübkerum, accurate de reciproco hoc v. *mutare* usu disputantem. Vid. ad Od. 2, 16, 19.

EXCURSUS

Ad v. 44.

«Kostus *kam den Alten aus Arabien, Indien und Syrien zu; da der Name Indisch*) ist, scheint dieses Land das Aroma zuerst geliefert zu haben. In Indien kommen jetzt zwei Arten vor, das Indische* Kusht *oder* Kuth *aus Multan; dann das sogenannte Arabische, welches aus Kabul und Kaschmir kommt. Es ist eine duftreiche Wurzel, die gegenwärtig vorzüglich nach China ausgeführt wird.*»

«*Kostus kam aus den Emporien an der Indus-Mündung und aus Barygaza, wohin er aus der Proklaïs (d. h. Poklaïs, oder Pukheli jenseits Attok's) und Skythia (Indoskythien, also dem Induslande) gebracht ward. Der* Periplus *erwähnt* p. 22. p. 28. *des Arabischen nicht, welcher nach* Dioskor. I. 15. *der beste war (Κόστου διαφέρει ὁ Ἀραβικός, λευκὸς ὢν καὶ κοῦφος, πλείστην ἔχων καὶ ἡδεῖαν τὴν ὀσμήν· δευτερεύει δὲ ὁ Ἰνδικός, ἀδρὸς ὢν καὶ κοῦφος καὶ μέλας ὡς νάρθηξ. τρίτος δέ ἐστιν ὁ Συριακός, βαρύς, τὴν χρόαν πυξώδης, πληκτικὸς τῇ ὀσμῇ.); dieser soll von der Wurzel des costus Arabicus herkommen. Schon bei* Theophr. Hist. pl. IX. 7, 3. de odor. p. 743. Schneid. *Er wurde bei den Römern viel als Würze des Weines, zu Salben und bei Opfern gebraucht.* Plin. H. N. XII. 25. XIII. 3. XIV. 19. XXII. 56. Propert. IV. 6, 5: Costum molle date et blandi mihi turis honores. *u. s. w. Plinius erwähnt zweier Arten an der Mündung des Indus* (XII. 25: Radix costi gustu fervens, odore eximio, frutice alias inutili. -- Duo sunt eius genera, nigrum et, quod melius, candicans.), *einer schwarzen und einer weisslichen.*»

*) *Skt.* Kushtha, *d. h. in der Erde stehend, von der Wurzel, oder im schlechten Zustande*; vjâdhi, *Krankheit*; *dieses und die zweite mögliche Erklärung von Kushtha scheint darauf zu führen, dass erst die verfaulte Wurzel den Wohlgeruch liefert.*

«*Die Indische* Narde *ist eine Valerianea; der haarige Theil des Stengels unmittelbar über der Wurzel liefert, getrocknet, das Parfum; die Pflanze findet sich in dem nördlichen und östlichen Indien. Eine Art trug bei den Alten den Namen von Ganges; andere kamen aber von den Indischen Ländern am obern Indus; aus der Geschichte Alexanders wissen wir, dass auch in Gedrosien eine Art einheimisch war; die Phönizier in seinem Heere erkannten die schätzbare Eigenschaft der unbeachteten Pflanze.**) Durch sie erhielten ohne Zweifel die Hebräer dieses Aroma, aus dem ein kostbares Oel gewonnen wurde. Bei den Römern stand das Oel aus der Narde auch in sehr hohem Werthe, es wurde ausserdem der Wein damit gewürzt. In Indien wird dieses Aroma noch geschätzt.*» LASSEN Ind. Alterth. I. p. 287 sqq.

**) Arrian. Exped. Alex. VI. 22. Dioscor. I. 6: *Νάρδου ἐστὶ δύο γένη. ἡ μὲν γάρ τις καλεῖται Ἰνδική, ἡ δὲ Συριακή. – – τῆς δὲ Ἰνδικῆς ἡ μέν τις λέγεται Γαγγῖτις, ἀπό τινος ποταμοῦ παραρρέοντος τοῦ ὄρους Γάγγου καλουμένου, παρ' ᾧ φύεται. – – – καλεῖται δέ τις καὶ Σαμφαριτική (es ist Saphar an der Arabischen Küste zwischen Hodeida und Sana gemeint).* Auch Strabo XVI. 4, 25. *schreibt dem glücklichen Arabien die Narde zu. Ueber Indien gibt der Periplus des rothen Meeres* p. 23. *Auskunft: κατάγεται δὲ δι' αὐτῆς* (Barygaza) *καὶ ἀπὸ τῶν ἄνω τόπων ἡ διὰ Προκλαΐδος (Ποκλ.) καταφερομένη νάρδος, ἡ Καττυβυρίνη καὶ Πατροπαπίγη καὶ Καβαλίτη καὶ ἡ διὰ τῆς παρακειμένης Σκυθίας· ὅ τε κόστος καὶ ἡ βδέλλα.* — *Ueber den Gebrauch s.* Plin. Hist. Nat. XII. 26. XIII. 2. XIV. 19, 5. — *Wegen der Gestalt der Pflanze heisst die Narde später στάχυς νάρδου, ναρδόσταχυς* (Kosmas p. 337.), spica nardi (spikenard *der Engländer*), *wie bei den Arabern* sumbul hindî, *Indische Aehre. Der ältere Name ist* nardin, *wie Hebräisch* nerd, Cant. IV. 13, 14. *Persisch* nard, nârd.

CARMEN II.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat et Parthos feroces

II. Inscr. volg. *Ad pubem Romanam.* — *Ad amicos* BT. — *Ad amicos generaliter* S. — *De institutione ad amicos loquitur* c (et b in marg.). — 1. *amici* Lt et ex duobus Pulmanni Bentl. Mei, Cruquii et Pottierii omnes *amice*. — 3. *ferocis* B.

II. Hoc quoque carmine *γνωμικῷ*, vere Romano, iuventutem ad imitandas maiorum virtutes exhortatur. Primo igitur loco commendat virtutem bellicam, qua hostes devincant, patriam custodiant spretaque volgari ambitione veram gloriam sibi parent; deinde, ut pietatem erga deos immortales iunctam semper cum fide adversus homines colant, suadet, certas sceleri poenas destinatas esse monens. Sic duas praecipuas vitae civilis partes extollit atque exercendas commendat, virtutem et pietatem. (De recte administrandis muneribus publicis non loquitur, ut Lübkero visum est; nam vv. 17—24. a pravo aurae popularis studio dehortatur.)— Suspicatus est nonnemo hoc carmen in Liberalia, quo die pueri togam virilem sumebant, scriptum esse, sed huius rei nullum prorsus in eo inest vestigium. Compositum videtur a. u. c. 726.

1. *amice*] proprie «amico in eam animo», id est, «animo aequo, patienter, sine prava repugnantia», usu fortasse unico, sed accommodato ad Graecorum *ἀγαπητῶς φέρειν*, et ad Latinorum (Cic. ad Att. 6, 1, 3.) *clementer ferre aliquid* Weberus meus eumque secutus Lübker sic explicant: «*φειδικῶς* ad modum heroum illorum frugalis aevi, qui paupertatem tamquam caram domus consortem habebant.» Qua tamen ratione aliquanto plus in notionem v. *amice* inferri videtur, quam eo exprimere volebat poëta. Alii *amici*, quocum conferunt Od. 1, 27, 7. et Od. 1, 37, 4: *sodales*; item Epod. 13, 3: *rapiamus*, *amici*, *Occasionem de die*. Verum hoc quidem loco amicorum appellatio parum apta est, cum *amici* efficere nequeant, ut iuvenes Romani paupertatem fortiter pati discant.

2. *acri militia*] «Acris militiae usu atque exercitatione hanc laboris tolerantiam, in qua saepenumero vitae commodis carendum est, condiscat puer robustus.» Sic enim iungo, non vero: «robustus factus acri militia.» Eurip. Fragm. Alex. 45: *Πενία δὲ δύστηνον μέν, ἀλλ' ὅμως τρέφει Μοχθοῦντ' ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια.* — *puer*] Apud Romanos aetas militaris XVII. aetatis anno incipiebat. (Cf. Gell. N. A. 10, 28. Liv. 27, 11 cet.)

Vexet eques metuendus hasta
Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo
Suspiret, eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.

5. *dio* Ct. — *divo trepidis* Doering. Refutavit Regel. — (Vv. 5—12 desunt in B.) — 9. *heu heu* d. Ceteri mei *eheu*.

3. 4. *Parthos*] Hic *γνώμας* proponens proprio utitur nomine, alibi saepe praeferens poëtica vel *Medorum* vel *Persarum* vocabula. — *Vexet*] «urgeat et conturbet acriterque persequatur.»

5. *sub divo et trepidis*] «et cum molestia et in periculis.» Particula *et* carere non possumus, cum inepta sit sententia: «vitam degat in periculis sub divo.» *Trepidis in rebus* dixit etiam Livius 4, 17. 34, 11. *in re trepida* 5, 50. Tibull. 2, 3, 21: *trepidis petiere oracula rebus.* Alibi «dubiis, periculosis.»

6. *Illum*] Totam hanc pugnae scenam egregie ac maximopere *δεικτικῶς* ante oculos nobis posuit: «*illum* fortissimum ac formidandum iuvenem Romanum» cet. Cfr. Nitzsch apud Lübkerum pag. 344. — *hosticis*] poëtica forma pro *hostilibus*, ut *gentícus*, quo Tacitus utitur, et *cívicus*. — Iam ad imaginem, quae mentis oculis obversetur, transire maturat.

7. *Matrona*] ut iam apud Homerum (Il. γ, 154.) et Hesiod. Scut. 242: *αἱ δὲ γυναῖκες ἐϋδμήτων ἐπὶ πύργων Χάλκεον ὀξὺ βόων, κατὰ δ' ἀθρύπτοντο παρειάς·* uxores pugnas heroum e turribus prospectant; item Antigone in muris Thebanis. (Eurip. Phoen. 88.) Virg. Aen. 11. 475: *Tum muros varia cinxere corona Matronae puerique.* Silius 2, 251: *Conclamant matres, celsoque e culmine muri Lamentis vox mixta sonat.* Stat. Theb. 7, 240: *Nondum hostis circa, trepido tamen agmine matres Conscendunt muros, inde arma nitentia natis Et formidandos monstrant sub casside patres.*

9. *Suspiret*] «tacita secum;» nam eius sollicitudines significat, non ipsius querelae verba refert. — *ne* cet.] «sollicita, ne» cet. Metuendi enim notio inest in verbo *suspiret*. — *agminum*] totius rei militaris, cuius haud minima pars est agmen ducere.

10. *Sponsus - regius*] Accipiendum de alius regis foederati filio, ut Coroebus propter Cassandram Troiam venerat. — *lacessat*] «superbe et tamen sine successu ad pugnam provocet.» — *asperum Tactu leonem*] «quem si tangas, exasperatur, furit prosternitque propius accedentes.» Iliad. υ, 472. de leone: *ἰθὺς φέρεται μένει.* Silius 7, 400. de Hannibale: *Iam cernes Libycum hunc vallo assul-*

Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidoque tergo.

Virtus repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus,

14. *prosequitur* S, *consequitur* Bentl. coni. (et Cod. Cuninghamii p. 267.?) Ut nos, ceteri nostri ac Pottierii omnes. — 15. *inbellis* BbSTcd. — 16. *timidove tergo* Bb, corr. T, *(timido uetergo* pr. T,) *μξ*, Bentleius. (Ceteri nostri *timidoque tergo*. Hic v. est ultimus in B.) — 18. *Intaminatis* b. superscr. *con. (sordidae in* ‖ *Contaminatis* C e Codd.)

tare leonem. Contrarium Iliad. χ, 373: *ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι Ἕκτωρ, ἦ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ*.

13. *Dulce*] «Hoc cogitet iuvenis Romanus: *Dulce* cet.» Tyrtaeus 7, 1. Bergk p. 308: *Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα Ἄνδρ' ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον*. Eurip. Troad. 386: *Τρῶες δὲ πρῶτον μέν, τὸ κάλλιστον κλέος, Ὑπὲρ πάτρας ἔθνησκον*. Cic. Philipp. 14, 12: *O fortunata mors, quae naturae debita pro patria est potissimum reddita!*

14. *Mors* cet.] Simonides Fragm. 54. Schneidew. Del. *Ὁ δ' αὖ θάνατος κίχε καὶ τὸν φυγόμαχον*. Curtius 4, 14: *Effugit mortem quisquis contempserit; timidissimum quemque consequitur*. — *persequitur*] Hoc v. duplicem nobis exhibet imaginem, et celeriter insequendi et propter id ipsum, quod Mors inevitabilis insequitur, consequendi. «Persequitur, qui non desinit sequi.» Donat. ad Ter. Andr. 5, 4, 32. — Ita *Κὴρ* vel *Μοῖρα* persequitur bellatorem fugientem in vase picto apud d'Hancarville I. T. 35.

16. *Poplitibus*] Fugam significat; poplites enim fugientium cernuntur quemadmodum terga. Atque poplites imprimis fugientium victores caedebant. Liv. 22, 48: Numidae Romanorum *terga ferientes ac poplites caedentes*. Lucian. Toxar. 60: *ἐγνύην κατατμηθεὶς καμπύλῳ τῷ τόξῳ*. — *timidoque*] Praefert hanc lect. etiam Dillenburger p. 102. «Poplites», inquit, «et tergum fugientem militem totum significant, et *timidus* adiectivum non tergum solum sed poplites quoque ornat.»

17. Stoice iam loquitur: «Virtus, maior casu, nunquam patitur repulsae contumeliam; nam etsi homini virtute praedito volgus honores negat, ille neque ignominiam sentit nec dolorem, ut in comitio pila lusit Cato, quo die repulsam tulit (Sen. Ep. 104.), atque (Plin. Praef. 9.) repulsis velut honoribus indeptis gaudebat. Cum fortitudine autem, quam primo commendarat, necessario coniuncta est virtus civilis, *γενικῶς* spectata. Hanc comitatur verus honos atque nominis immortalitas.» — *nescia*] «quam nunquam attingit neque commovet aut deprimit repulsa.» — *sordidae*] Credebat volgus Romanum *maxima Esse mala exiguum censum turpemque repulsam*. Epp. 1, 1, 42 sq.

18. *Intaminatis*] a v. obsoleto *taminare*, tangere; fortasse tamen ex aliqua auctoritate antiquiore hac forma usus est pro *incontami-*

Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.

Virtus recludens immeritis mori
Caelum negata tentat iter via,
Coetusque volgares et udam
Spernit humum fugiente penna.

Est et fideli tuta silentio

19. *Nec ponit aut sumit* κτῳω. — 21. *inmeritis* bSTcd. — 22. *temptat* bTc. — *iter*] *ire*, erasis ante hanc vocem aliquot litteris, T. — 23. *uulgaris* T. — 24. *pinna* Bland. antiquiss.

natis. «Nec eius dignitas pendet e favore populari, sed eadem semper manet.» Od. 4, 9, 39. sapiens *Consul - non unius anni*. Cic. pro Sestio 28, 60: Virtus *lucet in tenebris - - splendetque per sese semper neque alienis unquam sordibus obsolescit*. — *Intaminati* autem *honores* opponuntur illis, qui in civitate persaepe et fraude et facinoribus sunt polluti.

19. 20. Nescio quam recte ad hos vv. Franke p. 487. haec commentatus sit: «*Nec sumit*] In his non immerito suspiceris Octavianum significatum esse, qui a. 726. de imperio deponendo cogitaret» (vel potius: se cogitare simularet). Equidem credo huius consilii significationem omnem haud nimis gratam futuram fuisse astutissimo illi Octaviano, quod cum probe intelligeret Horatius, sane tale quid facili opera devitabat; vel potius de hoc omnino nunquam cogitavit. — *secures*] pro fascibus, honorum insignibus; *ponit* autem, etiam quatenus gesto aliquo magistratu propter invidiam apud populum alios honores postea non obtinet. — *popularis aurae*] Seneca Thyest. 350: Sapientem *nunquam stabilis favor Volgi praecipitis movet*. Herc. fur. 469: (Stultum) *populi furor attonitum Fluctuque magis mobile volgus Aura tumidum tollit inani*. Virgilius Aen. 6, 817. usus est numero plurali: *nimium gaudens popularibus auris*. Cic. pro Cluentio 47: *ventus popularis*.

21 — 24. *immeritis mori*] «viris immortalitate dignis.» — *recludens - Caelum*] Anthol. Pal. I. 379: eos, qui Thermopylis ceciderunt, *ἀρετῇ καθύπερθεν Κνδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἀίδεω*. — *negata*] «asperrima quaque.» Sen. Herc. fur. 439: *Non est ad astra mollis e terris via*. — *udam*] «crasso aëre obsitam ac propterea minime dignam, in qua Virtus moretur.» — *fugiente*] Exprimit et contemptum rerum humanarum et celeritatem, qua in caelum sese tollat Virtus.

25. *Est et*] «Socia Virtutis est Fides. Haec autem vel maxime spectatur in mysteriorum caerimoniis religiose tacendis, quoniam summam fidem dis immortalibus debemus. Quocirca laesae fidei nullum maius exemplum reperiri potest, quam si quis occultissima Cereris sacra prodat profanis. Talem hominem», inquit, «omnes mecum aeque abominantur. Eiusmodi vero scelus gravissimae deum poenae consequantur necesse est.» — *fideli - silentio*] Virg. Aen. 3, 412: *fida silentia sacris*. Seneca Herc. fur. 303: *tibi muta fide Longas*

Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Volgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus fragilemve mecum

27. *Vulgavit* bT. — Post v. 27. deficit codex d usque ad Carm. 3, 59. — *fragilemque* bTSc,LCtJ. *(fragilemve* Bentleii correctionem firmat B.)

Eleusin tacita iactabit faces. Apul. Met. 3. p. 220. Oud.: *sacris pluribus initiatus, profecto nosti sanctam silentii fidem.* Ceterum expressit Simonidis versum: Ἔστι καὶ σιγᾶς ἀκίνδυνον γέρας, quem in ore habebat saepe Augustus, ut refert Plutarchus in eius Apophthegm. T. 2. p. 207. Fr., quemque certatim repetierunt Sophistae posteriores. V. Simonid. Schneidew. p. 112 et 233. (Ἔστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας Athenodoro tribuit Stobaeus T. 33, 5.)

26. 27. *Cereris - arcanae*] Ovid. Her. 12, 79: *arcanaque sacra Dianae.* Cic. in Verr. 5, 72: *teque, Ceres et Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultissimis caerimoniis continentur; - - quarum sacra populus Romanus a Graecis ascita et accepta tanta religione et publice et privatim tuetur, non ut ab aliis huc allata, sed ut ceteris hinc tradita esse videantur.* Atque de his imprimis sacris, non de initis Eleusiniis loqui videtur poëta; de his Sophocl. Oed. Col. 1051 D.: ὧν καὶ χρυσέα Κλῃὶς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβαχεν Προσπόλων Εὐμολπιδᾶν. Graecis hoc scelus est ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια. Lucian. de saltat. c. 15. Arrian. Epict. 3, 21. pag. 439. Schw. Creuzer ad Procl. in Alcib. I. pag. 86. Qui Eleusinia volgarat, non solum ultimo supplicio afficiebatur, eiusque bona publicabantur, sed etiam columna in eius ignominiam posita scelus poenaque posteris tradebatur.

28. 29. *Sit trabibus*] «Nunquam concedam, ut incestus mecum sub eodem tecto versetur vel eandem navem conscendat.» Per se, ut opinor, intelligitur, quod adnotat Bauer ad Sanctium II. pag. 262: «Ex *mecum solvat* etiam ad v. *isdem* revocari *mecum* sensus postulat.» Aeschyl. S. adv. Th. 602: Ἦ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ Ναύταισι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ Ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει. Soph. Antig. 372: Μήτ' ἐμοὶ παρέστιος Γένοιτο μήτ' ἴσον Φρονῶν ὃς τάδ' ἔρδει. Eurip. apud Orionem Schneidew. p. 56: Ὅστις δὲ τῶ φύσαντε μὴ τιμᾷν θέλῃ, Μή μοι γένοιτο μήτε συνθύτης θεοῖς, Μήτ' ἐν θαλάσσῃ κοινόπλουν στέλλοι σκάφος. Eurip. Electr. 1354: Οὕτως ἀδικεῖν μηδεὶς θελέτω, Μηδ' ἐπιόρκων μέτα συμπλείτω. Callim. Cer. 117: Δάματερ, μὴ τῆνος ἐμὶν φίλος, ὃς σοι ἀπεχθής, Εἴη, μηδ' ὁμότοιχος· ἐμοὶ κακογείτονες ἐχθροί. Xenoph. Cyrop. 8, 1, 25: ὁ Κῦρος - - λογιζόμενος ὥσπερ οἱ πλεῖν αἱρούμενοι μετὰ τῶν εὐσεβῶν μᾶλλον ἢ μετὰ τῶν ἠσεβηκέναι τι δοκούντων. — *fragilemve*] Firmat Cod. B. antiquissimus contra ceteros meos; et recte quidem, cum satis distinguantur *trabes eaedem* et *phaselos.* — *phaselon*] proprie Aegyptiorum navigium.

29. 30. «Saepe Diespiter offensus una cum *incesto*, religionum violatore, punivit etiam innocentem, una cum illo fortuito versantem.» — *Diespiter*] Vid. ad Od. 1, 34, 5.

Solvat phaselon; saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

29. *faselum* LCt, *phaselum* F. Mei Codd. *phaselon.*

31. 32. *Deseruit*] «Raro, cum assecuta tandem est etsi sero scelestum *antecedentem* ac propterea tutum se putantem, retrocedit atque vindictam omittit, immo semper fere illum ulciscitur.» Eurip. Frgm. incert. 2. D. *ἡ Δίκη – – σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ Στείχουσα μάρψει τοὺς κακούς, ὅταν τύχῃ.* Strato in Anthol. Pal. II. p. 524. *ὑστερόπουν Νέμεσιν* dicit. Tibull. 1, 9, 4: *Sera tamen tacitis Poena venit pedibus*, ad quem v. Vossius poëtarum de *Poena* ac *Poenis* locos collegit. Gratius 455: (Impius) *Discet commissa quantum deus ultor in ira Pone sequens valeat.* Lucan. 6, 692: *Eumenides Stygiumque nefas Poenaeque nocentum.* Adde Aeschyl. Fragm. 268: *Τό τοι κακὸν ποδῶκες ἕρχεται βροτοῖς Καὶ τἀμπλάκημα τῷ περῶντι τὴν Θέμιν.* Max. Tyr. 6. extr. Poëta apud Greg. Naz. Orat. 10. p. 302: *ὀπισθόπους Δίκη.* Suidas: *Ποιναὶ τιμωροὶ τοῖς κακοῖς ἀκολουθοῦσιν οὐχ ὡς σκιαὶ σώμασι πλησίον, ἀλλὰ καὶ ὀψὲ τοῦ χρόνου.* Cum Furiis eas prorsus confudit Lucian. Amor. 47: *τὰς Ὀρέστην ἐλαυνούσας Ποινὰς Πυλάδης ἐνόσει μᾶλλον.*

CARMEN III.

Iustum et tenacem propositi virum

III. Inscr. volg. *Ad Caesarem Augustum.* — *Ad Musas de Augusto* b. — *Ad Quirinum sive Romulum* S. — *Ad Augustum* T. — *Ad Musas de Augusto qui in proposito videtur perseverare* c. — 1. *et*] *ac* F ex Porphyrione in lemmate, sed idem Schol. mox *et*, ut Codd. mei.

III. Constantiam et fortitudinem Romanis tamquam praecipuas maiorum virtutes, nimis a suis aequalibus neglectas, commendaturus exempla Pollucis, Herculis, Liberi patris, propter illas ipsas virtutes inter deos receptorum, proponit; quibus admodum dextre paucis verbis, ne nimia evadat adulatio, inserit Augustum. Plurimum vero immoratur in Romuli laudibus, cuius, ut ita dicam, ἀντίστροφος erat Augustus, alter imperii Romani conditor, atque per quendam poëticae φαντασίας plenum impetum (a quo v. 69. se ipse revocat) exponit elatam ac sublimem Iunonis de Romulo ad ceteros deos orationem. (Quam quidem partem carminis sane necessariam fuisse ideo maxime equidem iudico, quod γνώμας vv. 1—16. etsi imaginibus aliquot ornatas in tam sublimi carmine excipere debebat locus vere cum poëticus tum etiam oratorius, propter hoc ipsum ad Romanorum ingenium quam maxime appositus; quem qui praesertim propter inaequalem, ut opinabantur, ad ceterum carmen rationem ac quandam et sententiarum et verborum redundantiam vituperarunt, libertatem vimque lyrici generis sese parum nosse clare professi sunt.) Hac ipsa oratione inductus est Merula, ut Ennii versus disiectos ita componeret Annal. Lib. 1. p. 430. Hess.: *Respondet Iuno Saturnia sancta dearum: — Romulus in caelo cum dis genitalibus aevom Degat:* cum prior versiculus a Columna relectus sit in Ann. Lib. 6. Verum cum res sit prorsus incerta, Ennium Horatio ante oculos fuisse contendere nolim. Quod autem Iunonem tam severe Romanis interdicere fingit, ne unquam restituant antiquam illam Troiam (non quod tunc florebat Ilium), id equidem ex eo ductum puto, quod casu recordatus esset aliquando illius de Caesare rumoris, cuius meminit Suetonius Caes. 79., ubi inter causas caedis Caesaris hanc quoque refert: *Quin etiam varia fama percrebuit migraturum Alexandriam vel Ilium translatis simul opibus imperii exhaustaque Italia delectibus et procuratione Urbis amicis permissa.* Non quod Augustus, dominator nimis callidus ac prudens, hoc idem consilium unquam agitarit; nullum enim huius rei vestigium nobis servatum est, nec profecto, si hoc animo volvisset, Horatii erat ei tale propositum carmine in volgus edito dissuadere; sed, ni

Non civium ardor prava iubentium,
Non voltus instantis tyranni
Mente quatit solida neque Auster,

Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

6. *Iovis manus* Aldus, LCt contra Codd. Cruquii, Bentleii, meos et Pottierii. — 7. *illabetur* T, pr. b,γμ. — 8. *Inpavidum* STc.

magnopere fallor, tactus aliquando cogitatione malorum, quae Romanis iam tunc infixisset translatio illa imperii, quam exsecutus est demum Constantinus, hanc *φαντασίαν* poëtice exornavit. Cfr. Lucanum 9, 997., ubi Caesar Troiae degens haec profert: *Restituam populos. Grata vice moenia reddent Ausonidae Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.* Adde Loebell in Raumer's *historischem Taschenbuch* 1834. p. 266. — (Argumentum sic complectitur Dillenburger: «Laus et gloria nominis Romani, ab Romulo parta, per annorum seriem adaucta, ab Augusto ad summum fastigium elata.») Franke hoc carmen ad a. u. c. 727., Kirchner et alii ad a. 733. referunt.

1. *Iustum et* cet.] Octo hos versus inter eculei tormenta recitavit magnus ille Batavus Cornelius de Witte — *tenacem propositi*] Similiter Caes. B. C. 1, 83. *tenere propositum* dixit. Hic per se intelligitur vir *tenax propositi*, quod ex iustitiae sensu ortum prorsus cum ea congruit.

2. 3. *ardor*] «furibundus tumultus in seditione prava postulantium.» — *voltus*] «truculentus urguentis et minitantis tyranni.»

4. *quatit*] «eum conturbans de sententia certa ac firma demovet.» Cic. Tusc. 4, 8: *Conturbationem metum excutientem cogitata* (dicunt). («Sic *ἐκπλήττειν*. Aeschyl. Prom. 360: *Ὃς αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων Κομπασμάτων*. Ad totam strophan cfr. Cic. pro Lig. 9, 26.» Halm.) — *solida*] Seneca de Const. Sap. 3: *Quemadmodum proiecti in altum scopuli mare frangunt, ita sapientis animus solidus est*, id est, nunquam perturbatus, uti Tac. Ann. 14, 24: *solida domi quies*, «nunquam interrupta.» Simonides Fragm. 21. Schneidew. p. 46: *Ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπὸν Χερσίν τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον, ἄνευ ψόγου τετυγμένον.*

5. *Dux*] ut Od. 2, 17, 19: *tyrannus Hesperiae Capricornus undae.* — *turbidus*] «impetu suo turbas in mari suscitans.» — *Hadriae*] Od. 1, 3, 15: *Quo non arbiter Hadriae maior.*

6. *magna manus*] «validissima.» Mire nonnulli construunt: *manus Iovis fulminantis magna*, id est, loca excelsa. Obstat vel caesura versiculi.

7. *illabatur orbis*] «si caelum ruat.» Theogn. 869. B.: *Ἔν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν κτλ.* (Cfr. etiam Grimm *Gesch. d. d. Spr.* p. 459.)

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens

10. *Innisus* ST,$\beta\chi$ «cum sex aliis», *Innixus* Aldus, Lt, (Ut nos bc,$\gamma\mu\lambda\psi$, Bland. antiquiss., quattuor Pott.) — 11. *residens* γ Kirchn. p. 36.

9. *Hac arte*] *ἀρετῇ*. «Eadem hac constantia usi, quam in sapiente praedicat, neque ullis laboribus defessi neque a proposito deterriti heroes generi humano summa commoda, sibi aeternam gloriam pararunt.» Cfr. Od. 4, 8, 28 sqq. Epp. 2, 1, 5 sqq. (Cic. de N. D. 2, 24. HALM.) — *Pollux*] Aristoteles Hymn. in Hermiam Bergk p. 461: *Ἀρετά, πολύμοχθε γένει βροτείῳ Θήραμα κάλλιστον βίῳ, -- Τοῖον ἐπὶ φρενα βάλλεις Καρπόν, ὃς ἀθάνατος χρυσοῦ τε κρείσσων· -- Σεῦ δ' ἕνεχ' οὐκ Διὸς Ἡρακλέης Λήδας τε κοῦροι Πόλλ' ἀνέτλασαν ἔργοις Σὰν ἀγρεύοντες δύναμιν.* De *Διοσκούροις* s. Castoribus Pind. Nem. 10, 55. B.: *Μεταμειβόμενοι δ' ἐναλλὰξ ἀμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ Δὶ νέμονται, τὰν δ' ὑπὸ κεύθεσι γαίας ἐν γυάλοις Θεράπνας, Πότμον ἀμπιπλάντες ὁμοῖον· ἐπεὶ Τοῦτον ἢ πάμπαν θεὸς ἔμμεναι οἰκεῖν τ' οὐρανῷ Εἵλετ' αἰῶνα φθιμένου Πολυδεύκης Κάστορος ἐν πολέμῳ.* — *vagus*] Eurip. Herc. fur. 1196. Amphitryo de Hercule: *Οὐκ ἂν ἴδοις ἕτερον Πολυμοχθότερον πολυπλαγκτότερόν τε θνατῶν.* Pind. Isthm. 3, 73. B.: *Τίὸς Ἀλκμήνας· ὃς Οὔλυμπόνδ' ἔβα, γαίας τε πάσας Καὶ βαθυκρήμνου πολιᾶς ἁλὸς ἐξευρὼν θέναρ, Ναυτιλίαισί τε πορθμὸν ἀμερώσας. Νῦν δὲ παρ' Αἰγιόχῳ κάλλιστον ὄλβον Ἀμφέπων ναίει, τετίμηταί τε πρὸς ἀθανάτων φίλος Ἥβαν τ' ὀπυίει, Χρυσέων οἴκων ἄναξ καὶ γαμβρὸς Ἥρας.* Diodor. 4, 39: *Ἀθηναῖοι πρῶτοι τῶν ἄλλων ὡς θεὸν ἐτίμησαν θυσίαις τὸν Ἡρακλέα.* — In antiquissimo autem illo throno Amyclaeo Pausan. 3, 19, 5: *πεποίηται δὲ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καὶ Ἡρακλῆς ὑπὸ Ἀθηνᾶς καὶ θεῶν τῶν ἄλλων ἀγόμενος εἰς οὐρανόν.* Herculem in caelum receptum vide in Gerhard *ant. Bildw.* T. XXXI. *Mus. Gregor.* 1, 32, 2. — Similiter autem Themistius Iulianum exhortatus erat Orat. 9. p. 253. Spanh.: *Σὺ δέ μοι νῦν -- τὸν ἀγῶνα τῷ παντὶ χαλεπώτερον ἔδειξας, ἐν ταύτῃ παρὰ τοῦ θεοῦ τετάχθαι μὲ τῇ μερίδι λέγων, ἐν ᾗ πρότερον Ἡρακλῆς καὶ Διόνυσος ἐγενέσθην, φιλοσοφοῦντες ἅμα καὶ βασιλεύοντες καὶ πᾶσαν σχεδὸν τῆς ἐπιπολαζούσης κακίας ἀνακαθαιρόμενοι γῆν τε καὶ θάλατταν.* Cfr. etiam Cic. de Legg. 2, 8.

10. *Enisus*] «Multo cum labore in caelum ascendit.» Tacit. Ann. 4, 70: *in editiora enisus.* Recte Bentleius contra lect. *Innisus* vel *Innixus* disputat: «Qui pondus aliquod sustinet, is fulcro *innititur*, ne cadat: qui in altum ascendere conatur, *enititur*.» — *arces igneas*] «caelum stellatum et aethere cinctum.» Stat. Silv. 4, 3, 155: *Ibis, qua vagus Hercules et Euan, Ultra sidera flammeumque solem*; et *liquidum ignem* aetherem dicit Virgil. Ecl. 6, 33. *Siderea arcem* frequentius caelum vocant poëtae. (Ovid. Am. 3, 10, 21. Val. Flacc. 1, 498.)

12. *Purpureo - ore*] Non de voltu, sed de labris purpureis intelligendum. Simonides Fragm. 119. Schn.:

Purpureo bibit ore nectar.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres indocili iugum
Collo trahentes; hac Quirinus

12. *bibet* bT,FJ. (Ut nos, Sc, octo Pottierii, item Bentleius.)

πορφυρέου Ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος. Catull. 45, 12. Acme *Illo purpureo ore saviata.* Virg. Aen. 2, 593. de Venere: *roseoque haec insuper addidit ore.* Contra Ovid. Met. 7, 705: Aurora *roseo spectabilis ore.* — *bibit*] «Iam nunc deorum vitam vivit», id est, remoto tropo, «pari atque illi et immortali propter sua merita ac res gestas gloria fruitur.» Epp. 2, 1, 15: *Praesenti tibi maturos largimur honores Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Dio 54, 20. a. u. c. 725. Senatus inter alia decrevit: ἐς τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐσγράφεσθαι. Contra si legas *bibet*, mali prope ominis vox erit, «Augustum post mortem (cuius quidem mentio etiam sub hac immortalitatis pollicitatione minime grata ei futura erat) in deorum numerum adscriptum iri.» Et cautissime quidem de futura Augusti ἀποθεώσει loqui solebant, ut Od. 1, 2, 45: *Serus in caelum redeas.* Ovid. Met. 15, 838. et 868. Trist. 2, 57: *Optavi peteres caelestia sidera tarde.* Ibid. 165. 5, 5, 64: *Caesar dis accessure, sed olim, Aequarint Pylios cum tua fata dies.* — *nectar*] beatitudinis atque immortalitatis imago. Sic in Etruscorum urnis cinerariis beatorum animis a pocillatore porrigitur nectaris cyathus. *Ann. dell' Inst. archeol.* VII. p. 24.

13. *Hac te merentem*] «Bacchus quoque, Semeles, mortalis feminae, filius, deus factus est, ideo hunc honorem meritus, quod agrestem ac feram hominum vitam excoluerat victoriisque suis incruentis ad humanitatem traduxerat.» Ov. Trist. 5, 3, 19: *Ipse quoque aetherias meritis invectus es arces, Qua non exiguo facta labore via est,* de Baccho. — *pater*] solitum omnium deorum ἐπίθετον, sollemne autem Latinorum *Liberi patris.*

14. *Vexere*] ad deorum domicilium, Olympum. — *tigres*] imago feritatis ab eo perdomitae. Tigris autem vel potius panthera Libero patri sacra erat fera, eius quasi famula; quare crebro comparet in anaglyphis Bacchicis, velut in Zoëga *Bassi rilievi* I. p. 35. Gerhard *ant. Bildw.* T. CIX. Imaginem expingit Sidonius Apoll. C. 22, 21: *Euan populatus Erythras Vite capistratas cogebat in esseda tigres.* Quamvis autem vis sententiae insit in vv. *Hac te merentem*, libenter tamen immoratur in poëtica hac tigridum imagine *tuae - - trahentes*, qua de re immerito a scholastico quodam reprehensus est. — Longe vero rarius in vasis pictis cum Libero sociatur leo; in aliis artis operibus Centauri eius currui iuncti sunt (Boettiger *Vasengem.* III. pag. 139. Millin *Gal. myth.* T. LIII. 235.); alibi etiam hirci. (Gerhard *Vasengem.* T. LIV.) Dromedario inter duos dorsi gibberes collocatus insidet Bacchus triumphator in *Ann. dell' Inst. arch.* V. p. 99. — *indocili*] cum primum reniterentur.

15. 16. *hac Quirinus*] quippe qui Iulio Proculo haec mandata dederit: Χαῖρε καὶ φράζε Ῥωμαίοις,

Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocuta consiliantibus
Iunone divis: Ilion, Ilion
Fatalis incestusque iudex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit deos

16. *Patris equis* Cod. (?) Barthii, prob. Bentleio. — 17. *Ratum* Progr. Scholae Tremoniensis a. 1840. — 21. *distituit* T.

ὅτι σωφροσύνην μετ' ἀνδρείας ἀσκοῦντες ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρωπίνης ἀφίξονται δυνάμεως. Plut. Rom. 28. (Quirini effigies est in nummo *C. MEMMI. C. F.* Riccio *M. F. R.* p. 144.) — *Martis equis*] Ovid. Met. 14, 805 seqq. Fast. 2, 493: *Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus aether: Fit fuga; rex patriis astra petebat equis.* Etiam Dionys. Halic. 2, 57. tradit eum *ἀπὸ τοῦ πατρὸς Ἄρεως ἀνηρπάσθαι.* — *Acheronta*] Pindar. Fr. 14, 4. Diss. de dis: *Κεῖνοι γάρ τ' ἄνοσοι καὶ ἀγήραοι Πόνων τ' ἄπειροι, βαρυβόαν Πορθμὸν πεφευγότες Ἀχέροντος.* Theocr. 17, 46: *Βερενίκα Εὐεσθὴς Ἀχέροντα πολύστονον οὐκ ἐπέρασεν.* — *fugit*] ut Od. 3, 2, 24: *fugiente penna.*

17. 18. *Gratum*] Omnes enim Romulo favebant. — *consiliantibus*] «deliberantibus, utrum in caelum recipiendus esset necne.» De ipso v. *consiliari* in nonnullis scriptorum locis suspecto, hic et A. P. 196. certo, cfr. Ern. ad Tac. Hist. 2, 53: *rursus consiliaturi*; item Forcellinum. — *Iunone*] Simile est deorum consilium apud Eurip. Hel. 878. Dind.: *Ἔρις γὰρ ἐν θεοῖς, σύλλογός τε τοῦ πέρι Ἔσται πάρεδρος Ζηνὶ τῷδ' ἐν ἤματι, Ἥρα μέν, ἢ σοι δυσμενὴς πάροιθεν ἦν, Νῦν ἐστιν εὔνους.* Sic etiam in Hercule inter deos recipiendo. — Quo autem huius orationis dignitatem penitus persentiscas, contemplanda tibi sunt Iunonis simulacra antiqua, imprimis Iuno Ludovigiana et Praenestina apud Müller *Denkm.* II. 1, 34. et 35. — *Ilion, Ilion*] Dionys. Long. Fragm. 8. p. 123. Egger: *Πάθος ποιοῦσι καὶ οἱ ἀναδιπλασιασμοί· Θῆβαι δέ, Θῆβαι* (Aeschin. in Ctes. §. 133.).

19. *Fatalis*] «a fatis ad Troiae excidium destinatus (*Δύσπαρις, Αἰνόπαρις*) atque propter raptum Helenae (quam dea nominare non dignatur) impurus adulter, ob hoc scelus ipsum a fatis electus, qui patriam everteret.» — *iudex*] Eridis cum malum aureum, pulchritudinis praemium, posthabita Iunone et Minerva, Veneri adiudicavit. Virg. Aen. 1, 26: *manet alta mente repostum Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae.* Fundus fabulae est Iliad. ω, 28—30., qui tamen locus multis (ut Wolfio Prolegg. p. 273.) haud immerito suspectus fuit; clarius deinde exposita est in Cypriis, aliquoties significata ab Euripide (Hec. 629, seqq. Iph. Aul. 1300. Troad. 925. Hel. 23. Andr. 284.), saepe etiam ab antiquis artificibus expressa, ut est Mercurius tres deas ad iudicium ducens in Gerhard *Vasengem.* T. 72. atque imprimis T.

Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento.

Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes nec Priami domus
Periura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit,

23. *damnatam* malebat Bentl. — 27. *Peiura* T.

CLXX — CLXXVI., Paridis iudicium in anaglypho apud Inghirami *Gal. Om.* I. T. 9.

24—23. *In pulverem*] Iliad. ι, 393: *πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει.* — *ex quo*] Haupt volt *ex qua*; *ex quo* significat: «iam inde ex eo tempore, quo primum fraus illa a Laomedonte commissa est, gravis ultio Troiae imminebat, quae calamitas tandem post ultimam Paridis culpam eam afflixit.» Laomedon scilicet Neptunum et Apollinem, qui urbis moenia ei exstruxerant, debita mercede fraudavit eosque regno expulit. Iliad. φ, 442. Pind. Ol. 8, 31. Ovid. Met. 11, 199. — *destituit*] Nobis proprie esset: «*von dem bedungenen Lohne hinwegstellte.*» Ut hic, Cic. pro Rosc. Am. 40: *homines honestissimos - - decepit, destituit.* — *Castaeque*] Minerva semper *innupta* (Aen. 2, 31.) praeterquam in arcanis quibusdam *μύθοις*, ut in illo de *ἱερῷ* eius *γάμῳ* cum Hercule. Gerhard *Vasengem.* T. 36. p. 142.

24. *duce fraudulento*] Nolim cum aliis explicare de Priamo, rege insonte; ita enim Iuno nimia iracundia atque odio abrepta fingeretur; sed per quandam *βραχυλογίαν* dictum puto pro his: «Ilion damnatum cuncto cum populo, ideo quod dux eius, Laomedon, tam fraudulentus fuit, in quem unum recidit excidii Troianae urbis culpa omnis atque ignominia.» Ita fere iam Lambinus.

25. *Lacaenae*] Simplicissima ratio est, ut construamus: *hospes adulterae Lacaenae* (genit.), non vero: *splendet adulterae* (dativ.), quod explicant, «iactat se pulchrum ac nitidum Helenae;» vel: «adulterae propter corporis formam placet.» *Splendet*, ut nos interpretamur, absolute est: «non iam superbit corporis forma Paris.» *Τραγικώτατον* autem de Paridis interitu *μῦθον* sic enarrat Welcker *gr. Trag.* Suppl. II. III. p. 1146: Paris a Philocteta sauciatus ad Oenonen, quam prius amaverat quaeque ex fatorum decreto sola eum sanare poterat, confugit, sed ab ea superbe reiectus moritur; deinde illa, poenitentiâ tacta, sibi ipsa mortem consciscit. Cfr. Parthen. Narr. 4. Quintus Sm. 10, 235.

28. *refringit*] pr. «ita frangit, ut fractus nunquam se colligat ac resurgat; reprimit, retundit.» Prop. 3, 3, 44: *Teutonicas Roma refringat opes.* Utroque autem membro Troiae excidium *παραφράζει* poëta, duobus Troianorum principibus viris sic memoratis: «Occiderunt iam formosus ille Paris, belli auctor, fortissimus Hector, strenuus patriae defensor; atque his e medio sublatis cecidit Troia.»

Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
Iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo; illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris

30. *gravis* b. — 32. *Troïa* auctore Heinsio Bentl., F. — 33. *ego* om. T. — 34. *ducere*] *discere* bTc, corr. S, *βχξχψω*, pr. *ν*. et var. lect. *ι*. (Ut nos, pr. S, Pottierii 1, 3, 6, 13, 15, 23.)

29—34. *ductum*] «productum;» usu omnibus satis noto; sic etiam *trahere bellum* Sal. Iug. 64. Tac. Hist. 2, 31. — *seditionibus*] Ovid. Trist. 1, 2, 5: *Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo; Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.* (Sic apud Liv. 45, 19. *domestica seditio* est «discordia inter fratres.») — *resedit*] «ut maris aestus sedata tempestate, sic compositum, finitum est bellum eversa Troia.» — *Protinus*] «ex hoc temporis puncto in futurum.» Ut poëta, nullam habet rationem aetatum inter Troiae excidium et Romuli adscensum in caelum praeteritarum. — *nepotem*] «Romulum, Martis filium.» Dicendum vel hoc erat, cum male alii interpretati sint «unum posterorum, *ἀπόγονον*.»

32. *Troica*] Virg. Aen. 1, 119: *Troïa gaza*, ubi Wagner: «Alteram formam, *Troicus*, videtur pedestris oratio sibi vindicare.» *Troica* servavit etiam Iahn et Meineke. — *sacerdos*] Ilia sive Rea Silvia, Vestalis, e sanguine Troiano orta, cum pater eius Numitor ab Aenea descenderit. Vestae autem, ut deae Troianae, sacerdotem non significat, uti quidam voluit. Vide Excursum.

33. 34. *Marti*] «quippe filio meo.» Iuno Martem lactans est in *Museo Pio-Clem.* I. T. 4. — *redonabo*] Hoc verbo inter scriptores nunc superstites unus Horatius usus videtur; alia significatione Od. 2, 7, 3., h. l. pro *donare* (Cic. ad Fam. 5, 4: *inimicitias rei publicae donare.*) et *condonare*, in alicuius gratiam alicui aliquid remittere vel ignoscere. — *lucidas - sedes*] Ovid. Met. 15, 858: *Iuppiter arces Temperat aetherias.* Iliad. *α*, 532: *αἰγλήεντος Ὀλύμπου.* — *ducere*] ut Od. 1, 17, 22. Od. 4, 12, 14., est «cum quadam voluptate obducere, sorbillare»; ita *σκᾶν*, *ἕλκειν οἶνον*. Alii *discere*, quod explicant: «assuescere saporibus nectaris.» Reiecit hanc lect. Bentleius hac ratione ductus: «quod *discantur*, quae vel difficultatem vel metum vel fastidium habent.» Sed recte hunc usum perpetuum esse negavit Vanderburgius. Ovid. A. A. 3, 27: *per me discuntur amores.* Claudian. Epithal. 130., ubi Venus loquitur: *Vivite concordes et nostrum discite munus; Oscula mille sonent.* Rapt. Proserp. 2, 367: *unanimi consortia discite somni*, de rebus utique gratissimis; verum de nectare potando nescio quid habet ridiculi, quod non senserunt ii, qui nuper *discere* rursus amplexi sunt. Omnino h. l. provenit ab iis,

Sucos et adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum.

Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati;
Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum et catulos ferae

35. *Sucos* bSc: *Sucus* T, *Succos* **M** cum Edd. plerisque.

qui verbi *ducere* significationem huic loco unice aptam ignorarent.

35. 36. *et adscribi*] In his semel desideratur in iungendis membris aequalitas, alioquin usitata apud Horatium. Haupt Obss. critt. p. 34. Ceterum *adscribi* ex formula militari pro vv. *admitti, addi*. — *quietis Ordinibus*] Philetas Bachii pag. 36: *(Ἀθάνατοι) οἵ τ' ἐν Ὀλύμπῳ Ἕκτοσθεν χαλεπῶν ἀχέων οἶκους ἐκάμοντο*. Sat. 1, 5, 101: *deos didici securum agere aevum*. Silius 15, 57: *Atque idem* (deus), *exemplar lenis mortalibus aevi, Imperturbata placidus tenet otia mente*. Nequaquam vero, ut volt Lübker, opponitur *seditionibus* v. 19.

37. *Dum*] «Dummodo mare tempestatibus semper concitatum omne inter utrumque populum commercium impediat atque rumpat.» Haec omnia, ut consentaneum est, poëtice accipienda, siquidem optime norat Horatius ab Ilio novo Romam, hinc illuc continuo navigari, Ilion autem semper subiectum mansurum Romanis confidebat. Moneo propter H. Peerlkamp, quo iudice haec omnia (v. 47. *Gratum* usque ad finem carminis) non sunt Horatii, sed obscuri atque inepti alicuius Grammatici. Ac tamen haec summopere admirati erant etiam Lambini et Bentleii.

38. 39. *exsules*] «Romani, qui genus duxerunt a profugis Troianis.» (Dictum sane videtur cum leni quadam despicientia, deam ceteroqui optime decente.) — *beati*] «omnibus opibus affluentes.»

40. *Priami - busto*] Etiam haec nonnemo calumniatus est. Sane Priamus ex volgari fama a Neoptolemo ante aram Iovis Hercei obtruncatus auctoribus Virgilio Aen. 2, 557. et Quinto Smyrnaeo 13, 244. non habuit bustum, sed iacuit *ingens litore truncus Avolsumque humeris caput et sine nomine corpus*; nihilominus lyricus, hoc praesertim in sententiarum nexu, sine ulla culpa memorare poterat eius sepulcrum, id est, locum, quo eius corpus proiectum remanserat. Atque cfr. prae omnibus Antipat. Sid. in Anthol. Pal. I. p. 344: *Ἥρωος Πριάμου βαιὸς τάφος*, quippe ab hostibus factus. — Nolim vero cum Bosscha «*bustum* latiore sensu accipere de universo urbis interitu, ut ipsa urbs deleta bustum Priami dicatur.»

41. *Insultet*] Ea sane summa erat in mortuum contumelia, ubi tumulus ab omni custodia ita desertus manebat, ut impune hostes ei insultarent, armenta eum depascerentur, ferae in eo lustra haberent. Sophonias 2, 14. de Nino urbe:

Celent inultae, stet Capitolium
Fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus,

Aurum irrepertum et sic melius situm,
Cum terra celat, spernere fortior
Quam cogere humanos in usus

49. *inrepertum* bSTc.

Et accubabunt in medio eius greges, omnes bestiae gentium; - - quomodo facta est in desertum, cubile ferarum! Iliad. ∂, 476: *Καί κέ τις ὧδ' ἐρέει Τρώων ὑπερηνορεόντων Τύμβῳ ἐπιθρῴσκων Μενελάου κυδαλίμοιο κτλ.* Eurip. El. 327. Aegisthus Agamemnonis *ἐνθρώσκει τάφῳ.*

42. *Capitolium*] *summum Iovis culmen* (Silius 3, 540.), certum illud aeternitatis et signum et pignus Romanis. Od. 3, 30, 8.

43. 44. *dare iura*] «leges imponere.» Liv. 4, 8: Romulus *vocata - - multitudine - - iura dedit.* Virg. Aen. 3, 437: *Iura domosque dabam. — Possit* autem *dare iura*, ut Tibull. 4, 7, 3: *Aquitanas qui posset fundere gentes.* Non est simplex verbi *περίφρασις*, sed significat: «valeat leges dare ac det re vera.» — *Medis*] Sane, ut ubique apud Horatium, intelliguntur Parthi, quamquam etiam tunc Medi proprie dicti, Parthis tamen semper obnoxii, ab his distinguebantur. Augustus in Mon. Ancyr. p. 36. Franz: *A me gentes Parthorum et Medorum petierunt per principes earum gentium regesque eos acceperunt, Parthi Vononem - -, Medi Ariobarzanem.*

45. *Horrenda*] «Roma bellicosa et terribilis opibus suis debellet Parthos ceterosque populos orbis extremos.» Iunge *horrenda late*, similiter atque Od. 3, 47, 9: *Late tyrannus.* Virg. Aen. 4, 21: *populum late regem*; non cum aliis *late extendat*; id quod respuit versus caesura et pedestris est orationis.

46. *qua medius liquor*] «medium inter terras continentes spatium occupans usque ad Gades, *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda.* (Poëta apud Cic. N. D. 3, 40.)» Aegyptum autem et Hispaniam debellavit Augustus.

49-52. «Hoc vero orbis terrarum imperium Roma ea dumtaxat condicione adipiscetur, ut fortior sit ad spernendum aurum quam cupidior eius *cogendi*, congerendi undique et quolibet modo etiam illicito, adeo ut rapiantur vel ex templis donaria aurea, ex iisque conflatis vasa ad usum profanum destinata conficiantur.» Alii iungunt: *cogere humanos in usus*; sed sic tollitur oppositio manifesta in-

Omne sacrum rapiente dextra.

Quicunque mundo terminus obstitit,
Hunc tanget armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii

53. *Quacunque* malebat Bentl. — *mundi* L, ut Mald. Cruquii, Pottierii 22. Mei et reliqui Pott. *mundo*; item «nostri praeter unum et alterum ex recentioribus.» BENTL. — 54. *tanget* bSTc et omnes Pott. praeter unum: *tangat* Pott. 22., LCtFM et Bentl. — 55. *debachantur* T.

ter *humanos usus* et *sacrum*, quod cum deorum sit, exemptum est usui humano. Plaut. Trin. 4, 4, 36: *Neque istis quicquam lege sanctumst; leges mori serviunt; Mores autem rapere properant qua sacrum qua publicum.* — *Aurum irrepertum spernere* est «nulla prorsus cupiditate accendi ad auri venas investigandas.» Frequentes autem tales sunt auri exsecrationes apud antiquos. Sophocl. Antig. 221. Timocreon in Schneidew. Del. p. 430. Bergk. p. 809: Ὤφελέν σ', ὦ τυφλὲ Πλοῦτε, μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάσσῃ μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆναι, Ἀλλὰ Τάρταρόν τε ναίειν κἀχέροντα· διὰ σὲ γὰρ πάντ' ἔστ' ἐν ἀνθρώποις κακά. Seneca Nat. Quaest. 4, 15: *Quae tanta necessitas hominem ad sidera erectum incurvavit et defodit et in fundum telluris infimae mersit, ut erueret aurum non minore periculo quaerendum quam possidendum?* Manil. 5, 276. de frumento: *Quod solum docuit mortales nosse metallum.*

53. *Quicumque*] «ad ultimum quemvis terminum, qui, natura rerum sic iubente, mundo habitabili *obstitit, davor steht,* eoque impedit, quo minus mundus ultra se extendat, eum claudit.» Requiritur, inquit, *obstiterit* vel potius *obstet.* Immo neutra hac constructione usus unquam esset Horatius, qui constanter cum v. *quicunque* iungit indicativos. — *mundo*] Unus Pottierii Cod. 22. *mundi*, quod placebat Vossio; sed pedestris est orationis, cum sic nimis debilitetur actio v. *obstitit.*

54. *tanget*] «Huic arma inferet eumque in dicionem suam rediget, bellico cum impetu ac victoriae certa *(gestiens)* penetrans et in zonam gelidam et in torridam, ubi solis *ignes* vim suam quasi furibundam exercent.» *Tanget* autem praetuli aliorum *tangat,* et quia vaticinatur Iuno, et propter Codd. consensum.

56. *rores*] ut δρόσος, de cuiusvis generis aqua apud poëtas; h. l. pro imbribus.

57 — 60. «Sed orbis terrarum imperium, ad quod fata Romanos vocant, ea tamen condicione iis vaticinor, ut abstineant a Troia reparanda.» — *pii*] in μητρόπολιν,

Rebusque fidentes avitae
Tecta velint reparare Troiae.

Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis et sorore.

Ter si resurgat murus aëneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis, ter uxor
Capta virum puerosque ploret.

Non hoc iocosae conveniet lyrae:

66. *Ductore* unus Achillis Statii, alter Cruquii, qui recepit, tertius Pulmanni; reiicit Bentleius, dubitanter proponens *Structore*. — 67. *Exscissus* L. — 69. *haec - - convenient* L, *haec - - conveniunt* F. *(hoc - - conveniat* χψω, Pott. duo. Ut nos, nostri.) — *lyrae* om. T.

quam pietatem pulcherrime expressit Ennius Annal. 14, 9. Ed. Merulae, ubi Romani duce L. Cornelio Scipione (Asiatico) Troiam primum conspicientes in has voces prorumpunt: *O patria, o divom domus Ilium et incluta bello Pergama! — Pietas* autem coloniarum in μητροπόλεις dirutas requirebat, ut, si fieri posset, eas repararent. Cfr. Heyne Opusc. I. p. 312. — *fidentes*] «potentia sua nimis freti.»

61. *Troiae* cet.] «Troiae malis auspiciis renascentis fortuna rursus eadem erit, quae veteris fuit, funestumque excidium novam quoque urbem manebit.» — Ad vv. *alite lugubri* (Od. 1, 15, 5: *mala-avi.*) memento auspicato condi solitas esse urbes.

63. 64. *victrices*] «quarum victoria iterum certa est.» — *Coniuge*] Iliad. π, 432: Ἥρην δὲ προσέειπε κασιγνήτην ἄλοχόν τε. Virg. Aen. 1, 46: *Ast ego, quae divom incedo regina Iovisque Et soror et coniux.*

65. *Ter*] numerus poëticus. «Quoties resurget murus vel firmissimus, auspiciis ac ductu ipsius Phoebi, prioris etiam Troiae conditoris.» Pind. Olymp. 8, 31. Virg. Ge. 3, 36: *Troiae Cynthius auctor.*

67. *Argivis*] Argis celeberrimum illud Iunonis templum erat.

69. *Non hoc*] Simili modo, ut Od. 2, 1, 37., a cantu nimis audaci, et qui suae poësi in amoribus vitaeque laeto usu plerumque versanti minus aptus sit, sese revocat. Meliores autem libri, ut omnes Pottierii praeter 8 et 13. (qui pessime *hoc - conveniat) hoc - conveniet*, tale ausum.

70. *tendis*] «In eo es, ut fines tibi praescriptos migres.» — *pervicax*] similiter ut l. l. *procax*, «minus verecunda atque nimio tuo studio ad temeritatem prope elata.»

Quo, Musa, tendis? Desine pervicax
Referre sermones deorum et
Magna modis tenuare parvis.

Nolim autem cum Axtio ad Vestritium p. 31. distinguere: *Desine, pervicax, Referre*; cum adiectivum magis ad v. *referre* quam ad v. *desine* referatur. Altera illa interpunctio parum apte significaret: «Tu, quae, ut alias soles, nunc quoque pervicax esse vis.»

72. *modis tenuare parvis*] «gravissimo argumento imparibus.» *Tenuare* autem verbum fere poëticum est pro composito *extenuare*, elevare.

EXCURSUS

AD V. 32.

Aliter rursus Bamberger *(Philol.* II. IV. p. 704.), ut ex novis eius interpretationibus hanc saltem attingam: «Iliam ex μύθῳ Graeco hic intelligi Aeneae filiam (Ennius apud Serv. ad Aen. 6, 778.), diversam a μύθον Italici Rea Silvia, Numitoris filia; quod autem vocetur *Troica sacerdos* merum esse Horatii errorem *(ein Fehler u. s. w.)*, in quem quilibet Latinorum poëtarum aeque facile incidere potuisset.» (De discrimine inter Iliam et Ream Silviam acutissime, ut solebat, egit Perizonius in Epistolis ad Ryckium Aelian. V. H. 7, 16.) Verum haec interpretatio prorsus abhorret a tota Horatii indole, qui in rebus Italicis semper secutus est μύθους populares ut de Ilia, *Romana* Od. 3, 9, 8., *Iliae Mavortisque puero* Od. 4, 8, 22., de Ilia Tiberis uxore Od. 1, 2, 17., a reconditis atque obsoletis semper abstinuit.

CARMEN IV.

Descende caelo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acuta,

IV. Inscr. volg. *Ad Calliopen.* — *Ad Calliopen Musam* BSTc. — 1. *caelo dic* b, (δ ap. Kirchn. N. Q. H. p. 56.,) F. (non BSTcd.)

IV. «Musae, quibus ego quoque summa debeo beneficia, non solum nos delectant, sed emendant etiam mores nec sinunt esse feros, itaque mites modestiae sapientiaeque magistrae fiunt, quarum ipsarum virtutum Augustus, Romani imperii pacificator simulque Musarum sincerus amator, eximium nobis praebet specimen; contra Musae adeoque cuncta ingenia bonis artibus exculta quam longissime abhorrent a feroci virium abusu atque a superbia omnibusque facinoribus, ad quae mortales morum feritas impellere solet.» Summa autem arte usus in Augusto ipso olim ad crudelitatem proclivi (notum illud Maecenatis: *Surge tandem, carnifex!*) moderationem atque clementiam cum ingenuo humanarum litterarum studio coniunctam ita laudat, ut in his virtutibus summas laudes veramque potentiam sitas esse demonstret. Vide Excursum.

1. *Descende caelo*] Iliad. β, 491: Ὀλυμπιάδες Μοῦσαι, et alibi Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι. — Praestat cum melioribus libris retinere copulam *et*, cum praesertim ἀσύνδετον h. l. nihil grati habeat.

2. *Regina*] ut dea; praeterea Hesiod. Theog. 79: Καλλιόπη θ' ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων. Dionysius Hymn. 1, 6: Calliopen invocans: Μουσῶν προκαθηγέτι τερπνῶν. Heraclitus in Schol. Vatic. ad Rhesum 346: Καλλιόπη ποίησιν εὗρε πάντων (παντοδαπήν?). — *longum*] Multi iam in hoc v. haeserunt, quasi *longum* carmen se compositurum esse consulto quidem, sed parum opportune, praedixerit poëta. Verum hoc volebat ut persentisceret lector: «Opto, ut tua praesentia quam diutissime frui possim nec nimis cito restinguatur impetus poëticus, qui nunc me corripit.» Atque simile est Tryphiodori exordium v. 1—4: Τέρμα - - Ἀὐτίκα μοι σπεύδοντι, πολὺν διὰ μῦθον ἀνεῖσα, Ἔννεπε, Καλλιόπεια. Utrum autem hoc ei concessura foret Musa necne, ipse nondum sciebat. Carmen «perenne, perpetuo duraturum», ut alii voluerunt, pro certo significare nequit. — *Calliope*] Auson. Idyll. 20, 7: *Carmina Calliope libris heroica mandat.* Sed haec singulorum inter Musas munerum distributio a poëtis, praesertim lyricis, non servatur. Iam Alcman Bergk p. 546: Μῶσ' ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διός, Ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων· ἐπὶ δ' ἵμερον Ὕμνον (Ὑμνῳ Hephaestio.) καὶ χαρίεντα τίθει χορόν.

3. 4. *acuta*] Alcman Fragm. Bergk

Seu fidibus citharaque Phoebi.

Auditis, an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.

Me fabulosae Volture in Apulo

4. *citharave* BbSTc, LCt, item Bentl., sed probat *citharaque* β, et sic noster d. — 5. *Auditus* δ ap. Kirchn. p. 56., *Audiris?* Fea coni. — 9. Habent *Apulo* BbSTcd, *abdito* Bothe.

p. 554: *Ἁ Μῶσα κεκλήγει, ἁ λίγεια Σειρήν.* Catull. 64, 320: *clarisona -- voce.* «Sonora, liquida.» Acr. — *fidibus*] Opto, ut, quocunque modo tibi placet, carmen mihi fundas vel tibia vel assa voce vel denique lyra»; quam *περιφράζει* vv. *fidibus citharaque Phoebi.* Qui *citharam* a *fidibus* (id est, ut volunt, lyra) distinguebant, scripserunt *citharave.* Sed triplex optio, ut opinor, sufficiebat; putida fuisset quadruplex. Virg. Aen. 6, 120: *Threïcia fretus cithara fidibusque canoris.* Propterea etsi contra meos Codd. omnes scribendum est *citharaque,* non *citharave.*

5. *Auditis?*] «etiamne vos, sodales, an ego solus?» Hoc longe significantius quam Feae illud *audiris.*

6. *Insania*] «gratus ille furor poëticus, *ἐνθουσιασμός.*» Plato Phaedr. p. 245. A.: *ἀπὸ Μουσῶν κατοκωχή τε καὶ μανία.* — *pios-per lucos*] «sacros, quos perambulant Musae.» Dionys. Hymn. 30. Calliopen alloquens: *Ἄὔρη δὲ σῶν ἀπ' ἀλσέων Ἐμὰς φρένας δονείτω.* Plat. Ion p. 534. A.: *Μουσῶν νάπαι.* Propert. 3, 1, 1: *Callimachi manes et Coi sacra Philetae, In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.* Tacit. Dial. 12: *Secedit animus* (poëtae) *in loca pura atque innocentia fruiturque sedibus sacris.* De Elysio cave accipias cum Acrone. — *aquae*] h. l. rivuli, ut Virg. Aen. 1, 167: *aquae dulces,* fontes. — Ex v. *subeunt,* quod proprie ad v. *aquae* refertur, ad v. *aurae* elice *perflant.* Sic nos et de aqua et de aura *durchziehn, durchwallen.*

9. *fabulosae*] Noli hoc v. cum Scholiastis coniungere cum v. *altricis,* cum referatur ad v. *palumbes* v. 12. ubi vide. — *Volture in Apulo*] Duae res permirae hic nobis accidunt, quod aliquis *in Volture Apulo* tamen *extra Apuliam* sit, quodque in duobus versibus sese excipientibus primam syllabam et produxit et corripuit. Hinc multae natae sunt coniecturae: *in arduo - in abdito - in arido - extra limina patriae - extra limina sedulae - intra limina Dauniae - extra limina Puliae* (videlicet nutricis Horatii) - *intra limen Apuliae*: quarum tamen nulla probabilis est. Qui defendunt, Ianus, Iahnius, Mannert *Italien,* 2. pag. 68. hoc fere dicunt: «Voltur mons Apuliae supra Venusiam, cuius iugum in Lucaniam porrigitur. Quare recte mons *Apulus* dicitur, in quo Horatius nimis progressus fines Apuliae exire potuit. Inde *extra limen.* Metrum autem poëtae Latini in nominibus propriis et peregrinis haud raro

Altricis extra limen Apuliae
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes

Texere, mirum quod foret omnibus,
Quicunque celsae nidum Acherontiae
Saltusque Bantinos et arvum

10. *Nutricis* BbTc, ut «aliquot» Bentleii; *Nutricis* v. l. *ultricis* γ ap. Kirchn. p. 36. (non Sd.) — *limen apulliae* T, *limina polliae* B, *limina puliae* Pottierii primus; *limina sedulae* malebat Bentl., *limina Dauniae* Paldamus. (*Rhein. Mus. N. F.* VI. p. 633.) Locus est sine dubio corruptus. — 14. *Acheruntiae* bScd. (Non BT.) — 15. *Bantinos*] *cubantinos* T

variaverunt. Sic *Priamus* (⏑ ⏑ ⏑) et *Priamides* (– ⏑ ⏑ –), *Sicanus* (⏑ – ⏑, ⏑ ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑) et *Sicania* (– – ⏑ ⏑), *Italus* (⏑ ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑) et *Italia* (– ⏑ ⏑ ⏑), *Servilius* (– ⏑ ⏑ ⏑, – – ⏑ ⏑), *Fidenae* (– – – , ⏑ – –), *Batavus* (⏑ ⏑ ⏑, ⏑ – ⏑).

10. 11. *Altricis*] Alii ex gloss. *nutricis*. Cic. Tim. 10: *terram, altricem nostram*. Ovid. Met. 4, 293: *Idaque altrice relicta*. — *somno*] «ludo fatigatum posteaque somno oppressum.» Iliad. κ, 98: *καμάτῳ ἀδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ*.

12. *palumbes*] Columbae Veneris sunt famulae; *maternae aves* Aeneae. (Virg. Aen. 6, 193.) *Fabulosae* igitur, ut Od. 1, 22, 7: *fabulosus-Hydaspes*, «de quibus multa fabulantur poëtae.» Odyss. μ, 62: *πέλειαι Τρήρωνες, ταίτ' ἀμβροσίην Διὶ πατρὶ φέρουσιν*. Moero apud Athen. 11. p. 494. b. de Iove infante: *Τὸν μὲν ἄρα τρήρωνες ὑπὸ ζαθέῳ τράφον ἄντρῳ, Ἀμβροσίην φορέουσαι ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων*. Nolim autem explicare cum Bosscha: «palumbes fabulosae in Volture Apulo (sedem habentes) me puerum extra limen Apuliae cet.»

13. *Texere*] Cum similia narrarentur de Stesichoro, Pindaro, Aeschylo (Pausan. 1, 21, 2.), Platone prodigia, ad se scite hoc traduxit, recentibus myrtorum ac lauri ramulis (quae quidem *novae frondis* imago totam rem et magis evidentem et gratiorem reddit) a palumbibus se infantem contectum esse in omen futurae gloriae poëticae. Et de Stesichoro quidem Christodorus Ecphras. 128: *Τοῦ γὰρ τικτομένοιο καὶ ἐς φάος ἄρτι μολοῦντος Ἔκποθεν ἠερόφοιτος ἐπὶ στομάτεσσιν ἀηδὼν Λάθρῃ ἐφεζομένη λιγυρὴν ἀνεβάλλετο μολπήν*. Pindarum modo natum in sacrae lauri myrtique frondibus collocatum apes melle nutriverunt. Pausan. 9, 23., ubi prorsus quemadmodum hic: *κόπος καὶ ὕπνος (αὐτὸν) κατελάμβανεν*. Philostrat. Imagg. 12, 2. De Platone Aelianus V. H. 10, 21. et 12, 45. (Cfr. Grimm Myth. p. 659.) — *mirum*] «id quod sine ulla dubitatione prodigiosum videri debebat toti vicinitati meae, ut tuto dormirem cet.»

14. *nidum*] Cic. de Orat. 1, 44: *Ithacam illam in asperrimis saxulis tamquam nidulum affixam*. — De

Pingue tenent humilis Forenti,
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis, ut premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine dis animosus infans.
Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste seu Tibur supinum
Seu liquidae placuere Baiae.

16. *Forrenti* B, *Ferenti* Sc, item pr. T et corr. b. Tum LCt et Bentl. (Ut nos, d.) — Vv. 17—20. in B desunt.

tribus his Apuliae oppidis, *Acherruntia*, hodie *Acerenza*, *Bantia*, h. *Banzi* s. *Vanzi*, *Forento*, hodie, ut videtur, vicus dictus *i Castellani* sive *i Castelli*, tria vel quattuor mill. pass. ab hodierna *Forenza*, cfr. Romanelli *Topografia del regno di Napoli* II. pag. 234. et Lombardi *Antichità di Basilicata* in *Mem. dell' Inst. di corresp. archeol. Fasc.* III. p. 210. Uterque autem scriptor servat scripturam *Ferentum*; ac sane apud Diodorum 19, 65. est Φερέντη. Nos cod. antiquiss. B. et Feam secuti sumus.

17. *Ut* non est finale, sed coniungendum cum vv. *mirum quod foret*. Sic Tacit. Hist. 1, 79: *Mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos*. Plin. Epp. 1, 6: *Mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur*. — *atris*] venenosis mortemque minitantibus, ut Virg. Ge. 1, 129: *Ille malum virus serpentibus addidit atris*.

18. *ursis*] Ovid. Halieut. 57: *Foedus Lucanis provolvitur ursus ab antris*. — *ut premerer*] «totus tegerer congesta lauro Apollini, myrto Veneri sacra.»

20. *Non sine dis*] ut Graeci οὐ θεῶν ἄτερ, οὐκ ἀθεεί. Odyss. σ, 353. (Iliad. ε, 185: οὐχ ὅγ' ἄνευθε θεοῦ τάδε μαίνεται. Halm.) — *animosus*] «Dis me tuentibus imperterritus somno tranquillo gaudebam.»

21. *Vester*] «In vestra etiamnunc sum tutela, quam iam infans miraculo illo servatus expertus eram.»

22. 23. *Tollor*] «montes illos adscendo.» Ovid. Met. 7, 779: *Collis apex medii subiectis imminet arvis: Tollor eo*. — *Praeneste*] hodie *Palestrina*, Latii oppidum, in cuius villas aestate secedere solebant Romani, frigoris captandi gratia. Virg. Aen. 7, 682: *altum Praeneste*. — *supinum*] in declivi collis parte situm. Cfr. Strab. 5, p. 238. Imitatus est in ἐπιθέτοις Iuvenalis 3, 190: *gelida Praeneste*. v. 192: *proni Tiburis arce*. Similiter *pendulam Setiam* dixit Martialis 4, 64, 33. et 13, 112, 1. Cfr. etiam ad Od. 2, 6, 5.

24. *liquidae-Baiae*] «Aut in aquis constitutae, aut deliciosae, sive aëris puri.» Schol. Cruq. Postrema interpretatio praestat. Voss: *die Heitre um Baiae. (das lichtschimmernde Baiae* Platen.) Curtius 8, 47: *liquidiore luce aperiente hostem*. Campaniae erat oppidum pro-

Vestris amicum fontibus et choris
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus unda.

Utcunque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo et urentes arenas
Litoris Assyrii viator;

27. *arbor* BbScd, Pott. omnes, L et Bentl. cum suis omnibus. (Ut nos, T.) — 31. *arentes* cd,LCt et Bentl. (Ut nos BbST, *γρ* «cum aliis inferioris notae ;» item octo Pott.) — *harenas* BT.

pter aquas calidas et gratam puri aëris temperiem per aestatem frequentatum. Cf. Od. 2, 18, 20. Epp. 1, 1, 83: *Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis.*

25. *Vestris - fontibus*] quorum celebratissimi erant Hippocrene, Castalia, Aganippe, Pirene; sed omnes fontes, apud quos carmina meditantur poëtae, in Musarum sunt tutela.

26. *Philippis*] Od. 2, 7, 9. Iunge: *acies retro versa Philippis*, non: *acies Philippis* pro: «apud Philippos commissa»; quod qui praetulit frustra simul coniecit: *Philippi, versa acie retro.*

27. 28. *Devota*] «dis inferis sacra, utpote quae mihi prope exitium attulerit.» — *Palinurus*] promontorium ad extremum sinum Veliensem in Lucaniae ora, naufragiis infame, a Palinuro, Aeneae gubernatore ibi in mare demerso, ut fertur, sic nominatum. (Virg. Aen. 6, 373 seqq.) Nusquam alibi huius periculi meminit poëta. Ceterum *ἐναργείας* poëticae gratia eiusmodi duntaxat beneficia a Musis in se collata memoravit, quae externam aliquam haberent speciem, oculis quasi propositam, omittens longe maiora illa, quibus mentem animumque grati poëtae affecerant; simulque illa ratio multo modestior.

29. 30. *Utcunque* cet.] «dummodo vos me comitemini.» — *Insanientem*] Virg. Ecl. 9, 43: *insani feriant sine litora fluctus.* — *Bosporum*] Od. 2, 13, 14.

31. *urentes*] Dixerunt quidem *arentes arenas* Silius (6, 140.), Claudianus, Corippus (v. Bentl.), neque offendendum esset in sono, praesertim quantitate diversa (Ov. Met. 15, 268: *siccis humus aret arenis.*), sed tamen foret *ἐκλῦσιν* otiosum, omnes arenae cum areant, non omnes urant ut Assyrium litus. Sed litem dirimit auctoritas Codd. BbST et octo Pottierii. Incertum est, utrum intelligat Syriae Palmyrenas solitudines, quae auctore Plinio H. N. 5, 24. usque ad Petram, urbem et regionem Arabiae felicis, pertinebant, an ipsum Syriae litus. Assyria frequenter pro Syria a poëtis usurpatur, et *Syriam perustam* dixit etiam Manilius 4, 625. (De Assyria propria h. l. ne cogitemus, dissuadet v. *litus.*)

33. *Britannos*] Tacit. Ann. 14, 30: Britanni *cruore captivo adolere aras*

Visam Britannos hospitibus feros
Et laetum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes addidit oppidis,
Finire quaerentem labores

36. *agmen* var. lect. Cod. Goth. — 37. *Caesarem, altum* (educatum) *militia simul* F. — 38. *Fessus* primus Leid. s. Vossianus, ut volebat Lamb. probante Bentl. — *addidit* Bb et pr. c, item Pott. 2, 4, 6, 17, 22.: *abdidit* T et corr. c,LCtJ, *reddidit* Sd, var. lect. ιξχω, unus Pott., Bentl. et FM. *(redditis* pr. γ, *redditas* κ.) — *opibus* T.

et hominum fibris consulere deos fas habebant. Hieronymus adv. Iovinian. 2. pag. 201. Bened.: *Quid loquar de ceteris nationibus, cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Atticotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus?*

34–36. *Concanum*] Cantabriae in Hispania Tarraconensi populum. Silius 3, 360: *Nec qui Massageten monstrans feritate parentem Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena.* Nec solum de Massagetis (Claudian. in Ruf. 1, 342.), sed etiam de Gelonis hoc narrabant. Virg. Ge. 3, 461: *Bisaltae quo more solent acerque Gelonus, Cum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum, Et lac concretum cum sanguine potat equino.* Virg. Aen. 8, 725: *sagittiferosque Gelonos.* — *Scythicus* autem *amnis* Tanais.

37. *Vos* cet.] Iunctura haec est: «Eaedem vos, quae tanta in me beneficia contulistis semperque confertis, *recreatis* etiam Caesarem, ita, ut per vos a laboribus requiescere ei sit concessum.» — *altum*] Noli iungere *altum militia* a v. *alere*, «educatum, innutritum militia inde a prima adolescentia», neque *altum* («elatum, ἐπαρθέντα») *militia*, nec denique «bella despicientem» (Hand ad Stat. p. 64.); sed v. *militia* iungendum cum v. *fessas*, et *altus* est «excelsus.» Ovid. ex Ponto 2, 3, 63: *Quique dolor pectus tetigisset Caesaris alti.* Cic. Tusc. 2, 4, 11: *Te natura excelsum quendam et altum et humana despicientem genuit.* Unice autem veram esse nostram interpretationem ipsa versus caesura satis demonstrat; praeterea in Horatii praesertim ore nimis tenuis ac prope ridicula fuisset laus: *altum militia.*

38. *addidit*] Veram hanc esse lectionem demonstrat Tacit. Ann. 13, 31. *Coloniae Capua atque Nuceria* ADDITIS *veteranis firmatae sunt. Addidit* igitur tamquam *novos* colonos, qui in Inscriptt. aliquoties distinguuntur a *veteribus.* Habebant enim utrique suos sibi duumviros, decuriones cet. Inscriptt. m. Lat. 100 et 101. *Arretini veteres. Fabraterni veteres, Fabraterni novani.* V. etiam Furlanetti *Lapidi d'Este.* p. 96. Cfr. Cic. pro Sulla 21. Nec vero, ut nuper minus perite quidam iudicavit, κύριον hoc verbum minus est poëticum. Sed qui ignorabant proprium atque aptissimum esse, nec satis eius significationem intellige-

Pierio recreatis antro.

Vos lene consilium et datis et dato
Gaudetis, almae. Scimus, ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,

Qui terram inertem, qui mare temperat

43. *turbam* bT. — 44. *caduco*] *corusco* Bentl. coni.

bant, substituerunt falsa vel *abdidit*, vel *reddidit*, ad quod postremum verbum conferri potest Tac. Ann. 1, 17: *praetorias cohortes, -- quae post sedecim annos penatibus suis reddantur*, cet. Sed Augustus (Suet. Oct. 13.) *veteranos municipalibus agris* collocavit, et teste Dione Cassio 53, 25. anno 729. optimam agri Salassorum partem quibusdam praetorianorum dedit, ubi condita Augusta Praetoria (h. *Aosta*), item (ibid. C. 26.) militibus dimissis oppidum in Lusitania, Augustam Emeritiam (h. *Merida*), condendum dedit; non igitur suo quisque oppido reddebatur; alia condicio certe erat praetorianorum. De hibernaculis denique male nonnulli sunt interpretati, quae desideratam post longam militiam ac perpetuam quietem minime praebuissent. Id quoque monendum, lect. *abdidit* de fortissimis militibus eorumque praemiis usurpatum nescio quid inglorii ac prope ignominiosi habere.

40. *Pierio - antro*] ubi Musarum recessus. Pind. Pyth. 6, 48. de Thrasybulo: *δρέπων Σοφίαν δ' ἐν μυχοῖσι Πιερίδων*. Eloquentiam autem studiaque liberalia Augustum cupide ac laboriosissime exercuisse, poëticam quoque summatim attigisse tradit Suetonius 84. 85.

41. *lene consilium*] «moderationem et clementiam», qua sane Octavianus usus est post Antonium oppressum. (Cfr. Pind. Pyth. 5, 61: (Apollo) *δίδωσί τε Μοῖσαν οἷς ἂν ἐθέλῃ Ἀπόλεμον ἀγαγὼν Ἐς πραπίδας εὐνομίαν.*) — *Consilium* autem h. l. trisyllabum per *συνεκφώνησιν*, ut Od. 3, 6, 6. *principium*. Conf. Sat. 1, 8, 43. 2, 2, 21. 2, 8, 1. Virg. Aen. 2, 442.

42. *Gaudetis*] «quia consilium ab Augusto sapienter acceptum bonos iam habet eventus.» — Iam lyrica licentia varia monstrorum genera hic confunduntur, ac si Iovi disque ceteris bellum una intulissent Centimani, Titanes, Gigantes anguipedes, Typhoeus his posterior, Aloidae, Centauri. Cfr. Hesiod. Theog. 680. Apollod. 1, 1, 6. Antimachi Fr. 43. Dübner: *Γηγενέας τε θεοὺς προτερηγενέας τε Τιτῆνας*. — Ceterum de discrimine inter Gigantomachias et Titanomachias apud poëtas et artifices cfr. Gerhard *Vasengem.* Tom. I. p. 204.

43. 44. *immanemque turmam*] Titanum *ἐπεξηγητικῶς*, ut v. 4. *fidibus citharaque Phoebi*. — *caduco*] «celerrime desuper irruente.» *Cadere* haud raro etiam de iis fulminibus, quae feriunt; Bentleii *corusco* esset *ἐπίθετον* mere ornans, immo

Ventosum, et urbes regnaque tristia
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

46. *urbes*] *umbras* Bentl. coni. — 47. *turmas* Scd,Ct. (Ut nos, Bbt, *μω*, sex Pottierii.)

otiosum. — Ceterum contemplator Iovem Aegiochum in Müller *Denkm.* II. N. 5.

45. 46. *inertem*] «terrae molem immobilem», *brutam*, Od. 1, 34, 9. Virg. Ge. 1, 94: *rastris glebas qui frangit inertes, «die (sonst) nichts hervorbringen.»* — *Terra* et *urbes* componuntur ut Od. 2, 20, 3 et 5. et Od. 1, 35, 10: *Urbesque gentesque*; *mortales* autem *turbae* opponuntur *divis* dumtaxat, ut in illis: *divom pater atque hominum rex*; nec vero otiose his verbis repetitur notio *urbium*, quae *terrae* et *mari* opponuntur, non sine significatione civilis status legibus ordinati. — *temperat*] Cfr. Od. 1, 12, 15. Ceterum Comm. Cruq. et Scholiasta Franeq. probante Bosio p. 42. construit: *qui mare temperat, et urbes regnaque tristia divosque regit.* Recte, puto: *temperat* rerum naturam, *terram* et *mare*; *regit* inferos, viventes horumque civitates, atque deos. Volgo construunt *temperat terram, mare, urbes, inferos, regit Divos mortalesque.*

49. 50. *Magnum illa*] Eo aptiorem Augusti laudibus censebimus hanc Gigantomachiae descriptionem, ubi meminerimus eam in anaglyphis aedis Martis Ultoris expressam fuisse, uti certe probabile fit ex Ovidii Fast. 5, 554: *Ultor ad ipse suos caelo descendit honores Templaque in Augusto conspicienda Foro. Et deus est ingens et opus. - - Digna Giganteis haec sunt delubra tropaeis.* Quodsi oratio est figurata in *tropaeis* illis, vides tamen Ovidium quoque Augusti victorias comparasse cum *Giganteo* illo Iovis *triumpho.* — *terrorem*] Cfr. Od. 2, 12, 7. Aristoph. Av. 1251: *καὶ δή ποτε εἰς Πορφυρίων αὐτῷ* (Iovi) *παρέσχε πράγματα.* — *Fidens*] Alii construunt: *Fidens iuventus, horrida* (horrens) *brachiis*, alii: *Iuventus horrida, fidens brachiis*; accedere videtur ad *σύλληψιν*, «tot brachiis ad pugnandum erectis iuventus illa horrebat, ut exercitus hastis.» Sic Silius 2, 454: *Sed fusus latis humeris et mole iuventae.* Quamquam v. *fidens* reperitur etiam sine dativo vel ablativo rei. Cic. Tusc. 3, 7, 14: *Qui fortis est, idem est fidens.*

51. *Fratresque*] Otus et Ephialtes, Aloidae. Virg. Ge. 1, 280: *Et coniuratos caelum rescindere fratres. Ter sunt conati imponere Pelio Ossam Scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum; Ter Pater exstructos disiecit fulmine montes.* Cfr. Ovid. Met. 1, 151. — *opaco*] «propter silvas umbroso;» sic Virg. l. l. *frondosum* vocat Olympum.

Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evolsisque truncis
Enceladus iaculator audax
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit

55. *Roetus* B, *Rhetus* bc, *Rethus* S, *Retus* d, *Rhoecus* LCt. (Ut nos, T.) — (Scripturam *evolsis* et 59. *Volcanus* inter meos praebet c solus.)

53. *Typhoeus*] *(Τυφωεύς)* Pind. Pyth. 1, 15: *θεῶν πολέμιος, Τυφὼς ἑκατοντακάρανος· τόν ποτε Κιλίκιον θρέψεν πολυώνυμον ἄντρον· νῦν γε μὰν - - κίων - οὐρανία συνέχει Νιφόεσσ' Αἴτνα.* Olymp. 4, 7. (Antrum illud est Corycium in Cilicia. Pompon. Mela 1, 13. Curtius 3, 10.) Pind. Frgm. Boeckh. Ed. min. p. 221: *Κείνῳ μὲν Αἴτνα δεσμὸς ὑπερφίαλος Ἀμφίκειται· - - Ἀλλ' οἷος ἄπλατον κεραΐζες θεῶν Τυφῶν' ἑκατοντακάρανον ἀνάγκᾳ, Ζεῦ πάτερ, Εἰν Ἀρίμοις ποτέ.* Iliad. *β*, 782. Aeschyl. Prom. 372. Virg. Aen. 9, 715: *durumque cubile, Inarime Iovis imperiis imposta Typhoeo.* Terribilis Typhonis imago exstat in Gerhard *Vaseng.* III. T. CCXXXVII. Vide Exc. II. — *Mimas*] Apud Hesiod. Scut. H. 186. est Centaurus; Gigas apud Eurip. Ion. 214., ubi Pallas *τὸν δάϊον Μίμαντα πυρὶ καταιθαλοῖ.* Ei Prochyta iniecta. Silius 12, 147.

54–56. *Porphyrion*] Pindaro Pyth. 8, 17. est *βασιλεὺς Γιγάντων.* Apollod. 1, 6, 2: *Διὸς κεραυνώσαντος αὐτόν, Ἡρακλῆς τοξεύσας ἀπέκτεινεν.* Eius imaginem praebet vas Ruvense. Avellino *Bullet.* II. p. 106. — *statu*] non statura, sed est *«stabilis gradus»* pugnantium, apud Tacitum Hist. 2, 35. Liv. 30, 18: *statu movere hostem.* — *Rhoetus*] qui alibi inter Centauros memoratur. Cfr. Bentl. ad Od. 2, 19, 23. — *Enceladus*] prostratus a Minerva; ei Aetna imposita. Virg. Aen. 3, 578. — *iaculator*] «evolsos truncos audacter iaculatus.»

57. *Palladis*] «caeca vis contra sapientiam.» — *aegida*] Cfr. ad Od. 1, 15, 11. Heinrich ad Hes. Scut. H. 200. Val. Flacc. 3, 88: *aegisono - - fera pectore virgo*; ubi de thorace, non de clipeo videtur cogitasse; de clipeo ab ipsa dea hasta percusso ad terrorem incutiendum hostibus ex vase antiquo interpretatur Böttiger *Amalthea* I. p. XXXI., ut fecit etiam Mitscherlich, afferens Homeri Il. *ρ*, 595: *τὴν δ' ἐτίναξε*, clipeum alte sublatum; ac sic prorsus expressa est in Gigantomachia apud Gerhard *Vaseng.* II. T. LXXXIV. — Aristides in Minerva p. 15. Dind.: *Λέγεται ὡς ἐπειδὴ οἱ Γίγαντες παρετάξαντο ἐν τῇ Φλέγρᾳ, Ἐγκέλαδον μὲν καὶ τοὺς ἡγουμένους αὐτῶν κτείνει ἡ θεός, τοῖς δ' ἄλλοις θεοῖς ὀλίγον τὸ ἔργον γίγνεται, ἐπεὶ καὶ τῶν ἄλλων Γιγάντων ὅσον ἦν κράτιστον κτείνει ἡ θεὸς ἅτε καὶ φύσει πολεμίους ὄντας διαφερόντως ἀμυνομένη.* Palladis cum Encelado pugnantis imaginem vide apud Gerhard *Vaseng.* I. T. VI.

58. 59. *avidus*] *λιλαιόμενος πολέμοιο.* Iliad. *υ*, 36: *Ἥφαιστος - - σθένεϊ βλεμεαίνων.* Sic Tacitus

Volcanus, hinc matrona Iuno et
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consili expers mole ruit sua:

62. *Crinis* b. — 64. *Delios* ψ. (Vigoriensis.) — Vv. 66–68 in B desunt.

Ann. 4, 54. *avidas legiones* item absolute dixit. Minus recte alii ad naturam ignis omnia devorantis retulerunt, qua quidem significatione hoc ἐπίθετον h. l. otiosissimum foret. — *Volcanus*] ab artificibus in Gigantomachiis dedita opera expressus, ut in vase apud Gerhard *Trinksch.* T. X. — *matrona*] Ovid. Fast. 6, 33. Iuno: *dicor matrona Tonantis.*

60. *positurus arcum*] «qui eum nunquam ponere solet, semper ad sagittandum paratus.» Apollo de arcu suo apud Eurip. Alc. 40: Σύνηθες ἀεὶ ταῦτα βαστάζειν ἐμοί. Pind. Pyth. 8, 17: (Gigantes) δμᾶθεν δὲ κεραυνῷ (Διὸς) Τόξοισί τ' Ἀπόλλωνος. In his igitur dis memorandis sapienter substitit poëta, quamvis omnes pugnae adfuerint, imprimisque fortiter dimicaverint Bacchus atque Hercules. Fea teste in anaglypho Musei Vaticani «est videre etiam Dianam arcu, Hecaten face in utraque manu Titanum impietatem ulciscentes.»

64. 62. *Castaliae*] Pind. Pyth. 4, 39: Λύκιε καὶ Λάλου ἀνάσσων Φοῖβε, Παρνασσοῦ τε κράναν Κασταλίαν φιλέων. Κασταλίας μαντικὸν πόμα memorat Gregorius Nazianz. Edit. Paris. I. pag. 679. Operose de hoc fonte et de altero cognomine prope Antiochiam, de quo quidem h. l. cogitare nolim, egit Unger Theb. Paradoxa p. 115. — *lavit*] Hac forma antiquiore semper Horatius utitur in lyricis. Cfr. Od. 4, 6, 26. — *Lyciae*] quae vera sane erat patria sedesque cultus Apollinis, lucis dei, ut inter alios demonstravit Grotefend in Actis Philolog. Bonnens. 1841.

63. 64. *natalemque silvam*] in Cyntho, Deli monte. — *Patareus*] Mela 1, 15: *Pataram, Lyciae oppidum, nobilem facit delubrum Apollinis, quondam opibus et oraculi fide Delphico simile.* Statius Theb. 1, 696: *Phoebe parens, seu te Lyciae Pataraea nivosis Exercent dumeta iugis seu rore pudico Castaliae flavos amor est tibi mergere crines.* Servius ad Aen. 4, 144: *Constat Apollinem sex mensibus hiemalibus apud Pataram, Lyciae civitatem, dare responsa, unde Παταρεὺς Apollo dicitur, et sex mensibus apud Delum.* Digressio haec de Apolline, cuius pulcherrimam formam cum admiratione contemplatur poëta, non sine arte opponitur terribilis illius pugnae Phlegraeae picturae. Praeterea autem Apollo deus maxime, ut ita dicam, adamatus atque cultus ab Augusto eiusque quasi tutela singularis ac propria erat.

65. *Vis consili* cet.] «Propter id ipsum, quod nimis magna ac violenta facinora patrare quis conatur, semet ipse perdit.» Pind. Pyth.

Vim temperatam di quoque provehunt
In maius; idem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Testis mearum centimanus Gyas
Sententiarum, notus et integrae
Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.

69. *Gyas* d (?) L: *gigas* BbSTc, Ct, *Gyges* cum Bentleio FM. (Ut nos, J.) — 70. *Sententiarum notus, et integrae* LCt.

8, 15: *Βία δὲ καὶ μεγάλανχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ.* Eurip. Fr. Temenid. 11: *Ῥώμη δέ γ' ἀμαθὴς πολλάκις τίκτει βλάβην.*

67. *odere vires*] Eurip. Hel. 903: *μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν.* Ter consulto repetitur v. *vis*; quod tantum abest ut merito reprehensum sit ab Editore Leidensi, ut optime respondeat poëtae consilio a violentia ac superbia nos dehortandi.

69. *Gyas*] Vide Od. 2, 17, 14.

70. 71. *Sententiarum*] «veracium monitorum.» Locum hunc affert Priscianus pag. 718. Putsch. Buttmannus Mythol. 2. pag. 369. cum propter repetitum, ut volt, ex Od. 2, 17, 14. *ἐπίθετον centimanus*, tum propter mentionem *Gyae* post Gigantum pugnam rursus iniectam, tum propter v. *sententiarum*, nimis, ut ait, pedestrem orationem redolens, totam strophan pro subditicia habuit. Buttmanni autem opinionem cum aliis secutus est etiam Lübker. Verum *centimanus* perpetuum et aptissimum utrobique est Gyae *ἐπίθετον*, ut *dirus* semper *Hannibal*; duos autem Gigantum dedita opera denuo memoravit post digressionem illam in Apollinis laudem ac *γνώμας* sequentes, ut illico intelligeremus verba v. 73. *Iniecta monstris Terra* cet.; denique v. *sententiarum* vel ipso sono magnam habet dignitatem atque gravitatem. — Ceterum in omnibus huiuscemodi *ἀθετήσεσιν* earum inventores parum cogitarunt, quis cui bono tales locos ipsis suspectos inculcare et voluerit et potuerit. Nam quae de tali perversitate sibi confinxit HP. omni probabilitate critica destituta sunt. — *notus*] Orion propter id ipsum maxime *notus*, quod ausus est tentare Dianam *integram* ab eaque occisus est in insula Delo vel Chio. Cic. Arat. 420. Euphorion. Mein. pag. 161. Est autem Orion Horatio, ut aliis apud Apollod. 1, 4, 3. *γηγενής*, cum Pherecydes eum Neptuni et Euryalae filium fecisset. (Prorsus diverse fabula enarratur ab Ovidio Fast. 5, 531.) — *integrae*] «intactae virginis.» Nullam hoc, ut nonnemo ratus est, habet offensionem. Nam si Terentius dicere potuit Hec. 1, 2, 70: *Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet*: quidni Horatius absolute *integram* pro inviolata appellare potuerit Dianam? — *Tentator*] nove fortasse dictum (certe alibi nunc non invenitur), factum ad Graecum v. *πειραστής*, *πειρᾶν κόρην*, *γυναῖκα*.

72. 73. *Virginea-sagitta*] Diphilus ap. Athen. 6, p. 223 a: *Δητοῦς*

Iniecta monstris Terra dolet suis
Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum; nec peredit
Impositam celer ignis Aetnam,

Incontinentis nec Tityi iecur
Reliquit ales, nequitiae additus

73. *Infecta* corr. b. — 76. *Aethnen* BT, unde recte fortasse *Aetnen* Cuningh., Iani, Mitsch., Doering. — 77. *iecor* superscr. *v* T. — 78. *Relliquit* T, *Relinquit* bSd, LCtFJ, Bentleius. (Ut nos, Bc,M.)

Διός τε τοξόδαμνε παρθένε, Ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν. — *monstris*] «formis illis portentosis Gigantum cet. ex se natis.» Apollod. 1, 1, 4: *Γαῖα ἀγαναχτοῦσα ἐπὶ τῇ ἀπωλείᾳ τῶν εἰς Τάρταρον ῥιφθέντων παίδων κτλ.* — *Terra*] Terrae (cum inscr. *ΓΕ*) pro filiis victoris clementiam frustra implorantis pulcherrima Figura est in Gerhard *Gef. u. Trinksch.* T. III.

74. *luridum*] «luridi, supra modum pallidi.» Festus. Est tamen, ut monstrant Od. 4, 13, 10: *luridi Dentes* et Ovid. Met. 14, 747: *lurida membra*, eius, qui laqueo fauces sibi elisit, *luror* pallor nigricans, livens *(fahl* Voss.).

75. *peredit*] «nec flammae ita exurere potuerunt Aetnae firmissimam molem Encelado impositam, ut is unquam liberaretur.» Petron. Bell. civ. C. 135: *iamque Aetna voratur Ignibus insolitis*. Schol. Aesch. Prom. 371: *(Αἴτνην) ὁ Καλλίμαχος πυρὶ δεῖπνόν φησι*, ex certa Heckeri emendatione Callim. Fr. 346. Blomf. — *Impositam -- Aetnam*] Callim. Fr. 382. Bl. Schol. Pindari Ol. 4, 11: *Ὁ μὲν Πίνδαρος τῷ Τυφῶνι φησὶν ἐπικεῖσθαι τὴν Αἴτνην, ὁ δὲ Καλλίμαχος τῷ Ἐγκελάδῳ*, sed Hymn. in Del. 141., ut talia pro poëtarum lubitu variari solent, Callimachus Briareo ait Aetnam incumbere, non Encelado.

77. *Tityus*, filius Iovis et Elarae, Orchomeni filiae (Apollod. 1, 4, 1.), quam cum propter Iunonis *ζηλοτυπίαν* sub terra abscondisset, Tityum filium inde protraxit, unde vocatur *Γαιήϊος υἱός* Od. *η*, 324. et *γηγενὴς* a Pherecyde apud Schol. Apoll. Rh. 1, 479. Od. *λ*, 576. Quint. Smyrn. 3, 392: *Οἷος ὑπερφίαλος Τιτυὸς πέσεν, ὁππότε Λητὼ Ἐρχομένην Πυθῶδε βιάζετο καί ἑ χολωθεὶς Ἀκάματόν περ ἐόντα θοῶς ὑπεδάμνατ' Ἀπόλλων Λαιψηροῖς βελέεσσιν· ὁ δ' ἀγραλέῳ ἐνὶ λύθρῳ Πουλυπέλεθρος ἔκειτο κατὰ χθονὸς εὐρυπέδοιο Μητρὸς ἑῆς· ἡ δ' νία περιστονάχησε πεσόντα.*

78-80. *Reliquit*] Sic etiam antiq. B. praetulitque Meineke. Concinnius utique videtur propter v. *peredit* item perfecto tempore positum; supple cogitatione: «adhuc.» Vera autem sunt perfecta, non aoristi, *καταλέλοιπε*, *hat verlassen, ha lasciato*. Iam sequitur praesens: «etiamnunc *cohibent* cet.» — *nequitiae*] «libidini atque intemperantiae.» — *additus*] tamquam *ἔφεδρος*, qui eius nequitiam, id est, eum ipsum propter nequitiam urgeat atque vexet. Sic Socrates in Platon. Apol.

Custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae. 80

p. 30. E. se vocat *προσκείμενον τῇ πόλει ὑπὸ τοῦ θεοῦ*, et paullo post *προσκαθίζοντα*, item *δοκεῖ ὁ θεὸς ἐμὲ τῇ πόλει προστεθεικέναι*. Lucilius 14, 6. Achaintre: *Si mihi non praetor siet additus atque agitet me*. Virg. Aen. 6, 90: *nec Teucris addita Iuno Usquam aberit*. Sic etiam *appositus*; Suet. Tib. 22: *tribunus militum custos appositus*. — *Custos*] nunquam ab eo discedens, sed continenter rostro eum pulsans iecurque eius vorans. — *trecentae*] (ut in prosa or. *sexcenti*) «innumerabiles, permultae.» — *Pirithoum*] Lapitharum regem, qui Proserpinam ex Orco rapere voluerat, unde *amator* per *λιτότητα* pro scelesto raptore dicitur. Ovid. Met. 8, 612: *deorum Spretor erat mentisque ferox Ixione natus*. — *cohibent catenae*] Eurip. Pirith. Fragm. IV. Dind: *ὡς Θησεὺς τῷ Πειρίθῳ κολαζομένῳ καὶ δεδεμένῳ Πέδαις ἀχαλκεύτοισιν ἔζευκται πόδας*. Apollod. 2, 5, 12: *(Ἡρακλῆς) πλησίον - τῶν Ἅιδου πυλῶν γενόμενος Θησέα εὗρε καὶ Πειρίθουν τὸν Περσεφόνης μνηστευόμενον γάμον καὶ διὰ τοῦτο δεθέντα. Θεασάμενοι δὲ Ἡρακλέα τὰς χεῖρας ὤρεγον, ὡς ἀναστησόμενοι διὰ τῆς ἐκείνου βίας· ὁ δὲ Θησέα μὲν λαβόμενος τῆς χειρὸς ἤγειρε, Πειρίθουν δὲ ἀναστῆσαι βουλόμενος τῆς γῆς κινουμένης ἀφῆκεν*. — Ceterum omnes has Gigantum devictorum imagines spectare putant interpretes ad M. Antonium a Caesare Octaviano oppressum; Franke F. Hor. p. 139. etiam de Cornelio Gallo et M. Egnatio Rufo a. 728. offensarum et coniurationum in principem reis cogitavit.

EXCURSUS I.

Nondum satis diligenter expendisse videntur, quomodo in hoc carmine summi artificii pleno Horatius una eademque opera partim se ipsum felicem Musarum esse cultorem quamvis modeste praedicarit, partim Augustum, poëticis studiis item faventem, ipso hoc humanitatis studio ductum et sapienter et clementer in re publica administranda versari, ac propterea insanis et nefariis Antonii aliorumque, Galli, Egnatii Rufi ac similium, conatis superiorem semper mansisse mansurumque esse demonstrarit, simul autem totum per carmen poëticis imaginibus partim ex amoenis Italiae regionibus, partim Graecis ex fabulis repetitis ceteros lectores delectare ac permulcere studuerit. Alias de carminis argumento sententias videsis apud Iahnium Ann. phil. 1839. XXVI. 4. p. 457. et Dillenburgerum p. 84.

EXCURSUS II.

Ad v. 53.

«*Uebermächtig in Grösse und Gestalt steht das Ungethüm Typhon dem Zeus gegenüber; oberwärts menschlich und bekleidet, wird es bei überwiegendem Umfang seines Hauptes durch Flügel und zweifachen Schlangenleib furchtbar; den blitzenden Zeus blickt es trotzig an und schaut mit einwärts gewandten Armen sein zuversichtliches Selbstvertrauen ihm auszusprechen.*» Gerhard.

CARMEN V.

Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens divus habebitur

V. Inscr. volg. *In laudem Caesaris Augusti.* — *Ad divum Augustum* Bbc. — *In honorem Augusti* ST.

V. «Phraates, cum a. u. c. 734. filium Romae detentum ea lege ab Augusto recepisset, ut captivos et signa militaria Crassi et Antonii cladibus amissa restitueret, huic tamen ut satisfaceret, haud prius impelli potuit, quam ea ab Augusto, quem in Asiam traiecisse et ad Syriam usque pervenisse satis constabat, bello repetitum iri fama percrebuisset. Erat is, annus u. c. 734. Quae res etsi ex pactis cum Parthis ita esset transacta, Augustum tamen, quod solo nominis sui terrore Phraaten, ut ea staret, adegisset, ita sese extulisse constat, ut maximae instar victoriae restitutionem istam habuerit, orationeque et arcu triumphali, denique nummis quae celebraretur, dignam duxerit. Cfr. Dionem 54, 8.» MITSCHERLICH. (Nummorum illorum satis frequentium inscriptio vel simpliciter *SIGNIS. RECEPTIS* vel *SIGNIS. PARTHICIS. RECEPTIS* vel *CIVIB. ET. SIGN. MILIT. A. PART. RECVP.* Müller *Denkm.* V. N. 354. Eckhel D. N. VI. p. 404. Cfr. Weichert de Vario pag. 373.) — Volgaris erat haec olim opinio. At propter gravissimas rationes et Franke F. Hor. p. 489. et Lübker hoc carmen potius ante *cives et signa militaria a Parthis recuperata*, ac probabiliter ad a. 728. vel 729. referendum esse statuerunt.

1. *Caelo*] Iungo *caelo regnare*, ut Lucan. 3, 348: *sortisque deorum Ignarum mortale genus per fulmina tantum Sciret adhuc caelo solum regnare Tonantem.* Alii minus recte: (e) *caelo tonantem.* — *credidimus*] «semper, atque etiamnunc credimus.» («Pro certo habemus Iovem caeli esse regem, quia tonat.» GLOSS. ANT.)

2-4. *praesens*] *ἐπιφανής*. Sic in nummis *di praesentes* et *praesentissimi*. Spanhemius I. pag. 426. Auson. Caes. 2: Augustum Roma *In terris positum credidit esse deum.* Cfr. Od. 1, 12, 54. 4, 14, 43. — *Britannis*] Strabo 4. p. 200: *Νυνὶ μέντοι τῶν δυναστῶν τινες τῶν αὐτόθι πρεσβεύσεσι καὶ θεραπείαις κατασκευασάμενοι τὴν πρὸς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν φιλίαν, ἀναθήματά τε ἀνέθηκαν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ καὶ οἰκείαν σχεδόν τι παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον.* Satis hyperbolice propter haec Britannorum officia erga Augustum et expeditionem in Parthos praeparatam utramque nationem in dicionem Romanam redactam esse dicit vel potius vaticinatur, mox fore, ut et illa et haec domaretur. — *Graves* autem Persae

Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.
Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit et hostium —
Pro curia inversique mores! —
Consenuit socerorum in armis

8. *arvis* cum Tan. Fabro et Heinsio Bentl., F, et sic habet Cod. Altorf. 1. apud Ianium. (Ut nos, BbScd, omnes Bentleii et Pottierii. Excidit hic v. e Cod. T.)

molestissimi Romanis ac feroces. *Persae* pro *Parthis*, ut Od. 1, 2, 22.

5. 6. *Milesne Crassi*] Cum indignatione: «Qui fieri potuit, ut miles -- viveret?» Consulto hic declinat mentionem cladis, quam M. Antonius a. u. c. 718. a Parthis acceperat, sive quod omnino inimici oppressi memoriam refricari Augustus nollet, sive quod propter amicitiam cum Iulo Antonio, triumviri filio, initam Horatius ubique M. Antonio pepercit. — Iunge *maritus coniuge barbara*, id est, «habens coniugem barbaram.» Cfr. Ovid. Her. 4, 134: *Et fas omne facit fratre marita soror.* Alii: *turpis coniuge barbara*; sed ablat. instrumentalis in coniugis persona locum non habet. Prorsus autem reiicienda HP. est coni. *in coniuge.* — «Uxores a victoribus acceperant, ut vitam mercarentur.» Schol. — *Turpis*] propter violatam legem Romanam atque in matrimonium ductam non solum peregrinam, verum etiam hostis filiam. Virg. Aen. 8, 688: *sequiturque* (Antonium) *nefas! Aegyptia coniux.* Liv. 43, 3: *ex militibus Romanis et ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes.* — *vixit*] «Adeone vitae cupidus fuit, ut hanc ignominiam aequo animo pateretur?» — *hostium*] «quos S. P. Q. R. hostes iudicarat, quibuscum idcirco nullum omnino commercium neque connubium esse poterat.»

7. *Pro*] Est demirantis cum indignatione. — *curia*] Cic. pro Plancio 29: *stante urbe et curia. Curia* refertur ad laesam senatus dignitatem, qui tam ignominiosum casum tam diu patienter tulerit. Librarii substituerunt *pro patria* et *pro tempora.*

8. *Consenuit*] Quia iam plus triginta annos inter Parthos degerant. — *in armis*] Prorsus hoc ex Parthorum more. Iustin. 41, 2, 5: *Exercitum non, ut aliae gentes, liberorum, sed maiorem partem servitiorum habent;* captivi autem pro mancipiis erant. — Quid, quod Romanos, otii impatientes, belli cum Parthis cupidos, etiam voluntarios arma tulisse haud improbabile est? Insigne certe huiuscemodi perversitatis exemplum Q. Labienus T. filius dedit, qui audita clade Philippensi Parthos in Romanos concitavit et dux ab eis constitutus per breve tempus Syriam et Phoenicen occupavit a. u. c. 714., eiusque nummus exstat cum hac inscriptione: *Q. LABIENVS PARTHICVS. IMP.* Cfr. Dionem 48, 26.

Sub rege Medo Marsus et Apulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis condicionibus
Foedis et exemplo trahentis

10. Prius *et* om. T. — 12. *Incolomi* bS. — 15. *trahenti* de Canteri coni. et cum Comm. Cruquii L, item Bentleius, qui tamen in Adnotatt. praefert *exempli trahentis*. (Ut nos, omnes nostri, Bentleii, Pottierii.)

Liv. Epit. CXXVII. — Languet prae lect. librorum tantum non omnium altera *in arvis*, quam cum Canterus et T. Faber coniectura proposuissent, confirmavit unus Cod. Altorf. 1., in quo casui debetur.

9. *rege*] invidiosum apud Romanos nomen. — *Marsus et Apulus*] bellicosissimi Italiae populi. Libenter, ubicunque potest, suae Apuliae meminit poëta.

10. *Anciliorum*] Altera forma *ancilium* est in Inscr. m. Lat. 2244. a v. *ancile*. (Cfr. *Saturnaliorum, sponsaliorum.*) Lege Ovid. Fast. 3, 373. *Nubigenas clipeos* vocat Stat. Silv. 5, 2, 131. — *togae*] Virg. Aen. 1, 282: *Romanos, rerum dominos gentemque togatam.* Florus 4, 11, 3: (*Antonius*) *patriae, nominis, togae, fascium oblitus.* — *Nominis* h. l. manifesto pro «nominis Romani»; quod ipsum inest in voc. *togae*. Quia non intelligebant, plurimi scriptores librarii omiserunt *et*; quae intolerabilis lectio placuit Cruquio ac Torrentio, reiecta a Bentleio.

11. 12. *Vestae*] cuius ignis pignus erat aeternitatis Romanae urbis. Cic. de Legg. 2, 8: *Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* In iure iurando Philippo Macedoni imposito Graece sic expresserunt: *τὴν ἑστίαν τῆς Ῥώμης*. Diodor. Fr. Dind. p. 128. Vestam *Romani imperii pignus* vocat Seneca Controv. 1, 3. pag. 93. Bip. — *Incolumi Iove*] «Salvo Capitolio.» Schol.

13. *caverat*] «Et tamen ne talis turpitudo atque ignominia unquam Romanos dehonestaret, providere voluerat iam Regulus, specimen illud summae constantiae cet.» Captus est a Karthaginiensibus a. u. c. 499. Crebro hoc idem argumentum tractabatur in rhetorum scholis. Cfr. Cic. de Or. 3, 28, 109. Val. Max. 1, 1, 14: *in iis, quae ad custodiam religionis attinent, nescio an omnes M. Atilius Regulus praecesserit* cet.; inter poëtas Silium 6, 342 seqq. (Bälde Lyric. 1, 3., fortasse nimis presse Horatii vestigia sequens, pleraque hinc ad Thomae Mori constantiam laudandam detorsit.)

14. *condicionibus*] casu tertio, ut Quintil. 8, 6, 54: *si qua verbis dissentit.*

15. 16. *trahentis*] «Ab exemplo perniciem in posteros trahebat, deducebat, id est, dictitabat tale exemplum nimiae facilitatis ad redimendos captivos vim et auctoritatem perniciosam in posteros habiturum esse.» Iahn. Vide Excursum. — Ceterum *trahentis* Codices omnes praeter Cruquii Scholiastam, qui habet: «*trahenti*] adferenti in fu-

Perniciem veniens in aevum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Adfixa delubris et arma
Militibus sine caede, dixit,
Derepta vidi; vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero

17. *perirent* Glareanus. *(periret vae miserabilis* Paldamus.) — 21. *Direpta* BbSTcd, CJ.

turum perniciem rei publicae;» et Glossam Cod. mei c.: «quod traheret;» quam lectionem praeferunt Bernhardy et Lübker. *Trahenti* esset «exemplo velut contagione quadam perniciem propaganti», ut Gratius Cyn. 412: *ne dira trahant contagia volgi (volgus* Heins.), et Ausonius Epist. 24, 28: *Sic pars aegra hominis trahit ad contagia secum Corpus.* Facilior quidem videtur haec lectio, sed facilior non est; nam, ut recte Regel significavit, vv. *Si non periret* cet. sententiam a Regulo ipso senatui inculcatam continent. Certe si non Regulo ipsi eam tribueris, sed tamquam explicationem addideris vv. *exemplo trahentis*, non poëticam orationem habebis, Horatio dignam, sed ad pedestrem descendes. — *veniens*] Sic Lucan. 7, 394: *populos aevi venientis.*

17. *periret*] Glareanus metri fulciendi causa correxit *perirent*, cum haec una exceptio sit apud Horatium thesis brevis in priore versus Alcaici ordine; «data» enim «opera Noster a trochaeo in eo loco abstinuit tam in Sapphico versu, quam in illo Alcaico [inventorum exemplum non secutus]: idque optimo consilio factum, nempe ut versus illi *tardiores paullo gravioresque venirent ad aures;* nam sine spondeo celeres nimium volubilesque et sine pondere feruntur.» Bentley ad Od. 2, 19, 15. Obstat tamen, non solum quod Horatius omnino abstinet ab hac constructione, sed etiam quod Latini potius dicunt *pars secant, turba ruunt,* quam inverso ordine *ruunt turba* cet. Nam alius generis est Ovid. Fast. 3, 372: *Submisere oculos cum duce turba suos,* id est «submisere oculos dux et turba;» certa contra exempla Propertii 3, 17, 28: *unde tuum potant Naxia turba merum*, et apud Silium 6, 563: *iacent - - Dispersum volgus*; id quod notandum adversus Huschkium ad Tibull. 2, 4, 38. et 4, 4, 25. — *immiserabilis*] «sine ulla miseratione ac misericordia.» (In coni. *vae miserabilis* facile, spero, senties ingens discrimen inter poësin Horatianam et scholasticam.)

18—22. *Signa ego*] Falso nonnulli opinati sunt duos verss. ex Reguli oratione in senatu habita remanere in Naevii reliquiis. Cfr. eius Fragmm. ed. Klussmann p. 62. — *Derepta*] «violenter et contumeliose detracta.» Tacit. Ann. 2, 45: *Spolia et tela Romanis derepta in manibus multorum ostentabat.* Virg. Aen. 11, 193: *spolia occisis derepta Latinis,* ubi alii *direpta;* sed vide Wagnerum, item Fea ad

Portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. — Flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,

Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.

23. *clusas* S, Cod. Bland. — 25. *repensus* superscr. «vel *redemptus*» d. — 27. *nec* T. (Ceteri mei *neque.*) — 29. *occidit* T solus.

Od. 4, 15, 7. — *Retorta*] Epp. 2, 1, 194: *Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.* Ovid. Am. 1, 2, 34. in Amoris triumpho: *Mens bona ducetur manibus post terga retortis.*

23. 24. *Portasque*] Karthaginis. — *non clausas*] id quod maxime securitatis signum erat. A. P. 199: *apertis otia portis.* — *Marte* cet.] «ab exercitu nostro devastata coli rursus a Poenis.» Falsa enim est Vossii duplex iunctura: «arva Marte nostro populata coli Marte nostro;» *(ich sah - - Feld von unserm Krieger gebaut, das er jüngst verödet.)* captivi enim iam *Mars noster* vocari nullo pacto poterant; et ne Lucanus quidem vel Statius hoc sibi indulsisset. (Sic *populare* Virg. Ge. 1, 485. Aen. 1, 527.)

27. 28. *Damnum*] Rhesus 102: *Αἰσχρὸν γὰρ ἡμῖν καὶ πρὸς αἰσχύνῃ κακόν.* Non de iactura pecuniae, quam consumpturi essent in *rependendis,* id est, redimendis, captivis loquitur, sed: «longe maius, inquit, damnum partim inerit in turpi exemplo ad posteros prodito, partim in eo, quod redempti isti reliquis militibus permixti, iam ignaviores quam antea, foedam fugam capientes vel iterum sese dedentes cladem afferent populo Romano.» — *neque amissos*] «Ut primum colorem naturalem nunquam recipit lana semel alio colore infecta, ita cet.» Quintil. 1, 1, 5: *Nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* — *medicata*] de coloribus, ut *φαρμάσσειν*, «imbuta.» Cicero in Hortensio Fr. 8. p. 479. meae Ed.: *Ut ii, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam* cet. Ovid. Rem. Am. 707: *Amyclaeis medicatum vellus ahenis.* Virgil. Ge. 1, 493: *Semina vidi equidem multos medicare serentes, Et nitro prius et nigra perfundere amurga.* — *fuco*] Plin. H. N. 26, 10. Fucus marinus, lactucae similis, conchyliis substernebatur, id est, lana herbae illius suco prius imbuebatur, quo facilius purpurae colorem imbiberet. Tum usurpatur pro quovis suco, qui tingendo inservit, in primis pro purpura. Ita *conchyli fucum* dixit Catullus 64, 49.

29. 30. *Nec vera*] «Virtus, quae quidem vere hoc nomen meretur, non potest *reponi,* restitui eis,

Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus,
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret inscius,

Vv. 34—34. in B desunt. — 33. *dedidit* Bentleius coni. — 34. *proterit* T. — 36. 37. *mortem Hinc, unde vitam sumeret aptius* Bentleius; *Hinc* coni., *aptius* cum *βκλμχ* et var. lect. *ιω* (item Pottierii 1, 4, 5, 6, 12, 16, 17.). Mei BbSTcd: *Hic - - inscius*; in S adscriptum: «al. *aptius*»; nihil de hoc dubio loco Cruquius.

qui propter ignaviam semel deteriores sunt facti.» — *Curat*] «non volt, neque potest, quia pristinas suas vires amisit.» Virgil. Ge. 1, 39: *Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.* — *deterioribus*] dativus. «*Deteriores* fiunt ex bonis, *peiores* ex malis.» Schol. Recte Vossius: *So wahre Tugend, ward sie gefälscht einmal, Nie sucht sie Heimkehr zu den Entarteten. Deterioribus* pro ablativo gen. neutr. (*«durch Geringeres»*) explicari nullo pacto potest cum Lübkero. *Reponi* autem «renovari, pensari, restitui», ut Silius 5, 533: *cessata reponere avebant Tempora caede virûm ac multo pensare cruore.*

34. 32. «Non magis cerva felici casu e retibus expedita fugaque servata postea aggreditur venatorem, quam fortis unquam erit ille, qui semel hostibus sese dedidit;» vel inversis membris: «qui semel captus est, is non magis bellicosus erit quam cerva cet.» — *plagis*] «Proprie *plagae* funes, quibus retia tenduntur.» Schol.

33. *se credidit*] Egregie opponitur v. *perfidis*, ut Od. 3, 27, 25: *Europe niveum doloso Credidit tauro latus.* Cic. ad Fam. 4, 7, 3: *quemadmodum nos, victori se crediderunt,* id est, «nullam omnino condicionem pacti, arbitrio se victoris commiserunt»; quo ipso v. usus est Caesar B. C. 1, 74: *imperatoris fidem quaerunt, rectene se illi sint commissuri.* Bentleii *dedidit* prosae foret orationis.

34–36. *Marte - - altero*] «Et in alteram expeditionem profecti prosternent, debellabunt Poenos.» — *lora*] Iliad. φ, 30: *Δῆσε δ' ὀπίσσω χεῖρας ἐϋτμήτοισιν ἱμᾶσιν.* — *iners*] Sallust. Iug. 44: *exercitus - - iners, imbellis.* Iam Naevius Bell. Punic. 1. apud Macrob. Sat. 6, 5: *Silvicolae homones duellique inertes.*

37. 38. *Hic*] cum indignatione et contemptu de omnibus militibus, qui ita se hosti tradiderunt: «Ignavus idem iste nimis ignarus vitam tantum fortiter pugnando servari, ipse pro se in iusto bello a populo Romano suscepto pacem composuit, quae tamen lex fuit servitutis.» Pacem autem cum hoste inire non unus aliquis poterat privatus, sed dumtaxat S. P. Q. R.; quapropter ille, quantum in ipso fuit, populi Romani maiestatem minuit ac perduellis nomen iure meretur. — *inscius*] Ex mera ignorantia verae

Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Karthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!

Fertur pudicae coniugis osculum
Parvosque natos ut capitis minor
Ab se removisse et virilem
Torvus humi posuisse voltum:

Donec labantes consilio patres

38. *Pacem et duello* Bentl. coni. — 43. *A se* bT,LCt. (Ut nos, bScd, *βγδκω* «cum aliis nostris.» BENTL.) — 45. *labantis* Bc.

huius loci sententiae vel etiam e gloss. ad vv. *unde vitam* aptius, melius *sumeret*, provenit lectio *aptius*. Suam coni. Bentleius ita interpretatus est: «Hinc, a pugna, timuit mortem, unde vitam sumeret aptius, et pacem bello miscuit.» — *duello*] Antiquiorem formularum formam consulto delegit. — *miscuit*] Significat medio in bello illegitimum istud pactum initum esse. — *O pudor!*] Hoc loco Bentleius defendit Ovid. Her. 9, 111: *O pudor*, pro quo Jahn cum Heinsio *Pro pudor*.

40. *Altior*] Imago haec est: «Karthago inconcussa et victrix ex alta sua sede despicit Italiam ignominiosis caedibus aliisque probris in pulverem prostratam.» Alii explicant: «altior facta, exaltata (in posteriore Latinitate) per probrosas Italiae ruinas;» quae tamen interpretatio minus poëtica mihi videtur. Vossius: *O Herrscherin Karthago, höher Blick' auf Italia's feilen Hinsturz!*

41. *Fertur* cet.] Cfr. Dracontius de Deo v. 408. Ed. Arevalo p. 329: (Regulus) *horrendae mortis amator, Otia contemnens, magnum cum plebe senatum Compulit infelix ad inexorabile pactum, Captis lege data, poenarum ut vincula ferrent. Immemor uxoris natos contempsit et Urbem* cet. — *coniugis*] «Amplecti noluit Marciam, indecorum existimans matronam Romanam servum osculo dignum putare.» Dio Cass. T. I. Sturz. pag. 112: *ὁ Ῥήγουλος τά τ' ἄλλα καθάπερ τις Καρχηδόνιος, ἀλλ' οὐ Ῥωμαῖος ὢν ἔπραττε καὶ οὔτε τὴν γυναῖκα ἐς λόγους ἐδέξατο οὔτε ἐς τὴν πόλιν καθάπερ ἐκβληθεὶς* (exsul) *ἐσῆλθεν κτλ.*

42. *capitis minor*] «Capite deminutus est, qui in hostium potestatem venit.» FESTUS. Cfr. Liv. 22, 60. (Captivo nullum iam iuris vinculum cum coniuge ac liberis. Est igitur *rechtlos*, Voss. *freiheitlos.*) Dio IX. Sturz p. 168: *ὁ δ' ἐλθὼν τὰς μὲν συνήθεις τοῖς ὑπατικοῖς διώσατο, οὐ μετεῖναι τῆς πολιτείας αὐτῷ λέγων κτλ.*

44. *Torvus*] pr. *stier blickend.* Plato Phaedon. p. 117. B. de Socrate: *ταυρηδὸν ὑποβλέψας.* — *posuisse voltum*] «oculos defixisse, memor capitis deminutionis, quam perpessus erat, certus consilii plenusque severitatis.»

Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque maerentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat quae sibi barbarus
Tortor pararet; non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia

47. *maerentis (merentis)* BT. — 51. *propinquos*] *amicos* ex v. 47. d, «*βx* cum quattuor aliis.» BENTL.

45. *Donec* cet.] «Donec patres, quorum animus vacillabat ac prope iam inclinabat ad captivorum redemptionem decernendam, confirmasset; quod cum assecutus esset, voltus serenitas ac plenior fiducia ei rediit.» (Cfr. etiam Hand Turs. II. p. 294.) — *consilio*] *Ut capitis minor* dumtaxat *consilium* dedit, non ut senator *sententiam* dixit.

49. 50. *Atqui sciebat*] Cicero de Offic. 3, 27: Reguli *cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt; ipse Karthaginem rediit: neque eum caritas patriae retinuit nec suorum. Neque vero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed iusiurandum conservandum putabat.* — *Tortor*] Cfr. Cic. de Off. 1, 13. et 3, 27. Gellius 6, 4: *Regulum Tubero in historiis redisse Karthaginem novisque exemplorum modis excruciatum a Poenis dicit. In atras, inquit, et profundas tenebras eum claudebant, ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant et adversus ictus solis oppositum continebant atque intendere in caelum oculos cogebant. Palpebras quoque eius, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. Tuditanus autem somno diu prohibitum atque ita vita privatum refert.* (Silius 2, 343 et 435. cruci affixum dicit.) Fuerunt, qui de tota re dubitarent, praesertim cum antiquissimus belli Punici scriptor Polybius de Reguli legatione et morte nihil tradat. Accedit Diodori Exc. de Virt. et Vit. 24. p. 566. Wess. testimonium de Marcia: *βαρέως φέρουσα τὴν τἀνδρὸς τελευτήν, καὶ νομίσασα, δι' ἀμέλειαν αὐτὸν ἐκλελοιπέναι τὸ ζῆν, ἔπεισε τοὺς υἱοὺς κακουχεῖν τοὺς αἰχμαλώτους κτλ.* Etiam Dio l. l. fama dumtaxat teste utitur: *φασὶ - φασὶ - ὡς καὶ ὁ λόγος ἔχει.* Cfr. etiam Niebuhr *R. G.* Ed. IV. Vol. III. p. 706.

51. *Dimovit*] «cedere sibi iussit viamque aperire.» — *reditus*] Numerum plur. praetulit, quia ingratissimi soni et ex parte ambiguus fuisset singularis.

53. *clientum*] Ut solebant patroni clientum inter se lites transigere ac decidere domi suae, tamquam arbitri, nullis aliis iudicibus adhibitis; id quod propter minus rectam Vossii interpretationem *(Anwalt)* monendum videbatur. — *longa*] ac propterea taedii plena.

Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

54. *Disiudicata* γ ap. Kirchn. p. 36. — 55. *uenafros* T.

55. 56. *Venafranos*] Venafrum extremum in septentrionem Campaniae oppidum. — *Lacedaemonium*] A Phalantho Lacedaemonio conditum ferebatur. Od. 2, 6, 11. Uterque autem tractus amoenissimus erat.

EXCURSUS

AD V. 15.

et exemplo trahentis] Cum hic locus ex difficilioribus sit, etiam Regelii et Dillenburgeri interpretationes apponere iuvat. REGEL: «Alias quidem exemplo trahit perniciem is, qui perniciei auctor est; hic autem intelligendum esse eum, qui mente perniciem exemplo trahat ad posteros, satis declarat opposita sententia, *Si non periret* cet. Praevidebat Regulus, si redimerentur captivi, exemplo perniciem ad posteros propagatum iri; ipse igitur quodammodo propagabat tali exemplo perniciem ad posteros, cum oritura inde mala praediceret. Recte sententiam expressit Acron: «in futurorum perniciem processurum, si tale deduceretur (Ed. Ven. 1484: *duceretur*) exemplum Romanis non pereuntibus, qui capi poterant.» DILLENBURGER: «Vera est Codd. scriptura; participium tamen *trahentis* non est: *qui trahebat*, sed *qui traheret*. Regulus enim, si captivi ut redimerentur suasisset, si obtemperasset amicorum ac totius fere civitatis precibus, perniciem ipse suo exemplo in futuram aetatem traxisset, ad ignaviam evocasset. Incipit igitur a vv. *et exemplo trahentis* hypothetica quam dicunt sententia, neque id movet difficultatem, quod alterum participium *dissentientis* est pro «qui dissentiebat», modo recordemur, in illo genere enuntiatorum coniunctivi modi locum ab indicativo saepe occupari. Cuius rei exempla satis congessit Zumpt *Lat. Gr.* §. 549.» (Fateor tamen, hanc interpretationem nimis artificiosam mihi videri.)

CARMEN VI.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris

VI. Inscr. volg. *Ad Romanos.* — *Ad populum Romanum* BST. — *Ad Augustum Romanum* b. — *Redit ad Augustum* c.

VI. Corruptos aetatis suae mores conquestus cives, ut ad simplicem ac severam maiorum disciplinam redeant, exhortatur; tecte significans omnem Caesaris Octaviani curam et operam in eo ipso defixam esse, ut civium mores emendentur. Cum hic Parthorum tamquam victorum (*νικησάντων*) mentio fiat, probabiliter certe ante a. u. c. 734. carmen compositum est. Et cum iam sub initium principatus Octavianus Caesaris ipsius consilium secutus cogitasset leges ferre, quibus licentiae ac libidini obviam iretur, sapientissimo huic consilio, quod ille multos demum post annos exsequi potuit, poëta quasi praelusit circa a. u. c. 726. (Vide Franke Fast. Hor. p. 193. et Dillenburger p. 88.) Lex autem Iulia de adulteriis lata est a. u. c. 737., Lex Papia Poppaea de maritandis ordinibus demum a. u. c. 762.

1. *Delicta* cet.] Ex antiquissima et Orientalium et Graecorum opinione. Eurip. Frgm. inc. 133. Matth.: *Τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους Οἱ θεοὶ τρέπουσιν.* — *maiorum*] inde a temporibus Sullanis, duarum prope aetatum ante hoc carmen compositum. — *immeritus*] «etsi nulla propria culpa pollutus.» Etenim loquitur de aetate, iamiam oriente, quae proxime praecedentis culpas, nisi ipsa ad morum innocentiam et pietatem reditura sit, luere debeat. Nihil autem infelicius unquam vidi quam HP. coniect. *meritus*; etenim inter *Delicta* et *immeritus* callidam, immo egregiam, a poëta quaesitam esse *ἀντίθεσιν* recte significarunt Krahner et Dillenburger pag. 88.

2. *Romane*] Saepe sic Livius pro numero plurali. Cfr. etiam Virg. Aen. 6, 852: *Tu regere imperio populos, Romane, memento.* — *templa*] *Templum* proprie omnis locus antea profanus, postea inauguratus; *aedes*, omnis deorum domus. M. Varro apud Gell. 14, 7: *non omnes aedes sacras templa esse ac ne aedem quidem Vestae templum esse.* H. l. homonyma sunt. Per bella autem civilia et propter clades hominum et propter pecuniae defectum in ipsa urbe magisque etiam in oppidis neglecta fuerant templa. Propert. 2, 6, 35: *Sed non (nunc* Hertzb. coni.) *immerito velavit aranea fanum Et mala desertos occupat herba deos.* — *refeceris*] Augusti ea laus. Cfr. Od. 2, 15, 20., unde eum sic alloquitur Ovid. Fast. 2, 63: *Templorum positor, templorum sancte repostor.* Virg. Aen. 8, 716. Augustus sacravit *Maxima tercentum totam delubra per Urbem.* Suet. Oct. 30: *Aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit.* Etiam Tiberius teste Tacito Ann. 2, 49:

Aedesque labentes deorum et
Foeda nigro simulacra fumo.

Dis te minorem quod geris, imperas: 5
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

3. *Aedisque* B. — 4. *fumo simulacra nigro* pr. T. — 6. *Hic omne* B, *Huc omne* Cod. (?) Torrentii.

Deum aedes vetustate aut igne abolitas coeptasque ab Augusto dedicavit.

4. *fumo*] partim post incendia, quorum meminerunt Tacitus et Suetonius l. l., partim etiam incuria fumo deturpata atque offuscata. Solebant autem statis temporibus simulacra deorum sollemni ritu lavari.

5. *minorem*] «quod ut superiores veneraris deos eorumque potentiam ultro agnoscis.» Simonid. p. 13. Schneidew.: *ἅπαντα γάρ ἐστι θεῶν ἥσσω*. Cic. de Nat. D. 3, 2: nostra civitas, *quae nunquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset.* Pseudocic. de Harusp. resp. 9: *Pietate ac religione atque hac una sapientia, qua deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes superavimus.* Contrarium Eurip. Heracl. 258: *Σκαιὸς πέφυκας τοῦ θεοῦ πλείω φρονῶν.*

6. *Hinc* cet.] «*Hinc* est, oritur *omne principium*», casu nominativo. Alii minus probabiliter vel supplent «erat» vel ex v. *refer* eliciunt *hinc* pete *omne principium*. Sententia est: «Deorum auspiciis atque auxilio omne inceptum peragendum; felix exitus grato animo iisdem tribuendus est.» Liv. 45, 39: *maiores vestri omnia magnarum rerum et principia exorsi ab dis sunt et finem statuerunt.* (*Principium* autem per *συνεκφώνησιν* trisyllabum, ut Od. 3, 4, 44: *consilium*.)

8. *Hesperiae - luctuosae*] «Italiae in luctum effusae propter clades, quibus per tot annos aflicta est.»

9. *Monaeses*] Haec lectio firmatur a Cod. b. a pr. m. et a Pottierii Cod. Reg. 8072. Sec. X. Ceteri *Monaesis*, quod metro repugnat atque ortum est ex accommodatione minime necessaria ad vv. *Pacori manus*. Quidni enim licuerit poëtae dicere: «Monaeses, clarus ille Parthorum dux, et exercitus, cui praefuit Pacorus»—? Praeterea iunctura ista, quam praefert nuperus quidam interpres, *manus Monaesis et Pacori* nimis redolet abiectissimam pedestris orationis formam. — *bis*] semel imperatore M. Crasso, qui plurimis prodigiis et C. Ateii diris frustra monitus (Cic. de Divin. 1, 16.) contra Parthos profectus cum maiore exercitus parte periit a. u. c. 704.; iterum M. Antonio, cuius primum legatus Decidius Saxa cum legionibus interemptus est a Parthis a. u. c. 714., duce Pacoro, Orodis regis filio, Phraatis fratre natu maiore, viro fortissimo et laudatissimo (Dio 48, 24–26.); tum et ipse (id quod, uti par erat, Iuli Antonii filii amicus tacet Horatius) a. u. c. 718. exercitum adversus illos ductum amisit (Dio

Iam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros et adiecisse praedam

9. *Monaesis* s. *monesis* BSTcd et corr. b, item LCt. (Ut nos, pr. b, Pottierii Cod. quintus, Aldinae et inter Editores Sec. XVII. Rutgersius.) — 10. *Inauspicatos* B et Pottierii aliquot. — 11. *Nostris* cum uno Cod. Prisciani p. 891. P. praefert Bentleius, vel leg. suspicatur *Nostrorum*. — (Vv. 11 — 13. in B desunt et v. 15. est ultimus.)

49, 24-31.), quamquam paullo ante eius legatus Ventidius Pacorum insidiis circumventum interfecerat. (Dio l. l. 20.) Itaque *Pacori manus* potissimum ad Decidii cladem pertinet. De hoc Pacoro et quinque aliis ex historia notis optime egit Haase in Ersch et Gruber Encyclop. III. IX. in hoc v. At quis *Monaeses*? Commemoratur quidem a Plutarcho Anton. c. 37. p. 932. D. Fr. *Μοναίσης, ἀνὴρ ἐπιφανὴς καὶ δυνατός*, qui Phraatis saevitiam cum multis aliis fugiens ad M. Antonium se contulit, ab illo magno honore habitus, sed mox ad Phraaten invitatus rediit. (Dio 49, 23, 24.) At cum ab hoc Monaese nihil contra Romanos gestum memoret historia, maxime probabilis est opinio eorum, qui *Monaesen* Horatii eundem esse aiunt cum Surena illo scriptorum, qui Crassum delevit; *Monaesen* illum dictum esse nomine proprio, *Surenam* ex Orientis more nomen magistratus sive dignitatis fuisse et designasse eum, qui proximum a rege locum obtineret, summus eius legatus esset, regi novo diadema imponeret, summaque floreret auctoritate, potestate, magnificentia. V. Plutarch. in Crasso c. 21. Tacit. Ann. 6, 42. Ammian. 24, 2. 30, 2. Zosimus 3, 15: *Σουρήνας - - ἀρχῆς δὲ τοῦτο παρὰ Πέρσαις ὄνομα*. Brisson. de regno Pers. 1. p. 474. Itaque *Monaeses* eiusque exercitus ad cladem Crassi pertinet, quam certe non omissurus erat Horatius vixque alii quam Surenae tribuere poterat. *Monaeses* nomen apud Parthos sollemne ac nobile, ut *Vologeses*, fortasse et illustris alicuius familiae (ex Megistanibus) videtur proprium fuisse. Certe alius Monaeses est ille Antonii amicus; nam Monaeses Surena paullo post cladem Crassianam a rege interfectus est. Iani. (Contra Horatium, cuius hanc stropham cum Peerlkampio esse negat, disputat, id est, totius loci difficultates exponit atque exaggerat Estré Hor. Pr. p. 268.)

10. *Non auspicatos*] Multi Codd. (etiam Pottierii nonnulli) *inauspicatos*, ab iambo incipientes ut Od. 1, 9, 1. 31, 9. 17. 35, 37. 37, 22. 2, 7, 22. 3, 1, 2. Nostri vero *non auspicatos*. Vellei. 2, 46: Crassum *proficiscentem in Syriam diris cum ominibus tribuni plebis* (in primis C. Ateius) *frustra retinere conati*. Cic. de Div. 1, 16. Has igitur expeditiones malis auspiciis inceptas *contuderunt*, «magna cum strage nostrorum exercituum vanas reddiderunt Parthi.» Cfr. Od. 4, 3, 8. Virg. Aen. 1, 263: *populosque feroces Contundet*. Etiam in prosa or. Cic. de Rep. 1, 1, 1: *nec id* (incendium) - - *M. Marcellus contudisset*. Atticus apud Cic. ad. Att. 16, 15, 3: *in praesentia belle iste puer* (Octa-

Torquibus exiguis renidet.

Paene occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus et Aethiops,
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

Fecunda culpae secula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos;

vianus) *retundit Antonium.* Tac. Ann. 4, 46: *contusis Thracum gentibus.*

12. *Torquibus*] «Tenuibus illis torquibus aureis, qui unicus gregariorum militum apud Parthos ornatus fuerat, exsultat nunc accessisse divitem praedam Romanam.» — *renidet*] «Non sine contumelia in Romanos ridente voltu spectat ornatum suum tantopere auctum.»

13–16. *Paene*] «Urbem ipsam dissidentem ac studiis intestinis distractam paene exscidit Antonius; ea potitus esset, si apud Actium victor evasisset.» Daci, sagittarii, ab Octaviano spreti ad Antonium inclinaverant. (Dio 51, 22.) Virg. Ge. 2, 497: *Aut coniurato descendens Dacus ab Istro.* Aen. 8, 705: *omnis eo terrore Aegyptus et Indi, Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.* Aegyptios, Antonii classiarios, poëtice propter vicinitatem Aethiopes vocat. Nam ipsi Aethiopiae ille non imperitabat. Plut. Ant. 61: (*Λιβύης*) *τὰ ἀπὸ Κυρήνης μέχρις Αἰθιοπίας* (*εἶχεν*) *Ἀντώνιος.* — *melior*] *κρείττων.*

17. *Fecunda culpae*] Iam causas harum calamitatum exponit. «Degenerant familiae propter omnis generis libidines, quibus uterque sexus obnoxius est.» Neque vero obliviscenda frequentissima illis temporibus divortia ac repudia et matrimonia omni modo violata. Silius 2, 498: *Fecundum in fraudes hominum genus.*

18. *genus*] «Bonum paris sanguinis, alieni coitus admixtione pollutum.» Acron Nannii. Recte explices: *genus*, sanguinem, stirpem; *domos*, omnes rationes domesticas inter coniuges ac liberos, ad quos sensim a parentibus transit corruptela. Ambros. Opp. T. 2. p. 484. de Herodis filia: *Quid enim poterat de adultera* (matre) *discere nisi damnum pudoris?*

20. *In patriam populumque*] «in rem publicam et in singulos cives.» Antiqua est formula. Liv. 5, 41: *sunt qui – – devovisse eos* (seniores in clade Gallica a. u. c. 365.) *se pro patria Quiritibusque Romanis tradant.* Ovid. Metam. 15, 572: *Patriae laetum populoque Quirini – – sit.* Iuvenal. 14, 70: *Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti.* In senatum invehi certe prudens nolebat poëta eo modo, qui placuit Bentleio, et languidissimum sane foret istud *que – – que.*

21. *Motus – Ionicos*] Auctore Athenaeo 1. p. 22 b. *ἡ Ἰωνικὴ ὄρχησις* in iis ab Aristoxeno memorabatur, quae *διὰ τὴν τῶν χειρῶν κίνησιν* ceteris praestarent. Aristoph. Thesmoph. 163: Ibycus, Anacreon, Alcaeus *ἐμιτροφόρουν τε καὶ διεκλῶντ' Ἰωνικῶς.* Hesychius: *Ἰωνικόν, τρυφερὸν ἢ περὶ τοῦ κα-*

Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo et fingitur artibus;
Iam nunc et incestos amores

20. *Inque patres* Bentl. coni. — 22. *fingitur artubus* bSc (*γδ* ap. Kirchn. p. 36. 56.) et complures Pottierii, *frangitur artubus* d et alii nonnulli, prob. Ungero V. R. p. 400., *fungitur artubus* Mart. Cruquii. (Ut nos, BT, «duo» Bentleii, Pott. 4, 3, 7, 11, 22.)

τεαγότος καὶ θηλυκοῦ· ἐπὶ τούτῳ γὰρ ἐκωμῳδοῦντο οἱ Ἴωνες. Bacchylides apud Ioannem Siceliotam ad Hermog. Rhet. Gr. T. VI. pag. 244: Ἁβρότητι ξυνέασιν Ἴωνες βασιλῆες. — *doceri*] et quidem a servis. Seneca Ep. 90. de servis verba faciens: *Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinae sunt; hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus docentium mollesque cantus et infractos.* (Ovid. A. A. 3, 354: *Artifices lateris, scenae spectacula amantur; tantum mobilitas illa decoris habet.)*

22. *Matura*] «Cum nubili aetate castissima esse deberet.» — *fingitur artibus*] ablativ. instrum., ut cum dicimus *instrui, erudiri artibus*, non dativus, ut nonnulli voluerunt, «ad artes». Sic Colum. 11, 1, 13: villicus *complurium agrestium formatus artibus*. Plato Phaed. p. 82. D.: σῶμά τι πλάττοντες ζῷον κτλ. — «Accurate artibus, praeter saltationem, etiam cantu, musicis, poësi amatoria instituitur, ut Sempronia illa apud Sallustium, Clodia, P. Clodii soror, Sulpicia Tibulli, Cynthia (Hostia) Propertii, quibus artibus amatores alliciat.» Totus autem locus vel propter versus praecedentes de prava etiam ingenuarum puellarum institutione domestica, non de feminis libertini generis intelligendus. — Altera lectio *fingitur artubus* ne satis Latina quidem videtur, cum requireretur *fingitur artus*, ut Manil. 4, 797. Iacob: *iuvenis nudos formatus mollior artus*, nec esset nisi repetitio priorum illorum *motus doceri gaudet* cet. Tertia denique *frangitur artubus*, per se recta (v. Bentl.) et de molli incessu ac gestu explicanda, non tam exquisitam exhibet speciem corruptelae ex artibus ipsis, apud Graecos certe maxime laudabilibus, ortae, ut taceamus etiam de nostrorum Codicum auctoritate. — Verumtamen iis, qui etiamnunc *frangitur artubus* praeferunt, ut Huschke ad Tibull. II. p. 679. et Unger V. R. p. 399., duos locos suggeram: Seneca Controv. 1, 2. p. 84. Bip. de virgine: *docetur blanditias et in omnem motum corporis confringitur*. Hieronymi Ep. 43: *Quomodo in theatralibus scenis unus atque idem histrio nunc Herculem robustum ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelen*. Apud Senecam est rhetorica exaggeratio, suo loco, si vis, laudabilis; apud Horatium nimium h. l. foret et mimis omnino ac prostibulis aptius quam virginibus ingenuis.

23. *Iam nunc*] Multi haec vv. iungunt cum praecedentibus, non animadvertentes, satis mire dici *maturam* virginem *iam nunc* excoli

De tenero meditatur ungui;
Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit
Cui donet impermissa raptim

27. *intermissa* ST,ξ, Pott. tres, *improvisa* Pulmanni Cod. quintus et Ach. Statii liber. (Ut nos, Bbcd.)

artibus. Cur, quaeso, *iam nunc*, si iamiam matura est? Num post maturitatem demum illas addiscere debebat? Immo iungenda haec cum sequentibus: «*iam nunc*, matura quidem, sed nondum nupta, animo agitat amores *incestos*, «vel impudicissimos», *mox* nupta cet. Ad partt. *iam nunc* cfr. Od. 2, 1, 17., et crebro, non tamen semper, ponuntur propositionis initio, ut apud Plaut. Mil. glor. 2, 6, 103: *Iam nunc satis et plus nimio merui mali.* Contra Propert 4, 11, 93: *Discite venturam iam nunc sentire senectam.* In clausulae autem fine (ut hic volebant nonnulli) locum nunquam habet. Cfr. Hand Turs. III. p. 153.

24. *De tenero - ungui*] Graecorum ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων. Iam solita est interpretatio: «inde a puellari aetate, a prima adolescentia»; qua quidem recepta non tamen sine causa in toto loco haesit Hofman Peerlkamp, ceterum mire proponens v. 22: *A matre virgo.* «Matura», inquit, «male convenit cum sequentibus, ubi eadem virgo dicitur amores incestos meditari *de tenero ungui.*» Sed novam rationem ingeniose et docte nuper investigavit Unger V. R. p. 404., quam breviter hic exponam. Scilicet ἐξ ὀνύχων et ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων est «penitus», ut nos diceremus, «ex intimis nervis», ut Latini alibi dixerunt, «ex imis medullis.» Cur autem intimus sensus *unguiculis* tribui potuerit, aperit Pollux 2, 146. ὄνυχες, ὑφ' οἷς τὰ νεῦρα παύεσθαι λέγουσιν. Rufinus Anth. Pal. I. p. 87: τὴν ψυχὴν ἐξ ὀνύχων ἀνάγει. Plut. de Educ. lib. 5. p. 3. Ed. Didot: συμπαθέστερόν τε γὰρ θρέψουσι καὶ διὰ πλείονος ἐπιμελείας, ὡς ἂν ἔνδοθεν καί, τὸ δὴ λεγόμενον, ἐξ ὀνύχων [ἁπαλῶν] ἀγαπῶσαι τὰ τέκνα, ubi, cum de matribus manifesto agatur, significat «penitus.» Item Automedon Anth. Pal. I. p. 119: Τὴν ἀπὸ τῆς Ἀσίης ὀρχηστρίδα, τὴν κακοτέχνοις Σχήμασιν ἐξ ἁπαλῶν κινυμένην ὀνύχων («cuius motus lascivi velut ex teneris unguibus orti totum per corpus propagantur,») Αἰνέω. Plaut. Stich. 5, 5, 19: *Lepidam et suavem cantionem aliquam occipito cinaedicam, Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis*, quem locum expressit Apuleius Met. p. 938. H., ubi Hildebrandus: «ἐξ ὀνύχων φιλεῖν, id est, ex intimo pectore, penitus, medullitus; qui enim ex partibus corporis extremis quasi flagrat et lascivit, toto corpore concupiscit.» Cic. ad Fam. 1, 6, 2: *Sed praesta te eum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus*, «intime», non «inde a prima pueritia;» pro qua tamen significatione Unger attulit Laurent. Lyd. de Magg. 2, 26. p. 138: τοὺς δὲ νόμους εἰδώς, εἴπερ τις ἄλλος, οἷς ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων ἐνετράφη. Alia testimonia pro priore illa vide apud ipsum.

25. 26. *Mox iuniores* cet.] «Dum

Gaudia luminibus remotis;

Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

30. *cum vocat* S. (non BbTcd.)

maritus convivio delectatur, sibi circumspicit iuniores illo moechos. Noli interpretari cum Ungero: «iuniores semet ipsa»; illud sane multo acerbius. — *vina*] «symposium.» Conf. Od. 4, 5, 34. Epp. 1, 7, 28. — *neque eligit*] primo quoque, *τῷ τυχόντι*, contenta.

27. *impermissa*] nunc *ἄπαξ λεγόμενον* pro *inconcessa, illicita, interdicta*. Hinc interpolatio *intermissa*, nuper Paldamo *(Rhein. Mus. N. F.* VI. p. 633.) probata. — *raptim*] non est «furtim»; sed «celeriter», ita ut statim post venerem in triclinium redeat, ne convivae illico turpe commissum animadvertant. Sequentia alia imagine adulterii turpitudinem augent.

28. *Gaudia*] Alii ex gloss. modestissimo: *oscula*. — *luminibus*] «taedis, faculis, lucernis.» Schol. Conf. Sat. 2, 7, 33. Epp. 1, 2, 35.

29. *iussa coram*] «ante omnium, etiam mariti, oculos vocata.» — *non sine conscio - marito*] Cum vi repetitur v. *maritus*, ad indignitatem corruptorum istorum quaestus cupiditate morum augendam. Cfr. Iuven. 1, 55.

30. *institor*] «Etiam *βανάσσους* homines minime aspernatur, dummodo largis donis petitis eos emungat.» Institorem autem cogita illum Propertii 4, 2, 38: *Mundus demissis institor in tunicis*. Ovid. Rem. am. 306: *Institor heu noctes, quas mihi non dat, habet!* «Institores, quibus vestiarii dant vestes linteaque circumferenda ac distrahenda.» Gloss. vet. Cum nautis coniunguntur etiam Epod. 17, 20: *O nautis multum amata et institoribus!* H. l. nolim explicare cum Graevio ad Suet. Ner. 27. «*institor*, qui magistri navis Hispanae merces vendit»; potius enim *γενικῶς* est positum.

31. *navis Hispanae magister*] Frequens commercium inter Hispaniam et Italiam. Plin. H. N. 3, 3: *Metallis plumbi, ferri, aeris, argenti, auri tota ferme Hispania scatet, citerior et specularibus lapidibus, Baetica et minio. Sunt et marmorum lapicidinae.* Dives ergo significatur navicularius, *ναύκληρος* Hispanus, non *ναύαρχος* militaris. Nautarum post maritimos cursus petulantia ac libido contritum erat vetustate proverbium. Plutarchus Non posse suaviter vivi 16, 3: *πρὸς εὐπαθείας ἐπαίρεσθαι ναυτῶν δίκην ἀφροδίσια ἀγόντων.*

32. *Dedecorum*] «turpium voluptatum, quae et adulteram et moechum ignominia afficiunt;» non «mulierum impudicarum, *λωβῶν, ἐλεγχέων*», ut explicat Bentleius ad Od. 1, 37, 9. — *pretiosus emptor*] «magno pretio emens.» Hac significatione, ut ita dicam, activa vix alibi hoc adi. reperitur. — Ceterum fuere, qui h. l. tamquam subobscoenum atque ideo hoc carmine minus dignum reprehenderent; immerito

Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas et severae
Matris ad arbitrium recisos

36. *dirum* bSTc, LCt et Bentleius: *durum* d, septem Pott., FM.

sane; iustissimam potius in pravos mores spirat indignationem.

34-36. *sanguine Punico* cet.] Referuntur haec ad bellum Punicum primum (cfr. Od. 2, 12, 3.), Pyrrhum victum a M'. Curio (a. u. c. 479.), Hannibalem a P. Scipione apud Zamam (a. 552.), Antiochum magnum a M'. Acilio Glabrione (a. 563.) et L. Cornelio Scipione Asiatico ad Magnesiam (a. 564.) — *ingentem*] poëtice pro *magnum*, quo ἐπιθέτῳ ab aliis Antiochis distinguebatur. *Maximus regum* vocatur a Floro 2, 8, 8. — *cecidit*] κατ' ὑπερβολήν pro: «profligavit, devicit.» — *dirum*] stabile apud Horatium Hannibalis ἐπίθετον satis iam firmatur a nostris Codd. Conf. Od. 2, 12, 2.

38. *Sabellis*] id est, Sabinis, maxime apud poëtas. (Cfr. Strabo 5. p. 250. Niebuhr R. G. Ed. IV. I. p. 96.) De dura Sabinorum vita lege Virgil. Ge. 2, 534 sq. Aen. 9, 603 — 613. Cicero pro Ligario 11. Sabinos vocat *fortissimos, florem Italiae ac rei publicae robur*. Columella Praefat. §. 17: *Vera illa Romuli proles assiduis venatibus nec minus agrestibus operibus exercitata firmissimis praevaluit corporibus ac militiam belli, cum res postulavit, facile sustinuit, durata pacis laboribus.* — *docta*] pro «assueta.»

39—41. *severae*] *Rigidas Sabinas* vocat Ovid. Am. 2, 4, 15., *duras* Propertius 3, 30 (2, 32), 47. — In hoc vel maxime cernitur Sabinae disciplinae severitas, quod etiam iuvenes adulti matrum iussis obedire et, cum per totum diem arva coluerunt, vesperi lassi iam ligna caedere domumque portare debent. — *[fustes] Holzkolben.* Voss.)

42. 43. *Mutaret*] Virg. Ecl. 2, 66: *Adspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci Et sol crescentes decedens duplicat umbras. — iuga demeret*] βούλυσις, βουλυτός Homeri. Ut aurora bobus iuga imponit (Hesiod. O. et D. 584: Ἠὼς — ἐπὶ ζυγὰ βοῦσι τίθησιν.), sic sol occidens demit. — *amicum*] ut φίλον, gratum diuque exspectatum ad quietem capiendam.

45. *Damnosa*] «Omnia paullatim detrimento afficiens ac dissolvens.» Ovid. Met. 15, 234: *Tempus edax rerum tuque invidiosa vetustas, Omnia destruitis.* — *imminuit*] «sensim debilitat ac deterius reddit, ut nos *schmälern*. Pro *comminuere*, minutatim infringere, destruere, ut nonnulli volunt, dictum non est.

46. *peior avis*] «vitiosior aetate

Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras et iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

Damnosa quid non imminuit dies? 45
Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

43. *Bubus* ST et corr. b. — 45. *Annosa* Cuningh. — *imminuis* Vetus liber (?) Klotzii.

avorum nos produxit longe etiam illis deteriores, e quibus, nisi hos pravos mores correxerimus, rursus nascetur nequior proles.» Arat. Phaen. 123: *Οἵην χρυσείην πατέρες γενεὴν ἐλίποντο Χειροτέρην, ὑμεῖς δὲ κακώτερα τεξεισθε.* «*Quasi un albero genealogico di quattro peggioranti generazioni stassi in picciol sito con lucida progressione in tre piccioli versi rannichiato.*» GARGALLO.

CARMEN VII.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii
Thyna merce beatum,
Constantis iuvenem fide,

Gygen? Ille Notis actus ad Oricum
Post insana Caprae sidera frigidas

VII. Inscr. volg. *Ad Asterien*, et sic BbTc. — *Ad Asterien amici sui coniugem* S. — 4. *Constanti* Aldus 1509., non 1519. (Ut nos, omnes nostri, Bentleii, Pottierii.) — *fidei* BbTcd et omnes Bentleii praeter *δ*, qui *fidi*. (Ut nos, S, Lamb. aliq. et Cruquii unus.)

VII. Asterien consolatur de amici absentia: hunc fidelem manere etsi ab hospita tentatum; puellamque vicissim ad constantiam in amore hortatur, quae iam ad alium formosum adolescentem animum inclinarat. Est quasi *εἰδύλλιον* mercatorum vitam amoresque lyrice describens. Asterie autem, Gyges eiusque hospita Chloë, Enipeus, omnes sunt personae a poëta fictae. Nos quidem ad v. 10. haec Scholastici cuiusdam interpretis vv. non exscribemus: «Debuere adeo Romae noti esse Chloës mores meretricii.» (Compositionis tempus prorsus incertum est. Referunt nonnulli ad a. u. c. 729.)

1. *quem tibi*] Finge tibi iuvenem mercatorem, qui in Bithyniam profectus variis mercibus ibi coëmptis appropinquante hieme rediens, ventis adversis ad Oricum delatus atque aliquamdiu detentus, cum mare iam clausum esset, novo demum vere ad amicam redire poterit. — *candidi*] »sereni, hibernas nubes abigentes.» Plaut. Merc. 5, 2, 35: *Favonius serenus est; - facit tranquillitatem. Favonii* autem a die VII. vel IX. Februarii in Italia flare incipiunt (V. Voss. ad Virg. Ge. 1, 43.), apud nos, mense Martio.

3. *Thyna merce*] Claudian. Eutr. 2, 247: *Thyni Thraces arant, quae nunc Bithynia fertur.* Eustath. ad Dionys. Perieg. 793: *Λέγεται ὅτι τὴν ἀπὸ Βοσπόρου γῆν ἕως ἐπὶ Ῥήβαντα Βιθυνοί ποτε κατέσχον· τὴν δὲ αὐτοῦ ἐπέκεινα ἐπὶ Πόντον ὀρεινὴν οἱ Θυνοὶ ἔσχον ἄχρι ποταμοῦ Κάλητος· ὡς εἶναι ὁμόρους τούς τε Θυνοὺς καὶ τοὺς Βιθυνούς. — Τοὺς δὲ Βιθυνοὺς καὶ ναυτικωτάτους ἱστοροῦσι γενέσθαι ποτέ, καὶ τὴν αὐτῶν γῆν παμφόρον τε καὶ εὔδενδρον εἶναί φασι καὶ λιθοτομίας ἔχουσαν πολλαχοῦ καὶ κρυστάλλους ἐν ὄρεσι φύουσαν καὶ ἄλλα πολλὰ ἔχουσαν ἀγαθά.* — *beatum*] «ditatum.»

4. *fide*] genitivus antiquus, ut Ovid. Met. 3, 341: *Prima fide vocisque ratae tentamina.* Sat. 1, 3, 95. *commissa fide* dativ. Virg. Ge.

Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.

Atqui sollicitae nuntius hospitae,
Suspirare Chloën et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.

Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.

Narrat paene datum Pelea Tartaro,

7. Post hunc v. deficit Codex d usque ad Carm. 9, 17. — 9. *Atquin* L. — 12. *Temptat ille* T. — 14. *compulerit* T. (non BbSc.) — 15. *belleraphonte* T hic et Od. 3, 12, 8.

1, 208: *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.* (Aen. 1, 636: *Munera laetitiamque dii.* V. Wagner. Cfr. Gell. 9, 14. et Alschefski ad Liv. 5, 13: *insanabili pernicie.)*

5. 6. *Oricum*] portum et oppidum Epiri in introitu sinus Hadriatici, hodie *Erikho.* — *insana*] «multos imbres ac procellas concitantia.» — *Post - Caprae sidera*] id est, «post Caprae ortum.» *Capra* autem (Arato 677: Ἀλεινὴ Αἴξ, Amalthea.), quae lovem infantem lacte nutrierat, in sidera relata una cum *pluvialibus Haedis* (Virg. Aen. 9, 668.) oritur IV. Kal. Octobr., occidit Kal. Ian.

8. 9. *lacrimis*] «propter te effusis; etsi eum per callidum *nuntium* sive interpretem tentat hospita, apud cuius maritum devertitur.»

10. 11. *tuis - ignibus*] «Gyge, quem tu ardenter amas.» «Quando Delia apud Ovid. Am. 3, 9, 56. dicit: *vixisti, dum tuus ignis eram, tuus ignis* non est Tibullus, sed ipsa Delia. Sic etiam h. l. Non est igitur, quod cum HP. substituamus *tui-ignibus.*» — Bosscha. *Tentat*] «ad amorem pellicit.» Cfr. Ruhnk. ad Tim. p. 216.

13–16. *Proetum*] regem Argivum. — *mulier perfida*] Antéa Homero, aliis Sthenoboea. Historiam lege Iliad. ζ, 155 sq. Tractaverat fabulam Sophocles in Iobata, qui pater erat Sthenoboeae, Euripides in Bellerophonte et in Sthenoboea. Cfr. Welcker *gr. Tragoedien* I. p. 417. — *maturare*] «accelerare.» *Impellere* et *perpellere* cum infinitivo etiam Tacit. Ann. 13, 54. et 14, 60.

17. *Pelea*] Hippolyte (aliis Astydamia), Acasti, regis Iolci, uxor, Pelei amore capta, cum hunc ad stuprum sollicitasset neque ei persuadere potuisset, dolore odioque incensa eum apud maritum criminata est, ut vim sibi inferre conatum. Ille autem his auditis eum in Pelii montis solitudines quasi aliud agens deduxit; quo dormiente inter Centauros relicto domum reversus est. Di autem Pelei miserti Volcanum ad eum miserunt. Hic ei gladium donavit, quo Centauros in se irruentes interfe-

Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
Et peccare docentes
Fallax historias movet.

Frustra: nam scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer. — At tibi
Ne vicinus Enipeus

19. *docentis* BT. — 20. *Pellax* malebat Bentl. — *monet* BbSTc, LCt. (*movet* χ, tres Codd. Torrentii et quinque Pottierii.) — 23. *Nec* B, Pott. duo.

cit, reversusque in Thessaliam Acasto bellum intulit et Iolcum expugnavit. Pindar Nem. 4, 54. et 5, 26. cum Scholiasta. Apollod. Bibl. 3, 13, 3. Aliter ex Nicandro Antonin. Lib. 38: *Πηλεὺς καταλείπεται μόνος ἐν τῷ Πηλίῳ. καὶ πλαζόμενος ἐντυγχάνει Χείρωνι τῷ Κενταύρῳ· ἱκετεύοντα δὲ αὐτὸν ὑποδέχεται ἐκεῖνος εἰς τὸ ἄντρον.* — Pelei imagines vide in Gerhard *Vaseng.* III. T. CLXXVII seqq.

18-20. *Magnessam*] a Magnesia, Thessaliae urbe. «Ad differentiam alterius Hippolytes, Amazonum reginae, uxoris Thesei.» Schol. — His duabus fabulis nuntius Gygae spreti amoris pericula demonstrat: iam alias, tibi ante non cognitas, *movet*, profert, quae amantium felicitatem ac gaudia ante oculos ponentes *peccare*, id est, alias praeter eam, cui fidem debet, amare doceant. *Movet* autem, ut dicimus *mentionem movere, actionem ad populum movere*, longe exquisitius est quam altera lect. *monet*, «eas significans illi in mentem revocat.» Cfr. Virg. Aen. 7, 641: *cantusque movete*, Wakefield *monete*. Ovid. A. A. 3, 651. rectius nunc edunt: *Quid iuvat ambages praeceptaque parva movere?* volgo *monere*. — *Fallax*] «te decipere cupiens. Bentleii *pellax* per auream aetatem non reperitur nisi apud Virg. Aen. 2, 90: *pellacis Ulixei*, quod ex antiquiore Tragico desumptum videtur. (De *pellacia* v. Wagner ad Virg. Ge. 4, 443.) — *Historiae* autem, *μῦθοι*, narrationes poëticae, ut Quintil. 1, 2, 14: *Grammaticus historias exponat*, et saepe apud eundem.

21. *Frustra*] Sola haec particula integram exprimit sententiam, sicut Od. 3, 13, 6., ubi itidem sequitur *nam*. — *scopulis - Icari*] Cf. Od. 1, 1, 15: *Icariis fluctibus. Icari* genit. v. *Icarium*, non v. *Icarus*. — *surdior - audit*] Similiter Eurip. Med. 28: *ὡς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος Κλύδων ἀκούει.* Eurip. Androm. 537: *Τί με προσπίτνεις ἀλίαν πέτραν Ἢ κῦμα λιταῖς ὡς ἱκετεύων;* Cfr. Epod. 17, 54. Philodemus in Anthol. Pal. I. p. 112: *ἀλλ' ἴσα πόντῳ Ἰονίῳ μύθων ἔκλυες ἡμετέρων.* Qui oxymoron non intelligebant, interpolarunt *spernit*, ut habebant Codd. duo Pulmanni et unus Bersmanni; cfr. Bentl. ad Sat. 1, 3, 25.; in meis et Pottierii Codd. sincera est lectio.

22. 23. *adhuc integer*] «usque ad hunc diem incorruptus.» Cfr. Od. 2, 4, 22. — *Enipeus* a nomine fluminis Thessaliae. — Quomodo autem in festivo hoc ioco nugati

Plus iusto placeat, cave;

Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.

Prima nocte domum claude neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae,
Et te saepe vocanti
Duram difficilis mane.

sint novissimi *ludorum magistri* Germani, incredibile est. Scilicet prorsus ignari sunt vitae, quam vivunt meridionales populi nobis multo et ardentiores et licentiosiores.

25–28. *Quamvis*] Hic nullus, quod sciam, Codex *Quamquam*, contra Od. 3, 9, 21. Codex meus S et Pottierii 2. 4. 5. 6. 8. 15. *Quamvis* pro *Quamquam*. Cfr. Lübker ad h. l. — *flectere equum*] Equitandi in Campo Martio et per Tiberim natandi artibus adolescentes puellis ad amorem pronis sese commendabant; similiter Od. 1, 8, 6. Od. 3, 12, 7. Ceterum ad v. *flectere* cfr. Ovid. Her. 4, 79: *Sive ferocis equi luctantia colla recurvas, Exiguo flexos miror in orbe pedes.* Id. A. A. 3, 384: *in gyros ire coactus equus.* Tacit. Germ. 6: *Nec equi variare gyros in morem nostrum docentur.* — *Aeque*] Quo immoretur huic notioni lector, consulto bis ponitur, et quidem initio et fine versus. — *citus*] De hoc v. docte ad h. l. disputat Lübker pag. 447., ne quid te, benigne lector, celemus: *celerem* esse, *der das innerlich die Kraft der Bewegung Habende, die Schnelligkeit in sich tragende, citum* contra *ein durch eine schnelle Bewegung Hervorgebrachtes, rasch Entstandenes.* Hoc loco sane *citus* eum significat, qui proprio vigore impulsus *celeriter* denatat alveo. — *Tusco - alveo*] Od. 1, 2, 13: *Tiberim - Litore Etrusco.*

29. 30. *Prima nocte*] Ovid. Am. 2, 19, 38: *Incipe iam prima claudere nocte forem.* — *in vias* cet.] «Neve per fenestras in plateam deorsum oculos coniice propter Enipeum suaves querimonias tibiae cantu exprimentem.» *Παραχλαυσίθυρον* eiusmodi cantum vocabant Graeci. Cfr. Dissen ad Tibull. I. pag. LXXI. — *neque - - despice*] De hoc imperativi usu post *neque* consule Hand Turs. IV. p. 120. — *querulae - tibiae*] Flebilem tibiae cantum Pind. Pyth. 12, 7. *Γοργόνων οὔλιον ϑρῆνον* nominat.

32. *Duram* cet.] *Dura* est, «quae omni amoris sensu caret»; *difficilis* h. l. «quae propter fidem alii promissam ab alio amatore corrumpi se non sinit.» Est ergo: «Inexorabilis mane et introitum ei denegato.» — Propter summum leporem atque egregiam evidentiam, etsi tota scena ac tres personae a poëta fictae sunt, praestantissimis Horatii carminibus certe hoc est adnumerandum.

CARMEN VIII.

Martiis caelebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Caespite vivo,

VIII. Inscr. volg. *Ad Maecenatem*, et sic BbSTc. — 1. *Kalendis* BbS,t: *Calendis* Tc, L, Bentl., FMJ. — 2. *turis* T. — 3. *in* om. Bc. (Habent bST.)

VIII. Maecenatem ad diem festum Kalendarum Martiarum secum celebrandum invitat Horatius, vel etiam invitare se tantummodo fingit, id quod mihi quidem veri similius videtur. Scena carminis ita est comparata, quasi Maecenatem iamiam epulis excipiat, mirantem, cur caelebs amicus hoc modo Matronalia celebret. De compositionis tempore consule Lachmannum in Excursu.

1. *Martiis-Kalendis*] De Matronalibus in honorem Iunonis Lucinae celebratis cfr. Ovid. Fast. 3, 233 sq. Pseudotib. 3, 1, 1: *Martis Romani festae venere Kalendae (Exoriens nostris hic fuit annus avis), Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa Perque vias urbis munera* (strenae) *perque domos.* Iuven. 9, 53. vocat *femineas Kalendas.* Martialis ad Gallam 5, 84, 9: *Scis certe, puto, vestra iam venire Saturnalia, Martias Kalendas.* Macrob. Sat. 1, 12: *Et servis coenas apponebant matronae.* Celebratas esse usque ad a. 553. sub Iustiniano, tunc interdictas cum aliis gentilium sollemnibus, annotavit Preller Philol. I. p. 351. ex Photii Synt. Can. T. 13. C. 21. («Matronalia dicebantur eo, quod mariti pro conservatione coniugii supplicabant.» Comm. Cruq.) — *caelebs*] «Cum tu, docte amice, probe calleas ritus atque caerimonias Romanas, fortasse miraberis, cur ego, caelibum cum nullae in Matronalibus sint partes, quippe quae ad matronas dumtaxat et maritos pertineant, ea nihilominus ita celebrem? Verum, etsi ego pro coniugis conservatione vota suscipere remque divinam facere nequeo, propter aliam tamen causam hoc sollemne obeo.»

2-4. *flores*] serta et coronae. Ovid. Fast. 3, 253. Mars de matre sua, Iunone Lucina, ita matronas alloquitur: *Ferte deae flores; gaudet florentibus herbis Haec dea: de tenero cingite flore caput.* — *acerra*] θυμιατήριον, λιβανωτρίς, arca thuraria, non thuribulum. Veram acerrae formam monstrat *Mus. Borb.* IX. T. 56. — *thuris*] De scriptura vid. ad Od. 1, 19, 14. — *Caespite vivo*] quo aram temporariam exstruxerat. Apul. Met. 7, 10: *aram caespite virenti Marti deo faciunt.* Cf. Od. 1, 19, 13. Calp. Ecl. 5, 25: *caespite vivo Pone focum.*

5. *Docte sermones*] Exigua sane laus foret, si hoc tantum diceret: «Tu, qui optime et Graece et Latine scis»; quae tunc erat omnium hominum non prorsus rudium scientia. Verum hoc dicit non sine

Docte sermones utriusque linguae? 5
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice dimovebit 10
Amphorae fumum bibere institutae

5. *sermonis* BbSc,Ct. (non T.) — 6. *dulcis* BT. — 10. *dimovebit* BbSTc,LCt et Bentleius: *demovebit* FM. (Ut nos, J.)

ioco et festiva quadem ironia: «Tu, qui optime calles litteras et Graecas et Latinas, ac propterea versatus es etiam in scientia cultus deorum et caerimoniarum cuique diei festo et hominum generi convenientium.» *Doctum* amicum appellat etiam Epp. 1, 19, 1. (Seneca Ep. 19. p. 82. Fick. memorat Maecenatis librum, *qui Prometheus inscribitur*, in quo sane Graecam φιλολογίαν expromere debebat.) — *utriusque linguae*] Alias linguas cum tamquam barbaras aspernarentur Romani, saepe ita loquebantur, ac si duae dumtaxat hominum essent linguae. Cic. de Off. 1, 1, 1: *ut par sis in utriusque orationis facultate.* Plin. H. N. 12, 1: *platanus una insignis utriusque linguae monumentis.* Stat. Silv. 5, 3, 90: *et gemina planget facundia lingua.* Etiam apud nostrates *in beiden Sprachen* idem significat quod «et Germanice et Gallice.»

6. 7. *album--caprum*] Diis superis albae hostiae immolabantur, inferis nigrae. Caper autem, quia vites depascitur, Baccho mactabatur. Virg. Ge. 2, 380. Euenus in Anthol. Pal. II. p. 27. vitis capro: Κῆν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ.

7. 8. *funeratus*] *funerare* Valerio Max. 1, 6, 6. 4, 4, 2. 4, 6, 3. Plinio 33, 10., Suetonio Domit. 17. est *sepelire*, Horatio *necare, exstinguere.* — *Arboris ictu*] Cfr. Od. 2, 13. Conservationem suam Od. 2, 17, 27. tribuit Fauno, hic, ut poëtae licebat, Libero, poëtarum custodi.

9. 10. *anno redeunte*] in se, περιπλομένου ἐνιαυτοῦ. Corn. Nep. Ages. 4: *anno vertente.* Franke F. H. p. 258: *Dieser nach einem Jahre mir wiederkehrende festliche Tag.* Contra Lübker: *Dieser im (in jedem) wiederkehrenden Jahre festliche Tag.* «Hoc anniversarium sollemne celebro.» — *Corticem*] Cato de R. R. 120: *In amphoram mustum indito et corticem* (suberis) *oppicato.* Archiloch. Fr. Bergk 4: κοίλων πώματ' ἄφελκε χάδων. — *dimovebit*] Haec lectio non solum propter Codd. auctoritatem, sed etiam per se spectata propter vv. *adstrictum pice* aptior est altera *demovebit.* Cfr. Lübker p. 18.

11. 12. *fumum bibere*] Colum. 1, 6, 20: *Apothecae recte superponentur iis locis, unde plerumque fumus exoritur; quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.* Ovid. Fast. 5, 518: *Promit fumoso condita vina cado.* — *institutae*] «quae

Consule Tullo.

Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis centum et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.

15. *Profer* T, *κν*. (Ut nos, BbSc et ceteri Bentleii.).

fumum bibere didicit.» — *Tullo*] Duo huius nominis consules fuerunt: L. Volcatius Tullus cum M'. Aemilio Lepido a. u. c. 688. (anno ante natum Horatium) et L. Volcatius L. F. Tullus cum Caesare Octaviano II. a. u. c. 721. Plerique interpretes ad priorem referunt; tum fuisset vinum XLVI. annorum; idque omnino probabilius, vinum tam vetustum destinatum esse amico. Cfr. Od. 3, 21, 1. Quid, quod Martialis 8, 45, 3: *Defluat et lento splendescat turbida lino Amphora centeno consule facta minor.*?

13. *Sume*] Non «domi tuae, me domi meae potaturo,» ut volunt nonnulli; sed haec vv. vix aliter quam de invitatione seu vera sive ficta intelligi possunt. — *cyathos - centum*] Hic quoque, ut Od. 3, 19, 12. proprie mensurae (duodecimae sextarii partis) est nomen. Sed dicitur de poculis tantumdem vini capientibus. Neutiquam vero, ut aiunt, est vasculum, quo in cochlearis fere formam efficto vinum in grandiora pocula infundebatur. Hoc enim vas vel *epichysis* vel *trulla vinaria* nominabatur. Varro LL. 5, 25 et 26. «Verbo usus est convivarum: *Centum Cyathos!*» Acron. Antiphanes ap. Athen. 10, c. 21: *Τὸ ποτήριόν μοι τὸ μέγα προσφέρει λαβών. Ἐπεχεάμην ἄκρατον, οὐχὶ παιδίον, Κνάθους θεῶν τε καὶ θεαινῶν μυρίους.* *Cyathos* autem *amici Sospitis*, «qui propter amicum sospitem ebibantur», ut Od. 3, 19, 9. Theocr. 2, 151: *τόσον οὔνεκ' ἔρωτος Ἀκράτῳ ἐπεχεῖτο.* Item 14, 18: *ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον Ὥτινος ἤθελ' ἕκαστος· ἔδει μόνον ὥτινος εἰπῆν.* Meleager in Anth. Pal. I. p. 122: *Ἔγχει τᾶς Πειθοῦς καὶ Κύπριδος Ἡλιοδώρας.* — *Centum* autem numerus infinitus apud poëtas. Virg. Ge. 3, 18: *Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.* Gratius Cyneg. 520: *Centum actus spatiis.*

15. *Perfer*] Ut dicimus, *vigilias perferre*, sic h. l. *lucernas*. «Sine, ut perducatur s. continuetur convivium usque ad primam lucem et nobiscum mane, donec finitum sit.» Alii Codd. *profer*; sed hoc non satis *κύριον*, cum *profer in lucem* significaret potius vel «in apertum profer», vel ineptius etiam «differ in lucem.» V. Forcellinum in *proferre* sign. «differre, prorogare.» Firmat *perferre* etiam consuetudo Ciceroniana de Finn. 3, 22, 76. *beatam vitam usque ad - - rogum pertulisset*, alii male *protulisset*; ad Fam. 9, 20, 1: *usque ad assum vitulinum opera perducitur*. Simplici usus est Virg. Aen. 9, 338: (si ludum) *in lucem tulisset*. — Minime autem cum nonnullis iungendum *perfer vigiles*, «fac, ut vigiles sint;» sed: *perfer lucernas*, quae totam per noctem vivido lumine ardebunt, nunquam exstinguentur; ut *vigil ignis* apud Virgilium Aen. 4, 200., *vigiles flammas Vestae* Ovid. A. A. 3, 463. (Opponitur Heroid.

Mitte civiles super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis,

17. *civilis* B. — 18. «Torrentius memorat multo plures et meliores ex suis habere *Cotisontis*, quod vix credibile est.» BENTL. — 19. *infestis sibi luctuosis* (sic) T, *infestis sibi luctuosus* cum Cod. Galeano (nobis ξ) N. Heinsii coni. firmante Bentleius.

19, 195: *iam dormitante lucerna.)* Sic enim malo interpretari quam cum Forcellino: «ad quas vigilatur;» etsi hoc ipsum ex earum per noctem continuato ardore consequitur.

16. *Clamor et ira*] «inter nos, utpote die festo, quem in honorem deum celebratum talia profanant, quemque potantes per summam quietem transigemus.» Horatius amico quasi spondet afore ab hac compotatione altercationes et iurgia, quae inter bene potos nasci solent. Quod promissum cum abhorreat a nostris moribus, alii aliter interpretati sunt accommodatius ad haec tempora, sed parum convenienter ad poëtae verba: 1) «Nos non curabimus bella et pugnas nec sermocinabimur inter vina de strepitu et furore pugnantium.» 2) «Ne clientes tui, quorum mens est in querelis ac litibus suis, hoc geniali die te occupatum teneant mihique denegent.» (Sic Medenbach Wakker et Lübker.)

17. *super urbe*] quoniam praepositus urbi erat, absente et occupato in Oriente Augusto. Tacit. Ann. 6, 11: *Augustus bellis civilibus* (etiam postea, ubi procul aberat ab urbe) *Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit.* — Praep. *super* sic iam apud Plaut. Bacch. 162: *Quid factitasti mandatis super?* Cic. ad Att. 14, 22: *super legatione.* — *civiles* autem *curae* referuntur ad res intestinas, «domi» administrandas; militaribus providebat Augustus cum Agrippa.

18. *Occidit* cet.] «Nam omnia, quae ad rem publicam pertinent, iam laeta sunt et fausta Romanis.» — *Daci*] Daci, qui fines Romanos continuis incursionibus populabantur duce rege ipsorum *Cotisone*, Antonio contra Octavianum operam suam polliciti, parum tamen auxilio fuerunt, post a M. Crasso a. u. 724. (Dio 51, 23, 25.) iterumque a Lentulo, incertum quo anno, repressi. Hoc loco sane cogitandum de Crassi victoria. Franke F. H. p. 155. et 158. Weber *Horaz* p. 240., qui Cn. Lentuli expeditionem refert ad a. 736. Estré Hor. Pr. p. 228. Suet. Oct. 21. Flor. 4, 12, 19. Getarum regem Cotisonem vocat Sueton. Oct. 63. Etenim: *alias Getae, Daci Romanis dicti.* Plin. H. N. 4, 25. — *Cotisonis*] Hac forma, non *Cotisontis* (Codd.? Torrentii), utitur etiam Suet. Oct. l. l.: *Primum eum* (Octavianum) *Antonio filio suo* (s. Antyllo) *despondisse Iuliam, dein Cotisoni, Getarum regi.* Florus l. l.: *Daci montibus inhaerent, Cotisonis regis imperio.* BENTL.

19. *Medus*] «Parthi, sempiterni imperii Romani hostes, inter Phraatis regis et Tiridatis exsulis partes intestinis nunc discordiis agitantur, adeo ut armis, quae contrariae factiones sumpserunt, sibimet ipsi clades illaturi sint.» Scilicet Tiridates, qui contra Phraatem insur-

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Neglegens, ne qua populus laboret,

rexerat, victus in Syriam ad Caesarem profugit, ab eoque veniam impetravit, ut ibi remaneret. Cfr. Dio 54, 18. Iustinus 42, 5., qui omnino inspiciendi sunt. — «*Infestus* alias Romanis, nunc *sibi* ipsi *luctuosis* cet.»; neutiquam vero iungendum aut *infestus sibi* aut *sibi dissidet*; sic enim v. *luctuosis* otiosum fit ἐπίθετον, omnia cum arma luctum generent; supervacaneum etiam est *sibi* iunctum cum v. *dissidet*. In altera lectione, cui tamen obstat optimorum Codd. auctoritas, *Medus infestis sibi luctuosus Dissidet armis, Medus luctuosus* dictum esset ut Od. 3, 6, 8. *Hesperia luctuosa*; *infestis* autem *armis*, etsi exempla suppetunt (v. Bentl.), tamen prae nostra lectione friget, qua Parthum perpetuum nominis Romani hostem esse poëta significat. [Digna, quae examinetur, Dillenburgeri est ratio, qui duplicem hic quoque statuit constructionem: *infestus sibi*, et *sibi luctuosis*. Mecum facit Lübker. Quodsi vero duplex est constructio, praestat haec: *sibi luctuosis* et *dissidet sibi*, «inter se», ut Od. 2, 2, 18: *Dissidens plebi - virtus*. Voc. contra *sibi* cum v. *infestus* iungi non posse demonstrat ipsa versus caesura.

21. 22. *vetus hostis*] Liv. 28, 12: Hispania *prima Romanis inita provinciarum, quae quidem continentis sunt, postrema omnium, nostra demum aetate, ductu auspicioque Augusti Caesaris perdomita est.* — *Cantaber*] Cantabri in Hispania septentrionali domiti a. u. c. 734. Dio 53, 25. Cfr. Od. 2, 6, 2: *Cantabrum indoctum iuga ferre nostra*. Od. 4, 14, 41: *Te* (Auguste) *Cantaber non ante domabilis - - Miratur*. Epp. 1, 12, 26: *Cantaber Agrippae - virtute - cecidit*.

23. 24. *Scythae*] iidem, quos κουρωτέρους *Gelonos* vocat Od. 2, 9, 23. Flor. 4, 12, 20: *Sarmatae patentibus campis inequitant; et hos per - Lentulum prohibere Danubio satis fuit*. (Cfr. de h. l. Unger V. R. p. 356. et 361.) — *laxo*] «remisso, incursionibus in fines Romanos iam renuntiaturi.» Virg. Aen. 11, 874: *Sed laxos referunt humeris languentibus arcus. — meditantur - Cedere*] in pr. orat.: «iam inibi sunt, ut se recipiant inde, quo temere erant progressi.» *Meditari* cum infinitivo etiam Sat. 2, 3, 263: *an - mediter finire labores?* Rutilius Lup. 1, 1: *nos - - vinci meditamur*.

25. *Neglegens*] «Securus, non timens.» Schol. «Hoc saltem die omitte aliquantisper assiduas tuas pro populi salute curas nolique nimis sollicitus esse de novis periculis rei publicae fortasse imminentibus.» Scite Maecenatem, dum eum ad omnes curas publicas omittendas exhortatur, laudat tamquam eum, qui huiuscemodi curis semper distentus sapientissima consilia praebere soleat Augusto. — *ne qua*] «ne qualicunque in re ullo modo cet.»

26. *Parce*] apud poëtas idem

Parce privatus nimium cavere:
Dona praesentis cape laetus horae et
Linque severa.

26. *cavere et* BbSTc, Ct. — 27. *rape* $\beta\chi\omega$, var. lect. ι, septem Pottierii Codd., LCt. (Ut nos, Cruquii plerique, nostri et ceteri Bentleii.) — 27. 28. *horae Linque* BbSTc, Codd. Bentleii, *horae ac Linque* Cod. Pottierii primus, Aldinae, Ct. (*et* inseruit Bentleius coni., FMJ.)

quod «noli». Virg. Aen. 3, 42: *Parce pias scelerare manus.* — *privatus*] «Cum sis privatus.» Vellei. 2, 88: Maecenas *non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus, quippe vixit angusti clavi fine contentus.* Quamvis igitur a. u. c. 725. praepositus urbi fuerit vel potius huiusmodi officio functus sit, praefecti nomen non gerens (Hoeck *Röm. Gesch.* I. p. 342.), semper intra equestrem dignitatem constitit, ita ut magistratibus nunquam gestis iure *privatus* dici posset. Atque omnino initio certe, etsi negat Bentleius, praefectura urbis officium erat a principe mandatum, non, ut posterioribus imperii temporibus, magistratus*). (Neque vero *imperium* (militare) unquam habuit Maecenas, ut contendit Lübker.)

27. *Dona - cape*] «Codd. aliquot habent *rape*, atque hoc post Lambinum avide rapuerunt Interpretes, et ex eo alius post alium ad nauseam usque ingerunt Ciceronis illud ex Ennio, de Orat. 3, 40: *Vive, Ulixes, dum licet; Oculis postremum lumen radiatum rape! non dixit cape, non pete; haberet enim moram sperantis diutius esse se victurum: sed rape. Hoc verbum est ad id aptatum.*» Verum h. l. «ex adiuncto illo *dona* perspicue videmus retinendum hic esse *cape*. Quid enim opus est, ut ea quae *donata sunt, rapere* velimus? Rapiamus, si fas est, negata aut fugientia: quae oblata praesto sunt, capiamus et sumamus.» BENTL.

28. *Linque severa*] «Remisso animo Genio indulge.»

EXCURSUS

AD C. VIII.

LACHMANNUS in Epistola ad Frankium p. 240. comiter illum refutans (Fast. Horat. p. 458.): «Octavum carmen libri tertii, quod ego Kalendis Martiis anni 725. scriptum statuo, tu anno 729. Mihi, ut ita statuam, sufficit liber Cassii Dionis primus et quinquagesimus, in quo omnia, quae Horatius hoc carmine attingit, ex ordine perscripta sunt:

*) Nomen utique, non rem, desumpsit Augustus a praefecto urbi feriarum Latinarum causa.

commissa Maecenati post pugnam Actiacam Italiae et urbis Romanae cura, initio a. 725. recitatae in senatu de Tiridate et Phraate litterae, Cantabri a Statilio Tauro devicti, Daci et Bastarnae Scythae a M. Crasso fugati. Unum te, quo minus assentiare, vocabulum remoratur, quod poëta Cantabrum sera catena domitum dicit. Sed cur eos non dicat iam dudum debuisse populo Romano servitutem? num Livius aliter 28, 12.? Num aliter de Parthis non modo sed Indis Propertius 3, 4, 5: *Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis.*?» (Plerique olim referebant ad a. u. c. 734.)

Recte Hoeck l. l.: *Maecenas war keineswegs öffentlich bestellter und anerkannter Stadtpräfect — mit Unrecht hat man diess aus* Vell. 2, 88. *geschlossen, denn diese Magistratur wurde erst später eingesetzt — und eben so wenig floss, was Agrippa that, aus der Machtfülle irgend eines öffentlichen Amtes.*

CARMEN IX.

Donec gratus eram tibi
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici iuvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior.

Donec non alia magis
Arsisti neque erat Lydia post Chloën,
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

IX. Inscr. volg. *Carmen amoebaeum* vel *ad Lydiam.* — *Ad Lydiam meretricem* BSTc. — Om. b. — 5. *aliam* c,γκξ, quinque Pottierii, Bentl.

IX. Reconciliatio gratiae inter poëtam et amicam. *Amantium irae amoris integratio*, Terent. Andr. 3, 3, 23. Semel hac dialogi forma usus est, bucolica illa carmina *ἀμοιβαῖα* lyricae poësi adaptans. Differentia tamen haec est per se necessaria, ut hic nemo sedeat iudex praemium victori decreturus. Similis formae est Catulli Epithalamium c. 62. — Continuas in Lydiae responsis *αὐξήσεις* facile quisque per se sentiet. Haec autem carminis amoebaei veluti lex erat, ut, qui responderet, similibus sententiis atque imaginibus, sed maiore cum vi atque arte expressis alterum vincere conaretur. (Quo tempore compositum sit, ignoramus.)

2. 3. *potior*] «rivalis meus, quem tu pluris faciebas.» Epod. 15, 13: *Non feret* (Flaccus) *assiduas potiori te dare noctes.* — *dabat*] in pr. orat. *circumdabat.*

4. *Persarum - rege*] Est veluti proverbium. Hybrias in Scolio p. 877. Bergk: *Πάντες γόνυ πεπτηῶτες ἀμὸν - - προσκυνεῦντί με δεσπόταν Καὶ μέγαν βασιλέα φωνέοντες.*

5. 6. *alia - arsisti*] Dicitur *ardere* et *aliquo* et *aliquem.* Epod. 14, 9: *Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta.* Od. 4, 9, 13: *Non sola comptos arsit adulteri Crines.* Illud usitatius ac proinde huic simplicissimo carmini aptius. Firmant etiam potiores Codices. *Aliam* ortum est ex geminatione sequentis litterae. — *erat - post Chloën*] «posthabebatur Chloae.»

7. 8. *nominis*] Imperitissime nuper nonnemo post hoc voc. distinxit, ut esset: «multi nominis apud te eram, (et) vigui» cet. — *Romana*] «Ego (libertina) clarior fui Ilia sive Rea Silvia, Romuli matre, *regina* illa *sacerdote* (Virg. Aen. 1, 273.) Romanarum nobilissima.» Sine causa nonnulli offenderunt in v. *Ro-*

Me nunc Thressa Chloë regit,
  Dulces docta modos et citharae sciens,
Pro qua non metuam mori,
  Si parcent animae fata superstiti.

Me torret face mutua
  Thurini Calaïs filius Ornyti,
Pro quo bis patiar mori,
  Si parcent puero fata superstiti.

9. *Thraessa* B, *Cressa* μ, Ed. Locheri. — *riget* $\gamma\iota$, pr. β. — 10. *Dulcis* T. — 14. *Ornithi* LCt cum Aldo. (Ut nos, BbSTc.)

mana pro ea, quae proprie *Albana* erat; sic etiam Ovidio Fast. 3, 9. est *Romana sacerdos*, ubi frustra Heinsius *Troiana*, Krebsius *regina*.

9. 10. *Thressa*] Alii: *Me nunc Cressa Chloë*, durissimo sono propter litt. *c, c, ch.* — *modos*] *μέλη*. — *citharae sciens*] Od. 1, 15, 24: *sciens Pugnae*. Alexand. Aetol. in Anal. Br. I. pag. 449: *Ἀλλ' ὅ γε πευθόμενος πάγχυ Γραικοῖσι μελέσθαι Τιμόθεον, κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων*.

12 - 14. *animae*] «vitae puellae amatissimae, quae mihi, precor, superstes sit.» — *face mutua*] «Ego amore in Calain incensa feror eiusque mutuum amorem experior.» — *Thurium*, oppidum Lucaniae, olim Sybaris, incolarum mollitie notum. (Differre a Thurio coloniam Romanam Copiam, in agrum Thurinum deductam, demonstratum ivit Millingen in *Numismatique de l'anc. Italie* p. 228.) *Thurinus* opponitur *Thressae* illi v. 9. — *Calais*] Delegit nomina poëtica et sonora: *Calais*, uti appellabatur Boreae filius, et *Ornytus* Apollon. Rhod. 2, 65. Virg. Aen. 11, 677. Plutarch. Thes. 8. («In hominum et locorum appellationibus grato sono et mensurae versibus accommodatae plurimum dedisse Propertium patet.» Hertzberg Propert. I. p. 163. Idem cum iamdudum aliquoties significassem in fictis Horatii nominibus, riserunt me homines nonnulli scholastici, auribus carentes.)

15 - 18. *bis patiar mori*] Eurip. Orest. 1116: *Καὶ μὴν τόδ' ἔρξας ὡς θανεῖν οὐ χάζομαι*. Plato Apol. 30. C.: *οὐδ' εἰ μέλλω πολλάκις τεθνάναι*. — *prisca*] Raro usu pro *pristino*, quocum voc. illud cognatum est. «Nonne satius sit, si pristinus amor redeat nosque nunc discidio diiunctos nova concordia velut firmissimo iugo copulet?» — *Diductos*] *Deductos* etiamsi habet Codex antiquiss. B, tamen tam perversam lectionem probare non debebat Hauthal ad Pers. I. pag. 190. — *iugo - aëneo*] Cf. Od. 1, 33, 11: *iuga aënea*.

19. *excutitur*] «oneris instar de mente mea pellitur, adeo ut eius prorsus obliviscar.» Imago petita videtur ab equo vectorem excutiente, deiiciente, nec de iugo accipiendum: qui enim uno iugo iuncti sunt tauri, alterum alter excutere nequit. Aliter interpretatur Bentleius ad Od. 3, 15, 9: «Si Chloë e domo eiicitur; ut Terent. Eun. 2, 3, 67: *Homo quatietur certe*

Quid, si prisca redit Venus
  Diductosque iugo cogit aëneo,
Si flava excutitur Chloë
  Reiectaeque patet ianua Lydiae?
Quamquam sidere pulchrior
  Ille est, tu levior cortice et improbo
Iracundior Hadria,
  Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

18. *Deductosque* B. (Ceteri mei *Diductosque*, etiam d.) — 19. *excluditur* Oberlini B. — 20. *Deiectaeque* d. — 21. *Quamvis* S et Pottierii sex. (Ut nos, BbTd.) — 23. *Adria* d, C.

cum dono foras.» Sed v. *excutere* non addito v. «domo» vel «ostio» hoc significare non potest, nisi forte e versu seq. suppleas «ianua.»

20. *Reiectaeque*] «Si *Lydiae* (dativ.), quam per aliquod tempus *reieci*, exclusi domo mea atque aspernatus sum, rursus patet ianua mea.» Nimirum eiusmodi ἑταῖραι ab amatoribus invitabantur in domos ac villas, Od. 2, 11, 21.; etiam ultro eas interdum ad amatores venisse cuinam improbabile videbitur? Alii minus recte construunt: «*si ianua Lydiae reiectae* (genitiv. «a me neglectae») *patet* mihi.» Sed quid ipse facturus sit ad Lydiae gratiam recuperandam, non quid ab ea postulet, his vv. exponit.

21. *Quamquam*] *Quamvis* praeter meum S. etiam Pottierii 2. 4. 5. 6. 8. 15., id quod probat Lübker pag. 415. — *sidere pulchrior*] Iliad. ζ, 401: Astyanax ἀλίγκιος ἀστέρι καλῷ. Virg. Aen. 8, 589. de Pallante: *Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda --- Extulit os sacrum.*

22. 23. *levior cortice*] «subere». Proverbii speciem habet, ut fere illud Cic. ad Att. 8, 15, 2: *consules - ipsi pluma aut folio facilius moventur.* — *improbo*] *tobend.* Improbum apud poëtas omne quod modum excedit. Virg. Ge. 1, 146: *labor -- Improbus.* Ibid. 388: *cornix -- improba.* Aen. 11, 767: *quatit improbus hastam, rastlos.* 12, 687: *Fertur in abruptum magno mons improbus actu,* magno concitatus impetu. Ovid. Trist. 1, 11, 11: *Improba - hiems*, id est, «vehementissima procella.» Martial. 1, 105, 2: *improbae tigres*, ferae ac rabidae. H. l. «nimios fluctus volvente, ac turbido» ut Od. 1, 33, 14: *Myrtale - fretis acrior Hadriae.* Od. 3, 27, 19. — *Iracundior*] Poëta de se Epp. 1, 20, 25: *Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.*

CARMEN X.

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro, me tamen asperas
Porrectum ante fores obiicere incolis
Plorares Aquilonibus.

X. Inscr. volg. *Ad Lycen*, et sic Codd. mei. — 2. *asperas* om. T. — 3. *Proiectum* Bentl. coni. — *obicere* Bd.

X. Est quodammodo *παρακλαυσίθυρον*, non tamen iustum, (ut apud Aristoph. Eccles. 960. adolescentis illud: *Δεῦρο δὴ δεῦρο δή, Καὶ σύ μοι καταδραμοῦ · || σα τὴν θύραν ἄνοιξον Τήνδ' · εἰ δὲ μή, κἀταπεσὼν κείσομαι.*) nec sine ironia quadam iunctâ minis se neutiquam semper Lyces fastum toleraturum esse. Tota scena videtur ficta. (Tempus autem, quo compositum sit, prorsus incertum est.)

1. 2. *Tanain*] «amnem illum Scythiae a Roma longissime remotum si biberes»; ut Od. 2, 20, 20: *Rhodanique potor*; 4, 15, 21: *qui profundum Danubium bibunt*; «si vel Scythissa esses.» — *Saevo*] *ὑποθετικῶς* haec accipienda: «si inter Scythas habitares ibique, ut sunt illi, feroci nupta esses viro.» — *asperas*] «semper me excludentes.» Epod. 11, 22: *Limina dura.*

3. 4. *Porrectum*] «longe extentum humique stratum.» Cfr. Epod. 10, 22. Sat. 2, 3, 112. His tribus locis Bentleium volgare v. *proiectum* substituisse dolendum est. Theocr. 3, 52: *οὐχ ἕτ' ἀείδω, Κεισεῦμαι δὲ πεσών.* Aristaenetus 1, 20: *χαμαιπετεῖς κοιμήσεις ἐπὶ θύρας ποιεῖσθαι.* — *Plorares*] «Miserereris tamen me pati frigus Aquilonum, qui in Scythia veluti domicilium suum habent.»

5. 6. *nemus*] viridarium (cuius genus nemus volgo *silvam* vocabant) in domus impluvio plantatum. Epp. 1, 10, 22: *Nempe inter varias nutritur silva columnas.* Pseudotib. 3, 3, 15: *Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.* Tales silvas interdum etiam in tectis habebant; Seneca Ep. 122: *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt, quorum silvae in tectis domorum ac fastigiis nutant?* Est igitur: «Quo strepitu silva domus tuae resonet propter ventos?» — *satum*, consitum, longe praestat volgari *situm*, ut recte iudicavit etiam Heinsius Adversar. p. 298.

7. 8. *Ventis* ablat., non, ut nonnulli volunt, dativus. Cfr. Virg. Aen. 12, 722: *gemitu, nemus omne remugit.* — Ad seqq. ex v. *audis* per zeugma elice: «sentis?» Huiusmodi zeugmatum illustre exemplum est Hom. Hymn. Apoll. 264: *εἰσοράασθαι Ἅρματά τ' εὐκοίητα καὶ ὠκυπόδων κτύπον ἵππων.* Hanc figuram reiiciens Bentleius ac sententiam magis volgarem praeferens *Sentis et* dedit ex Od. 3, 28, 5: *Inclinare meridiem Sentis.* — *positas ut glaciet nives*] «ut nix, quae caelo lapsa est superioribus diebus at-

Audis quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nives
Puro numine Iuppiter?

Ingratam Veneri pone superbiam,
Ne currente retro funis eat rota.

6. *situm* cd et corr. bS, item (quattuor tamen exceptis) Codd. Pottierii. (Ut nos, BT,$\gamma\xi\iota$ et corr. β, Bland. tres.) — 6. 7. *remugiat? Sentis et* Bentleius coni. — 8. *Duro* Bentleius coni. — 10. *Nec* b. — *rota funis eat rota* $\mu\xi$, Bentl. (Ut nos, nostri et Pottierii omnes.)

que humum contegit, nunc caelo sudo et sereno in glaciem convertatur.» Serenis autem noctibus glacies facilius concrescere solet quam nubilosis. — *Puro numine Iuppiter*] Cum caelum ipsum *Iuppiter* dicatur, (ut Od. 1, 1, 25: *manet sub Iove frigido*. Od. 1, 22, 20. Epod. 13, 2.), dicere etiam poterat: «ut *puro* suo *numine* (nutu ac potentia) conglaciet nives.» «Neutiquam *numen* h. l. significat Iovis imaginem formamque, sed eam potentiae manifestationem, quae caeli serenitatem efficit, et quae eam ob causam ipsa *pura* appellatur.» Iahn ad Virg. Aen. 1, 8. Bentleii *duro*, nemini, quod sciam, probatum, sententiae vim atque evidentiam imminuit.

9. *Ingratam*] Agathias Anth. Pal. I. p. 474: *Κύπρις γὰρ τὰ μὲν ἄλλα παλίγκοτος· ἓν δέ τι καλὸν Ἕλλαχεν, ἐχθαίρειν τὰς σοβαρευομένας.*

10. *Ne currente* cet.] Construo: «*ne retro currente rota* etiam *funis eat* retro»; ita ut *retro* ad utrumque verbum pertineat: nam simpliciter *funem ire*, pro *retro ire* vix dicere poterat. Cum pondus qualecunque fune super rotam apto in altum attollitur, interdum accidit, ut rupto fune vel ex opificis manibus elapso machinae manubrio, rota una cum fune retro agatur vi ponderis, quod in praeceps descendit; sic in puteum sitella aquae plena vel lapidis moles in solum decidit. Ita omnis labor frustra insumitur et saepe pondus illud, quod rursum tollebatur, comminuitur vel ipsa machina frangitur. Proverbium erat hoc Graecorum; Aristid. Panath. pag. 118. Iebb.: *ἐντεῦθεν ἤδη πάντα, ὥσπερ κάλου ῥαγέντος, ἐχώρησεν ὀπίσω καὶ διελέλυτο Ἁμαξόσιν ἡ ἀρχή.* Lucian. Dial. Meretr. 3. extr.: *Σὺ δὲ πάνυ καλεπὴ ἀεὶ τῷ ἀνθρώπῳ γεγένησαι, καὶ ὅρα, μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποῤῥήξωμεν πάνυ τείνασαι τὸ καλώδιον.* Adagii sententia igitur haec est: «ne et omnis opera a te insumpta in ludificandis amantibus in cassum suscipiatur et tu ipsa poenas superbiae tuae luas.» (Nuper quidam probavit Schol. Cod. V. Vanderburgii: «Potest esse tractum a ludis puerorum, qui rotula quadam ludunt, trahentes ad se vel corrigia vel filo, quod relaxata manu a retro volvente rota retrahitur.» Sed huic explicationi ante omnia obstat v. *funis*, quo in hoc ludo etiam apud nos notissimo pueri non magis Horatii temporibus uti poterant, quam nunc possunt.)

Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

O quamvis neque te munera nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat, supplicibus tuis

Parcas, nec rigida mollior aesculo
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Caelestis patiens latus.

15. *paelice* B, *pelice* bSTcd. — 18. *animo* bTc. (non BSd.) «Ex omnibus nostris unicus Graevianus *(β)* agnoscit *animum*.» Bentl. — 19. *Non*] *Nec* T solus inter meos.

11. 12. *Penelopen* cet.] «quae iure suo *difficilis*, aspera erat procis eosque non sine contemptu a se removebat. Tu vero tenui es orta loco, filia Etrusci alicuius advenae;» cuiusmodi homines inter alia quaesticuli genera exercebant haruspicinam clandestinam, hariolos agebant cet. Praeterea Etrusci propter vitae mollitiem ac luxuriam famosi erant. Cfr. Athen. 12, 14. Originem dumtaxat Lyces extenuat, neque aliud inest probrum. Ceterum ita de ea loquitur, tamquam si diviti libertino nupta esset, maxime propter *nemus* illud v. 6. (Singularis Penelopae anseres pascentis imago est in Gerhard *Gef. u. Trinksch.* T. XIII.)

14. *tinctus viola*] «colore violae, λευκοΐον lutei vel albi.» Achilles Tat. 3. p. 64. Iacobs: οὔτε τὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἄνθος ἐστὶν ἀμέριμνον, ἀλλ' ἔοικε τοῖς ἄρτι μαραινομένοις ἴοις. Egregie imitatus est Petrarca *Son.* I. 187: *Un pallor di viola e d'amor tinto.* Cfr. Voss. ad Virg. Ecl. 2, 47: *Pallentes violas.* Calpurn. Ecl. 9, 40: *Eheu nulla meae te tangit cura salutis; Pallidior buxo violaeque simillimus erro.* Tibull. 1, 8, 52: *Sed nimius luto corpora tingit amor.* Cynthiam *multos pallere colores* dixit Prop. 1, 15, 39.

15. 16. *Prieria*] Macedonica. Dictum est ut *Thressa, Cressa* ac similia de talium libertinarum patria, neque ideo, quod Pieria sedes est Musarum, cum aliis interpretandum est de musica huius ἑταίρας arte. — *saucius*] amore, ut Virg. Aen. 4, 1. — *Curvat*] Sensu figurato h. l. fortasse unico: «ad misericordiam flectit, movet.» Nexus autem sententiarum hic est: «Quamquam *humani* nihil te ad amorem flectit, tamen veluti *dea* miserere, precor, amatoris tui supplicis.»

18–20. *Mauris -- anguibus*] ut Od. 1, 22, 2: *Mauris iaculis.* — *Non semper*] «Itaque fiet, ut prae taedio aliquando te deseram.» — *hoc*] «meum». Vid. ad Sat. 1, 9, 47. — *liminis*]nimis duri. — *aquae Caelestis*] Epp. 2, 1, 135: *Caelestes implorat aquas.*

CARMEN XI.

Mercuri, — nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo, —
Tuque testudo resonare septem
Callida nervis,

XI. Inscr. volg. *Ad Mercurium*, et sic BST. — *Mercurio Lydaeque* b. — *Mercurio lyraeque* c.

XI. Argumentum hoc est: In Lyden, puellam timidam et adversus amorem obfirmatam, oculos coniiciens precatur Mercurium, ut sibi dulcissimos quosque modos concedat, quibus virgo tandem flectatur, recordatusque potentiam lyrae, quam ille pulsans etiam Tartari monstra placat damnatorumque umbras laboribus levat, subsistit in Danaidum poenis, quibus una illa, quae marito fida remansit, exempta est. Iam sperat fore ut Lyde hac perfecti amoris imagine tacta amanti aures praebeat; sed lyrica *φαντασίᾳ* veluti absorptus in hac desinit neque ad puellam denuo se convertit. (Vid. ad v. 52.) Lyde persona aeque ficta atque altera illa eiusdem nominis Od. 2, 11, 22. (A. u. c. 727.?)

1. 2. *Mercuri*] «testudine tua cane modos, quibus Lyde amore tangatur. Nihil enim iis resistit.» — *nam*] «nam potes praestare, quod te precor.» Vide, quae notavimus ad Epod. 17, 45: *Et tu, potes nam, solve me dementia.* Virg. Aen. 1, 65: *Aeole, namque tibi divom pater* cet. Hand Turs. IV. p. 8. — *Movit*] Motus horum lapidum ad lyrae sonos expingit Philostr. Imagg. 1, 10: *πάντες ἐπὶ τὴν ᾠδὴν συνθέουσι καὶ ἀκούουσι καὶ γίγνονται τεῖχος κτλ.* — *Amphion*] Thebanae arcis conditor. Pausan. 9, 5, 8: *Ὁ τὰ ἔπη τὰ ἐς Εὐρώπην ποιήσας φησὶν Ἀμφίονα χρήσασθαι λύρᾳ πρῶτον Ἑρμοῦ διδάξαντος· πεποίηκε δὲ καὶ λίθων καὶ θηρίων ὅτι καὶ ταῦτα ᾄδων ἦγε. Μυρὼ δὲ Βυζαντία ποιήσασα ἔπη καὶ ἐλεγεῖα Ἑρμῇ βωμόν φησιν ἱδρύσασθαι πρῶτον Ἀμφίονα καὶ ἐπὶ τούτῳ λύραν παρ' αὐτοῦ λαβεῖν.* Ars. poët. 394. Silius 11, 445. Seneca Phoeniss. 566: *poteris has Amphionis Quassare moles, nulla quas struxit manus, Stridente tardum machina ducens onus; Sed convocatus vocis et citharae sono Per se ipse turres venit in summas lapis?*

3. 4. *Tuque testudo*] Sappho Bergk p. 645: *Ἄγε δῖα χελύνη λέγε, φωνᾶσσα δὲ γίνεο.* — *resonare - Callida*] «quae scite resonas.» — *septem*] Iam in Hom. Hymn. in Merc. 51: *Ἑπτὰ δὲ συμφώνους ὀτων ἐτανύσσατο χορδάς.* Verum hanc inventionem sibi tribuit Terpander in Schneidew. Del. pag. 237. Bergk p. 537: *Σοὶ δ' ἡμεῖς* (ex Strab. 13. p. 618. B. *Ἡμεῖς τοι* ex Euclid. Introd. Harm. p. 19. Meib. Schn.) *τετράγηρυν ἀποστέρξαντες ἀοιδὰν Ἑπτατό-*

Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures,

Quae velut latis equa trima campis
Ludit exsultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers et adhuc protervo
Cruda marito.

Tu potes tigres comitesque silvas

8. *auris* BT.

νῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους. — *nervis*] ablativus potius quam dativus. Utriusque constructionis exempla reperiuntur; dativus est Sat. 1, 4, 76.

5. *loquax*] h. l. in bonam partem, «canora», ut apud Graecos interdum *λάλος* et *λάλιος* idem quod *εὔλαλος*. Sic Meleager Anth. P. I. p. 362. cicadae *λάλους πτέρυγας* tribuit et se ipsum *λάλιον* vocat Anth. P. I. p. 430. — *olim*] «antequam chordis instructa esset.»

6. *mensis*] Odyss. *ρ*, 270: *φόρμιγξ, – ἣν ἄρα δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίραν.* Virg. Ge. 2, 404: *dis et mensis accepta secundis – – Rhodia.* — *templis*] Dionysius Hal. 7. p. 1487. narrat *λύρας ἑπταχόρδους παρὰ Ῥωμαίοις ἐν ἁπάσαις φυλάττεσθαι ταῖς ἀρχαίαις θυηπολίαις.* «Fidicines hodieque Romae in sacrificiis adhiberi videmus.» PORPHYR.

9. *latis*] «Ubi amplum fugae est spatium.» Dacierii *laetis* voc. otiosum. — *equa trima*] Frequens imago. Theogn. 257. puella de semet ipsa: *Ἵππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη κτλ.* Anacreon Fragm. 79. Bergk. Fr. 47. Schneidew.: *Πῶλε Θρηκίη, τί δή με λοξὸν ὄμμασιν βλέπουσα Νηλεῶς φεύγεις, δοκέεις δέ μ' οὐδὲν εἰδέναι σοφόν; Ἴσθι τοι, καλῶς μὲν ἄν τοι τὸν χαλινὸν ἐμβάλοιμι, Ἡνίας δ' ἔχων στρέφοιμι' ἂν ἀμφὶ τέρματα δρόμου. Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις· Ἀεξιόν γὰρ ἱπποπείρην οὐκ ἔχεις ἐπεμβάτην.* Aristoph. Lysistr. 1308. Lacaenae: *ἅτε πῶλοι δ' αἱ κόραι Πὰρ τὸν Εὐρώταν Ἀμπάλλοντι πυκνὰ ποδοῖν Ἀγκονιῶαι.* Lucilius XXX. 10: *An ego te acrem atque animosam, Thessalam ut indomitam frenis subigam ante domemque Bellando?* Alias adolescentiae imagines affert Schiller: *hinnuleum* Od. 1, 23, 1., *iuvencum, iuvencam* 2, 5, 6. 8, 24., *capream* 3, 15, 12. *vitulos* 3, 11, 11.

10. *exsultim*] *ἅπαξ λεγόμενον* nec tamen, ut opinor, factum ab Horatio; eadem analogia atque *tolutim, strictim, carptim, punctim, caesim* cet.

11. 12. *Nuptiarum expers*] «Etiamnunc immatura cupido equo, tangi non volt.» Quemadmodum in Anacreontis loco, artissime coniunguntur atque, ut ita dicam, confunduntur equae imago et, de qua *κυρίως* loquitur, Lyde. — *tangi*] de feminis, ut Graeci *ψαύειν, θιγγάνειν, ἄθικτος.* — *Cruda* autem ut de fructibus, «nondum matura.»

Ducere et rivos celeres morari;
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulae,

Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius atque
Spiritus teter saniesque manet

13. *tigris* T. — 18. *caput exeatque* Bentleii dubia suspicio; *aestus atque* malebat Doering, *illi et usque* Io. von Gott Fröhlich. Ceterum vv. 17-20. subditicii videntur Eichstadio, Heinrichio, Buttmanno, Hermanno, Naekio, Webero, Hofman Peerlkampio, Meinekio, Regelio, Lübkero, aliis.

13-16. *tigres comitesque*] «Ducis tigres comites et silvas comites.» H. l. zeugmate, ut alii volunt: *tu potes tigres* domare *comitesque silvas ducere*, opus non est. Cf. Od. 1, 12, 7. — *Cessit* cet.] Significat hic Orpheum Eurydicen suam ex Orco repetentem, quamquam hoc nuper quidam negavit, quasi vero h. l. perfecta aoristi significationem haberent, quae perfecta certe comparari nequeunt, ut ille opinatus est, cum Od. 3, 2, 30 et 32. — *immanis*] Cum Cerberus satis definiatur stropha sequente, v. *immanis* (vastae) refero ad v. *aulae*, quod v. necessario requirit *ἐπίθετον*; quae enim *aula* tandem erit, si iungas *immanis ianitor Cerberus*? ut est sane apud Virg. Aen. 6, 418: *Cerberus - - adverso recubans immanis in antro. Immanis* autem *aula* dicitur ut antrum, barathrum *immane*, praeda *immanis*. (Ut nos, iunxit etiam Naeke in Progr. a. 1821. afferens Accium in Philoct. apud Nonium in v. *immane: Phrygiam minorem esse aio immani Graecia.* Nihil tamen h. l. inest in hoc *ἐπιθέτῳ* reconditi aut minus usitati, cum Virgilius saepe idem addat verbis *spelunca, atrum, barathrum, templum*. Cum v. *ianitor* iungit Lübker, ut Aen. 6, 400: *ingens ianitor*. Recte iam Lambinus.) Cfr. Silius 2, 552: *insomnis lacrimosae ianitor aulae. — blandienti*] Cf. Od. 1, 24, 13.

17. 18. *furiale*] «simile capiti Furiarum, quae ipsae quoque pro capillis habent serpentes.» «Sic *furialis incessus* de tali, quali Furiae se inferre solent, apud Liv. 7, 17.» Doer. — *angues*] Cerberum *ἐχιδναῖον δαιετόν* propterea vocat Callimach. Fr. 164. De Cerbero cfr. Hesiod. Theog. 769. Cerberum tricipitem cum cauda anguina, ab Hercule ex Orco protractum monstrat celebre vas Canusinum apud Inghirami *Gall. Om.* III. T. 88. Biceps est ibid. T. 91. Cfr. imprimis Gerhard *Vaseng.* II. T. CXXIX. seqq. Uno dumtaxat capite in antiquo monumento Treveris asservato expressum esse narrat Lübker. Vid. ad versum 20.

19. 20. *Spiritus teter*] «Quamvis foedus *spiritus* (halitus foetidus) et *sanies (Geifer)* ex eius ore exeat, ut heroas intraturos repellat, umbras effugium quaerentes intro agat.» *Saniem* istam *tabum* vocat Seneca Herc. fur. 787: *sordidum tabo caput Lambunt colubrae. —* V. *manet* per solitum zeugma re-

Ore trilingui.

Quin et Ixion Tityosque voltu
Risit invito, stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas et inane lymphae

21. (Habet scripturam *voltu* c.) — 26. *poenas* om. T.

fertur etiam ad v. *spiritus teter*, qui proprie «prorumpit, emittitur.» — *Ore trilingui*] ut Od. 2, 19, 31., ubi vide. Est: «de tribus linguis triplicis oris.» — Naekius hic quoque ut l. l. explicat: «unum os, in quo tres linguae sive lingua trifida; praecessit enim *caput*.» Verum triplex caput intelligendum esse satis superque poëta significasse videtur vv. *Ore trilingui*. Cfr. Virg. Aen. 6, 417: *Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat*, id est, «latratu tribus ex capitibus prolato»; sicque Silius 2, 551: *formaque trifauci Personat informis lacrimosae ianitor aulae*. — Minus gratae nostro certe sensu imagines illae v. 19. et pron. *eius*, quo solent abstinere epici et melici (cfr. tamen Od. 4, 8, 18.), in causa fuerunt, cur recentiorum complures hanc strophen Horatio abiudicarent, quorum severa iudicia omnium optime exposuit Lübkerus, etsi ne hic quidem de h. l. *νοθείᾳ* mihi persuasit. Videlicet poëta non sine certo consilio immorari aliquantum voluit saevis Orci terriculis, et totius strophae sententia, quam mira arte calumniati sunt, et simplicissima et per se clarissima est: «Quamvis Cerberus horribile ac furiosum sit monstrum acerrimusque Orci custos, tamen ipse quoque cessit blandis lyrae sonis.» Vide Excursum.

21. *Ixion Tityosque*] Pind. Pyth. 2, 21: *Ἰξίονα - - ἐν πτερόεντι τροχῷ Παντᾶ κυλινδόμενον*. Seneca Herc. fur. 752: *Rapitur volucri tortus Ixion rota*. v. 758: *Praebet volucri Tityos aeternas dapes*. Cfr. Od. 2, 14, 8. et 3, 4, 77. Tibull. 1, 3, 73. Ad totum locum Od. 2, 13, 37. Ixionis imaginem v. Visconti *Mus. Pio Clem.* V. T. 29., aliam *Arch. Zeit.* II. p. 224.

22. *Risit*] De usu num. singularis ante plura nomina et post plura apud Horatium consule Bentleium ad Od. 1, 24, 8. — Hermesianax v. 9. de Orpheo: *Κωκυτόν τ' ἀθέμιστον ἐπ' ὀφρύσι μειδήσαντα Εἶδε καὶ αἰνοτάτου βλέμμ' ὑπέμεινε κυνός, Ἐν πυρὶ μὲν φωνὴν τεθοωμένον, ἐν πυρὶ δ' ὄμμα Σκληρὸν τριστοίχοις δεῖμα φέρων κεφαλαῖς*. — *urna*] id est, «urnae singularum»; nam qui de dolio interpretantur, falsi sunt.

23. *Danai puellas*] Danaum narrant filios Aegypti (fratris) metuentem cum quinquaginta filiabus Argos, quae antiqua patria erat, confugisse. Ibi regno potitum Aegyptiadis, qui ea causa Argos venerant, despondisse quidem filias, sed his clam mandavisse, ut prima nocte sponsos interimerent: quod fecisse

Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,

Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae, — nam quid potuere maius? —
Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro!

Una de multis face nuptiali

30. *Impiae nam, quid* distinguit M.

omnes praeter Hypermnestram, quae, cum Lynceo sponso suo pepercisset, in vincula coniecta, sed postea tamen in matrimonium data est Lynceo. Apollod. 2, 1, 5. Schol. Homeri ad Iliad. α, 42., Euripidis ad Orest. 859., Pindari ad Nem. 10, 6. Hyginus F. 168. Serv. ad Aen. 10, 497. Hermanni Opuscc. 2, p. 349. Ovid. Heroid. Epist. 14. — Danaides alatae, dolium frustra explere conantes, sunt apud Inghirami *Gall. Om.* III. T. 86. Hanc vero Danaidum dulces Orphicae lyrae sonos audientium requietem praeclare expressit artifex vasis, quod exhibent *Mon. ined. dell' Inst. archeol.* T. 49. et 50. *Tav. d'aggiunte H.* Braun *Ann. dell' inst.* IX. p. 219. atque imprimis p. 226. *Arch. Zeitg.* I. p. 181.

25. *Audiat Lyde*] Cum se quasi fortuito in Danaidum fabulam incidisse simulasset, ea callide utitur ad amicam a saevitia atque contumacia deterrendam et ad facilitatem revocandam. («Nimis una excepta saevae fuerunt in sponsos; tu potius imitare benignae Hypermnestrae nobile fidei ac veri amoris exemplum!») — *notas*] partim a multis poëtis tractatas iam inde a Danaide cyclica memorata in Tabula Borgiana, partim saepe a statuariis expressas. Cfr. Müller *Archaeologie*. Ed. 2. p. 651.

26-28. *manat lymphae*] eadem constructione, qua dicitur *plenum aquae.* (Cicero de Orat. 1, 9, 37: *Omnia nonne plena consiliorum, inania verborum videmus?) Inane* autem, quia in imo fundo pertusum est ideoque aqua semper *perit,* ita perfluit, ut inutiliter pereat novaque semper aqua, etsi aeque incassum, infundenda sit. Lucret. 1, 244: *Postremo pereunt imbres.* — *Seraque fata*] «poenas fatales, quae eis post mortem tandem impositae sunt.»

29-34. *manent culpas*] «exspectant, quia manent.» Alium sensum praebet constructio cum dativo, ut Virg. Aen. 9, 302: *Haec eadem matrique tuae generique manebunt,* id est, «servabuntur, integra erunt.» Vide ibi Wagn. — *Impiae*] Virgula post part. *nam* posita nonnulli construunt: *Nam impiae, (quid potuere maius?* id est: «nullum maius profecto scelus committere potuerunt») *impiae* cet. Mihi significantior simul atque simplicior videtur altera ratio: *Impiae (nam quid potuere maius?)* cet., id est: «et sane impietatis reae dici debent; quod enim maius scelus patrare potuerunt?» — *potuere*] «sustinuerunt, impetrarunt ab animo suo hoc facinus facere.»

33. *Una de multis*] Pind. Nem. 10, 6: *Οὐδ' Ὑπερμνήστρα παρε-*

Digna periurum fuit in parentem
Splendide mendax et in omne virgo
Nobilis aevum,

Surge, quae dixit iuveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur; socerum et scelestas
Falle sorores,

Quae velut nactae vitulos leaenae
Singulos eheu lacerant: ego illis
Mollior nec te feriam neque intra

36. *aevo* (id est, *aevom*) B. — 43. *nec intra* bTd,LCt. (Ut nos, BSc,*βγδκ*.)

πλάγχθη μονόψαφον ἐν κουλεῷ κατασχοῦσα ξίφος. Aeschyl. Prom. 865: *Μίαν δὲ παίδων ἵμερος θέλξει τὸ μὴ Κτεῖναι σύνεννον, ἀλλ' ἀπαμβλυνθήσεται Γνώμην· δυοῖν δὲ θάτερον βουλήσεται, Κλύειν ἀναλκις μᾶλλον ἢ μιαιφόνος· Αὕτη κατ' Ἄργος βασιλικὸν τέξει γένος.* Ad usum praepositionis *de* cfr. Cic. pro Mil. 24: *se gladio percussum esse ab uno de illis.*

34. 35. *periurum*] quia filiabus in generorum perniciem desponsis decepit Aegyptiadas. — *Splendide mendax*] «magna cum laude.» Sic Aeschyl. Frgm. inc. 273: *Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.* Antigone de se ipsa (Sophocl. Antig. 74.): *ὅσια πανουργήσασα.* Eurip. Helen. 1633: *καλήν γε προδοσίαν δίκαια δρᾷν.* Sic Cic. pro Mil. 27. *mentiri gloriose*, Tacit. Hist. 4, 50. *egregium mendacium*, Sen. Ep. 95. *gloriosum scelus* dixit.

37. *Surge*] Ovid. Her. 14, 73: *Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus: Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.* — *marito*] Apollod. 2, 1, 5: *αὕτη Δυγκέα διέσωσε παρθένον αὐτὴν φυλάξαντα.* Contra Schol. Eurip. ad Hec. 869: *ἐφείσατο τοῦ Δυγκέως ἀπὸ τῆς μίξεως διάθεσιν ἐσχηκυῖα πρὸς αὐτόν.* Atque hoc potius inest in vv. Aeschyli l. l. et Horatii.

40 - 44. *Falle*] «λάθε, decipe fugiendo.» Schol. — *Quae velut*] Loquitur Hypermnestra, quasi pereuntium gemitus audiret, ut scribit ipsa apud Ovid. Her. 14, 35: *Circum me gemitus morientum audire videbar.* — *vitulos*] Eurip. Iphig. Taur. 296. de Oreste: *ὁ δὲ χερὶ σπάσας ξίφος Μόσχους ὀρούσας ἐς μέσας λέων ὅπως.* Sine causa recentiores nonnulli hanc imaginem tamquam vilem et abiectam reprehenderunt. V. enim *μόσχος*, *vitulus*, nihil putidi habebat apud antiquos, uti habet nostrum *Kalb.* — *Singulos*] «suum quaeque maritum thalamo inclusum.» — *nec - - neque*] Consule Bentleium et Hand Turs. IV. p. 95. 125. 128. — *intra claustra*] thalami, «nec clausum tenebo ab alio aliquo necandum.»

45. *Me pater*] Pausan. 2, 19, 6.

Claustra tenebo.

Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci;
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.

I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus, i secundo
Omine et nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

49. *rapient* d solus inter meos, nec aliunde memoratum vidi. — 51. *sepulcri* δ ap. Kirchn. N. Q. Hor. p. 56. — 52. *Sculpe* Scd,LF. (*Scalpe* BbT, Codd. Bland., septem Pottierii et Grammat. Eichf. p. 427.)

(*τὴν Ὑπερμνήστραν*) *ὑπήγαγεν ὁ Δαναὸς εἰς δικαστήριον, τοῦ τε Λυγκέως οὐκ ἀκλινδυνον αὑτῷ τὴν σωτηρίαν ἡγούμενος, καὶ ὅτι τοῦ τολμήματος οὐ μετασχοῦσα ταῖς ἀδελφαῖς καὶ τῷ βουλεύσαντι τὸ ὄνειδος ηὔξησε. κριθεῖσα δὲ ἐν τοῖς Ἀργείοις ἀποφεύγει τε καὶ Ἀφροδίτην ἐπὶ τῷδε ἀνέθηκε νικηφόρον.* Veneris enim interventu apud Aeschylum in Danaidibus absoluta erat. — *oneret catenis*] Ovid. Her. 14, 3: *Clausa domo teneor gravibusque coërcita vinclis.*

47 - 50. *extremos*] Occidentem versus. — *Numidarum*] utpote quam maxime ferorum. Eurip. Helen. 404: *Λιβύης τ' ἐρήμους ἀξένους τ' ἐπιδρομάς.* — *Classe*] pro una navi. — *I, pedes*] «Sive terra sive mari iter facere voles, propera.» Cfr. Epod. 16, 21. Silius 3, 116. Imilce Annibali vale dicens: *I felix, i numinibus votisque secundis.* — *Venus*] *λεχέων ἐπίκουρος*, Coluthus 202.

51. *nostri*] Falso nonnulli interpretati sunt: «utriusque nostrum», cum sit: «mei», ut Od. 3, 27, 14: *Et memor nostri, Galatea, vivas.*

52. *Scalpe*] Gratior sonus firmatur ab antiquissimo meo Cod. B.: minus utique gratum est *ul - ul* illud in lect. *sepulcro Sculpe*; quae quidem formae ubique confunduntur. Cfr. Fea. Ceterum comparant *γλάφω* et *γλύφω*. — *querelam*] «titulum sepulcralem in cenotaphio, mei amoris monumentum.» Epitaphium hoc proponit apud Ovid. Her. 14, 128: *Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi: «Exsul Hypermnestra pretium pietatis iniquum, Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.»* Desinit autem in *φαντασίᾳ* poëtica, neque ad Lyden revertitur, ut alibi interdum sententiam in exordio propositam sub finem resumit. Cfr. Od. 1, 7. et 3, 27.

EXCURSUS

AD VV. 17—20.

Egregie totum locum defendit Iahnius: «Hi quattuor versus pluribus difficultatibus laborare visi sunt. Primum enim longior haec Cerberi descriptio orationis nexum, cum poëta reliquas res breviter attigerit, interrumpit et salvo sensu abesse potest. Sed saepius Horatius nexum sententiarum sic interrumpit, ut in ampliorem rei cuiusdam descriptionem exspatietur et post plures versus demum orationis filum resumat. V. 1, 12, 26—32; 32, 5—12; 37, 17—20; 3, 4, 45—48 et 61—64; 17, 2—9. (ubi Sanadon. et Edit. Bodon. vv. 2—5. male eiiciunt); 24, 17—24. 4, 4, 2—4; 6, 9—24. Carm. sec. 41—44. Epist. 1, 15, 2—13 et 16—21. Doering ad Sat. 1, 7, 10. Hoc loco autem poëta latiore Cerberi descriptione vim lyrae non inepte celebravit. Etenim *furiale caput, angues, spiritus* et *sanies* summam eius immanitatem atque furorem depingunt; nihilominus lyrae blandienti cessit. Tum vero magis etiam offendit voc. *eius*. Pronomen *is* enim, quod *ὀρθοτονούμενον* (notione nostri *dér, dié, dás)* apud poëtas frequens est, *ἐγκλιτικὸν* et *προκλιτικὸν* (quod nostrum *er, sie, es* significans in casibus obliquis tantum usurpatur), cum logicam tantum relationem indicet, neque ullam pingendi vim habeat, ab iis devitari solet. Ad pedestrem orationem igitur Horatius delapsus est. Quamquam autem facile *eiulatque* vel *eiuletque* scribi potest, vereor tamen, ne hac vel alia correctione Horatium potius quam librarios emendemus. Inciderunt enim interdum poëtae in hunc pedestrem sermonem (V. Ovid. Trist. 3, 4, 27. Metam. 8, 16. Virgil. Aen. 1, 413 cet.), in quibus reprehendendi potius quam emendandi sunt. Minime autem v. *atque* in fine versus propter *πλατύτητα*, quam dicunt, offendit. Sic vv. *et, ac, ut, utque, neque, nec* in fine versus leguntur atque hoc ipsum v. hac sede recurrit 2, 10, 21. Denique recte etiam poëta *spiritum* et *saniem* coniunxit. Alter enim ex ore in aërem ascendit, altera in terram defluit. Utrumque in Cerbero conspiciebatur. Quare non recte fecerunt qui propter has difficultates hanc strophen spuriam esse dixerunt.»

Eius illi, de quo tot tantasque tragoedias excitarunt Critici, prorsus simile est alterum Tibulli 1, 6, 25: *Saepe velut gemmas eius signumque probarem*, quod nullo artificio eliminare poterunt; tantum enim abest ut dubium fiat propter Ovid. Trist. 2, 451 et 452. (quemadmodum ratus est Paldamus *Erotik* p. 58.), ut eadem firmissima auctoritate nitatur. Accedunt Ovid. Trist. 3, 4, 27: *Non foret Eumedes orbus, si filius eius Stultus Achilleos non adamasset equos.* Propert. 4, 2, 35: *Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius, Traiicit alterno qui leve pondus equo.* Manil. 2, 908: *fortunam ex viribus eius Concipiunt.* At quidni, dum ultro agnoscimus ab optimis quibusque poëtis hanc negligentiam quoad eius fieri poterat devitatam esse, fuisse tamen subinde locos, ubi sine longe

graviore sententiae ac metri detrimento devitari non posset, libere fateamur? (Negligentiam quidam vituperarunt etiam in Virgiliano illo Aen. 4, 479: *Qui mihi reddat eum vel eo me solvat amantem?*

Verum audiamus etiam Naekium, acerrimum huius strophae adversarium: «Occasionem ludendi et puerile ingenium exercendi ipse praebuerat Horatius, cuius stropha, quae praecedit, cum his vv. finiatur *immanis ianitor aulae*, quibus verbis latere posset hebetiores oculos, quis esset *ianitor*, quid proclivius erat quam addita stropha hanc, quae videbatur esse, obscuritatem tollere, Cerberi nomen ponere, et notissimi monstri foeditatem luminibus poëticis illustrare?» Imitationem autem tractam putat ex Od. 2, 13, 33. et 2, 19, 29.

CARMEN XII.

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
Mala vino lavere, aut exanimari metuentes

XII. Inscr. volg. *Ad Neobulen*, et sic Bb. — *Suavem vitam non esse sine iocunditate et amore* STc (quibus c praeponit *Ad Neobulen*). — Ego inscripseram: *Neobule secum loquitur.* — 1. *nec amori* pr. b, C, Bentl. — 2. *metuentis* ST.

XII. Imitatio videtur carminis Alcaei, cuius primum v. servavit Hephaestio pag. 67. Gaisf. (Alc. p. 585. Bergk): Ἔμε δείλαν, ἔμε παισᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν. Multa huius metri carmina ille composuerat; in uno propter difficultatem talia lingua Latina rite elaborandi Horatius substitit. Ex versu illo Ἔμε κτλ. colligimus hanc quoque esse Neobules μονολογίαν, non ironicam Horatii ad puellam allocutionem, ut plerique interpretes volunt. Neque vero obstant vv. *Tibi qualum* cet., nam in μονολογίαις etiam Latini utuntur haud raro persona secunda, quam ut huic carmini aptiorem praetulit sui exemplaris primae. Plaut. Epidic. 1, 2, 58., ubi ad se ipsum Epidicus: *Epidice, vide, quid agas! ita res subito haec obiectast tibi.* Terent. Phorm. 3, 1, 1: *Enimvero, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus.* Catull. 8, 1: *Miser Catulle, desinas ineptire.* 51, 17: *Otium, Catulle, tibi molestum est.* Ser. Sulpicius apud Cic. ad Fam. 4, 5, 4: *Visne tu te, Servi, cohibere.* Ovid. Met. 7, 11: *Frustra, Medea, repugnas.* Lucan. 2, 522: *Et secum* (Domitius): *Romamne petes?* cet. Graeca exempla adde haec: Eurip. El. 112. Electra semet ipsa alloquens: Σύντειν', ὦρα, ποδὸς ὁρμάν· Ὦ ἔμβα ἔμβα κατακλαίουσα. Asclepiades Anth. Pal. II. pag. 463: Πίν', Ἀσκληπιάδη· τί τὰ δάκρυα ταῦτα; Od. 3, 27, 57. (Tempus definiri nequit. Nonnulli referunt ad a. u. c. 725. De metrica huius odae ratione vid. Herm. El. Doctr. metr. p. 472. et Excursum.)

1. *Miserarum est*] «Miserrima est condicio puellarum, quibus concessum non est amori indulgere.» — *amori dare ludum*] «amoribus suis liberum ludendi spatium concedere, libere iis frui.» Aeschyl. Pers. 841: ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ. Plaut. Bacch. 4, 10, 7: *Ego dare me ludum meo gnato institui, ut animo obsequium Sumere possit: aequum esse puto: sed nimis nolo desidiae Ei dare ludum.* Varro in Saturis p. 109. Oehler: *Properate vivere, puerae, quas sinit aetatula ludere, esse, amare et veneris tenere leges?* Cic. pro Caelio 12: *datur concessu omnium huic aliquis ludus aetati.*

2. 3. *vino lavere*] «neque vino tristitiam eluere, abigere.» Quod ad vinum attinet, dicunt nonnulli, Neobulen ideo queri, quod sibi ut puellae Romanae non liceat vino curas sedare. Sed obliti erant libertinam hic loqui, cui dici poterat: *sapias, vina liques*, eiusdem sane generis atque illa *multi Damalis meri.* — *aut exanimari*] «aut, si hoc vel illud tentemus, statim metu

Patruae verbera linguae.

Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri,

6. *Liparei* Td, Bentl. — Vv. 6. seqq. *Hebri, Eques - - Bellerophontis, Neque pugno - - victus, Simul - - undis* Lt (non Cruquius). Illo modo ordinavit versus Aldus inde ab a. 1501. ex auctoritate ficti, ut videtur, Cod. Vindobonensis.

percelli, summo angore affici, ubi severior etiam patre patruus nos increpat.» Sat. 2, 3, 88: *ne sis patruus mihi.* Manil. 5, 454: *Tutorisue supercilium patruiue rigorem.* Cic. pro Caelio 11: *Qui in reliqua vita mitis esset, - - fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister.* — *verbera*] Q. Cicero ad Fam. 16, 26: *Verberavi te cogitationis tacito dumtaxat convicio.* Sic ἐπιπλήσσειν, ἐπικόπτειν, ἐπιῤῥαπίζειν, obiurgare.

4. *qualum*] «calathum, metonymice pro lanificio.» Schol. Sappho p. 619. Bergk: *Γλύκεια μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκην τὸν ἵστον, Πόθῳ δάμεισα παῖδος βραδίναν δι' Ἀφρόδιταν.* Apud Senecam (Hippol. 104.) Phaedra Hippolyti amore capta: *Palladis telae vacant Et inter ipsas pensa labuntur manus.* Lanificium autem apud Romanos semper laudi fuit virginibus ac matronis, ita ut in Inscriptt. mearum Lat. N. 4860. summis virtutibus aequiparetur: *MVRDIA. MODESTIA. PROBITATE. PVDICITIA. OBSEQVIO. LANIFICIO. DILIGENTIA. FIDE. PAR. SIMILISQVE. CETERIS. PROBEIS. FEMINIS. FVIT.* — *puer ales*] Cupido. *Ales* pro «alatus» est iam apud Tragicum (Cic. de Inv. 1, 49.): *Angues ingentes alites.* Oppianus Hal. 4, 27: *Εἴτε σὲ καὶ πτερύγεσσιν ἀειρόμενον θεὸν ὄρνιν Τίκτε Πάφον μεδέουσα πολυφράδμων Ἀφροδίτη.* Iam in antiquissimis artis operibus Cupido est alatus. Vide Millingen *Uned. Mon.* I. T. 5.

5. 6. *Operosae*] Ἐργάνης. — *Neobule*] nomen sonorum ex Archilochi carminibus desumptum. p. 481. Bergk: *Εἰ γὰρ ὧν ἐμοὶ γένοιτο χεῖρα Νεοβούλης θιγέειν κτλ.* — *Liparaei - Hebri*] Sicut Od. 3, 7, 23. *Enipeus*, fluminis noti nomen tribuitur huiusmodi personae amatoriae, superaddito patriae nomine, ut *Xanthias Phoceus, Thurinus Calais*, id quod confert ad certam aliquam personam lectoris menti demonstrandam. — *Lipara*, maxima insularum Aeoliarum inter Italiam et Siciliam. — *nitor*] «decor, pulcherrima forma.» Charito p. 26. Lips.: *τὴν μαρμαρυγὴν τοῦ κάλλους.* Nexus sententiarum hic est: «Hebrus mihi aufert omne aliud studium, simulatque eum video vel videre mihi videor natantem, equitantem, venantem.» Qui puncto distinguunt post v. *Hebri*, hanc minus aptam sententiam inde eliciunt: «Simulac denatavit Tiberim, evadit eques cet.» Nec minus falso nuperus aliquis interpres, commate post v. *Hebri* deleto, construxit: *Simul nitor Hebri humeros lavit* cet. Vera utique haec est constructio: *puer ales* (amor tuus), id est, *Hebrus, qualum tibi aufert, simul* cet.

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus;

Catus idem per apertum fugientes agitato
Grege cervos iaculari et celer alto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

10. *item* C. — *fugientis* BST. — 11. *et* om B. — *alto* BbT, Pott. quattuor, Ct: *arto* Sc, Bland. antiq., LFM. (*arto* superscr. «vel *alto*» d. Ut nos, J.)

7-9. *unctos*] Ante natationem et balnea oleo unguebantur. Ovid. Trist. 3, 12, 21: *Nunc, ubi perfusa est oleo labente iuventus, Defessos artus Virgine tinguit aqua.* — *Tiberinis*] Cic. pro Caelio 15: *Habes* (Clodia) *hortos ad Tiberim ac diligenter eo loco parasti, quo omnis iuventus natandi causa venit.* — «Alio tempore equitat melius *Bellerophonte, cui caelum campus fuerat, terraeque fretumque Sub pedibus; non ulla tulit vestigia cursus.* Manil. 5, 99.» Ultima syllaba in v. *Bellerophonte* producitur a forma *Βελλεροφόντης*, ut apud Iuven. 13, 98: *si non eget Anticyra nec Archigene, quid enim* cet. (Pulchram Bellerophontis imaginem vide in Gerhard *Vases apuliens* T. VIII.) — *neque pugno*] Pugilatio et cursus exercitationes fuisse videntur iuvenum Graecorum in Urbe degentium, qualis fingitur esse Hebrus, atque oppidanorum (Sueton. Octav. 45.) magis quam adolescentium Romanorum nobilium. — *pugno Neque segni pede victus*] *βραχυλογία* pro: «nunquam ab alio victus propter pugnos minus robustos pedesve tardiores.»

10-12. *Catus*] «callens, peritus venandi.» — *celer--excipere*] Graeca constructione, ut Od. 1, 15, 18: *celerem sequi Aiacem.* — *apertum*] neutr. substantive pro «apertum campum.» — *agitato*] «excitato a canibus.» — *alto*] Hanc lectionem praetuli maxime cum propter Codicum meorum antiquissimorum BbT, Oberlini B et Pottierii 1, 7, 8, 14. summam auctoritatem, tum propter analogiam Iliad. *ε*, 455: *βαθείης - ὕλης*, Iliad. *λ*, 415: *βαθείης - ξυλόχοιο*, Lucret. 5, 41: *silvae profundae*, Virg. Ge. 2, 394: *saltusque profundi*, Aen. 6, 179: *stabula alta ferarum*, 7, 95: *alto - - luco. Arto* quidem esset «spisso, denso», ut Odyss. *τ*, 439: *ἐν λόχμῃ τυκνινῇ κατέκειτο μέγας σῦς.* Senec. Oedip. 277: *artis obsitum dumis iter.* Hoc autem loco ab iis profecta est interpolatio, qui *altus* profunditatis etiam, non solum excelsitatis, notionem includere ignorarent. Ad tertiam lect. *hirto*, quae tamen caret auctoritate sufficiente, H. Peerlk. attulit Columellae 10, 27: *hirta saepes.* — *excipere*] Verbum venatorium, ut *δέχεσθαι*, ubi venabulo sistitur fera e lustro proruens atque conficitur. Seneca de Ira 1, 11: *An tu putas venatorem irasci feris, vel cum et fugientes persequitur et venientes excipit?* quam ad rem *celeritate* in primis opus est. Idem de Provid. 5: *Nobis* (ut hic puellae) *interdum voluptati est, si adolescens constantis animi feram venabulo excepit.*

EXCURSUS

AD C. XII.

Nuper Kirchnerus (*Nov. Quaestt. Horat.* p. 65.), postquam «praeclarum illud sive Lachmanni sive Meinekii sive utriusque inventum, omnia Horatii carmina et quae monostropha adhuc et quae distropha fuere in carmina tetrastropha mutandi,» vel potius in quaternorum versuum strophas dividendi, eximiis laudibus extulit, nostrum quoque carmen eidem legi submittere conatus est, his verbis:

«Unum restat carmen, Libri III. duodecimum illud: *Miserarum est neque amori* cett., quod quadraginta pedibus Ionicis a minore constans a criticis omnis aetatis, iam inde a priscis Grammaticis, varie habitum ac per strophas distributum, conatui tamen ad reliquorum carminum normam strophas aequales constituendi quaternis versibus constantes adhuc obstitit. Quo de carmine multi esse possemus, si vel codicum nostrorum varietates in lectione ac versuum distributione afferre, vel varias virorum doctorum de eo sententias percensere vellemus: sed post doctam Bentleii disputationem magno critico vere dignam, qua ex Hephaestionis grammatici praecepto hoc carmen ad Alcaei exemplar versibus vel strophis denis pedibus absolutis compositum esse docuit, unde ipse strophas duobus tetrametris unoque dimetro Ionico compositas confecit: cum ipse dicat, nihil referre, utrum tribus, an duabus aut unica, si fieri possit, linea decapodia quaeque scribatur: liceat nobis hanc divisionem proponere, qua primo Bentleianae cuiusque strophae versu tetrametro in binos dimetros diviso carmen tetrastraphon hoc existit:

Miserarum est neque amori
Dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere aut exanimari metuentes
Patruae verbera linguae.

Tibi qualum Cythereae
Puer ales, tibi telas
Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Liparei nitor Hebri:

Simul unctos Tiberinis
Humeros lavit in undis,

Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus:

Catus idem per apertum
Fugientes agitato
Grege cervos iaculari et celer arto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

Haec pedum Ionicorum ad carmen tetrastrophon efficiendum, quod pari cum reliquis omnibus odis forma gaudeat, dispositio ut facilis et expedita sponte se obtulit, et ea re commendatur, quod plenos numeros affert, nullo vocabulo vel laeso vel discerpto, quod vitium cum priscis omnibus hos versus disponendi conatibus, qui vel apud grammaticos vel in codicibus mss. reperiuntur, commune sit, eos omnes Bentleius recte reiecit.»

Nos unum hoc addimus, in Codice Turicensi carmen nostrum in quattuor strophas ternorum versuum distributum esse, quorum primus et secundus ternis, tertius quaternis pedibus constat.

CARMEN XIII.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,

XIII. Inscr. volg. *Ad fontem Bandusiae,* et sic BT, item S, addens *pseudice* (id est, *προσευκτική*). — *In fontem* b. — *Ad fontem Bandusinum qui est in Sabinis* c. — 1. *Blandusiae* b,L. (Ut nos, BSTcd,βx «cum tribus aliis.»)

XIII. Praelusurus sacrificio sequente die offerendo laudat amoenissimum fontem Bandusinum. — (Fontium, qui ab accolis colebantur, complures sunt Inscriptiones Latinae; permultae tamen subditiciae.) — Bandusiam sitam fuisse VI. milia passuum a Venusia compertum habemus ex mediae aetatis documentis (anni 1103.) apud Feam, in quibus iungitur partim cum Bantio et Acheruntia (Od. 3, 4, 15.), partim sic designatur: *IN BANDVSINO FONTE APVD VENVSIAM.* Bandusiae fons auctore Lombardio in *Mem. Instit. archeol.* 1831. p. 221. est, qui nunc appellatur *Sambuco.* Iam cum parum probabile sit hoc tertii libri carmen solum iam a. u. c. 717., quo fortasse Venusiae fuerit Horatius, compositum esse, cum cetera videantur pertinere ad decennium inter annos 725—736., quo tempore vix in patrium oppidum reversus est, nec facile rem divinam facere poterat fonti aliquantum a Venusia dissito, circum quem pro certo fundum non possidebat, inter duplicem de carminis statu sententiam incerti haeremus. Etenim aut totum prodiit ex *φανταοίᾳ ποιητικῇ*, in qua sane etiam illud audere poterat: *CRAS donaberis haedo*; ut sit igitur *εἰδύλλιον*, quo fingit se in eo esse, ut fonti sacrificium apparet, cui suave nomen imponit fontis inde a puero sibi noti ac grati: aut, si de vero sacrificio celebrando loquitur, grata aliquando rerum patriarum recordatione tactus, suo iure fonti Digentiae rivi (non rivo ipsi) in Sabino suo Bandusiae precarium nomen indidit. Digentiae autem fontem hodie, quemadmodum narrant itinerum Scriptores, accolae, ut est amoenus, vocant *Fonte bello.* Inter alios eum descripsit Eichholz (*im Freimüthigen* 1806. *S.* 275.): *Es standen an der Berghöhe, noch etwas über der Villa, auf einer wilden Wiese romantisch still ein Paar Cypressen, von denen ein kleiner Quell rauschend über Kiesel hinuntereilte in den Thalgrund.* Priorem rationem, quae *ποιητικωτέρα* videtur, equidem praefero. Fateor enim alteram certo fundamento aeque carere atque fabulam illam, quam narrat Weber *Horaz* pag. 277. de itinere Venusino a. 717. suscepto, «Bandusiam autem sitam fuisse propter Ofellae praedium, apud quem tunc deversans huic Fonti rem divinam fecerit.» Illud vero parum probabile est, iam antiquitus duas fuisse Bandusias, unam prope Venusiam, alteram in Sabinis, ut volt Acron: «Bandusia Sabinensis regio est, in qua Horatii ager fuit.» (Ceterum haec omnia ex iis sunt, quae propter ignorationem

Dulci digne mero non sine floribus,
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus
Primis et venerem et proelia destinat;
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae

5. *destinet* b, sed superscr. *a*. — 8. *soboles* Td.

hodie pro certo exputare nequimus, nec propterea poëticam rationem ipsam ullo modo turbant aut obscurant.)

4. 2. *fons*] Inscriptiones fontibus positas v. in Inscr. m. Lat. N. 4223. 4636. 4560. Fontes harundine coronati sunt in monumentis antiquis, ut in Pheraeorum nummis Hypereia. Streber Numism. Gr. p. 455. — *vitro*] ut nos dicimus «crystallo». *Vitream Fucini undam* dixit Virg. Aen. 7, 759. — *digne mero*] «quod cras tibi libetur.» (Non: qui admiscearis mero in poculo coronato temperando».) Longus 4, 32: ἐκέρασε δὲ καὶ τὴν πηγὴν οἴνῳ. — *non sine floribus*] Varro LL. 6, 22: *Fontanalibus in fontes coronas iaciebant et puteos coronabant.* Duae igitur res sunt, «vini libatio et florum sparsio in fontem», non, ut alii voluerunt: «vini libatio ex calice coronato», ut est Tibull. 2, 5, 98: *coronatus stabit et ante calix.*

4. *frons turgida*] «cuius cornua iam in eo sunt, ut per pellem penetrent et enascantur.» — *destinat*] ut Od. 3, 22, 7. *meditari.* «Mature autem (anniculi) haedi et venerem appetere et propter eam pugnare consuerunt.» Schol. Ovid. Halieut. 2: *vitulus sic namque minatur, Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte.* Martial. 6, 38, 8: *Sic vitulus molli proelia fronte cupit.* — Male alii iungunt *destinat frustra*, quo perit poëtica loci virtus, quam habet acerbum illud ἐπιφώνημα. Et sic prorsus Od. 3, 7, 21: *Fallax historias movet: Frustra.* Sat. 2, 4, 24: *miscebat mella Falerno: Mendose.* Lucret. 4, 1103: *inspirant pressantes dentibus ora: Nequidquam. — inficiet* | *tibi — rivos*] «*wird färben*», non *beflecken (polluet)*, ut vertit novissimorum interpretum quidam. Sic iam apud Homerum Iliad. ψ, 144 seqq.: Σπερχεί', ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεὺς — Πεντήκοντα δ' ἔνορχα παρ' αὐτόθι μῆλ' ἱερεύσειν Ἐς πηγὰς κτλ.

9. 10. *atrox*] «ferventissima.» *Hora* autem totum spatium dierum canicularium. Sic Epp. 1, 16, 16: *Septembribus horis.* — *Nescit tangere*] «quia Caniculae ictus a te excludunt ilices.»

13. 14. *Fies — fontium*] Graeca constructione. Strabo 8. pag. 573: Ἑρμιόνη — ἐστὶ τῶν οὐκ ἀσήμων πόλεων. — *tu quoque*] «ut alii fontes aliis a poëtis celebrati, Arethusa, Castalia, Dirce, Pirene, ceteri.» — *dicente*] «praedicante.» Immortalem *Romanae fidicinis lyrae* gloriam hic sibi vaticinatur, id

Nescit tangere, tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes et pecori vago.

Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

16. (Habent *Lymphae* Codd. mei et Pottieriani, non *Nymphae*, quod praebent $\beta\lambda\xi$, var. lect. ι.) — *dissiliunt* d.

quod a. 717. praepropere fecisset. — *ilicem*] collective pro plurali, ut plerique de silva interpretantur Propert. 3, 3, 13: *Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus Sic ait* cet.

15. 16. *Saxis*] «antro, ex quo fons oritur, ilicibus tecto.» — *unde*] «ex quibus.» Cf. ad Od. 1, 12, 17. 1, 28, 28. 2, 12, 7. — *loquaces*] Recte Bentleius construxit: *unde lymphae tuae desiliunt, loquaces*, id est, «loquaciter, grato cum murmure», ut Ovid. Fast. 2, 316: *Garrulus in primo limine rivus erat*. Minus apte alii: *loquaces tuae lymphae desiliunt*. Lectio autem Codd. aliq. (non meorum) *Nymphae* prope ridiculam praebet imaginem Nympharum sine ulla prorsus intermissione per saxa desilientium; et tamen inventi sunt, qui eam probarent, veluti Gesnerus. Festive Bentleius: «Nymphae cum semel ex antro desiluerint, quid tum?»

CARMEN XIV.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,

XIV. Inscr. volg. *Ad populum Romanum*, et sic BT. — *Ad Romanum populum* S. — *Civibus in Augustum* bc (c addit: *victorem ex Hispania redeuntem*).

XIV. «Quemadmodum Hercules summa cum fortitudine mortem spernens devictis monstris sempiternam gloriam sibi peperit, eodem animo usum Augustum non sine gravi periculo expeditionem in Cantabros suscepisse, libenter, o Romani, agnoveramus; nunc victor rediit (a. u. c. 729. exeunte vel 730. ineunte. Cfr. Weber *Horaz* p. 257.).» Animi causa significandum videtur totum hoc carmen Horatio abiudicatum esse ab Editore Leidensi. («Carmen 3, 14. a Servio Charisioque citatum non spurium equidem Peerlkampio auctore dicere ausim, sed tamen prorsus indignum habeo illo poëta, qui simili usus argumento praeclarum illud condidit carmen 4, 5.» STEINER.) Etiam Eichstadius severissimum, immo paullo iniquius de hoc carmine iudicium fecit in Paradox. Horat. XI. Ego quid de eo sentiam, libere profitebor: Probe perspiciebat Horatius exspectare et Augustum ipsum et ceteros amicos carmen in redeuntis victoris honorem; itaque ne dicam invita, sed tamen haud nimis propitia Minerva talem ad gratulationem sese accinxit; at simulatque officio functus est, inde a v. 15. solitae hilaritati ultro se tradit.

1. *Herculis ritu*] Haec vv. nullo pacto virgula interposita trahi possunt ad vv. *Caesar Hispana* cet. cum Ianio et Monichio. — V. *modo* relativa, quam dicunt, ratione accipiendum est, «cum susciperet expeditionem et dum ea occupatus erat, usquedum de proximo eius reditu certi essemus.» Breve est id tempus, quoniam praeter exspectationem nunc transiit. — *dictus*] «Quem paullo ante omnes dicebant in difficillimam ac periculorum plenam profectum esse expeditionem, ut facere solebat Hercules.» — *o plebs*] significatione, ut ita dicam, nobili, ut est formula apud Cic. pro Mur. 1: *populo plebique Romanae*. Eademque formula est Verr. 5, 14, 36., in Augusti testamento Tacit. Ann. 1, 8., Plin. Paneg. 32. (Cfr. Becker *Röm. Alterth.* II. 1. p. 137.) Hinc poëtae solo v. *plebs* pro populo uti poterant, ut hic Horatius et Virg. Ge. 2, 509: *Per cuneos – – plebisque patrumque*. Et falsa omnino est Bosschae interpretatio: «O levis plebecula, quem modo credebas Herculis ritu venalem morte laurum petivisse et in perniciem properare suam, ecce salvus et victor ex Hispania redit!»

2. *Morte venalis* est *laurus* sive triumphus, quatenus, qui hunc appetit, mortis periculum forti animo facere debet. Contrario modo significatione eadem Virg. Aen. 9, 205: *Est hic, est animus lucis contemptor et istum Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem*. Quintil. 9, 5: *Emit morte immortalitatem*.

Morte venalem petiisse laurum
Caesar Hispana repetit penates
Victor ab ora.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata sacris,

6. *iustis*] *castis* Bentleius coni. — *sacris*] *divis* STd,LCtFJ. (Ut nos, Bbc, *γιχχψ*, var. lect. *μ*, Bland. duo, Pott. quattuor, Bentl.)

Male nonnulli sic interpretati sunt, falsum aliquando de Augusti obitu Romae sparsum esse rumorem, inducti verbis Dionis 53, 25: *ἔκ τε τοῦ καμάτου καὶ ἐκ τῶν φροντίδων νοσήσας ἐς Ταρράκωνα ἀνεχώρησε καὶ ἐκεῖ ἠῤῥώστει.* (a. u. c. 729.) Bonam valetudinem recuperasse videtur demum a. 730. Vide Franke Fast. Hor. p. 494.

3. *Caesar Hispana* cet.] Comparatio sistenda intra limitem supra indicatum; neutiquam vero cum aliis sic extendenda: «ut Hercules Geryone interempto ex Hispania in Italiam venerat, ita Caesar quoque illinc nunc venit, Penatibus suis redditus.»

5. *Unico*] Fuere qui hoc interpretarentur de omnibus feminis pudicis, cum ad Liviam Augusti ad supplicationem celebrandam e Palatio prodeuntem unice referendum esse demonstret Octaviae sororis et postea omnium matronarum mentio. Deinde *unico gaudens mulier marito* est (quae quidem virtus tunc singularis erat): «marito proprio gaudens»; mulier igitur pudica ac propter ipsam castimoniam digna, quae votum pro reditu mariti solvat *sacris iustis*, legitimis, *rite initis et curatis*, ut ait Livius 1, 31. Suet. Octav. 62: Liviam *dilexit et probavit unice ac perseveranter*. Ovid. Fast. 6, 637: *Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede Livia, quam caro praestitit illa viro*. Sic certe poëtae: quid, quod Livia ipsa apud Dionem Cass. 58, 2. semet ipsa *ἀκριβῶς σωφρονοῦσαν* dicit! Qui *unico* interpretati sunt «singulari, praestantissimo,» non viderunt vv. *clari ducis* hoc exceptura fuisse satis perverse per *κλίμακα* a maiore ad minus. Praeterea nescio quomodo recentiorum linguarum indolem refert illud, «*unicus*, id est, perfectus, egregius *maritus*.» *Unice* autem *gaudens*, ut rursus alii voluerunt, significare nequit, neque *dilectus*, ut ait Bosscha; nec vero quidquam rustici, ut opinatur Eichstadius, inest in v. *gaudens*, cum sit: «quae propter intimum amorem in uno illo acquiescit atque eo vere delectatur.» — Ceterum noli calumniari propterea, quod Livia antea nupta fuerit Tiberio Neroni, neque vero comparare Catulli 29, 11: *Imperator unice*, de Caesare dictum, id quod inest in vv. *clari ducis*. — *operata*] significatione praesentis, «prodit et operatur sacris.» Sic Virg. Ge. 1, 339: *Sacra refer Cereri laetis operatus* (sacrificans) *in herbis*. (Cf. Wagneri Q. V. 29, 3.) Propert. 2, 33, 2: *Cynthia iam noctes est operata decem*, id est, «rebus divinis operam dedit», ut dicit Cic. de Legg. 2, 11, 26. Tibull. 2, 1, 9: *Omnia sint operata deo*. (V. Dissen p. 211.) Cfr. Silium 2, 674: *Tartareo est operata Iovi*.

Et soror clari ducis et decorae
Supplice vitta
Virginum matres iuvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri et puellae
Iam virum expertae, male ominatis

7. *cari* β, Pott. tres. — 11. *expertes* auctore Cuningh. F. — *Non virum expertae* malebat Bentl. — *Haud virum expertae* edidit Pottier. (In ultima Ed. Jahn, ut nos.) — *nominatis* Bc, pr. T, corr. b, «dimidia pars Codicum» Bentleii, item L. *(nominatis* superscr. «vel *ho*», id est, *ominatis* c, quod firmat Bland. antiquiss.), *inominatis* Bentl. coni. (*ominatis* etiam $\gamma\delta$ ap. Kirchn. p. 36. 56.)

8. *Supplice vitta*] quas in capite gestabant matronae omnes, quo a libertinis distinguerentur (Tib. 1, 6, 67: *Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos Impediat crines nec stola longa pedes.)*, partim in sacris faciendis. (Virg. Aen. 4, 637: *tuque ipsa pia tege tempora vitta*. Cfr. Boettiger *Sabina* I. pag. 157.) Alias etiam virgis involutas prae se ferebant. (Aen. 7, 237: *Praeferimus manibus vittas ac verba precantia.)* Pontificium harum vittarum nomen *supplicia* servavit Salust. Iug. 46.

9. 10. *matres*] Liviae igitur et Octaviae in re divina facienda assistent ceterae matronae nobiles Romanae, matres eorum iuvenum, qui e bello Cantabrico salvi redierant, mulieres igitur aetate iam fere quadragenariae. — *Vos*] «Tum, cum prodibit Livia et Octavia, vos parcite cet.» Iam si *virgines* a *puellis*, a *pueris iuvenes* discriminamus, prope inextricabiles nascuntur difficultates, quas tibi solvendas proponent Eichstadius imprimis et Lübkerus. Quibus omnibus accurate pensitatis, nunc ad interpretationem omnium simplicissimam redeo, ex qua *pueri* iidem sunt atque *iuvenes*, *puellae* eaedem ac *virgines*. Hoc igitur dicit: «*Vos iuvenes* (ex Latina consuetudine vel usque ad aetatis annum XX. et amplius *pueri)* et *virgines* (vel *puellae)* ante Cantabricam expeditionem illis nuptae) *male ominatis parcite verbis*, quod quidem monitum apte dat iuniori aetati, de matronarum cautione securus. Ceterum etsi notissimum est vocc. et *virginis* et *puellae* de recens nuptis haud raro usurpari, certis tamen aliquot exemplis confirmandum est. Od. 2, 8, 22: *nuper Virgines nuptae*. 3, 22, 2: *laborantes utero puellas*. Virg. Ge. 4, 458. Eurydice, Orphei coniux, *moritura puella*. Eurip. El. 481. Clytaemnestra iamdiu marito occiso superstes vocatur κακόφρων κόρα. Andr. 440. chorus Andromachen appellat ὦ παντάλαινα νύμφα, eandemque v. 489. Ἰλιάδα κόραν. — Quod ad v. *Sospitum* v. 10. attinet, hic quoque illi, qui nuper hoc carmen admodum operose tractarunt, rationis poeticae ignari fuerunt, cum *sospitibus* ipsi, non Horatius, opponerent *occisos*. Hic enim suo iure tamquam poëta totum exercitum «Augusto victore» *sospitem* redisse dicit omni malo omine, quale illud sane fuisset, scite devitato.

11. *male ominatis P. v.*] «εὐφημεῖτε.» Od. 3, 1, 2. Accius in Oenomao (Bothe Poët. scen. p. 226.): *Vos ite actutum atque opere magno edicite*

Parcite verbis.

Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas; ego nec tumultum
Nec mori per vim metuam tenente
Caesare terras.

I, pete unguentum, puer, et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli,

14. *Exiget* B solus inter meos.

Per urbem, ut omnes qui arcem astuque adcolunt Cives ominibus faustis augustam adhibeant faventiam, ore obscoena dicta segregent. — In hiatu eo minus offendimus, quod duo illa vocabula unam continent notionem, ut *male dicere*, *bene dicere*, quae item divise scribuntur. («Quidni statuamus esse unum vocabulum *maleominatis*, ut *suaveolens* apud Catull. 62, 7.?» Bosscha. Neque aliter facile exprimi poterat adiectivum graecum δύσφημος.) Qui supervacaneo hiatus metu praeferunt *male nominatis*, partim comparant δυσώνυμα, etsi destituuntur exemplis; partim rursus nugantur «de rumore illo adverso», quem sibi finxerant ad v. 1. Sed *nominatis*, etsi nuper a Lübkero defensum, non est nisi imperiti alicuius Grammatici perversa et misera interpolatio. — Ceterum *male ominatis verbis* noli cum aliis intelligere de querelis luctuosis propter patres et propinquos, qui in bello ceciderant, sed de omnibus mali ominis verbis, in quae prorumpere poterant.

13—16. *Hic dies*] Iam, ut decet lyricum poëtam, a publica laetitia ad suam transit, ut fecit Od. 1, 37. 4, 2, 45. Epod. 9, 1. — *atras*] Vid. ad Od. 3, 1, 40. — *Eximet*] Quod Cod. antiquiss. B exhibet *exiget* (solus quidem, ut videtur; non enim memorant Ianius, Oberlinus, Fea, Pottierius.), valde memorabile ac fortasse verum est. Sic Od. 4, 15, 18. pro *exiget otium* olim legebatur *eximet otium*. — *tumultum*] quemadmodum nominabant bella Italica et Gallica. Cic. Philipp. 8, 1: *Quid est - aliud tumultus nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur?* Hic poetice pro bello intestino positum videtur. Horatius certe tunc ad externum profectus non esset. — *Nec mori* cet.] «*Non metuam mori* vulgo significat: libens moriar, mori cupio.» HP., id quod ultro concedimus. Verum hic nullo modo scribere poterat poëta: «Nec metuam, ne moriar per vim»; et alibi quoque (2, 2, 7. 4, 5, 20.) v. *metuere* cum infinitivo construxit. *Vis* autem significat «tumultum, bellum» sive intestinum sive externum, a Gallis fortasse rebellibus motum. Hoc vero his vv. tecte significat: «Hic dies reditus Augusti sospitis, quem ego ex animi sententia et amo et veneror, vere mihi festus erit, quia omnes mihi curas eximet, ne intestinae contentiones rursus oriantur, ut factum est post C. Iulii Caesaris interitum.» — *tenente*] Od. 4, 15, 17: *Custode rerum Caesare.*

18. *Marsi memorem duelli*] «conditum bello Marsico s. sociali a. u.

Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa. 20

Dic et argutae properet Neaerae
Murrheum nodo cohibere crinem;

19. Habent *si qua* BbSTcd, non *si quae*, ut volebat Pareus. — *vagacem* Charisius 1, 37. p. 36. Lind. Memorabilis sane lectio. Cf. Paldamus *Rhein. Mus. N. F.* VI. p. 633 sq. — Post v. 24. deficit Cod. d usque ad Carm. 16, 41. — 22. *Murrheum* scripsi cum Iahnio: *Murreum* BbSTc, *βυκ*, Bentl., M, *Myrrheum* LCtF. — *cohibente* Bentl. coni., in quam inciderat iam Muretus ad Tibull. 3, 4, 28.

c. 663–665., iam prope septuagenarium, si qua ratione eiusmodi *testa* (cadus) superstes fuit bello Spartacio sive servili a. 681–683. illasque catervas *fefellit*, latuit.» Apud Iuven. 5, 31. magis etiam hyperbolice: *Calcatamque tenet bellis socialibus uvam* dives. — (In homonymis *cadus* et *testa* (vas) quomodo nuper quis haerere potuerit, haud intelligo.

19. *si qua*] Non recte iungunt nonnulli *si qua testa*, cum nominat. *qua* ubique corripiatur; sed est ablat. adverbialiter positus, «si qua via, sicubi,» ut Virg. Aen. 1, 18: *Si qua fata sinant.* — *vagantem*] ex Campania usque ad Mutinam, inde rursus in Italiam inferiorem, donec in peninsula Rhegiorum a M. Crasso caesus est.

21. *Dic*] Hoc igitur die *vere festo*, ut laetitiam cumularet, solus cum sola esse volebat, quemadmodum Od. 2, 11, 21. alia psaltria simili consilio arcessitur ad convivium cum Quinctio celebrandum. Nullus autem eius aequalium hac de re eum reprehendere poterat, nostri ut sine dubio facerent homines pii et gravissimi. Facete vero deinde significat etiam sine amica diem illum sibi fore laetissimum. (Haec notanda iam erant propter HP. atque Eichstadium, quos peritiores morum Romanorum atque huius aetatis Italorum esse decebat.) — *argutae*] «canorae psaltriae.» Epp. 2, 2, 90: *argutos – – poëtas.* Virg. Ecl. 9, 36: *argutos inter strepere anser olores.*

22. *Murrheum*] «per se aeque bene olentem ac si myrrhino unguento esset delibutus.» De colore «inter flavum et nigrum» (id est, fusco) falso, ut videtur, interpretantur Scholiastae. Qui hoc praeferunt, appellant Propertii 3, 10, 22: *Et crocino nares murheus ungat onyx.* — *cohibere*] Muretus, Bentl., Cuningh. *cohibente* ideo praetulerunt, quia v. *properet* acceperunt pro «propere veniat», ut Od. 2, 11, 23: *maturet*; verum in eo ipso, quod illa *properet cohibere*, inest sententia: «nodo simpliciter religato (Od. 2, 11, 23.) exeat domo statimque ad me veniat.»

23–25. *Si per* cet.] «Si molestus ille ianitor, qui saepe, dum alii amatores apud eam sunt vel cum delicias ipsa facit, ut cupidinem meam excitet, me excludit, nunc quoque te non admittet, noli id nimium curare, sed ad me illico redi; nam et sine Neaera, ubi mecum esse recusarit, festum ac laetum diem celebrabo: capillus enim *praecanus* (Epp. 1, 7, 26.), aetas iam provectior (quadragenaria), mitigat animi affectiones nimis turbidas.» — *Ianitor* autem est servus ipsius libertinae innuptae,

Si per invisum mora ianitorem
Fiet, abito.

Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae;
Non ego hoc ferrem calidus iuventa
Consule Planco.

27. *iuventa* om. T.

qui huius iussa, pro talium feminarum quotidiano lubitu saepe volubilia atque sibi repugnantia, illico exsequi debet, non (ut calumniaturus poëtam HP. dicit: «Tali mulieri nemo sanus dederit ianitorem.») custos a marito additus, quemadmodum sane Tibull. 1, 2, 5: *Nam posita est nostrae custodia saeva puellae.* Propert. 2, 23, 9: *Cernere uti possis voltum custodis amari.*

27. *Non ego hoc ferrem*] «Si eiusmodi ἑταίρα mecum potare aspernata esset *consule* L. Munatio *Planco* cum M. Aemilio Lepido II. a. u. c. 742., cum XXII. annos natus eram, non ferrem, sed eius fores expugnarem.» — Miram διλογίαν odoratus nuper philologus quidam haec ita exposuit: «Illo anno, quo adolescens Philippis depugnavi, Octaviani dominationem ego quoque oderam; nunc longe aliter sum in eum animatus: sic etiam vos, Romani, illum veneramini!» Apage!

CARMEN XV.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae fige modum tuae
Famosisque laboribus:
Maturo propior desine funeri

Inter ludere virgines
Et stellis nebulam spargere candidis.

XV. Inscr. volg. *In Chlorin.* — *Ad Chloridem* BbSTc. — 2. *fige*] *pone* bT, unus Cruquii, tres Pottierii. (non BSc.)

XV. Moecham vetulam etiam propter eius inopiam iocose traducit. Ut tempus compositionis (quod volunt esse alii a. 732., alii 735.), sic ignoramus, utrum Chloris et Pholoë personae sint fictae, an re vera Chloris, antequam nuberet homini tenui, quem Ibycum nominat, poëtam, ultionis haud oblitum, aliquando acriter offenderit.

1. *pauperis*] Non «honesti ac tenuis», ut ait Schol., sed propter mariti quoque paupertatem, non solum propter aetatem modestior tandem fiat optat..

2 - 4. *nequitiae*] «effusae libidini.» Ovid. A. A. 2, 392: *Nec sint nequitiae* (concubitus) *tempora certa tuae.* — *Figere modum* pro «constituere, ponere» dixit etiam Cic. Parad. 3, 2. (*Pone* Codd. aliq. est e gloss.) — *laboribus*] «meretriciis artibus tibi ipsi paullatim senescenti molestis et ab omnibus iam mala fama notatis.» — *Maturo*] «iamiam tibi instanti.» — *funeri*] Nicarchus in Anth. Pal. II. p. 342: Ἧκμασε Νικονόη. κἀγὼ λέγω. ἤκμασε δ' αὐτή, Ἡνίκα Δευκαλίων ἄπλετον εἶδεν ὕδωρ. Ταῦτα μὲν οὖν ἡμεῖς οὐκ οἴδαμεν, ἀλλ' ὅτι ταύτην Οὐκ ἄνδρα ζητεῖν νῦν ἔδει, ἀλλὰ τάφον.

5 - 7. *ludere*] «lascivire.» Publius Syrus 49: *Anus cum ludit, morti delicias facit.* — *Et stellis*] «Dum tu filiam comitata te immisces puellis aetate florentibus, earum nitorem ita obscurare soles, ut ne in illis quidem contemplandis libenter immoremur.» — *Pholoën*] «Non, si quid filiam tuam decet, idem propterea in te quoque placere potest.» Acerbe matri anui filiam formosam opponit. Eodem autem *Pholoës* nomine utitur Od. 1, 33, 7. Od. 2, 5, 17.

9. *Expugnat*] Proprie intelligo de meretricum petulantium commissationibus ioci causa ad adolescentium fores ita ductis, ut alias hi solebant amicarum ianuas effringere. Alii figurate: «Mulieris forma telorum instar viros etiam fortissimos sauciat atque labefactat.» Sed illud longe efficacius et ad illius temporis mores accommodatius. Seneca Praef. ad Nat. Quaest. 4: *Crispus Passienus saepe dicebat, adulationi nos opponere, non claudere ostium, et quidem sic quemadmodum opponi amicae solet, quae, si impulit, grata est, gratior, si effregit.*

10. *Thyias*] Hom. Hymn. Cer. 387: Ἥιξ' ἠΰτε μαινὰς ὄρος κατὰ

Non, si quid Pholoën satis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat iuvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivae similem ludere capreae:
Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae decent
Nec flos purpureus rosae
Nec poti vetulam faece tenus cadi.

10. *thias* T. — 16. *Nepoti* T. — *vetula* BbSTc,βγ et pr. κ, duo Cruquii, septem Pottierii.

δάσκιον ὕλῃ. Pacuvius in Teucro pag. 143. Bothe: *Flexanima tamquam lymphata aut Bacchi sacris Commota - - Halcyonis ritu litus pervolgans feror*. Ad solam Pholoën respexisse poëtam arbitror nec cogitasse de Chloride aut Graeco illo proverbio: *γραῦς ἀναθυᾷ, ἀναβακχεύει*. — *tympano*] Tympana et cymbala frequentius in Romanis et poëtis et *ἀναγλύφοις* quam in Graecis obvia sunt, nisi quod comparent interdum etiam in vasis per Magnam Graeciam pictis. (Gerhard *Vasengem.* pag. 148.) Et Diogenes tragicus apud Athen. 14. pag. 636: *Καίτοι κλύω μὲν Ἀσιάδος μιτροφόρους Κυβέλας γυναῖκας, παῖδας ὀλβίων Φρυγῶν, Τυπάνοισι καὶ ῥόμβοισι καὶ χαλκοκτύποις Βόμβοις βρεμούσας ἀντίχερσι κυμβάλων Σοφὴν θεῶν ὑμνῳδὸν ἰατρόν θ' ἅμα*.

12. *capreae*] Dionys. Per. 843: *Παρθενικαὶ νεοθηλέες οἷάτε νεβροὶ σκαίρουσιν*.

13. *Te lanae*] «Te iam unice lanificium decet.» Ad Luceriam, Apuliae oppidum, optimae lanae tondebantur. Plin. H. N. 8, 48. Epigr. in Anth. Pal. I. pag. 278: *Ἡ τὸ πρὶν αὐχήσασα πολυχρύσοις ἐπ' ἐρασταῖς, Ἡ Νέμεσιν δεινὴν οὐχὶ κύσασα θεόν, Μίσθια νῦν σταθίοις πενιχροῖς πηνίσματα κρούει. Ὀψέ γ' Ἀθηναίη Κύπριν ἐληίσατο*. Tibull. 1, 6, 77.: *victa senecta Ducit inops tremula stamina torta manu*.

15. *Nec flos*] Od. 4, 10, 4: *puniceae flore rosae*. Conviviorum duas partes memorat, coronas roseas et compotationem.

16. *faece tenus*] usque ad faecem propter aviditatem. Archiloch. Fr. 4: *ἄγρει δ' οἶνον ἐρυθρὸν ἀπὸ τρυγός*. Theocr. 7, 70: *Αὐταῖσιν κυλίκεσσι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρειδων*. Od. 1, 35, 26: *cadis Cum faece siccatis*. — Qui *vetula faece* legunt, comparant Catull. 27, 1: *Minister vetuli puer Falerni*. Sed significantior volgatae indignatio in anum quam hoc faecis *ἐπίθετον* ingratissimum, et manifestum est plurimorum utique Codd. lectionem ortam esse ex accommodatione ad proximum vocabulum.

CARMEN XVI.

Inclusam Danaën turris aënea
Robustaeque fores et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium virginis abditae 5

XVI. Inscr. volg. *Ad C. Maecenatem*, et sic BbSTc. — 1. *danain* T.

XVI. Cum mirarentur fortasse nonnulli, cur Horatius ad consequendas opes haud melius uteretur favore, quo gaudebat apud Augustum et Maecenatem, his ita respondet, ut sua se sorte prorsus contentum esse demonstret, adeoque a maioribus divitiis tamquam onere animum suum abhorrere; quod si tamen unquam contingat, ut plura velit, se in Maecenatis nota liberalitate acquieturum esse. — «Constat post a. 722. compositum esse, quod poëta villam iam possedit. (v. 25. 39.) Praeterea nil de aetate scimus.» Franke.

1. *Inclusam*] Sententiarum nexus: «Summa quidem divitiarum vis est; at eaedem et calamitates afferunt et curas; quocirca paucis contentus ego cum Stoicis nihil cupientibus facio.» — *Danaën*] Fundus fabulae Iliad. ξ, 349. Tum confer Simonidis notum λείψανον, Pseudeuripidis Danaës Prologum, Apollod. 2, 4, 1. et locum primarium Pausan. 2, 23, 7. Aurum in eius gremium descendens v. *Mus. Borb.* II. T. 36. et XI. T. 21. — *turris aënea*] Sophocl. Antig. 945. vocat χαλκοδέτους αὐλάς, et El. 384: κατηρεφῆ στέγην.

2. *Robustae*] «firmissimae.» Post v. *aënea* minus equidem poëticum crediderim hoc cum Forcellino aliisque explicare: «ex robore factae, quernae.»

3. 4. *Tristes*] severae. Ovid. A. A. 3, 604: *tristis custodia servi.* — *munierant*] ex opinione scilicet Acrisii. Eadem constructione Od. 2, 17, 28: *Sustulerat, nisi - - levasset.* — *adulteris*] etiam de iis dicitur, qui virginum castitati insidiantur.

6 - 8. *pavidum*] oraculi metu. Apollod. l. l.: χρηστηριαζομένῳ ὁ θεὸς ἔφη γενήσεσθαι παῖδα ἐκ τῆς θυγατρός, ὃς αὐτὸν ἀποκτείνῃ. — *fore enim*] «sc. sciebant.» Gl. Cod. T. «probe enim sciebant dicebantque inter se facilem fore aditum ad virginem Iovi in aurum mutato.» — *in pretium*] «in aurum, quo corrumperentur custodes.» Asclepiades in Anth. Pal. I. p. 102: Ζεῦ, διὰ χαλκείων χρυσὸς ἔδυς θαλάμων. Cum levi εἰρωνείᾳ totam hanc fabulam tractat iam Horatius; minus urbane posteriores poëtae ipsam Danaën auro corruptam narrant, ut Ovid. Am. 3, 8, 33: *Sed postquam sapiens in munera venit adulter, Praebuit ipsa sinus et dare iussa dedit.* Paulus

Custodem pavidum Iuppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium deo.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo: concidit auguris
Argivi domus ob lucrum

Demersa exitio; diffidit urbium

6. Hunc v. sequitur 28. et reliqua desunt in B. — 7. *risisset* malebat Bentleius. — 13. *Dimersa* T. — *excidio* c,x «et alii» Bentleii, Pott. sex, Lt. (non bST.)

Silent. Anth. Pal. I. p. 447: *Χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν ἄμμα κορείας Ζεὺς διαδὺς Δανάας χαλκελάτους θαλάμους. Φαμὶ λέγειν τὸν μῦθον ἐγὼ τάδε· χάλκεα νικᾷ Τείχεα καὶ δεσμοὺς χρυσὸς ὁ πανδαμάτωρ.* Rutilius 1, 360: *Virgineosque sinus aureus imber emit.*

9. *Aurum*] Fragm. Lyrici in Diodori Fragm. Dindorf. p. 435: *Ὦ χρυσέ, βλάστημα χθονός, Οἷον ἔρωτα βροτοῖσι φλέγεις, Πάντων κράτιστε, πάντων τύραννε· Πολεμεῖς δ' Ἄρεος Κρείσσον' ἔχων δύναμιν. Πάντα θέλγεις· ἐπὶ γὰρ Ὀρφείαις μελῳδίαις Εἵπετο δένδρεα καὶ Θηρῶν ἀνόητα γένη, Σοὶ δὲ καὶ χθὼν πᾶσα καὶ πόντος καὶ ὁ παμμήστωρ Ἅρης.* Apul. Met. 9, 18: *certus fragilitatis humanae fidei, et quod pecuniae cunctae sint difficultates perviae auroque soleant adamantinae etiam perfringi fores.* — *satellites*] «tyrannorum custodes, qui auro corrupti illorum interfectoribus favent.»

10. *amat*] «*φιλεῖ*, solet.» — *saxa*] In tropo haud nimis argutandum, utrum res durissimas quasque, an tantummodo castella in rupibus posita ante oculos habuerit. De his quidem plerique intelligunt; sed sic nimis similis est sententia *diffidit urbium Portas* cet.

11. 12. *auguris Argivi*] Amphiarai, qui inductus ab uxore Eriphyla, quae a Polynice aureo monili corrumpi se passa erat, cum Adrasto expeditionem adversus Thebas suscepit, ubi terrae hiatu absumptus est; Eriphyla autem in patris ultionem ab Alcmaeone necata est. Fundus fabulae Odyss. λ, 326 sq. Cfr. Apollod. 3, 6. Ovid. Met. 9, 406. Stat. Theb. 2, 267. (Eriphylam precibus et monili in mariti perniciem a Polynice illectam monstrat Inghirami *Gall. Om.* III. T. 71. et 72.; alias eius imagines videsis in Müller *Denkm.* II. N. 98. et Gerhard *Vasengem.* T. 91. De Amphiarai autem interitu eiusque apud Oropios cultu cfr. Paus. 1, 34, 2.) — *domus*] non «aedes», sed «genus, familia.»

13. 14. *Demersa exitio*] Alii *excidio*; sed tum potius dicendum fuisset *eversa excidio*. Vide Bentleium. — *diffidit*] velut fulmine; «perfregit.» — *urbium*] Olynthi, Potidaeae, Amphipolis, Pydnae cet. Plutarch. in L. Paullo Aemilio cap. 12: *Ἐρρέθη γοῦν, ὅτι τὰς πόλεις αἱρεῖ τῶν Ἑλλήνων οὐ Φίλιππος, ἀλλὰ τὸ*

Portas vir Macedo et subruit aemulos
Reges muneribus; munera navium
Saevos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab dis plura feret: nil cupientium

22. *A* T,LCtF.

Φιλίππου χρυσίον. Et vaticinata ei erat Pythia teste Diogeniano Adag. Cent. 2, 84: *Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα κρατήσεις.* Cic. ad Att. 1, 16: *Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere.* Iuvenali 12, 47. est *callidus emptor Olynthi.* — *subruit*] «subvertit *reges aemulos*, Pausaniam, Argaeum II., ut et Arrhybam Molossorum, Chersoblepten Thracum regem, corruptis exercituum ducibus.» Quid, quod apud poëtam v. *reges* complecti simul etiam potest Euthycratem et Lasthenem, Olynthiorum principes, a *mercatore Graeciae* (Val. Max. 7, 2. ext. 10.) corruptos? — Imago in v. *subruit* a cuniculis in urbes obsessas actis repetita est.

15. 16. *navium — — duces*] Menas, Cn. Pompeii libertus, dux classis Sex. Pompeii, hoc deserto a. u. c. 716. ad Octavianum desciverat, mox eo relicto ad Pompeii rursus partes transierat indeque iterum cum Octaviano se coniunxerat. Poterat autem hunc hominem Horatius eo facilius notare, cum ab ipso Octaviano proditor, ut fit, contemneretur. Dio 48, 45. et 49, 1. Sueton. Oct. 74. — *illaqueant*] «alliciunt et corrumpunt.» Multo frequentius est *irretire*.

17. 18. *Crescentem*] Theocr. 16, 64: *ἀνήριθμος δέ οἱ εἴη Ἄργυρος· αἰεὶ δὲ πλεόνων ἔχοι ἵμερος αὐτόν.* Iuven. 14, 139: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* — *Maiorumque*] «maiorum opum.»

18. 19. *Iure perhorrui*] «Divitiis eminere inter ceteros ac propterea caput attollere, superbire merito semper aspernatus sum.» — *tollere verticem*] Od. 1, 18, 15: *tollens vacuum plus nimio gloria verticem.* — *conspicuum*] per prolepsin: «ita tollere, ut propterea late conspicuus fiat.»

20. *equitum decus*] Non sine causa in tali sententiarum serie hac appellatione usus est, qua quemvis equitem Romanum illustrem salutare poterat, significans Maecenatem huius ordinis fine semper contentum fuisse, nec, quod facillimum ei fuisset, voluisse transire in ordinem senatorium aut ullos gerere magistratus ordinarios; id quod perspexit iam Acron.

21. *Quanto*] «Quanto paucioribus vitae commodis homo contentus est, eo pluribus gaudiis fruitur, cum praesertim liber sit ab omni taedio ac fastidio, quae quidem

Nudus castra peto et transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemptae dominus splendidior reï,
Quam si quidquid arat impiger Apulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

25. *Contentae* corr. x aliique Pulm. et Torr., probante Cantero; volebant esse «artae, mediocris», quod ne Latinum quidem est. — 26. *non piger* Ed. Locheri, Aldinae, Ct. (Ut nos, omnes nostri, Cruquii, Bentleii et Pottierii.)

gaudia tam pura tamque grata merito pro deorum donis habentur.» Stoicis hic sententiis utitur.

23. *Nudus*] «Sine armis», *«ohne die Mittel zum Reichthume»*, cum aliis equidem explicare nolim, sed: «omnibus ultro renuntians, quibus opus non est.» — Iam fingit quasi bina castra; hinc partes *nihil cupientium*, illinc partes *divitum*, divitiis unice inhiantium, quibuscum nihil sibi commune esse affirmat. «Non sic accipienda verba, tamquam fuerit iam in partibus divitum, sed quatenus is, cui inter duas partes oppositas constituto altera utra eligenda est, dum unam praefert et amplectitur, ab altera longius illico refugit.» Lani. Omnino alterum membrum maximeque v. *transfuga* continuandae prioris membri metaphorae inservit. Simili imagine usus est Cicero ad Fam. 9, 20: *In Epicuri nos adversarii nostri castra coniecimus.* Lucian. Somn. 12: ὁ Σωκράτης δραπετεύσας παρὰ τῆς ἑρμογλυφικῆς ηὐτομόλησεν ὡς ἐμέ (τὴν Παιδείαν).

25. *Contemptae*] «ab aliis ditioribus parvi factae et despectae;» nam qui multas villas cum magnificis aedibus, vivariis, piscinis Tusculi, in Campania et in Apulia possidebant, pro homine paupere habebant Horatium, unici Sabini dominum. Simplicior certe haec videtur explicatio quam Bentleiana illa prope nimis Stoica: «spretae, non cupitae a me ipso»; et repugnat quodammodo ea beatitudo, quam mox sibi reperire videtur in rebus item externis. — *splendidior*] «sed sic tamen, cum contentus sim bonis paratu facilibus et paucis, me locupletiorem ac beatiorem esse sentio eo, qui magnis opibus praeditus maiores captare nunquam desinit.» — *rei*] dissyllabum.

26. 27. *arat*] Ultima syllaba producitur in caesura, id quod ignorantes nonnulli scripserunt *non piger*. Vid. ad Od. 3, 24, 5. — *Apuli* autem, quorum ut popularium frequenter recordatur, rustici erant laboriosi ac strenui. — *Occultare*] «reconditum habere», ut solebant latifundiorum possessores retento in horreis frumento annonam premere. — *meis - horreis*] «non conductis»; auget hoc hominis opulentiam. Od. 1, 1, 9: *Illum, si proprio condidit horreo* cet. — *inter opes inops*] Claudian. in Rufin. 1, 199: *Nunquam dives eris, nunquam satiabere quaestu; Semper inops, quicunque cupit.*

Purae rivus aquae silvaque iugerum
Paucorum et segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.

Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi nec pinguia Gallicis

29. *que* om. T. — 31. *Fulgente* Bentleius coni. — 32. *Fallit. Sorte beatior, Quamquam* Wakefield, Doering. (Corr. Regel.) — 33. *ferant* T.

29. 30. *rivus*] Digentia in Horatii Sabino. Epp. 1, 16, 12. 18, 104. — *silvaque*] Epp. 1, 16, 9: *quercus et ilex.* — *certa fides*] «ideo, quod eum proventum quotannis mihi effert, quem exspectare par erat.» *Treu zinsend* Voss. Opponitur *fundus mendax* Od. 3, 1, 30. (Cic. ad Fam. 16, 17, 1: *Et doctrina et domus et ars et ager etiam* fidelis *dici potest, ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda tralatio.* Philemon. Mein. p. 406: *δικαιότατον κτῆμ' ἐστὶν ἀνθρώποις ἀγρός.* (Mire nuper aliquis interpretatus est: «de quo agro nec sollicitudo neque metus ullus me angit», et aeque male: *Fallit*] «*stellt den in Schatten*», «umbra eum obscurat.»)

31. *Fulgentem*] Sententia haec est: «Homo locuples omnino intelligere nequit me, quia tenui mea condicione satis superque contentus sum, longe feliciorem esse, quam ipse est, multis semper curis districtus.» Iam is *fulget imperio fertilis Africae*, id est, «latissimas in Africa possessiones habet», ut recte iam Acro; neque vero interpretandum de Africae proconsule. Seneca Ep. 89: *Parum est, nisi trans Hadrianum et Ionium Aegaeumque vester villicus regnet; — quam vultis late possidete; sit fundus, quod aliquando imperium vocabatur.* Meum autem Sabinum *fallit*, latet eum *sorte*, possessione, *beatius (ὄν)*; id est: «nescit ille praedium meum maiora mihi gaudia praebere, quam ipse haurit ex multis et amplissimis suis possessionibus.» *Fallit*, nota significatione, pro «*τὸν πλούσιον λανθάνει πολὺ ὀλβιώτερον ὄν.*» Propert. 1, 4, 15: *Quo magis et nostros contendis solvere amores, Hoc magis accepta fallit uterque fide;* «eo magis te latet nos mutuam nobis fidem servare.» Cum v. *sors* significet, quod nos dicimus *das Kapital*, *die Besitzung*, h. l. idem est, ac si dixisset *pretio*. Ablativus autem est instrumentalis: «beatior per pretium suum, quod ad pretium attinet»; neutiquam vero comparativus: «quam sors est fulgentis imperio Africae,» ut alii volunt.

33. 34. *Calabrae*] Calabrum mel, ut Hymettium atque Hyblaeum, melioribus adnumerabatur. Od. 2, 6, 14. Od. 4, 2, 27. — *Laestrygonia*] Scilicet Formiani oppidum suum Homericam illam *τηλέπυλον Λαιστρυγονίην* (Odyss. *κ*, 82.) esse ferebant. Cic. ad Attic. 2, 13. Ovid. Met. 14, 233: *Lami veterem Laestrygonis, inquit, in urbem Venimus.*

35. *Languescit*] «mitescit paullatim.» Colum. 1, 6, 20: *vina celerius vetustescunt* fumo. — *pinguia*] «spissa et copiosa.» Oves *εὔερφεες*, *δασύμαλλοι* (Odyss. *ι*, 425.) erant

Crescunt vellera pascuis,
Importuna tamen pauperies abest,
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei

38. *Ne* T. — 39. *Contracta* c. (non bST.) — 41. *Haliatici* S, *haliattici* T, *Halyattici* L, *Alyattici* Ct.

Gallicae (in Gallia Cisalpina) praecipue Altinates. Colum. 7, 2, 3. Plin. H. N. 8, 48: *Alba (lana) Circumpadanis nulla praefertur.*

37. *pauperies*] Nolim hic et Od. 1, 12, 43. cum quibusdam pro persona pauperiem habere, ut est apud Platonem in Symp. p. 203. B. Amoris mater, et iam ante veluti dea molesta Theognidi v. 354. B: *Ἁ δειλὴ πενίη, τί μένεις προλιποῦσα παρ' ἄλλον Ἀνδρ' ἰέναι; μὴ δή μ' οὐκ ἐθέλοντα φίλει, Ἀλλ' ἴθι καὶ δόμον ἄλλον ἐποίχεο, μηδὲ μεθ' ἡμέων Αἰεὶ δυστήνου τοῦδε βίου μέτεχε. Importuna* autem *pauperies*, ut Hesiod. Theog. 593: *οὐλομένης πενίης.*

38. *Nec, si*] Haec quam maxime probant per totum carmen ex animi sententia locutum esse Horatium, nequaquam vero, ut nonnullis visum est, exercitationis causa bellas Stoicorum sententiolas in unum contulisse. — Sane nihil facilius ei fuisset quam obtinere vel a Maecenate vel ab ipso Augusto fructuosius aliquod et amoenius praedium praeter Sabinum, sed noluit *divitias operosiores* acquirere. Cfr. Epod. 1, 34: *Satis superque me benignitas tua Ditavit.*

39. 40. *Contracto - - cupidine*] *Cupido* pro cupiditate semper generis masculini est apud Horatium. Cfr. ad Od. 2, 16, 15. *Contracto* autem: «certis limitibus circumscripto et veluti coartato.» Stobaeus S. 39: *Ἐπίκουρος ἐρωτηθείς, πῶς ἄν τις πλουτήσειεν, οὐ τοῖς οὖσι προστιθείς, ἔφη, τῆς δὲ χρείας τὰ πολλὰ περιτέμνων.* — *vectigalia*] Voc. a reditibus publicis paullatim tralatum ad privatos. Cic. ad Att. 12, 19: *Non egeo vectigalibus et parvo contentus esse possum.* de Rep. 4, 7: *Optimum et in privatis familiis et in re publica vectigal duco esse parsimoniam.* Parad. 6, 3: *Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia.* Sat. 2, 2, 100: *ego vectigalia magna Divitiasque habeo.* — *porrigam*] «extendam, augebo, extento ipso agello Sabino vel aliis emptis;» non vero, ut alii volunt: «pendam, persolvam aerario populi Romani», ut pessime interpretati sunt Acro et recentiorum nonnulli. Qui sic explicaverunt, prorsus obliti erant cives Romanos tunc tributa non pependisse. Seneca Ep. 89: *Quousque fines possessionum propagabitis? - - quousque arationes vestras porrigetis?*

41-43. *si Mygdoniis* cet.] «Si Lydiam campis Phrygiis continuem.» *Continuare agros* (ut est etiam apud Cic. Agr. 3, 4: fundos *in agro Casinati optimos et fructuosissimos continuavit.* et Liv. 34, 4.) significat «ita coëmere, ut nullus alienus fundus interiectus sit.» — *Alyattei*]

Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa: bene est, cui deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

ut *Achilloi*, *Ulixei*, ab *Alyatteus* pro *Alyattes*. Olim: *Alyattici*, quod de Croeso, Alyattis filio, interpretabantur. — Quoniam, ut monstravit postremus Editor Batavus, multi adhuc sunt, qui hunc locum simplicissimum non satis intelligant, sic brevi enarrandus videtur: «Cupiditatibus domitis, quemadmodum sapientem decet, efficiam, ut vere dives beatusque fiam; id quod minime contingit iis, qui summis opibus praediti, adeo ut amplissimos fundos per totam Asiam coëmant, maiorum tamen semper cupidi maneant.» Alpheus in Anthol. Pal. II. p. 39: *Οὐ στέργω βαθυλητους ἀρούρας, Οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης. Ἀὐτάρκους ἔραμαι βίου, Μακρῖνε· Το μηθὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν με τέρπει.* — *bene est*] Supple «ei»; «beatus ille est, propter id ipsum, quod nimiis bonis, quibuscum semper curae et sollicitudines coniunctae sunt, eum deus non cumulavit.» Epp. 1, 1, 89: *iurat bene solis esse maritis*. Catull. 21 (al. 23), 15: *Quare non tibi sit bene ac beate?*

CARMEN XVII.

Aeli vetusto nobilis ab Lamo, —

XVII. Inscr. volg. *Ad Aelium Lamiam*, et sic BbST. — *Aelio Lamiae* c.

XVII. Carmen scriptum videtur ad L. Aelium Lamiam (v. Od. 1, 26. Cfr. Epp. 1, 14, 6.), non ad eius fratrem Quintum, cuius exstat nummus cum inscriptione: *Q. AELIVS. L. F. LAMIA. IIIVIR. A. A. A. F. F.* (Riccio *M. F. R.* p. 6. T. 1.) (Quo tempore compositum sit, ignoramus; nonnulli referunt ad a. 731.) Lamiam autem *suum* (Od. 1, 26, 8.) hortatur, ut *cras* eo hilarius diem festum celebret, quanto magis ex *διοσημείοις* procellosus sit futurus: quae quidem imago mere poëtica videtur ideo excogitata, ut ad laetiorem vitae usum amicum exhortaretur, neutiquam faceti ioci plena, quemadmodum nonnullis visum est; fictum enim arbitror totius carminis statum, ut ex tempore inde ab uno die in alterum compositum videatur, cum tamen in ipsa illa *παρενθέσει* a multis nostrae aetatis Criticis damnata quam maxime limatum sit. Ex solito autem Romanorum nobilium more stirpem suam Graeculi alicuius genealogi ope ad hunc illumve heroëm referendi, hic certe Lamia (utrum per fastum quendam, an ioci causa, nos ignoramus) auctorem suae familiae praedicabat Lamum, Neptuni, ut ait Eustathius, filium, Laestrygonum regem (Odyss. κ, 81: *Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον, Τηλέπυλον (die weit sich mündende: Nitzsch.) Λαιστρυγονίην*. Plin. H. N. 3, 5: *Oppidum* (Latii) *Formiae Hormiae dictum, ut existimavere, Laestrygonum sedes.* Huic igitur opinioni gratificatus tam illustrem «prosapiam» octo versibus includit, digressione utens inde a v. 2. usque ad v. 9: *Late tyrannus*, qui vv. in *παρενθέσει* sunt. Sic Memmii a Mnestheo, Sergii a Sergesto, a Cloantho Cluentii (Virg. Aen. 5, 117—123.), Atii ab Aty (Ib. 568.), Mamilii per Mamiliam, Telegoni filiam, ab Ulixe (Festus p. 97. Lind. Riccio *M. F. R.* p. 133.) cet. Hinc Varronis et Hygini libri de familiis Troianis. (Ritschl *N. Rh. M.* VI. 4. pag. 507.) Similiter Livius 1, 49: Octavius Mamilius, *si famae credimus, ab Ulixe deaque Circa oriundus.* Vide Eckhel D. N. V. p. 242. Simulata autem, ni fallor, huius digressionis gravitas admodum festive opponitur reliqui carminis hilaritati, atque hanc propter rationem Ramlerus recte comparavit Catulli C. 11.

1 – 3. *nobilis*] Lamiarum familia nobilissimis adnumerabatur. Tac. Ann. 6, 27: Lamiae *genus – decorum.* Iuven. 6, 385: *Quaedam de numero Lamiarum ac nominis alti*; item 4, 154.

Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos;
Auctore ab illo ducis originem,

Vv. 2-5. *Quando - - originem* suspecti Sanadono, Ianio, Buttmanno, Webero, Meinekio, Regelio, Lübkero, aliis. Totum carmen Horatii esse negat Hofman Peerlkamp. — 4. *Fastus* S, β, pr. x. (non BbTcd.) Cfr. Carm. 4, 14, 4. — 5. *ducit* auctore D. Heinsio Bentleius. (Omnes mei, etiam d, Bentleii, Pottierii cet. *ducis*.)

2. 3. *Quando*] «quoniam, siquidem.» Schol. Raro quidem sic usurpat Horatius (Sat. 2, 5, 9.); hic nescio quid habet lepidae gravitatis, quasi magnum huic de Lamo παραδόσει pondus tribueret. — *hinc*] de persona vel etiam stirpe, ut Virg. Aen. 1, 21: *Hinc populum - - Venturum*. Ibid. 235: *Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucri*. Od. 1, 12, 17: *Unde nil maius generatur ipso*. Censorin. 22, 9: Romulus nominavit *Aprilem ab Aphrodite, id est, Venere, unde maiores eius oriundi dicebantur*. — *priores*] Eos intelligit, qui vixisse credebantur inter primum Aelium Lamiam in huius familiae commentariis vel laudationibus funebribus memoratum et Lamum regem, Troianorum temporum aequalem; nam certe ne Iulia quidem gens totam seriem maiorum suorum inter primum Iulium ex Annalibus Pontificum aut aliunde historica fide notum et Iulum Aeneae F. nominatim explere unquam conata erat, nec magis eae gentes, quibus similem originem fabulosam tribuunt Virgilius et Silius. *Prioribus* («*der Vorwelt Lamiern*», Voss.) autem opponuntur *nepotes*, ii, quorum de nominibus certa fide constabat. — *ferunt*] «vetusta et constans fama est.» Nihil inest incerti ac dubii.

4. *memores - - fastos*] Od. 4, 14, 4: *Per titulos memoresque fastos*; «qui maiorum res gestas atque honores ad posteritatem propagant.» Quaerunt grammatici *fastosne* an *fastus* rectior forma sit. Prior sane antiquior Horatii etiam aetate videtur usitata fuisse. Alterius certum est exemplum Lucan. 10, 187: *Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus. Fastus* edunt etiam apud Silium 2, 10. Priscianus 6, 14: *Apud Horatium duplicem invenio scripturam et* FASTOS *et* FASTUS *in III. Carminum:* PER - - FASTOS *et* FASTUS *in aliis codicibus*. H. l. intellige potissimum de stemmatis (genealogiis) huiusce familiae. Nam in Fastis consularibus unus comparet hic ipse Lamia, consul a. u. c. 756; nec alius praeter Lucium, eius patrem, praetorem, memoratur a Pighio.

5. 6. *ducis*] Quid pro speciosa D. Heinsii coni. *ducit* dici possit, vide apud Bentleium, acrem et ingeniosum eius defensorem. Ego re denuo pensitata ad librorum auctoritatem nunc reverti, Iahnii interpretatione probata. In Heinsiana ratione nimis tenuis videtur illa unius versiculi appellatio *Aeli - - Lamo*; nimis copiosa Lamii generis mythica historia; aptius ergo post digressionem v. 2-4. v. 5. redit ad v. 1. Post exordium autem, quod ipsa sua verbositate iocum adiuvat, abruptius procedit ad praecipuum carminis argumentum *cras* cet. Criticus quidem no-

Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim

Late tyrannus: — cras foliis nemus
Multis et alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro

8. *Lirin* Ct. (Codd. *Lirim.*)

bilis coniect. *ducit* praeferens haec scripsit: «Exstitit nuper, qui lectionem *ducis* rursus tueretur hunc-que loci sensum traderet: «« Siquidem priores Lamiae eorumque nepotes a Lamo recte denominati sunt, tu ducis originem ab eo, qui »» cet.» (Sunt haec Iahnii verba.) «Sed in hac verborum iunctura non posse pronomen *tu* omitti, suamet ipse interpretatione vir doctissimus declaravit.» Verum pronomina oppositionis, in prosa oratio nenecessaria, a poëtis interdum omittuntur. Cfr. Od. 2, 17, 30: (tu) *reddere victimas - - memento: Nos humilem feriemus agnam.*

7. *Maricae*] deae litoris Minturnensium, iuxta Lirim *(Garigliano)* fluvium. Serv. ad Aen. 7, 47. Circen ita appellatam fuisse post mortem, ut Romulum Quirinum, Ledam Nemesin, refert Lactant. Institt. 1, 21. Eius lucus erat in ipsa Minturnensi civitate. «Huius igitur Nymphae litoribus innatat, ea placide perfluit, Liris, donec in mare exeat.» Claudian. de Probini et Olybrii Cons. 259: *Eridanus flavaeque terens querceta Maricae Liris*, ubi prima syllaba corripitur. Non tamen propter hanc Maricae et Liris mentionem, quae ornamento tantummodo inservit, cuius ope grata amoenissimae regionis species nobis ante oculos ponatur, statuendum est cum nonnullis, Lamiam in ora Campaniae tunc degisse suaviterque rusticatum esse, minus etiam Horatium tacite significare se convivam a Lamia cras adhiberi velle. Bellum profecto fuisset iter ex uno die in alterum vel ex Sabino vel ex Urbe in Campaniam propter unam coenulam! Locorum profecto parum memor fuit, qui istam interpretationem excogitavit. Cf. ad v. 16.

9. *Late tyrannus*] dominator, *εὐρυκρείων*. Sic Hesiod. Theog. 486: *Οὐρανίδῃ μέγ' ἄνακτι*. Virg. Aen. 1, 24: *populum late regem*. Ovid. Heroid. Epist. 17, 57: *Phrygiae late primordia gentis*. Plinius Epp. 3, 5: Drusus, *Germaniae latissime victor*. Haec potissimum *ὑπερβολῇ* locosi nescio quid habet. — *nemus - - Sternet*] «nemoris solum consternet.» Mire quidam cavillatus est Horatium: «Nemus, inquit, *privatur* foliis, non *sternitur*.» Quasi vero non sit h. l. facillimum zeugma.

10. 11. *alga-inutili*] «Cuius nullus est usus, nisi forte ad laetamen inde faciendum. (Pallad. Mart. 10, 13.)» Hinc proverbium *vilior alga*. Sat. 2, 5, 8. et Virg. Ecl. 7, 42. De re cf. Iliad. 9, 6: *ἄμυδις δέ τε κῦμα κελαινὸν Κορθύεται, πολλὸν δὲ παρὲξ ἄλα φῦκος ἔχευαν (ἄνεμοι)*. — *Demissa*] «desuper immissa.» — *Euro*] Perses in Anthol. Pal. I. p. 460: *Εὖρον χειμέ-*

Sternet, aquae nisi fallit augur
Annosa cornix. Dum potis, aridum

43. *potes* BbSTcd,LCtFJ. *(potis* ex *βγ* et pr. *κ* Bentleius ac M.)

ριαί σε καταιγίδες ἐξεκύλισαν, Φιλλί, κτλ.

42. *aquae - - augur*] «praesaga, divina.» PORPHYR. Od. 3, 27, 10: *Imbrium divina avis imminentium.* Arat. *Διοσ.* 1022: *Χειμῶνος μέγα σῆμα καὶ ἐννεάνειρα κορώνη Νύκτερον ἀείδουσα.* Ovid. Am. 2, 6, 34: *pluviae graculus auctor aquae,* ubi Heinsius volebat *augur*. Hinc Euphorio Fr. 65. Mein. Ed. II.: *Τετόμαντις ὅτε κρώξειε κορώνη.* Pro voc. *augur* genere fem. afferunt etiam Statii Theb. 9, 629: *simque augur cassa futuri.*

43. 44. *Annosa*] Novem enim aetates vivere credebantur cornices. Hesiod. Fr. 106. Goettl.: *Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λαχέρυζα κορώνη Ἀνδρῶν ἡβώντων.* Arato loco l. est *ἐννεάνειρα κορώνη.* — *Dum potis*] (Praebet hanc veram lectionem etiam Cod. B Vanderb. Sec. X. Exemplis a Bentleio collectis adde ex Anthol. Meyeri N. 1524: *Nam fato raptam non potis eripere.) ἕως δυνατόν ἐστιν.* «Dum licet per serenitatem.» SCHOL. «Antequam per imbres, qui instant, madida fiant ligna.» Alii minus recte: «dum vita tibi suppetit, qua laete frui possis;» qua quidem cum sententia *componere lignum*, tamquam esset voluptarii aliquid, satis inepte iungeretur. — *Compone*] «exstrue super focum. Eo magis, quod cras imminet turbida tempestas, Genio indulgebis.» — *cras*] Fortasse propter sollemne menstruum, quo Genium Laresque una colebant: si de nataliciis verba facere voluisset, sane hoc uno alterove verbo significasset.

45. 46. *Curabis*] pro imperativo «venerare, cole.» Alibi *Genium placare, invocare, ut nobis propitius sit.* Hic autem, fortasse cum certo quodam ioco, ex formulis *Genium placare, Genio indulgere* et *curare corpus, cutem*, hanc novam effinxit *curare Genium.* — *porco bimestri*] Idem sacrificium in Carnae sollemni memorat Ovid. Fast. 6, 158: *Extaque de porca cruda bimestre tenet; - - pro parvo victima parva cadit.* Difficultates nonnulli moverunt ex Censorin. 2: *Funde merum Genio.* (Persius Sat. 2, 3.) *Hic forsitan quis quaerat, quid causae sit, ut merum fundendum Genio, non hostia faciendum putaverit. quod scilicet, ut Varro testatur - -, id moris institutique maiores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annale Genio solverent, manum a caede ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.* Ex hoc quoque colligitur Horatium non loqui de Lamiae die natali. — *operum solutis*] «ab opere feriatis.» SCHOL. Cic. de Legg. 2. §. 29: *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et iurgiorum; in servis, operum et laborum.* Tibull. 2, 1, 5: *Luce sacra requiescat humus, requiescat arator: - - Omnia sint operata deo: non audeat ulla Lanificam pensis imposuisse manum.* Constructio autem v. *solvere* cum genitivo (ut *λύειν πόνου*) certe a iureconsultis Latinis etiam ante Horatium usurpabatur. Cic. de Legg. 2, 20: *is per aes et libram heredem testamenti solvat*, id est, obligatione testamenti. (Falso addunt ipsum Ciceronem pro Sest. 7: *solvit subito*

Compone lignum: cras Genium mero
Curabis et porco bimestri
Cum famulis operum solutis.

15. *porca* d, ut edidit Cuninghamius. — *bimenstri* BbSTcd.

legum curiata consul, ubi ego et Halmius *lege.)* — Propter hoc ipsum, quod famuli operibus vacui esse debeant, poëtam non de epulis dumtaxat, sed de sacro aliquo domestico praeter natalicium loqui manifestum est. Dicit quidem Iani: «solutis propter procellam.» Noli credere: tunc enim servi operibus domesticis occupabantur. (De epulis die profesto apparandis accepere Casaubonus ad Pers. 2, 3. et Bosscha p. 112., verum de talibus ex meo quidem sensu putidissima fuisset porci bimestris apponendi mentio.) «Urbane se simul convivam Lamiae offerre Horatium, urbanum quemque suus facile sensus docebit.» Mitsch. Verum huiusce urbanitatis, si tamen urbanitas est (qua de re vehementer dubitare licet), in toto carmine nullum prorsus inest vestigium. Cf. quae adnotavimus ad v. 7.

CARMEN XVIII.

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas abeasque parvis
Aequus alumnis,
Si tener pleno cadit haedus anno,

XVIII. Inscr. volg. *Ad Faunum.* — *Ad Faunum deum* BT, quibus b addit *agrestem*, c *agrestium*. — 2. *finis* B. — 3. *adeasque* B. — 5. *cadet* S. (non BbTcd.)

XVIII. Hymnus in Faunum, cuius dies festus Nonis Decembribus celebrabatur (v. 10). Carmen tamen compositum fingitur non Faunalibus ipsis, sed per aestatem potius, id quod colligitur ex v. 3: *parvis alumnis*. (Quo tempore compositum sit, ignoramus.)

1. *Nympharum fugientum amator*] Servius in Centimetro pag. 376. Gaisf.: *Faunus, Nympharum metus et voluptas*. Sic de Syringe a Pane, quocum Latini Faunum confundebant, captata Ovid. Met. 1, 704: *Et precibus spretis fugisse per avia Nympham*. (Eurip. Hel. 187: *Νύμφα τις οἷα Ναὶς Ὄρεσι φυγάδα νόμον ἰεῖσα γοερόν, Ὑπὸ δέ πέτρινα μύχατα γύαλα Πανὸς ἀναβοᾷ γάμους*. Schol. Vat. ad Rhesum v. 36: *ἐν τοῖς ὄρεσι – – ἵνθα ὁ Πὰν ἅμα ταῖς Νύμφαις συρίζει*. Inscriptio antri Corycii in *Ausland* 1840. pag. 495: *ΕΥΚΡΑΤΗΣ | ΑΛΚΙΑΔΑΜΟΥ | ΑΜΒΡΥΣΙΟΣ | ΣΥΜΠΕΡΙΠΟΛΟΙΣ | ΠΑΝΙ ΝΥΜΦΑΙΣ*. Pulcherrimum Fauni simulacrum Pompeiis repertum in *Museo Borb.* IX. T. 42.; item Faunus Nympham basians egregie pictus in tabula Herculanensi in *Musée secret de Naples* T. 32.: Satyri Nymphas fugientes insequuntur apud Millingen *Cohill.* T. 3.)

3. 4. *Lenis*] *πρᾷος, ἵλεως*, propitius. Hi enim dii agrestes interdum iracundi sunt et acriter puniunt, qui iis displicuere. Theocr. 1, 16: *τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες· – – ἐντὶ δὲ πικρὸς Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται*. Plinius H. N. 25, 4: *Haec* (paeonia) *medetur et Faunorum in quiete ludibriis*. — *incedas*] Faunus (*Πὰν ἀγρῶν ταμίας* Euripidi in El. 704.) pro lubitu modo hic modo illic rura perambulare fingebatur; neque vero sic explicari licet, eum Faunalibus in Urbe celebratis Idib. Febr. (Ovid. Fast. 2, 193: *Idibus agrestis fumant altaria Fauni.*) advenisse, abisse Nonis Decembr. — *parvis – alumnis*] Ex antiquo aliquo interprete petitum videtur Acronis illud et Comm. Cruquii: «ruris vernulis, quos Fauni laedere dicuntur;» id quod probat etiam Bosscha. Verum manifesto non de vernis, sed de vitulis, haedis, agnis loquitur poëta, ut Od. 3, 23, 7. collato loco Od. 1, 17, 3. Contra

Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae, vetus ara multo
Fumat odore.

Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonae redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus;

Inter audaces lupus errat agnos;

7. *cratere* Td, Aldus, L; sed L volebat *craterae*. — 8. *odore: Ludit* LCt. — 12. *pardus* bcd, *μνψω*, corr. *κ*, var. lect. *βγι.* (non BST.)

vernulae sunt apud Iuven. 11, 97: *caput - aselli, Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.* (Vide Excursum.) — *Aequus*] Ad hoc voc. Torrentius refert variam lect. Cod. unius *laetus*, Lambinus ad v. *lenis*; illud sane probabilius. Sed cum nulla fere nitatur auctoritate, a Critico Leidensi non debebat commendari.

5–8. *Si*] Preces saepe concipiebantur cum huiusmodi condicione. Vid. ad Od. 1, 32, 1. — *pleno - - anno*] ad finem vergente, prope exacto, Nonis Decembribus. — *Larga* cet.] «Si large repletur vino *cratera* (forma etiam a Cicerone Verr. Acc. 4. §. 131., sed inprimis a poëtis (Sat. 2, 4, 80. Pers. 2, 52.) usurpata pro *crater*), quae cratera est *Veneris sodalis*, perpetua comes, sine qua Venus friget.» Lagenam Anonymus in Anth. Pal. I. p. 121. sic appellat: *Βάκχου καὶ Μουσέων ἱλαρὴ λάτρι καὶ Κυθερείης.* — *vetus ara*] «iam ab illis, qui diu ante me Sabinum meum possederunt, exstructa ad Faunalia celebranda.» — *odore*] «thuris odore, suffimentis.»

9. *Ludit*] Hinc incipiunt Fauni laudes Faunaliumque descriptio. Recta distinctio est iam in Aldina 1509. Alii ante Bentleium iungebant cum v. *Si* (v.5). — *herboso - - campo*] Sub caelo Italico virent herbae, cum apud nos iam diu prata vieta ac deformia aut nive cooperta sunt.

11. 12. *Festus - - pagus*] «omnes Mandelae (hodie *Bandela*) pagani tibi operantur feriasque agunt.» Ovid. Fast. 1, 669: *Pagus agat festum.* Quod multi Codd. pro *pagus* habent *pardus* festive explicat Bentleius: «Vide et ride monachorum ingenium. Quia illud sequebatur de *lupo inter agnos innocuo*, faceti homines commutarunt *pagus* in *pardus* ex Esaiae C. 11, 6: *Habitabit lupus cum agno et pardus cum haedo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur et puer parvulus minabit* (Italorum *menare*, Gallorum *mener*) *eos.*»

13. *Inter* cet.] Perfectam totius ruris tranquillitatem ac pacem, qua paganis hoc sollemne gratum redditur, cumulat inserta inter veras imagines imagine etiam poëtica lupi innoxie iam errantis inter agnos propter dei praesentiam audaces subito factos.

Spargit agrestes tibi silva frondes;
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

14. *Spargit*] Cum mense Decembri decidunt folia, id in Fauni honorem fieri fingit. Cfr. Epod. 11, 5. Voss. ad Ge. 2, 403. pag. 410. Est igitur imago poëtica *φυλλοβολίας*, ut in Daphnidis tumulandi honorem Virg. Ecl. 5, 40: *Spargite humum foliis.* Mnasalcas in Anth. Pal. II. p. 493: *Ἄμπελε, μήποτε φύλλα χαμαὶ σπεύδουσα βαλέσθαι Δείδιας ἐσπέριον Πλειάδα δυομέναν; Μεῖνον ἐπ' Ἀντιλέοντι πεσεῖν ὑπὸ τὸν γλυκὺν ὕπνον, Ἔσθ' ὅτε τοῖς καλοῖς πάντα χαριζομένα.* Chariton p. 77. Lips.: *οἱ μὲν ῥόδοις, οἱ δὲ αὐτοῖς στεφάνοις ἐφυλλοβόλησαν αὐτούς.*

15. 16. *invisam*] propter labores, quos per totum annum in ea colenda exanclavit; *pellere, pulsare, quatere terram* pro *saltare*, ut Od. 1, 4, 7. 37, 2. — *fossor*] agricola, in primis vinitor, ut Virg. Ge. 2, 264: *labefacta movens robustus iugera fossor*, ubi de vitium cultura praecepta dat. — *Ter pede*] «Quod est *tripudiare*. *Ter* ad rhythmum anapaesticum vel dactylicum retulit.» Schol. Calpurn. Ecl. 4, 128: *Seu cantare iuvat seu ter pede lasta ferire Carmina.*

EXCURSUS

Ad v. 3.

Bernhardy: «*Nicht lässt sich nach* alumnis *ein Comma rechtfertigen, so dass* Si tener pleno cadet haedus anno *eine Bedingung sei, von welcher die frühere Bitte abhänge; daran hindert aber sowohl das prekäre Asyndeton* vetus ara multo fumat odore, *als auch der abgerissene Fortschritt zur dritten Strophe; vielmehr hebt mit* Si *die Schilderung des ländlichen Festes in seinen einzelnen Scenen an,* larga nec *bildet den Nachsatz, dem* fumat *in lebhafter Rede sich zugesellt.*» Non satis intelligo primum *ὑποθετικὸν* hoc: «*Si tener pleno cadit haedus anno*, tum sollemne illud utique celebrabitur;» sed *si non cadit*, quid tunc fiet? «Nihil omnino.» Deinde unum *nec* in apodosi nunquam equidem vidi pro *non* positum; deberet saltem esse: *Larga nec desunt – – Vina craterae et vetus ara multo Fumat odore.*

CARMEN XIX.

Quantum distet ab Inacho
  Codrus pro patria non timidus mori,
Narras et genus Aeaci
  Et pugnata sacro bella sub Ilio:

XIX. Inscr. volg. *Ad Telephum*, et sic BST. — *Ad Telephum a Murena augurio honoratum* bc. — 1. *distat* bTcd, ut volebat Cuninghamius. (non BS.)

XIX. Probabile sane, nec tamen prorsus certum est, hunc *Murenam augurem* eundem esse cum L. Licinio Varrone Murena, fratre Terentiae Maecenatis, Horatii amico (cfr. Od. 2, 10.). Is igitur, quicunque fuit, cum in Augurum collegium cooptatus esset, eius honoris gratia nocturnam, et eam quidem hilarissimam, compotationem instituit. Totam eius picturam quo vividiorem reddat, primum se expostulare fingit cum Telepho, qui philologis quaestiunculis occupatus de convivio rite parando nunc, cum sit *συμποσίαρχος*, taceat. Quod Telephum «Graecum poëtam, sodalem Horatii» vocat Acron, id unice ex carminis exordio desumptum est; ignoramus enim, utrumne sit persona ficta, an ioci causa amico, cui una cum Murena hoc carmen miserit, mythicum illud nomen imposuerit, quo utitur etiam Od. 1, 13, 1. et Od. 4, 11, 21. (Cfr. etiam Weberi opiniones *Horaz* p. 93.) Totum carmen est *μιμητικώτατον*. — «Manifestum est scriptum esse ante a. 732., quo Muraena una cum Fannio Caepione in Augustum conspiravit. (Vellei. 2, 91. Suet. Oct. 19, 66. Tiber. 8. Senec. de Clem. 9. Dio Cass. 54, 3.) Ergo aliqua certe probabilitatis specie circa a. 729. vel 730. et quidem hieme (v. 8.) compositum dixeris.» FRANKE.

1. *Quantum distet*] «Quantum temporis sit ab Inacho, primo Argivorum rege, usque ad Codrum, Atheniensium ultimum.» Notant interesse annos circiter DCCC. (Inachum a. ante Chr. 1667. ponit Böckh *Manetho* p. 193.) Ocellus Lucanus 3, 5. p. 37. Rud. *Τοῖς λέγουσι τὴν τῆς Ἑλληνικῆς ἱστορίας ἀρχὴν ἀπὸ Ἰνάχου εἶναι τοῦ Ἀργείου προσεκτέον κτλ.* De Codro cfr. Vell. Pat. 1, 2. Iustin. 2, 6. Soloecismus *distat* ortus est ex falsa distinctione: *Quantum distat -- mori? Narras et* (etiam) cet.

3. 4. *Narras*] «Quaestionibus *φιλολόγοις* vacans aliàs narrare soles; sed nunc talibus locus non est.» — *genus Aeaci*] «explicas Aeacidarum stemma.» (Peleus, Achilles, Neoptolemus; Telamon, Aiax cum Teucro.) — *sacro*] *Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον, Ἴλιος ἱρή.*

Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus
Quo praebente domum et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.

Da lunae propere novae,

5 - 7. *Quo Chium* cet.] «Ad summam: tu antiquitati studes; praesentium obliviscere et hoc, quod nunc unice agendum est, taces: quanti emamus vini Chii cadum; quis convivator *(parochum* facete dicit Sat. 2, 8, 36.) balneum paraturus adeoque domum suam praebiturus sit nobis:» (duo haec membra arcte coniungenda diversa ratione idem significant:) «quota hora eo me conferam, subtrahens me tandem huic frigori, quale solet esse in Pelignis.» De symbola loquitur, in qua unus praebet balneum, triclinium, lectos, vasa; ceteri vinum et cibos emunt ac per servos afferendos curant. (Longe autem differt Sat. 1, 5, 38: *Murena praebente domum, Capitone culinam,* ubi de deverticulo in itinere loquitur, non de convivio.) — *Chium - cadum*] Sic prorsus Athen. 1. p. 3. f.: ὁ - Χῖος Ἴων τραγῳδίαν νικήσας Ἀθήνησιν ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων ἔδωκε Χῖον κεράμιον. Thasium vinum ceterorum optimum μετ' ἀμύμονα Χῖον ἄλυπον dicit Hermippus apud Athen. 1. pag. 29. e. — *Aquam* Schol. refert ad eam, qua merum miscebatur: «nam tepefactis aquis solebant Graeci *(Graeca?)* vina temperare.» Verum haec tam exigua pars erat convivii, ut vix digna esset, quae commemoraretur. Immo una est interrogatio *quis - - quo - - domum,* id est, «Quis praebeat domum atque balneum calfaciat?» Cic. ad Fam. 9, 16, 9: *Ego tibi unum sumptum afferam, quod balneum calfacias oportebit.* Ante coenam enim balneo calido utebantur, Cic. pro Deiot. 6: *e balneo, priusquam accumberes;* et *sudore calefacti, momento temporis* ad *frigidam* exibant, certe apud Petron. 28. — Mira profecto HP. est interpretatio: «aquas calefacere, inquit, est opus sordidum et servis proprium.» (quasi vero hoc non per se intelligeretur, balneum ipsum praeparatum esse a famulis!) «*Aquam* (pergit interpres) h. l. pro *pluvia* acceperim. Quis aërem, dicit, humidum et frigidum, qui ex pluviis in domos penetravit, temperat ignibus?» Omnia haec prorsus ἄπιστα, ne graviore vocabulo utar.

8. *Pelignis*] Minime hoc significat, se apud Pelignos, Corfinii vel Sulmone, versari indeque Romam venturum, sed «domi se frigus pati vere Pelignum, quo in convivio se liberaturus sit.» — *Frigora* autem ut *calores* Od. 3, 24, 37.

9. Iam φαντασίας ope Telephum una secum in ipsum convivium abripit. «Da, pincerna, inquit festinans poëta, da poculum, quod in novae lunae honorem ebibatur.» (Genitivi huius in potando usitati exempla habes ad vv. 10. 11.) Fingit ergo esse νουμηνίαν nocturnumque simul tempus convivii significat; *novam* autem *lunam* interpretari lunam orientem nolim, quandoquidem hoc nimis ambiguum foret, non item *sol novus,* Virg. Ge. 1, 288. «Lunae novae cyathum poscit, quod mensis Ka-

Da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.

10. *nocti* corr. c. — *auguri* c. — 12. *Miscentor* cum Rutgersio et N. Heinsio Bentleius. (Ut nos, Codd. noti omnes.)

lendis vesperi epuletur, quae festae semper erant.» Turnebus. Antiquus enim annus Romanus ante Decemviros, quem Numae annum dicunt, lunaris erat, ita ut Luna nova *(die erste Erscheinung der Mondsichel)* mensis cuiusque initium faceret, unde mos hic Kalendis in honorem Lunae novae bibendi antiquitus usque ad Horatii tempora videtur esse servatus. Dionys. Halic. 10, 59. ad a. u. c. 304: *Ἦγον δὲ τοὺς μῆνας κατὰ σελήνην καὶ συνέπιπτεν εἰς τὰς Εἰδοὺς ἡ πανσέληνος.*

10. 11. *Da noctis mediae*] «da alterum poculum in honorem mediae noctis, in quam protrahetur compotatio», (ut Od. 3, 28, 16: *Dicetur merita nox quoque naenia.)* «tertium in honorem novi auguris Murenae.» Tres, noli dubitare, hae sunt potationes distinctae, non una, ut volunt interpretes timentes, ne nimis vinolentum se monstret Horatius. Sine ellipsi Od. 3, 8, 13: *Sume, Maecenas, cyathos amici Sospitis centum.* Eadem genitivi constructione utuntur Graeci. Meleager in Anth. Pal. I. p. 122: *Ἔγχει τᾶς Πειθοῦς καὶ Κύπριδος Ἡλιοδώρας, Καὶ πάλι τᾶς αὐτᾶς ἀδυλόγου Χάριτος.* Marcus Argentarius Ib. p. 113: *Ἔγχει Λυσιδίκης κυάθους δέκα, τῆς δὲ ποθεινῆς Εὐφράντης ἕνα μοι, λάτρι, δίδου κύαθον.* Alexis apud Athen. 6, 64. p. 254: *Παῖ, τὴν μεγάλην δός, ἐπιχέας Φιλίας κυάθους τῶν παρόντων τέτταρας· Τοὺς τρεῖς δ' Ἔρωτος προσαποδώσεις ὕστερον· -- φέρε τὸν τρίτον Φίλας Ἀφροδίτης.* *Murena* autem, non *Muraena*, scribitur hoc nomen in Fastis Capitolinis.

11. 12. *tribus aut novem*] Difficilis facta est huius loci interpretatio, quia alii cyathos pro certa mensura habent, et *poculis* opponunt, alii eosdem cum *poculis* confundunt. Nam ut Graecorum illud proverbium: *ἢ πέντε ἢ τρί' ἢ μὴ τέτταρα·* diverso modo explicarunt iam antiqui, Plautus in Sticho 5, 4, 24: *«Vide, quot cyathos hos bibimus? Sr. Tot, quot digiti sunt tibi in manu. Cantio est Graeca: ἢ πέντε πῖνε ἢ τρί' ἢ μὴ τέτταρα*, simpliciter, ni fallor, de poculorum numero, contra Athenaeus 10, 28. p. 426. et Eustathius pag. 1624. de mixtionis ratione, sic de hoc quoque loco ambigunt interpretes. Verum respicientes maxime v. *miscentur*, cyathos, mensuram, distinguimus a poculis, quorum de numero, ut h. l. in tam hilari coena consentaneum erat, nihil omnino praecipitur, atque explicamus: «Sextarius cum constet XII. cyathis, miscentur aut tres meri cyathi cum novem aquae cyathis, eaque mixtio infirmioribus apta erit, aut inversa ratione novem meri cyathi cum tribus aquae, quae potio validioribus sit destinata.» *Commodi* autem *cyathi* h. l. sunt «plenum modum habentes, integri, ut ne propter nescio quam nimiam temperantiam minus vini hauriatur, quam mensura ipsa continet.» (Cf. Rutgersium, Bentleium, Forcellinum in

Qui Musas amat impares,
  Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates; tres prohibet supra
  Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis iuncta sororibus.
  Insanire iuvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
  Cur pendet tacita fistula cum lyra?

15. *tris* BT, Bentleius.

v. *Commodus* et nos ad Epist. 2, 2, 70. Plaut. Asin. 3, 3, 136: *commodas minas*, integras, iusti ponderis.) — Retinenda autem videtur librorum lectio *miscentur*, quia simpliciter narrat, ex more in conviviis solito hanc vel illam meri cum aqua mixtionem convivis pro eorum lubitu apponi. Ita Rutgersii coniectura *miscentor* certe necessaria non est.

13-15. *impares*] Earum numerum novenarium significat. — *Ternos ter cyathos*] Haec quoque nunc puto commode explicari posse. «Sane», inquit, «poëta *attonitus*, *ἐνθουσιάζων*, spreta leviore illa mixtione, fortiorem petet novem vini cyathorum cum tribus aquae; verumtamen non petet *tres supra novem* vini cyathos, id est, duodecim, vel quod idem est, merum nulla prorsus aqua dilutum, providus, ne rixae oriantur.» Tota de re cfr. etiam Beckeri *Gallus* (ed. alt.) I. p. 190 seqq. Aliter olim interpretatus sum, uti videbis in Excursu ad h. l., quem servavi, non quod explicationem ipsam etiamnunc probem, sed quia varia huc sane spectantia continet. — *attonitus*] «*ἐμβρόντητος*, furore percitus, *begeistert*.» Similiter Anacreon de se (Anecd. Cramer. I. pag. 288.): *αἱ δέ μεν φρένες ἐκτεκωφέαται*.

16. 17. *Gratia* cet.] «Tres Gratiae iunctae.» Od. 4, 7, 5: *Gratia cum Nymphis geminisque sororibus*. Od. 1, 30, 5: *solutis Gratiae zonis*. — *Nudis*] Vide pulcherrimas nudarum Gratiarum imagines in Visconti *Mus. Pioclem.* IV. T. 13. *Monum. Borgh.* I. T. 3. item in pictura Pompeiana in *Mus. Borbon.* VIII. T. 3.; etiam in *Monum. ined. dell' Inst. arch.* II. T. 47., ubi, ut solent in monumentis antiquis, flores, spicas et malum manibus tenent. Vestibus contra indutae sunt in Gerhard *antiq. Bildw.* I. Tab. 14-16., Clarac *Musée de sculpt.* T. 173., *Mus. Borbon.* V. T. 39.

18. 19. *Insanire*] «bacchari, amotis tamen rixis.» Od. 4, 12, 28: *Dulce est desipere in loco*. — *cur Berecyntiae*] «Cur cessant tibicines *Φρυγιστὶ* canere?» Berecyntus, Phrygiae mons, ubi praecipuus cultus Matris deum magnae Idaeae. Tib. 2, 1, 86: *Phrygio tibia curva sono*, et quidem graviore. Aristot. Polit. 1, 8, 6: *οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικόν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν*. (Hinc *insanire*.) — *flamina tibiae*] Eurip. Phoen. 788: *λωτοῦ πνεύματα*. Bacch. 127: *ἡδυβόᾳ Φρυγίων Αὐλῶν πνεύματι*. Troad.

Parcentes ego dexteras
  Odi: sparge rosas; audiat invidus
Dementem strepitum Lycus
  Et vicina seni non habilis Lyco.

Spissa te nitidum coma,
  Puro te similem, Telephe, Vespero,
Tempestiva petit Rhode:

21. *Pascentis* B, *Parcentis* T. — 24. *habili* Cod. Blandin. antiquiss. — 27. *Chloe* Scd et Pottierii plerique, item LCt (non BbT, *χλμψ.*); *Rhoda ι* «cum Lambini quibusdam.»

126: *αὐλῶν παιᾶνι - συρίγγων τ' ὑφθόγγῳ φωνᾷ.*

20. «Cur *pendet* in parietis clavo fistula (proprie pastorum, h. l., ut videtur, unius calami acutioris soni,) cum lyra nondum pulsa?» *Fistula* cum tibia iungitur etiam Od. 4, 1, 24.

21. 22. *Parcentes*] «Servos res ad convivium necessarias, vinum, flores, unguenta, parcius administrantes detestor.» — *sparge rosas*] Propter *frigora* illa *Peligna* intellige hibernas, quae in Italia facillime arte coli poterant, cum Karthagine Hispaniae hieme tota praecoces essent teste Plinio H. N. 21, 4, 10.

23. *Lycus*] Ut fit in compotationibus, ut sensim delabamur ad deridendos vel probris vexandos homines nobis invisos, h. l. illudit personae fictae, Lyco vicino, seni, propter avaritiam invido convivis in laetitiam effusis atque immanem strepitum excitantibus, qui (quod ridiculum erat) vel in matrimonio habebat vel amabat feminam adolescentem, cui par ipse non erat. Deinde revertitur ad Telephum, huius suosque amores praedicans.

24. *vicina*] «nobis hac in domo potantibus.» Longius enim petita videtur Rutgersii explicatio: «Quae intacta neque aliter quam vicina cum vicino, cum Lyco marito degit»; pro qua attulit Iuvenal. 6, 509: *vivit tamquam vicina marito: Hoc solo proprior, quod amicos coniugis odit.* Digna est, quae examinetur, Bosschae interpretatio: «Vicina est ipsa illa Rhode, quae assidebat vel fortasse accumbebat seni, sed Telephum deperibat», atque audito vicini convivii strepitu, cui invidet senex, illico Telephum petit. — *non habilis*] *«οὐκ εὐμεταχείριστος*, ei minus ideo conveniens, quod inversa ratione ille amicae vel uxori propter senium minus aptus est in re venerea»; unde Codd. aliq. apud Cruq. male *habili*.

25. *Spissa*] Ut calvities pro turpissimo malo habebatur, ita densi capilli pulchritudinis magna pars, praesertim in adolescentulo. — *nitidum*] h. l. natura potius, quam «unguentis splendentem.» Sic Pindarus Nem. 1, 68. Gigantibus tribuit *φαιδίμαν κόμαν*.

26. *Vespero*] «per purum caelum, per sudum micanti;» ut Od. 3, 9, 24: *sidere pulchrior*.

27. 28. *Tempestiva*] «Propter iuvenilem aetatem, qua te aequat, tibi apta.» Od. 1, 23, 12: *Tempestiva viro*, nubilis. — *Rhode*] Huic no-

Me lentus Glycerae torret amor meae.

mini, quamquàm haud raro apud scriptores et in Inscriptt. obvio, multi librarii notius etiam *Chloës* nomen substituerunt. («In nominibus id maxime lusisse poëtam, ut personis ipsis, temporibus, rebus quam accommodatissima essent, ex plurimis exemplis cogitur. Sic factum est, ut apparantem convivium *Thaliarchum (θαλίας ἀρχόν)*, senem morosum atque importunum *Lycum (alter Isegrimm!)*, turpiculum feneratorem *Alphium (ἀλφαίνω)* fecerit; sic, loquaculas ut *Lalagas*, tenellas ut *Lydias*, insipientes ac superstitiosas ut *Leuconoas* (*λευχαὶ φρένες*, stultitia!), puellas vixdum viro tempestivas *Chloas* [feminam iuvenilem *Rhoden*] ut dixerit.» NAUCK.) — *lentus*] Non est «iam frigidior factus», ut volunt nonnulli, nam prope ridiculum foret: «frigidus iam et languescens amor me torret,» sed «longus, qui lente absumit.» Od. 1, 13, 8: *Quam lentis penitus macerer ignibus*, Tib. 1, 4, 84: *Heu heu quam Marathus lento me torquet amore!*, ubi propter Horatii locum minime legendum *torret*.

EXCURSUS

AD V. 13.

Olim secutus eram Scholiastarum interpretationem: «Novem cyathos sibi poscit poëta *ἐνθουσιάζων*. Supra novem autem si addideris tres, duodecim epotis ebrius factus facile incides in rixas, a quibus abhorrent Gratiae, id est, quae rixae sunt contrariae verae laetitiae.» Exposueram igitur, ut arbitrabar, apposite ad ipsam vv. collocationem: *tres supra novem*, non ut recentiores: *supra tres*. Duodecim autem cyathi sextarium complent. Ita Augustum, *quoties largissime se invitaret*, *senos sextantes* (sextarium) *non excessisse* auctor est Suetonius Octav. 77. Neque vero hoc dicit, epoto a singulis sextario semper rixas oriri, sed periculum esse, ne oriantur. Qui interpretantur *supra tres*, non vident parum concinnam, immo ridiculam esse sententiam: «Novem ego bibam cyathos, etsi probe scio Gratias ipsas (quibus quis tandem magis obtemperare debet quam poëta?) vetare, ne ternarium cyathorum numerum excedamus; nihilo secius ego, etiam rixarum minime metuens, largius me invitabo, quidquid inde mali orietur.» Quamquam recentioribus in tam mira expositione praeisse videtur iam Ausonius in Grypho ternarii numeri Idyll. 11., quem hac ecloga in Praefat. diserte memorata sic incipit: *Ter bibe vel toties ternos: sic mystica lex est.* Quod autem Graecorum poëtarum locos appellant, quibus intra tertium poculum subsistere iubemur, nihil attinet, cum talia (ratio meri cum aqua miscendi multiplex apud Athen. 10. p. 426. seqq. *ἴσον ἴσῳ*, *πέντε καὶ δύο*, *τέτταρα καὶ δύο*, *κατὰ δύο καὶ τρεῖς ἀκράτου*

cet., numerus item cyathorum.) pro cuiusvis gustu et captu diversum in modum praecipi soleant. Sunt autem hi praecipue apud Athen. 2. p. 36. Eubulus: *Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω Τοῖς εὖ φρονοῦσι· τὸν μὲν ὑγιείας ἕνα, Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι· τὸν δὲ δεύτερον Ἔρωτος ἡδονῆς τε· τὸν τρίτον δ' ὕπνου, Ὃν ἐκπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι Οἴκαδε βαδίζουσ'· ὁ δὲ τέταρτος οὐκ ἔτι Ἡμέτερός* (Bacchi) *ἐστ', ἀλλ' ὕβρεος· ὁ δὲ πέμπτος βοῆς·* sicque procedit usque ad numerum denarium, quid quisque mali afferat memorans. Panyasis autem iam tertiam potionem interdixerat. Ibid.: *Πανύασις -- τὴν μὲν πρώτην πόσιν ἀπονέμει Χάρισιν, Ὥραις καὶ Διονύσῳ, τὴν δὲ δευτέραν Ἀφροδίτῃ καὶ πάλιν Διονύσῳ, Ὕβρει δὲ καὶ Ἄτῃ τὴν τρίτην.* — Adde imaginem Pythagoream apud Anton. Meliss. 48: *Βότρυας τρεῖς ἡ ἄμπελος φύει, τὸν μὲν πρῶτον ἡδονῆς, τὸν δεύτερον μέθης, τὸν δὲ τρίτον ὕβρεως.* — Neque vero in verbis Horatii inest, quod volt Bentleius: «uno spiritu exhaurienda fuisse» haec pocula aut tres aut novem cyathos capientia (ut ille quoque intellexit), et Od. 3, 8, 13. *cyathi centum*, item quae leguntur apud Ovid. Fast. 3, 533. *(Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos; quae sit per calices facta Sibylla suos.)*, facetae sunt hyperbolae.

CARMEN XX.

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paullo fugies inaudax
Proelia raptor,
Cum per obstantes iuvenum catervas 5

XX. Inscr. volg. *Ad Pyrrhum*, et sic Codd. mei. *(Ad Phirrum* T.) — 1. *periclo*] *tumultu* χ et var. lect. *γιχ*. — 3. *paulum* Td,*βγξ*. — 5. *obstantis* BT.

XX. Acre certamen de Nearcho adolescentulo ortum inter Pyrrhum, eius amatorem, et puellam illius amore incensam eumque sibi uni servare ac retinere cupientem lepide narrat. Prope ridicule HP.: «Carmen obscurum» (quo profecto nihil clarius est) «et vix Horatio dignum». (Tempus incertum est; referunt alii ad a. u. c. 727., alii ad a. 732.)

1. 2. «Non vides, quanto tuo periculo puellae fervide amanti formosum adolescentem adimere coneris? Profecto non minore periculo venator leaenae *Gaetulae* (Od. 1, 23, 10.) catulos auferat.» Ceterum vetus est comparatio. Regg. 2, 17, 8: *veluti si ursa raptis catulis in saltu saeviat*, de viris *fortissimis et amaro animo*. — *moveas*] «tangas, ut asportes ex lustro leaenae.» — *Pyrrhe*] Verissime Unger V. R. p. XIII.: «Bambergerus in *Philol.* I. 2. p. 324. quemadmodum Proculeium Graeco vocabulo Telephum p. 346., ita C. Valgium *Rufum* ab Horatio hic nominari arbitratus est. Quod confutare non habeo necesse.»

3. *post paullo*] Frequenter sic etiam Salustius, Caesar, Livius pro *paullo post*. — *inaudax*] ἄτολμος. Hoc nunc quidem ἄπαξ λεγόμενον uno gradu distat a «timido, imbelli, ignavo», quae maiorem utique habent reprehensionem.

5. *per obstantes iuvenum catervas*] Singulari artificio retinet leaenae imaginem catulorum raptorem ultum euntis simulque puellae ob iniuriam, quam ei infert Pyrrhus, grate iracundae admiscet imaginem. Hae *catervae* autem sunt veluti venatorum Pyrrhum comitantium, id est, priorum Nearchi una cum Pyrrho, cui tamen ille maxime favebat, amatorum, antequam puer fervidae puellae maturus iam esset; non vero «ceteri puellae amatores dissuadentes, ne repetat Nearchum», ut visum est quibusdam.

6 - 8. *insignem*] «inter omnes maxime conspicuum.» H. l. absolute, quia unusquisque suppleturus erat: «formâ inter aequales suos.» — *Grande certamen - - illa*] «Tota haec sententia appositio est, non ad Nearchum quidem solum, sed ad praecedens enuntiatum to-

Ibit insignem repetens Nearchum,
Grande certamen, tibi praeda cedat,
Maior an illa.

Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam

Fertur et leni recreare vento

8. *cedat, Maior an illa* Hofman Peerlkamp et Haupt ad Ovidii Halieut. p. 40: *cedat Maior an illi* Libri et Edd., etiam J. *(maior Caedat an illi* T.) — Post v. 9. deficit Codex d usque ad Carm. 4, 2, 31. — 9. *celeris* T. — 10. *timendos*] *superbos* Gothanus alter.

tum.» Dillenb. p. 30., quem vide de toto loco egregie disputantem. Est igitur: «(Atque) id quidem erit magnum certamen, cum ibit cet. Alii separantes vv. *grande certamen* a v. *Nearchum* minus recte explicant: «*Grande* est *certamen.*» — Cum volgata *cedat Maior, an illi* probabilem explicationem non admittat, recepi HP. et Hauptii (qui HP. non inspecto in idem incidit) sagacem ac facillimam emendationem *cedat, Maior an illa* («an illa victrix futura sit.»), cui favet etiam Dillenburger. HP. eam firmavit loco Epp. 4, 10, 35: *minor in certamine longo.*

10. *dentes acuit*] Quod proprie valet de apro (Iliad. λ, 416: *ὑῆγων λευκὸν ὀδόντα.* Hesiod. Scut. Herc. v. 388: *Θήγει δέ τε λευκὸν ὀδόντα.* Virg. Ge. 3, 255.), ad leonem transtulit, ut Scriptor ad Herenn. 4, 39, 51: *sicut e cavea leo missus - -, acuens dentes.* Mira illa lectio *superbos* pro *timendos* orta videtur e gloss. «Superbus» *arbiter pugnae.*

11-13. *Arbiter*] *βραβευτής*, iudex, quia penes ipsum est, cuius praeda esse velit, utrum Pyrrho palmam porrigat, an puellae amore percussae. — *fertur posuisse*] Signum hoc fastus ac superbiae, quo in suo arbitrio positum esse praemium ostendit atque de ipsius favore certantes prope deridet. — *nudo*] «Nudum pedem pro toto corpore nudo dici arbitror, ut pulchritudini confisus suae puer nudus adstare fingatur, tamquam alter Cupido.» Bothe. Huc ducit etiam, quod humeros sane nudos refrigerat. «Soleis laxis innixus» certe significare non potest. — *palmam*] victoriae signum. Ita ut interpretemur, postulant vv. *Arbiter pugnae.* Sic in gallorum gallinaceorum certamine apud Panofkam *Bilder antiken Lebens* T. X. 4. inter utrumque in solo iacet palma. (Alii explicant: «in lectulo iacens excalceatus, dextro crure super sinistrum posito, laeva *palma* (manu) tangit pedem dextrum, id quod negligentiae signum esse aiunt.) — *posuisse - - Fertur et - recreare*] Ad coniunctionem infinitivi perf. et praes. cfr. Valer. Max. 2, 4, 2: *Senatus consulto cautum est, ne*

Sparsum odoratis humerum capillis,
Qualis aut Nireus fuit aut aquosa
Raptus ab Ida. 15

15. *nereus* T.

quis in urbe - - subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet. Videlicet praecedunt in utroque loco actiones *posuisse, posuisse*, subsequuntur *recreare, spectare*. Cfr. Haase in Reisig L. Gr. pag. 500. Nonnulli meram esse *περιφρασιν* opinantur pro: «ponit et recreat;» quippe cum totius certaminis scena sit in praesentia. Significantur tamen spectatores, qui omnes non sine admiratione de adolescentuli fastidio inter se colloquebantur et tunc et postea.

14. *odoratis*] rosa et unguentis. «Quietus dum adstat, aurae comas suas per humeros effusas ventilare permittit.» Chaeremon apud Athenaeum, p. 608 d.: *Κόμαι δὲ κηροχρῶτες ὡς ἀγάλματος Αὐτοῖσι βοστρύχοισιν ἐκπεπλασμέναι Ξουθοῖσιν ἀνέμοις ἐνετρύφων φορούμεναι.* De flabello noli cogitare, maxime propter v. *leni*, cum contra flabello *agitentur* aurae.

15. 16. *Nireus*] Iliad. *β*, 673: *Νιρεύς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.* Quintus Sm. 7, 7: *Νιρέα θ', ὃς μακάρεσσιν ἀειγενέεσσιν ἐώικει Κάλλεί τ' ἀγλαίῃ τε· βίῃ δ' οὔτ' ἄλκιμος ἦεν.* Ab Eurypylo occisum dicit idem 6, 372. Gerhard *Vasemg.* III. T. CCXXVII. Epod. 15, 22: *Formaque vincas Nirea.* — *aquosa*] Homerus *πιδήεσσαν* vocat Iliad. *λ*, 183. et aliquoties *πολυπίδακα* maxime propter Simoentem et Scamandrum. — *Raptus*] Ganymedes, raptus primum a Tantalo (Oros. 1, 12.) rursusque a Iove. Iliad. *υ*, 232. Strabo 13. p. 587. — Ganymedis raptus est in egregio monumento *Mus. Pio-Clem.* III. T. 49. Inghirami *Gall. Om.* I. T. 8., cuius exemplar deberi videtur Leochari, quam ipsam imaginem descripsisse existimant Statium Theb. 1, 548: *Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis; Gargara desidunt surgenti et Troia recedit; Stant maesti comites, frustraque sonantia laxant Ora canes, umbramque petunt et nubila latrant.*

CARMEN XXI.

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas sive geris iocos
Seu rixam et insanos amores
Seu facilem, pia testa, somnum,

XXI. Inscr. volg. *Ad amphoram*, et sic BbSTc. — 2. *sive*] *seu* T.

XXI. Dum amphoram promit, quam cum Messala in convivio exsiccet, in magnificas vini laudes effunditur. (Carmen quando compositum sit, dici nequit. Alii referunt ad a. 723., alii ad a. 727.) — M. Valerius Messala Corvinus natus a. u. c. 685. in bello civili Brutum et Cassium secutus est. Post proelium Philippense partium reliquiae imperium ei detulerunt, quod renuit; proximis post annis ab Antonio stetit. Sed post Brundisinam pacem Octaviani partes amplexus est. Consul factus est a. u. c. 723. Aquitanis devictis et Oriente composito triumphum Aquitanicum egit a. u. c. 727. Postea quietus et in optimis studiis versatus domi consenuit; Augusto si non gratissimus (quippe liberi spiritus retinens), at honoratissimus. Mortuus est a. u. c. 757. Veterum oratorum quasi agmen cogit. Quintil. 10, 1, 113: *Messala orator nitidus et candidus et quodam modo praeferens in dicendo nobilitatem suam, minor viribus* (Asinio Pollione). A. P. v. 371. (Immortalem eum ad nostram aetatem reddidit imprimis amicitia, qua amplexus est Tibullum.)

1. *O nata*] «impleta». Refertur non ad amphoram ipsam, sed ad vinum in ea conditum. — *Manlio*] L. Manlio Torquato, L. Aurelio Cotta coss. a. u. c. 689. Cfr. Epod. 13, 6: *Tu vina Torquato move consule pressa meo.* Nomina consulum, quibus coss. vina condita erant, amphoris adscribebantur vel tabella separata vel in amphoris ipsis expressa, ut est certe in operibus doliaribus s. figlinis. Galenus de Antidotis 1, 5: ἔγωγέ τοι τῶν οἴνων τῶν Φαλερίνων ἑκάστου τὴν ἡλικίαν ἀναγινώσκων ἐπιγεγραμμένην τοῖς κεραμίοις κτλ. Cfr. Od. 2, 3, 8.

2. 3. *querelas*] spreti maxime amoris. — *geris*] «Cuiuscunque horum affectuum secundum diversos potorum animos veluti semen ac principium in te contines.» Chaeremon apud Plut. Mor. 4, p. 663: οἶνος τοῖς τρόποις κεράννυται bibentium. — *rixam*] non amantium, sed ipsorum inter se convivarum. Euenus Schneidew. Del. p. 134: Bacchus Ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος ἢ μανίης. — *insanos amores*] «cum convivae prope ebrii gloriantur de amoribus suis vel cum puellis compotationi adhibitis licentius colloquuntur.»

4. *facilem*] ut Od. 2, 11, 8. Alibi et *leves somnos* (Od. 2, 16, 15.) et *lenem s.* (Od. 3, 1, 22.) vocat. — *pia*]

Quocunque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino iubente

5. *Q. fetum numine* malebat Bentleius; audacius etiam Sökeland: *Q. servas omine Massicum Lectum* cet. (*numine* B noster, Feae Vr. B a sec. m., Pottierii quartus decimus.) — Vv. 6–8 in B. desunt.

quatenus gratum somnum adducit; adeoque hoc v. ad proxima unice refertur, ut recte Bentleius. Etenim neque simpliciter «innocens, *arglos*» (quomodo enim hoc, si rixas excitat?) neque «munifica, benigna», neque nimis artificiose «mecum pietatis quodam nexu coniuncta, cum idem tibi sit annus natalicius» interpretandum arbitror. Bentleius distingui iussit (vide etiam Curas noviss.) *Seu facilem pia, testa, somnum*. Qua quidem distinctione, ut prope simillimis huic Croftianis omnibus, nihil prorsus lucratur lector intelligens; nam utrovis modo distinxeris, hoc dicit poëta: «testa, quae *pia* merito appellabere, si facilem nobis somnum adduxeris.» Verum ille, ut acutissimus logicae accurationis erat indagator, offendit in ἐπιθέτῳ, quod sine commate illo potuisset videri vel ornans (ut aiunt) dumtaxat, vel etiam falsum, quia *querelas* et *rixas* gerunt cadi *non pii*, vehementiores etiam *impii*.

5. *Quocunque - nomine*] «Quodcunque tandem officium fato quodam tibi tributum est, ut excitares aliquando unum alterumve illorum affectuum, quos significavi, vel alios etiam» (progrediente sententia iam *querelas* et *rixas* missas facit, gratiora dumtaxat mente complexus); seu: «quemcunque ad effectum praestandum destinatum est Massicum (Campanum, Od. 1, 1, 19.), quod contines.» Mecum facit Lübker explicans: «*welche Stimmung du auch hervorzubringen berufen bist.*» Voss: *Von welcher Laun' auch Massiker du bewahrst*. Garve: *Allwelches Jahrgangs Lese von Massiker du wahrst;* interpretatione iamdudum a Bentleio refutata: «cuiuscunque consulis nomen et annum fers.» — Ad usum vv. *quocunque nomine* cfr. Varro RR. 1, 1, 6: *Item adveneror Minervam et Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum, quo nomine* (quam ob causam) *rustica Vinalia instituta*. Nihil equidem difficultatis video, si iungamus, ut iubet vv. collocatio: *Quocunque nomine lectum*, id est, «pressum atque conditum», cum uvae proprie legantur; sic enim admodum poëtice significat, iam eo tempore, quo conditum sit vinum, certam eius et quodammodo fatalem fuisse destinationem; contra languet illud: *quocunque nomine servas Massicum lectum*. — *Lectum* utique est «conditum», non «electum», ut volunt Sanadonus et Forcellinus. — Ceterum speciosa, non tamen vera, est lectio Codicis B antiquissimi aliorumque *numine*.

6–8. *moveri*] «Tanta certe es bonitate, ut digna sis, quae hoc die fausto demovearis ex apotheca.» Epod. 13, 6: *Tu vina - move*. — *Dignus* autem cum infinit. posteriore tempore etiam in prosa or. iungitur. Seneca de Benef. 1, 1, 10: *dignus est decipi*. — *Descende*] ex horrei sive apothecae sive fumarii pariete, cui tamdiu acclinata fuisti. Similiter Od. 3, 28, 7: *deripere hor-*

Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negleget horridus:
Narratur et prisci Catonis

10. *negleget* STc, Bentleii plerique, LCtFJ: *neglegit* Bb,γμ, Pott. tres, Bentleius, M.

reo - - amphoram. — iubente Promere] Sic iungendum, non: *Descende - - Promere*, «ut promas.» Recte enim Steiner: «Si *promere* cum imperativo *Descende* coniungi voluisset poëta, haud dubie scripsisset *languidius vinum*, non *languidiora vina*, cum una illa testa, quam alloquitur, plura vina continere aut promere non possit. At rectissime se habet plur. numerus cum v. *iubente* coniunctus: Descende, Corvino poscente vina languidiora, quale est istuc, quod tu mihi servas antiquissimum.» — *languidiora*] bona significatione, «mitiora.» Cf. Od. 3, 16, 35.

9. 10. «*Socraticis-Sermonibus*, quales reperiuntur maxime apud Platonem et Xenophontem in Symposiis, adeo *madet*, penitus imbutus est, ut eorum ipsorum formam ac totum genus suis sermonibus referat, cum inter amicos versatur.» Plinius Epp. 3, 12, 1: *sit expedita, sit parca* (coena); *Socraticis tantum sermonibus abundet*; etenim Horatii verba in proverbii prope consuetudinem venerant. *Madere* sine imagine est «abundare». Martial. 1, 39, 3: *Cecropiae madidus Latiaeque Minervae*, id est, «in utrisque litteris multum ac saepe versatus.» Idem 6, 44, 1: *credis te - - solum multo permaduisse sale. — negleget*] «tum, cum apud me erit.» Longe aptius est quam praesens. Sic futurum vv. 21. et 23. — *horridus*] «nimis tristis ac morosus.» Resolve: «Non, propterea quod fortasse horridus sit, te negliget;» ut Epp. 1, 7, 2: *mendax desideror*. Epp. 2, 2, 195: *spargas tua prodigus*.

11. 12. *prisci Catonis*] Censorius h. l. unice aptus est; nam is propter nescio quam festivam morositatem atque multa et lepida ἀποφθέγματα personam gerebat apud Romanos posteriores mediam inter severitatem et iocum. Firmat hanc explicationem Epp. 2, 2, 116: *vocabula - - priscis memorata Catonibus*. Quam Horatianam consuetudinem secuta etiam Sulpicia Sat. v. 48: *prisci sententia dia Catonis*; imitata est enim Sat. 1, 2, 32: *sententia dia Catonis*. Cfr. Plut. Cat. mai. 25. collato Lessing. ed. Lachmann III. p. 421. (De Uticensi alii acceperunt, quia Plut. Cat. min. 6: προϊόντι-τῷ χρόνῳ μάλιστα προσίστο πίνειν, ὥστε πολλάκις ἐν οἴνῳ διάγειν εἰς ὄρθρον. Seneca de Tranquill. 1, 15: *Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum. - - Catoni ebrietas obiecta est.* Tum *prisci* explicant «severi», ut Catull. Epithal. 159. *prisci praecepta parentis*. Cic. pro Caelio 14: *severe et graviter et prisce agere*. Virg. Copae v. 34: *Ah pereat, cui sunt prisca supercilia!* Sed, ut verum fatear, ut apta duobus aliis locis Catonis Uticensis est mentio (Od. 1, 12, 35. 2, 1, 24.), ita inepta atque importuna esset h. l., ubi poëta leviter iocatur. Praeterea multo melius antiquae iam famae convenit v. *narratur*, quam Catoni minori, poëtae ex parte saltem ae-

Saepe mero caluisse virtus.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu sapientium
Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo;

12. *incaluisse* e Mario Victorino p. 2606. P. Bentleius.

quali.) — *Virtus* autem *Catonis*, ut Sat. 2, 1, 72: *Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli.* — *caluisse*] *incaluisse*, quod per *σφάλμα μνημονικὸν* praebet Marius Victorinus p. 220. Gaisf., nimium est, quasi vero ante compotationem prorsus torpida fuisset virtus illa.

13. *tormentum*] H. l. non habet significationem explorandi, ut A. P. 434: *Reges dicuntur multis urgere cullullis Et torquere mero, quem perspexisse laborant,* cet. et Epp. 1, 18, 38: *Commissumque teges et vino tortus et ira.* Sed hoc volt: «ut vera tormenta reos confiteri cogunt delicta, sic vinum, quasi *lene*, gratum, *tormentum* excitat *ingenium plerumque* (persaepe) *durum* efficitque, ut longe facilius carmina festivosque sermones fundat.» «*Ingenio duro* esse dicitur seu poëta sive orator, qui arida et difficili vena est, qui non *εὑρετικός*, non pollens inventione et copia.» Bentley. Silius 11, 285: *Donec pulsa fames et Bacchi munera duram Laxarunt mentem.* — Non haec est oppositio: «duro ingenio, ut fiat mitius et mollius;» (vel, ut Porphyrion: «vinum extorquet animi gravitatem» sed: «ut liberiore impetu vim suam expromat.» Omnino est Bacchylidis *γλυκεῖ ἀνάγκα* in loco mox (ad v. 18-20.) afferendo; nobis *Reizmittel.* — De machina militari noli cum aliis explicare, quae non excitat, sed volnerat, affligit, occidit. Cave item iungas *admoves plerumque*, «non tamen semper»; quae sententia admodum frigeret. (Mira h. l. est Cod. Franeq. ceteroqui perboni perversitas praebentis *amoves* cum gloss. *removes.*) — Ad totum locum cfr. Callimachum Ep. 9: (in Anthol. Pal. II. p. 204.) *Μικρή τις, Διόννσε, καλὰ πρήσσοντι ποιητῇ Ῥῆσις· ὁ μὲν νικῶ φησὶ τὸ μακρότατον· Ὦι δὲ σὺ μὴ πνεύσῃς ἐνδέξιος, ἦν τις ἔρηται, Πῶς ἔβαλες; φησί, σκληρὰ τὰ γιγνόμενα* κτλ.

14-16. *sapientium*] «Vinum efficit, ut etiam ii, qui alioqui sapientes se gerunt et nescio quae secreta consilia semper agitare putantur, longe apertiores fiant atque ad iocandum ipsi quoque progressi multa patefaciant, quae extra convivium vix cum quoquam communicarent.» Non tam de philosophis cogitandum, qui *ἐσωτερικὰ δόγματα* ad mensam, ubi sane nemo iis aures praeberet, facunde exponant, sed de iis potius, qui in vita quotidiana seriis plerumque ac gravibus cogitationibus occupati videntur. Sic Diphilus apud Athen. 2, 2: *(Διόννσε,) Τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν.* (De genitivi forma cf. Od. 3, 24, 21.) — *iocoso-Lyaeo*] Videtur dativus potius quam ablat. vel absol. (inter vina) vel instrum. (per vinum). — *Iocosus* autem vocatur, quia ad iocos provocat tum maxime, cum praeter exspectationem compotantium arcana illa consilia in lucem protrahun-

Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque et addis cornua pauperi
Post te neque iratos trementi
Regum apices neque militum arma.

17. *anxius* T. — 19. *neque*] *nec* T, Bentleius. — 20. *neque*] *et* T.

tur. — *relegis*] Aeschyl. Fr. 274. Dind.: *Κάτοπτρον εἶδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ.*

18 - 20. *cornua*] quae Fluviis et Libero patri ipsi tribuuntur, virium atque confidentiae *σύμβολον*. Voss.: *des Muthes Hörner*. Apposite Ovid. A. A. 1, 239: (inter vina) *Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit*; et Am. 3, 11, 6: *Venerunt capiti cornua sera meo*. Ceterum imago est etiam orientalis. Samuel 1, 2, 1: *ὑψώθη κέρας μου ἐν θεῷ*, quod Lucas 1, 69. imitatus est. Iunge autem *Viresque et cornua addis*; metaphoram enim *τῷ κυρίῳ* iunxit. Languet volgaris interpretatio: «spem viresque reddis anxiis.» — *Post te*] epotam. — *apices*] Od. 1, 34, 14. de regis Parthorum insigni, tiara cum acumine. Curtius 3, 3, 19: *Cidarim Persae vocabant regium capitis insigne: hoc caerulea fascia albo distincta circumibat*. In prosa orat. «diademata»; sine figura: «maiestatem et potentiam.» — *Iratos* autem *apices* pro «iratorum regum apicibus», ut Propert. 2, 20, 8: *Niobe - - Sollicito lacrimas defluit* (vulgo Scaligero auctore *depluit*) *a Sipylo*. Cfr. de hac, quam dicunt, enallage Axtium ad Vestrit. Spur. p. 44. — Similes loci de vini virtutibus: Od. 1, 18. Pind. Frgm. 136. Ed. Boeckh. min. Bergk. N. 198: *Ἀνίκ' ἀνθρώπων καματώδεες οἶχονται μέριμναι Στηθέων ἔξω, πελάγει δ' ἐν πολυχρύσοιο πλούτου Πάντες ἴσα νέομεν ψευδῆ πρὸς ἀκτάν· Ὅς μὲν ἀχρήμων, ἀφνεὸς τότε, τοὶ δ' αὖ πλουτέοντες - - ἀέξονται φρένας ἀμπελίνοις τόξοις δαμέντες*. Bacchylides Fragm. 27. Bergk pag. 827: *Γλυκεῖ' ἀνάγκα Σευομένα κυλίκων θάλπησι θυμόν, Κύπριδος δ' ἐλπὶς διαθύσσει φρένας Ἀμμιγνυμένα Διονυσίοισι δώροις, Ἀνδράσι δ' ὑποτάτω πέμπει μερίμνας· Λύτίχ' ὁ μὲν πόλεων κρήδεμνα λύει, Πᾶσι δ' ἀνθρώποις μοναρχήσειν δοκεῖ· Χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε μαρμαίροισιν οἶκοι, Πυροφόροι δὲ κατ' αἰγλήεντα [καρπὸν] Νῆες ἄγουσιν ἀπ' Αἰγύπτου μέγιστον Πλοῦτον· ὡς πίνοντος ὁρμαίνει κέαρ*. Aristoph. Eq. 91: *Οἴνου γὰρ εὕροις ἄν τι πρακτικώτερον; Ὁρᾷς; ὅταν πίνωσιν ἄνθρωποι, τότε Πλουτοῦσι, διαπράττουσι, νικῶσιν δίκας, Εὐδαιμονοῦσιν, ὠφελοῦσι τοὺς φίλους*. Poëta Cypr. ap. Athen. 2, p. 35 b: *Οἶνόν τοι, Μενέλαε, θεοὶ ποίησαν ἄριστον θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας*. Diphilus loco supra (ad v. 14 - 16.) allato: *Διόνυσε - - -, ὃς τὸν ταπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιεῖς μόνος, τὸν τὰς ὀφρῦς ἄροντα συμπείθεις γελᾶν, τόν τ' ἀσθενῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν θρασεῖν*. Chaeremon in Wagn. Fr. tr. pag. 130: *Τοῖς χρωμένοις οἶνος παρασκευάζεται Γέλωτα, σοφίαν, εὐμαθίαν, εὐβουλίαν*. — Alias vini laudes, quae apud antiquos repe-

Te Liber et, si laeta aderit, Venus
Segnesque nodum solvere Gratiae
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

24. *fugit* T.

riuntur, copiose collegit Lübker p. 488. Plato de Legg. 1. p. 649. A. Ovid. A. A. 1, 237: *Vina parant animos faciuntque caloribus aptos: Cura fugit multo diluiturque mero. Tunc veniunt risus: tunc pauper cornua sumit: Tunc dolor et curae rugaque frontis abit. Tunc aperit mentes aevo rarissima nostro Simplicitas, artes excutiente deo.*

21. 22. *si laeta*] atque ideo propitia. — *Venus*] Talibus enim conviviis inter amicos intimos celebratis faciles amicae adhibebantur, ut est aliquoties apud Horatium. — *Segnesque nodum solvere*] «nunquam solventes.» Eurip. Hippol. 1147: συζυγίαι Χάριτες. Seneca de Benefic. 1, 3: *Num dicam, quare tres Gratiae et quare sorores sint et quare manibus implexis? - - - Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus?* Alii nodo ad zonam relato explicant «decentes.» (Od. 1, 4, 6.) At vid. Od. 1, 30, 5. 3, 19, 17. (Eadem constructione Virg. Aen. 11, 736: *At non - - segnes - - Exspectare dapes.*) Gratias iunctis manibus incedentes vide in Ara Borghesiana Visconti *Monum. Gabini Agg. a. b. c.* Müller *Denkm.* T. XIII. 43. — *Gratiae*] sine imagine: «iucundi ac lepidi sermones a quavis altercatione remoti, ut decet homines omni vita atque victu excultos atque expolitos.»

23. *Vivae*] «ardentes», ut alio tropo Od. 3, 8, 14. *vigiles lucernas* dixit. — *Te - - producent*] proprie convivium, «cui tu, amphora, vinum ministras.» Sat. 1, 5, 70: *coenam produximus illam*, hic *vinum*, cuius ope illud maxime perficitur. Iam vero conviviorum numina, Liber, Venus, Gratiae, hoc cum Messala celebrandum protendent usque ad primam lucem nec unquam exstinguentur lucernae, quae ipsae admodum poëtice numinibus illis hilarem compotationem producentibus sociantur. Propert. 4, 6, 85: *Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec Initiat radios in mea vina dies.*

CARMEN XXII.

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis adimisque leto,
Diva triformis,

Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos

XXII. Inscr. volg. *Ad Dianam.* — *Ad Dianam luciferam* BSTc. — *In Dianam* b. — 2. *laborantis* B. — V. 4. ultimus in B.

XXII. Inscriptio tabulae, qua Dianae consecratur pinus (Italica pulcherrima, *Pinie)* imminens Sabino, arbor poëtae cara, anniversariumque sacrificium vovetur. Quam ob causam vel ob quod deae beneficium reticet, probabiliter, quia aliam nullam habebat nisi eam, ut componeret inscriptionem sub illa ipsa pinu tabulae marmoreae incidendam, qua locus amoenus ornaretur. Incredibile autem est, quot ridiculas nugas de poëtae arcano consilio effuderint Interpretes scholastici, quas referre et repetere profecto nihil attinet. (Quo tempore compositum sit, non liquet. Nonnulli referunt ad a. 726., alii ad a. 732.)

1. 2. *Montium*] Od. 1, 21, 5. Callim. Cer. 18. Diana Iovem precatur: *Δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα· -- Οὔρεσιν οἰκήσω.* Catullus 34, 9: *Montium domina. — laborantes utero*] «parturientes;» Garve: *in Wehn arbeitende. — puellas*] ut Od. 3, 14, 10. de nuptis.

3. *Ter vocata*] «Ex sacrorum ritu ter (Od. 1, 28, 36. Epp. 1, 1, 37.), ut adsis partui eumque leves, advocata.» Cfr. Carm. sec. 13. Diana hic eadem cum *Εἰλειθυίᾳ*, ut in Leonidae Tar. Ep. 3. (Anth. Pal. I. p. 249.) Althis votum ei solvit: *Ἐκ τόκου, ὦ Λητωΐ, βαρυνομένης ὅτι νηδὺν Ζωὸν ἀπ' ὠδίνων λύσαο τῆσδε βρέφος.* Sic in Orphicis *Ἄρτεμις Εἰλείθυια.* Romanis tamen frequentius Iuno Lucina. Dionys. Halic. 4, 12: *Εἰλείθυιαν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον.* Catull. 34, 13: *Tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis, Tu potens Trivia et notho es Dicta lumine Luna.* Cfr. Carm. sec. 15.

4. *Diva triformis*] in caelo Luna, in terra Diana, apud inferos Hecate. Virg. Aen. 4, 511: *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.* Eius imago *Archaeol. Zeit.* I. p. 132.

5. 6. *villae*] meae in Sabinis. — *pinus*] alibi Cybelae sacra (Ovid. Met. 10, 104.), h. l. Dianae, ut Prop. 2, 19, 19. — *per exactos -- annos*] «confectos; quotannis.» Od. 3, 18, 5: *pleno -- anno. — laetus*] ut est in for-

Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

mulis Inscriptionum votivarum : *V. S. L. M. (Votum solvit libens merito.)*

7. *obliquum*] ex huius animalis natura. Hom. Iliad. μ, 148: apri duo δοχμὼ ἀΐσσοντε. Odyss. τ, 450: aper πολλὸν δὲ διήφυσε σαρκὸς ὀδόντι Λικριφὶς ἀΐξας. Ovid. Met. 8, 343: (aper) *obliquo latrantes dissipat ictu.* Her. 4, 104: *obliquo dente timendus aper.* — *meditantis*] Verrem anniculum significat, qui eiusmodi ictus iamiam *meditatur*, destinat, nondum tamen infigit. Cfr. Od. 3, 13, 4. Od. 4, 2, 54.

CARMEN XXIII.

Caelo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle,
Si thure placaris et horna

XXIII. Inscr. volg. *Ad Phidylen.* — *Ad Phidylen rusticam* BST. — *Phillidae* (sic) bc. — 2. *Phidyli* malebat Bentleius. — 3. *ture* T.

XXIII. Fingit virginem rusticam, Sabinam, puto, *miram decore pio* (Stat. Theb. 1, 572.) atque ex intima animi sententia Lares veneraturam fertilitatemque agro a se culto precaturam nihilominus queri, quod exigua dumtaxat dona illis offerre sibi concessum sit. Hanc consolatur affirmans, omnia in puro sacrificantis animo sita esse, nequaquam in victimarum pretio ac numero. (Fictam autem esse totam scenam ac Phidylen ipsam, agnovisse videtur etiam Lübker; attamen propter aliorum interpretum ineptias rursus inculcandum erat.) De Horatii villica quo minus explicemus, obstat imprimis, quod Phidyle arbitrio suo, non domini iussu, rem divinam factura est. Contra Cato R. R. 143: Villica *rem divinam ne faciat neve mandet, qui pro ea faciat, iniussu domini aut dominae. Scito dominum pro tota familia rem divinam facere.* (Referunt nonnulli ad a. 730., alii ad a. 732., sed tempus compositionis prorsus incertum est).

1. *supinas*] Solitus adorantium gestus iam apud Homerum. Iliad. η, 177: *Λαοὶ δ' ἠρήσαντο, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον.* Aesch. S. adv. Th. 172: *χειροτόνους λιτάς.* Lucret. 5, 1198. Virg. Aen. 4, 205: *Multa Iovem manibus supplex orasse supinis.* Pseudotib. 3, 4, 64: *Tu modo cum multa brachia tende prece.* Sic etiam supplices. Aeschyl. Prom. 1005: *Γυναικομίμοις ὑπτιάσμασιν χερῶν.* Petron. 17: *Protendo ad genua vestra supinas manus.* Adorandi autem morem sic describit Minucius Felix 2: *Caecilius simulacro Serapidis denotato, ut volgus superstitiosum solet, manum ori admovens, osculum labiis pressit.* Mulieres sic manibus supinis deos adorantes v. *Pitture d' Ercolano* IV. T. 13. Visconti *Mon. Borgh.* Fasc. I. T. 6.

2. *Nascente Luna*] «Solent enim rusticae mulieres in initio primae Lunae ad caelum effundere preces.» Schol. Cfr. ad Od. 3, 19, 9. — *Phidyle*] Hanc formam a *Φειδύλος, η, (φείδεσθαι,)* parem adiectivo *ἠδύλος, η,* defendit contra Bentleii suspicionem *Phidyli* Bastius Epist. crit. p. 245. *Φείδυλλα* nomen est feminae Atheniensis in Boeckhii Inscr. 153. Graecum autem nomen poëticum atque aptissimum rusticae suo iure tribuit virgini Italicae.

3. 4. *thure*] (De scriptura huius nominis vide ad Od. 1, 19, 14.) Cato R. R. 134: *Priusquam messim facias, porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet: Cereri porca praecidanea, porco femina, priusquam fruges condantur, - - thure, vino Iano,*

Fruge Lares avidaque porca,
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis nec sterilem seges
Robiginem aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Nam quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices

5. *sentiat* T. — 7. *Rubiginem* BbSTc,Lt. (Ut nos, Codd. Bland.) — 8. *Pomiferi - - anni* malebat Markland.

Iovi, Iunoni praefato. Tib. 1, 3, 34: *menstrua thura Lari.* Plaut. Aulul. Prol. 23: *Huic* (Euclioni) *filia una est: ea mihi* (Lari) *cotidie Aut thure aut vino aut aliqui semper supplicat, Dat mihi coronas. — horna Fruge*] «spicis hornotinis, huius anni.» Forma *hornus* poëtarum est. Cfr. Pompeii Comm. A. D. p. 329. Spicae autem hic potius significantur quam mola salsa. — *porca*] Porcam enim feminam mactare solebant. Cic. de Inv. 2, 30: *eum, qui* (in sacrificio) *porcam tenuerit.*

5. 6. *pestilentem - Africum*] *Scirocco.* Cf. Od. 1, 3, 12. *Noxium* Austrum dicit Plin. H. N. 2, 47. — *Fecunda*] Raro reperitur de arboribus pro «fertilis, ferax.» Cic. Orat. 15: *Segetes fecundae atque uberes. — sterilem*] «quae efficit sterilitatem.» Virg. Ge. 1, 150: *ut mala culmos Esset robigo.*

7. *Robiginem*] *Rubiginem* miro consensu Codd. mei; verum Wagner ad Virg. Ge. 1, 151: «*robigo* meliores scribunt, et *robigo* bis in Fastis Praenestinis.» Est etiam dea Robigo. Ovid. Fast. 4, 907: *Flamen in antiquae lucum Robiginis ibat, Exta canis flammis, exta daturus ovis.* 911: *Aspera Robigo, parcas Cerealibus herbis.* 923: *Nec teneras segetes, sed durum amplectere ferrum*; ex quo versu simul apparet vanam esse distinctionem inter *robiginem* frumenti *(Brand, Mehlthau)* et *rubiginem* ferri *(Rost).* Colum. 10, 342: *Hinc mala Robigo virides ne torreat herbas, Sanguine lactentis catuli placatur et extis.* Ab aliis *uredo*, ab aliis *carbunculus* appellabatur. Plin. H. N. 18, 28, 69. — *dulces alumni*] vituli, haedi, agni tenelli; ut Od. 3, 18, 4. Male olim de vernulis explicabant; nam tales certe vix habebat ficta haec rustica, coloni filia. Atque omnino greges praeterire non poterat poëta.

8. *Pomifero - - anno*] auctumno. Sic Epod. 2, 29: *annus hibernus Iovis*; Virg. Aen. 6, 311: *frigidus annus*; Stat. Theb. 4, 1: *horrens annus*, hiems. Marklandi coni. *pomiferi - - anni* pedestrem orationem substituit poëticae. — *grave tempus*] Etiam in prosa orat. pro pestilenti. Liv. 3, 6: *grave tempus, et forte annus pestilens.* Sat. 2, 6, 18: *plumbeus Auster Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.* Iuvenal. 4, 56: *iam lethifero cadente pruinis Auctumno.*

9 - 12. *nivali - Algido*] monte Latii; *gelidum* vocat Od. 1, 21, 6., *nigrae feracem frondis* Od. 4, 4, 58. In eo ac prope Albam Longam erant pascua victimarum, quae collegii pontificum propria erant ac magnam partem reditus eorum

Aut crescit Albanis in herbis
Victima pontificum secures
Cervice tinget: te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus,

12. *securim* S,γκχ et pr. ν, item Pottierii 4, 13, 17., Bentleius. (Ut nos, Tc.) — 13. *tinguet* T.

efficiebant. Virg. Ge. 2, 146. memorat victimas ad Clitumnum pastas, Ovid. Fast. 1, 84. eas, *Quas aluit campis herba Falisca suis.* — *Devota*] «iamiam aris destinata.» — *pontificum secures*] id est, hanc vel illam *securim*, unde orta est haec ipsa paucorum Codd. lectio; sed Horatio ipsi vix placuissent terminationes *um*, *im*. Pontifices autem poparum ad hoc utebantur ministerio.

13. 14. *Cervice*] «sanguine ex cervice ebulliente.» Virg. Ge. 3, 492: *Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri.* — *te nihil attinet*] «minime opus est, οὐδὲν προσήκει.» — *Tentare*] ut alibi *fatigare, lacessere deos.* (Od. 2, 18, 12.) «Nihil», inquit, «opus est, ut multis victimis deorum pacem ac favorem tibi conciliare studeas, dummodo, ut facis, parvos tuos Lares corones rore marino, frutice bene olente.» Duplex autem et implicata est constructio *tentare deos* et *coronantem deos.* — *bidentium*] in sermone pontificum et apud poëtas «oves bimae.» Festus: «*Ambidens* sive bidens ovis appellabatur, quae superioribus et inferioribus est dentibus.» Cfr. Gell. 16, 6.

15. 16. *Parvos coronantem - - deos*] Ovid. Fast. 5, 130. de Laribus praestitibus: *signaque parva deum.* Iuven. 9, 137: *O parvi nostrique Lares, quos thure minuto Aut farre et tenui soleo exorare corona.* Cato R. R. 143: Villica *Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erit, coronam in focum indat; per eosdemque dies Lari familiari pro copia supplicet.* Hic eadem facit virgo rustica ingenua. (In Felicissimi epitaphio nuper reperto (Rouard *Inscriptions en vers du musée d'Aix.* Aix 1839. p. 46:) *comes his fui - qui - tempore veris Floribus intextis refovent simulacra deorum.*) — *fragili*] non «flexili», sed «cuius ramuli facile franguntur», *spröd.* Conf. Eurip. El. 778: τερείνης μυρσίνης - πλόκους.

17. *Immunis* est liber a *munere*, tributo cet.: qui nihil praestare debet. H. l. *immunis manus* est eius, qui sacrificat, non ideo quod noxam aliquam expiare debeat deorumque iram placare, sed quia grato pioque animo deorum maiestatem veneratur, vel, ut h. l. significari videtur, immeritas calamitates a se suisque deprecari conatur. Ad idem ergo redit ac si dixisset *sceleris pura*, ἁγνή. Ovid. Her. 14, 8: *Non piget immunes caedis habere manus.* Vell. 2, 7: *immunis delictorum paternorum.* Nimirum ut talia vocabula relativa interdum ponuntur omisso τῷ πρὸς

Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates

49. *Mollibit* bc,LCt, *Mollirit* Cuningh. e Cod. Gogav., item unus Feae, Pott. 7, 8. (Ut nos, ST, *ν*, pr. *κ*, Cruquiani tres, Bersm. unus, Pulm. et Gifanii unus, Pott. ceteri.)

τί, velut *plenus* (Sat. 2, 2, 43.), *avidus* (Od. 1, 28, 18.), et ipsum v. *immunis* omisso «a laboribus ac certaminibus» apud Sen. Herc. fur. 246: *numquid immunis fuit Infantis* (Herculis) *aetas?*: sic hoc quoque loco genitivum vel ablativum omisit Horatius, nimis certus lectorum neminem dubitaturum de significatione, quae alia esse nequit quam «innocens, insons.» *(Puram*, quasi me refutaturus, interpretatus est Lübker. Sed quid tandem aliud volebam?) Non enim Horatius praevidit fore, ut aliquando explicarent: «sine hostiis, vacua», vel quod peius etiam est, «vacua ab opere rustico, feriata.» — Opponitur *πονηρὰ χείρ*. Eurip. Ion. 1345: *οὐδὲ γὰρ ψαύειν καλὸν Θεῶν πονηρὰν χεῖρα. — si tetigit*] thus et molam salsam offerens; *ἀορίστως*, perpetui temporis significatione, quam non agnoscentes *mollivit* mutarunt in *mollirit*, alii peius etiam in *mollibit*.

48. *Non sumptuosa*] Veram constructionem hanc existimo: «*Immunis manus mollivit aversos Penates farre pio et mica salis, non blandior* (futura, oblatâ) *sumptuosa hostia* (ablat.)»; et recte iam Lambinus explanavit: «nihilo gratior iis futura per sumptuosam hostiam.» Alias proposuerunt has: 1) «*Non mollivit blandior* (blandius) *aversos Penates hostia sumptuosa* (ablat.) quam *farre pio.*» 2) «*Si manus immunis* (innoxia) *aram tetigit, hostia sumptuosa* (nominat.) *non* magis *mollivit aversos Penates, quam far pium*;» vel ut Bentleius similiter: *Esto, ut vacua manus aram tetigerit: sumptuosa hostia* (nominat.) *non mollivit Penates blandior farre pio*;» 3) «*Si manus immunis* a sceleribus *tetigit aram sumptuosa hostia* (ablat.), *ea manus non mollivit aversos Penates blandior pio farre.*» (Schol. Cruq.) Qui *sumptuosa - - hostia* nominativos esse contendunt, syllabae *sa* productionem defendunt aut Od. 3, 5, 47: *Si non periret immiserabilis*, sed apud Horatium ubicunque syllaba per se brevis caesura producitur, in consonantem, non in vocalem exit, ut Od. 1, 3, 36: *Perrupit Acheronta Herculeus labor*. Ibid. 1, 15, 36: *Ignis Iliacas domos*. Od. 3, 5, 47: *Si non periret immiserabilis*, quod ipsum nostrae interpretationis firmissimum est argumentum; aut defendunt hiatu, ut Od. 2, 20, 13: *Iam Daedaleo ocior Icaro*, aut syllabam *sa* produci dicunt positione litt. *bl*. Hoc certe contra Horatii usum; cfr. A. P. 395: *et prece blanda*. Od. 3, 4, 50: *horrida brachiis*. Od. 3, 4, 43: *turba clientium*. Od. 3, 6, 49: *derivata clades*. Od. 3, 14, 9: *latis equa trima campis*. — Ad sententiam cfr. Euripid. apud Orionem Schneidew. p. 55: *Εὖ ἴσθ' ὅτ' ἄν τις εὐσεβῶν θύῃ θεοῖς, Κἂν μικρὰ θύῃ, τυγχάνει σωτηρίας*. Antiphanes in Grotii Exc. p. 647. de thure: *Τὸ δὲ μικρὸν αὐτὸ τοῦτ' ἀρεστὸν τοῖς θεοῖς*. Dio Chrys. Or. 13. p. 264. Emp.: *ὅσῳ ἂν εὐσεβέστερον καὶ ὁσιώτερον γένησθε, τοσούτῳ ἐλάττων ἔσται παρ' ὑμῖν ὁ λιβανωτὸς καὶ τὰ θυμιάματα καὶ τὰ στεφανώματα,*

Farre pio et saliente mica. 20

καὶ θύσετε ἐλάττους θυσίας καὶ ἀπ' ἐλάττονος δαπάνης. Minucius Felix 32: *Est litabilis hostia bonus animus et pura mens et sincera sententia.* Demophilus in Orellii Opuscc. sentent. I. p. 38: Δῶρα καὶ θυσίαι θεὸν οὐ τιμῶσιν, ἀναθήματα θεὸν οὐ κοσμεῖ, ἀλλὰ τὸ ἔνθεον φρόνημα διαρκῶς συνάπτει θεῷ· χωρεῖν γὰρ ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον.

19. *Mollivit*] «mollire solet», de quo aoristi usu apud Graecos et Latinos v. Walch ad Tacit. Agric. p. 104. Cf. ad v. 17. — *aversos*] «Dii implorati, ut opem ferant, vel audiunt, voltum ad vota vertentes (Propert. 3, 3, 10: *versos ad pia vota deos.*), vel non audiunt, voltum auresque avertentes (Epod. 10, 18: *Preces - aversum ad Iovem.*); hactenus etiam *adversi*, irati, non propitii, alibi recte dicuntur.» Huschke ad Tib. pag. 457. (Ovid. Trist. 1, 3, 45: *Multaque in adversos effudit verba Penates*, ubi Heinsius ex coni. *aversos.*)

20. *Farre* cet.] Est περίφρασις molae salsae, quae placuit imitatoribus. Pseudotib. 3, 4, 10: *omina noctis Farre pio placant et saliente sale.* Plinius in Praefat. H. N.: *Mola salsa litant, qui non habent thura.* — *pio*] ad immolantis sensum spectat. Cfr. Antimachi Stoll p. 86: Ἐν δ' ἀδόροισι χέειν εὐίλατον ἄλφι. — *saliente mica*] «dissiliente atque crepitante, cum in ignem coniicitur.» Ovid. Fast. 2, 536: *Et sparsae fruges parcaque mica salis.* 4, 409: *Farra deae micaeque licet salientis honorem Detis.*

CARMEN XXIV.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae
Caementis licet occupes

XXIV. Inscr. volg. *In avaros.* — *Ad divites avaros* Codd. mei.

XXIV. Exspectans fore, ut Caesar finitis bellis civilibus in morum emendationem ante omnia incumbat, poëta, quam corrupti sint, demonstrat et remediis etiam violentis pristinam simplicitatem restituendam esse censet. Ut huius libri Od. 1. 2. 3., est ex iis carminibus, quibus cives suos ad avitam morum innocentiam atque integritatem revocare studet, sive Augustus ad tales *παραινέσεις* elaborandas eum excitavit, sive poëta ipse ultro intellexit, eas gratas et acceptas fore principi, cum cuius consiliis prorsus concordabant. Ipsi quoque temporibus idoneas esse visas consentaneum est. (Compositum videtur per a. 725—726.)

1. *Intactis*] «integris, nondum in Romanorum potestatem redactis.» Od. 1, 29, 1: *beatis - Arabum - gazis.* Prop. 2, 10, 15: *India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho, Et domus intactae te tremit Arabiae.*

3. 4. *Caementis*] Cfr. Od. 3, 1, 35. — *mare Apulicum*] oppositum Tyrrheno. Miri autem errores in h. v. a librariis commissi originem ducunt a vocalium concurrentium elisione. (Cod. Blandin. antiquiss.: *mare publicum* cum gloss. «late patens.») Sententia est: «Licet amplissimas et magnificas villas ad maris litus exstruas cet.»

5-8. *Si* cet.] «Ubi tamen, ut fert rerum natura, Necessitas aliquando modum ponit inceptis tuis superbis, tuque id sentis, et metu dolorum mortisque propinquae torquebere frustraque mortem effugere studebis cet.» — *figit*] Ultima syllaba producitur caesura et arsi. Conf. Od. 1, 3, 36. 2, 6, 14. 2, 13, 16. 3, 16, 26. Supervacanea igitur est audax illa transpositio, quam suadet Axtius ad Vestritium Spur. p. 112: *Si summis adamantinos Figit verticibus. — adamantinos - - clavos*] Semper cogitandum de prima notione v. *ἀδάμας*, «ferrum indomitum, durissimum.» Plat. Reip. 10. p. 616: *Ἀνάγκης ἄτρακτον, - - οὗ τὴν - ἠλακάτην τε καὶ τὸ ἄγκιστρον εἶναι ἐξ ἀδάμαντος κτλ.* Pind. Pyth. 4, 71: *Τίς δὲ κίνδυνος κρατεροῖς ἀδάμαντος ὄῆσεν ἄλοις;* Idem Fr. 120. Boeckh. Ed. min.: *Ταρτάρου πυθμὴν πιέσει σ' ἀφανοῦς σφυρηλάτοις ἀνάγκαις.* Anonymus in Sophocl. Fr. 604. Dind.: *Περιώσι' ἄφυκτά τε μήδεα παντοδαπᾶν βουλᾶν ἀδαμαντίναις ὑφαίνεται κερκίσιν Αἶσα.* Oraculum Pythiae apud Herod. 7, 141: *Σοὶ δὲ τόδ' αὖτις ἔπος ἐρέω ἀδάμαντι πελάσσας.* — *dira*] Sic *dirum omen*

Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae,

4. *ponticum* Bbc,Ct, *punicum* S, *publicum* T. (*Apulicum* firmatur a septem Pottierii Codd., uno Cruquii.) — 5. *Si*] *Sic* malebat Bentl. contra libros notos. — *Si summis adamantinos Figit verticibus* Axt, quasi elegantiore constructione. — 6. *dura* malebat Bentleius. — 7. *Clauum* T.

item Val. Max. 2, 6, 10.; *saeva N.* vocatur Od. 1, 35, 17. — Totam imaginem egregie illustrat speculum Oddianum apud Vermiglioliun *(Iscriz. Perugine* T. I. pag. 43. Ed. pr. cf. supra pag. 195.); unde rite colligitur simile aliquod artis opus vel etiam locum poëtae Graeci eandem imaginem praebentem Horatii animo obversatum esse. Illud tamen probabilius; nam vel speculum illud horribilis nescio quid habet sublimitatis. — *Summis verticibus* explica de verticibus, fastigiis, *ἀστώμασιν* aedium (ut apud Martial. 8, 36, 7: *Aethera sic intrat, nitidis ut conditus astris Inferiore tonet nube serenus apex.* et v. 11: Caesaris domus *vertice sidera pulsat.)*, non cum aliis de capitibus humanis, quorum mirum *ἐπίθετον* esset *summis* atque tota imago foedissima; nec melius Sanadonus: *le faite de la grandeur, les fortunes les plus élevées*; neque vero Bentleii et Axtii (ad Vestritium Spur. p. 90.) interpretationem probare possum: «*Vertices* dixit capita clavorum, quos Necessitas *totos* infigit. *Summis verticibus* enim est dativus, id est, usque ad capita»; at res nunc clara est ex speculo illo Etrusco. — Tota autem imago sic informanda: «Dum homo ille locuples assidue moles iacit aedesque exstruit, nec opinato supervenit *Εἱμαρμένη*, *Ἀνάγκη*, clavosque suos, quibus nihil resistere potest, in aedium culmine figit, domino veluti acclamans: Hucusque nec ultra; adest iam tibi terminus fatalis!» — *mortis laqueis*] Imago est etiam poësis orientalis. Proverb. 21, 6: *Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est et impingetur ad laqueos mortis*, inextricabiles retium eius nexus. (De Indorum Yamo, qui hominibus morti addictis laqueos iniicit cf. Hoefer, *Ind. Ged.* II. p. 106.)

9. 10. *Campestres*] Iam corruptae suorum popularium vitae poëtice (id quod minime obliviscendum; aliter enim Tacitus cum Romanis committit Germanos) opponit innocentissimos Scytharum Getarumque mores, qui locus erat communis etiam apud sophistas. Dio Chrysost. Or. 69. p. 748. Emp.: *Σκύθαι γοῦν οὐδὲν κωλύονται οἱ νομάδες μήτε οἰκίας ἔχοντες μήτε γῆν σπείροντες ἢ φυτεύοντες δικαίως καὶ κατὰ νόμους πολιτεύεσθαι.* Horum Scytharum mores probos atque simplices optime describunt Hippocrates de aëre cet. I. Kühn p. 556. et Scymnus Chius v. 856. Ed. Letronne. Paris. 1844.

Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt et rigidi Getae,
Immetata quibus iugera liberas
Fruges et Cererem ferunt
Nec cultura placet longior annua
Defunctumque laboribus

10. *uagos* T.

p. 408., ubi inter alia eos vocat ἔθνη εὐσεβῆ πάνυ, Ὡς οὐδὲ εἷς ἔμψυχον ἀδικῆσαί ποτ' ἄν. Strabo 7. p. 464. C. *Campi*, plana illa loca, quae nos vocamus *Steppen*; *campestres* ergo «semper in campis degentes, *νομάδες*.» — *melius*] Iliad. ν, 5. de iisdem populis: ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων. — *plaustra*] ἁμαξόβιοι, ἁμάξοικοι. Aeschyl. Prom. 709: Σκύθας δ' ἀφίξει νομάδας, οἳ πλεκτὰς στέγας Πεδάρσιοι ναίουσ' ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις. Pindarus in Fr. Boeckh. Ed. min. p. 214. his *Νομάδεσσι* tribuit ἁμαξοφόρητον οἶκον. Salust. Fr. pag. 258. Gerl.: *Scythae Nomades, quibus plaustra sedes sunt.* Seneca Herc. fur. v. 535: Hercules *Intravit Scythiae multivagas domos Et gentes patriis sedibus hospitas.* Silius 3, 294: Scythis *migrare per arva Mos atque errantes circumvectare Penates.* Conf. Grimm *Gesch. d. d. Sprache* I. p. 230: «*Die gegen Norden und Westen aufbrechenden Skythen müssen stufenweise entschieden dem wandernden Hirtenleben zugefallen sein; bei Griechen und Römern, die mit diesen wandernden Scythen zunächst in Berührung traten, wurzelte die Vorstellung vom Bogenschiessen und Wagenhaus aller Skythen ein.*» Sane de duobus illis Scythiae populis, quos Herodotus 4, 18. Σκύθας ἀροτῆρας et Σκύθας γεωργοὺς vocat, hic non loquitur; quae enim mox de agri cultura affert, ad solos Getas pertinent: verum sunt iidem, quos *profugos* appellat Od. 1, 35, 9. et Od. 4, 14, 42. — *rite*] «ex vetere huius gentis more.»

11-16. *rigidi*] «simplices ac severi,» ut Sabini *rigidi* Epp. 2, 1, 25. Alii minus recte ad gelidam eorum regionem referunt. — *Getae*] Thraciae populus, Dacis (quibuscum cognatio quaedam eis fuisse videtur) vicini et ultra hos Orientem versus habitantes ad Danubium et Pontum Euxinum. *Getas* autem antiquiores eosdem prorsus esse ac posteriores *Gothones* sive *Gothos* sagaciter comprobavit Iac. Grimm *Iornandes und die Geten. Berlin* 1846. etiam in Actt. Acad. Berol., quem libellum excerpsi ad Tac. Germ. 43. Cfr. eiusdem *Geschichte der d. Spr.* I. p. 476 sqq. (Ad v. 11. affert Grut. Inscr. 461, 2: (Narses) *Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes.*) — *Immetata*] nunc ἄπαξ λεγόμενον, «non metata, nulla decempeda dimensa et inter singulos divisa.» Cfr. Virg. Ge. 1, 126. — *liberas Fruges et Cererem*] «Cereris fruges libere maturescentes; non certi alicuius domini, sed totius populi communes.» — *Nec cultura*] Caesar B. G. 4, 1: *Suevi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa ex finibus educunt. Reliqui, qui domi manserint, se al-*

Aequali recreat sorte vicarius.

Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens,
Nec dotata regit virum
Coniux nec nitido fidit adultero.

19. *dodata* T. — 20. *Coniunx* BT.

que illos alunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt; illi domi remanent. Sic neque agricultura nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed privati ac separati agri apud eos nihil est; neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet. Cfr. Taciti Germ. 26. Hunc Suevorum morem re vera apud Getas quoque obtinuisse censet Grimmius, cum plerique arbitrati sint, Caesaris narrationem de illis a poëta ad hos suo arbitratu esse translatam. In libro suo *Gesch. der deutschen Spr.* I. p. 489. ad nostrum locum haec scripsit: «*Diese Einstimmung (zwischen Germanen und Geten) zeigt sich weit stärker noch bei dem Zusammenhalten vielbesprochener Aeusserungen Caesars und Tac. über die Ackerbestellung der Sueven und Germanen insgemein mit dem, was Horaz von der getischen meldet. Wie angemessen auch dem Uebertritt aus dem Hirtenstand in die Feldwirthschaft der jährliche Ackerwechsel erscheint, war er doch etwas unter allen übrigen Völkern so wenig Wahrgenommenes, dass man daraus auf Stammverwandtschaft derer, die ihn beobachten, einen wahrscheinlichen Schluss zu ziehen berechtigt wird.*» — *recreat*] «otium huic praebet *aequali sorte* laboris ille, qui in eius vicem succedit.» Artius iungenda vv. *vicarius aequali sorte*, «aequalem sortem suscipiens.» Noli vero explicare cum Boettigero: «quem, ubi annus suus praeteriit, aequa rursus sors quiescendi manet.»

18. *Privignis - temperat*] «noverca parcit privignis, abstinet ab iis manus; non, ut apud nos, insidias eis struit.» Cic. Verr. Acc. 2, 2, 4: *non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit.* Reiiciendae aliae interpretationes: 1) «privignos gubernat, regit.» 2) «iis pocula miscet innoxia, non venenata»; neutra enim, nullo *ἐπιθέτῳ*, quibus innitatur, cum v. *temperat* coniuncto, admitti potest.

19. 20. *dotata*] «dote freta, adeoque superba atque imperiosa.» Plaut. Men. 5, 2, 16: *Ita istaec solent, quae viros subservire sibi postulant dote fretae, feroces.* Titinius Bothii p. 64: *Verum enim dotibu' deleniti ultro etiam uxoribus ancillantur.* Plaut. Aul. 3, 5, 61: *Nam quae indotata est, ea in potestate est viri; Dotatae mactant et malo et damno viros.* — *virum*] «maritum, qui ipse domum suam regere deberet.» (Monendum erat propter Axtium in Comm. phil. II. p. 23.) — *nitido*] «formoso et compto.» Cfr. Od. 2, 12, 19: *nitidis virginibus.* — *nec - fidit adultero*] «non tantam, ut fit apud nos, fiduciam reponit in adultero potente, ut eius auxilio impudenter freta, superba atque imperiosa sit in ipsum maritum, hunc spernat eique re-

Dos est magna parentium
Virtus et metuens alterius viri
Certo foedere castitas;
Et peccare nefas aut pretium est mori.

O quisquis volet impias
Caedes et rabiem tollere civicam,

24. *pretium emori* Pulmanni optimus, Bersmanni unus et Bentleii ω, *pretium mori* quattuor Pottierii. (Ut nos, BbSTc.) — 25. *O quis, quis - - civicam?* quasi ex Diomede p. 347. P. Bentl. — 26. *et*] *aut* Sc,Ct.

nitatur, ubi eam coërcere conetur; immo interdum ipsas civitatis leges violare audeat.»

21. 22. *Dos est*] «Apud illas nationes naturae convenienter etiamnunc viventes maxima mulierum dos est insignis virtus, castitas, quae certum coniugii pactum servans ab aliorum virorum consuetudine abhorret.» Plaut. Amphitr. 2, 2, 207: *Non ego illam dotem mi esse duco, quae dos dicitur; Sed pudicitiam et pudorem et sedatum cupidinem, Deum metum, parentum amorem et cognatum concordiam.* (De Rooy ad Martial. p. 71. iungit *parentium magna virtus*, utique prave.) — *parentium*] Conf. Od. 3, 1, 13: *clientium*. Od. 3, 21, 14: *sapientium*. Epod. 1, 20: *Serpentium*. Volgo distinguebant *parentum* a v. *parens*, genitor, et *parentium* a v. *parens*, obediens. — *metuens*] «φυλασσομένη, abstinens.»

23. 24. *Certo foedere*] Artissime iunge: «castitas, quae fidelissimo cum marito foederi innititur ac servatur.» — *Et peccare nefas*] «Inhaeret in eorum animis nefas esse adulterium committere noverunt*que* certam eius poenam fore ultimum supplicium.» — *pretium*] ut τιμή, μισθός, vocabulum medium; h. l. de poena. Iuven. 13, 105: *Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.* — *est mori*] Quod in Cod. Pulm. repertum et a Baxtero, Sanadono, Gesnero receptum est *emori*, ex solito compendio v. *est* ortum videtur. *Emori* autem potius de naturali morte quam de violenta usurpatur, atque, ut docuit Dillenburger, nostrum est «*absterben*, animam reddere», ut sane est apud Cic. Tusc. 1, 8: *Emori nolo, sed me esse mortuum nihil aestimo*. et Celsum 5, 26: *membrum, quod paullatim emoritur*. Hoc dicit: «omnis adultera a marito cognatisque necatur», non: «sibi ipsa mortem consciscit», uti accepit Gesnerus, minus apte Lucretiae exemplum afferens.

25-27. *O quisquis* cet.] Exclamatio confidentiae, ut ait Hand Turs. IV. p. 353. In Bentleii interrogatione: *O quis, quis - - - civicam?* nimis divelluntur sententiae. «Quicunque amovere conabitur scelera bellorum civilium et stabilire perpetuam pacem, is si volet, ut singularum urbium cives grato animo statuas cum inscriptione PATRI vel PARENTI (huius) VRBIS ei ponant, ante omnia refrenare debebit licentiam, quae nunc in omnibus rebus dominatur.» — *quaeret*] *quaerere* h. l.

Si quaeret PATER URBIUM
  Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
  Clarus postgenitis: quatenus — heu nefas! —
Virtutem incolumem odimus,
  Sublatam ex oculis quaerimus invidi.
Quid tristes querimoniae,

27. Habent *quaeret* bSTc, non *quaerit*, ut *βνω* aliique. — V. 29. ultimus in B.

ut Od. 1, 16, 26. 3, 4, 39. Epod. 16, 16. cum infinitivo pro «cupere», quemadmodum gr. *ζητῶ*. Plato Prot. 322. B.: *ἐζήτουν δὴ ἀθροίζεσθαι*. — Iungo *pater urbium* (non tamen ut *συνώνυμον* sit vv. *pater patriae)*; primo quia *pater* absolute vix dici posse videtur, deinde habemus similiter *parentem Asiae* (Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 31.), *parentem* militum Pisonem (Tac. Ann. 2, 80.), *patrem exercituum* Caligulam (Sueton. Calig. 22.), Claudium *patrem senatus* (Tac. Ann. 11, 25.), Domitianum *patrem inclytum urbis* (Stat. Silv. 3, 4, 48.), Iuliam Domnam *matrem castrorum* (Inscr. Lat. N. 923.), et quod maius est, hanc Augusto dicatam Inscriptionem (Collect. meae N. 605.): IMP. CAESAR. DIVI F. AVG. PARENS. COLONIAE (Iaderae). MVRVM. ET. TVRRIS. DEDIT. Postremo *urbium statuae* pro iis, «quae sunt in publico collocatae», nescio quid miri habent, immo etiam otiosi. *(Patris patriae* nomen in nummis Augustus assumpsit demum a. u. c. 752. Rasche Lex. III. II. p. 1827.)

29. 30. *Refrenare licentiam*] Od. 4, 15, 9: *ordinem Rectum evaganti frena licentiae Iniecit.* — *postgenitis*] *ὀψιγόνοις*, *μεταγενεστέροις*. Videtur autem nunc *ἅπαξ λεγόμενον*. — *quatenus*] in prosa or. «quandoquidem»; hac tamen significatione illud post Horatium complures usurparunt. Plin. Epp. 3, 7, 14: *Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur.* — *heu nefas*] «vehementius quam *ah* et *o*.» HAND Turs. III. p. 67.

31. *Virtutem incolumem*] «Homini virtute praedito, dum in terris versatur, invidemus; ubi morte abreptus est, eundem desideramus.» Martial. 5, 10, 5: *Sic veterem ingrati Pompeii quaerimus umbram.* Menander, ut videtur, in Bachii Mimnermo pag. 52: *Δεινοὶ μὲν ἀνδρὶ πάντες ἐσμὲν εὐκλεεῖ Ζῶντι φθονῆσαι, κατθανόντα δ' αἰνέσαι.* Vellei. 2, 92: *Praesentia invidia, praeterita veneratione persequimur; his nos obrui, illis instrui credimus.* Tac. Dial. 18. Conf. ad Epp. 2, 1, 12. — V. *invidi* pertinet ad totam sententiam, non ad alterum utrum verbum: «quia invidiae pleni sumus.» Sine causa igitur Anton. de Rooy coniecit *invidis*, quod etsi probatum Axtio, sane languidissimum foret.

33 - 41. *Quid tristes - - arduae?*] Egregium hoc est exemplum efficacissimae atque propter certam in-

Si non supplicio culpa reciditur,
Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt, si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi nec Boreae finitimum latus
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt, horrida callidi

39. *solo*] *gelu* Bentleius coni.

dignationem valde impetuosae clausulae poëticae, quam nuper nonnemo misere sic discerpsit: *Quid - - proficiunt? Si - - abigunt, horrida - - navitae: Magnum - - arduae.* (sine interrog. signo.) — *reciditur*] veluti ulcus insanabile. — *Quid leges*] «Leges irritae manent, nisi earum severitati civium mores respondent.» («Quid leges proficiunt, quae vanae sunt sine moribus, quos eaedem praescribunt?» De Rooy ad Martial. p. 72.) — *si neque*] Hanc sententiam: «si insatiabilis lucri cupido omnes transversos agit;» variis imaginibus exornat: «mercatorem non absterret a quaestu persequendo nec torrida neque gelida zona cet.» — *Boreae finitimum*] Ovid. Metam. 1, 64: *Scythiam septemque trionem Horrifer invasit Boreas*, ubi perpetuae nives sunt, in solo congelatae. — *Durataeque solo*] Tatian. adv. Gentes 20: *οἱ τὰς γεωγραφίας ἐκπονήσαντες ᾔτιάσαντο - - τόπων μὲν τὸ ἔκπυρον, τῶν δὲ τὸ ψυχρὸν καὶ διαπεπηγός.* «Nives, quae primum putres erant, gelu adstrictae firmiter illic solo adhaerent.» *Solo* pro «in solo, ad solum.» Significat eas nunquam solvi, ut fit in Helvetiae alpibus glacialibus. Prae hac imagine Bentleii illud *gelu* otiosum manet. — *callidi - - navitae*] «navigationis adeo periti, ut discrimina rerum ac naufragia plerumque devitent.» Cfr. Epp. 1, 1, 45.

42 - 44. *Magnum* cet.] Repete ex praecedd. *si*. Eurip. El. 375: *ἔχει νόσον Πενία, διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν.* Lucian de merc. cond. p. 717: *Πενία πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν ἀναπείθουσα, ὡς ἐκφύγοι τις αὐτήν.* Cfr. Sat. 2, 3, 94. — *Virtutis - - arduae*] «quam colere res est difficilis.» Sine causa volgatius *viam* (Virtutis) *arduam* ex Hesiodi E. 287. malebat Lambinus. Stat. Theb. 10, 845: *Hac, ait, in Thebas, hac me iubet ardua virtus Ire.* — *deseri*] Resumpto verbo finito multo efficacior fit sententia gratiusque variatur eius forma quam si ex volgari ratione continuasset infinitivos, *iubet - - deserere.* Praeterea prudens devitavit ingratum concursum litterae caninae *deserere arduae.*

45. 46. *Vel nos*] Iam ut in Epodo XVI. unicum adversus imminentem perniciem remedium in eo ponit, ut relicta Italia meliores cives fuga petant Beatorum insulas, ita hic simili impetu poëtico abreptus suadet, ut generoso consilio capto divitiae omnes illico atque in perpetuum aboleantur. Et id quidem duobus modis, inter quos popu-

Vincunt aequora navitae,
  Magnum pauperies opprobrium iubet
Quidvis et facere et pati
  Virtutisque viam deserit arduae?

Vel nos in Capitolium, 45
  Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum

44. *deserere* Bentleius coni. — 47. *mare publicum* C.

laribus suis optionem dat: «Vel eas in Iovis Capitolini cellam, dis immortalibus sacrandas, humanis usibus eximendas comportemus», (quod v. eliciendum e seq. *mittamus,*) «quam divitum pompam ultro opes suas Iovi dedicantium sequetur totius populi Romani multitudo fausto clamore tam magnanimo consilio applausura, quemadmodum solet triumphantibus.» «*Vocat* clamor turbae faventis (pro quo docte est, *clamor et turba faventium*), dum praeit pompam; eique *favet*, hoc est, acclamationibus favorem prodit.» Mitsch.; *favere* de laetis acclamationibus, ut Liv. 1, 12: *et ille quidem, adnuentibus ac vocantibus suis, favore multorum addito animo evadit.*

47. 48. *Vel nos*] «Vel summum divitiarum contemptum testaturi causam et materiem malorum nostrorum in mare demergamus et quidem *in proximum mare*, quo citius eam in sempiternum amoveamus.» Romanorum autem divitias ita exaggerat Philo in Leg. ad Caium p. 97. Lips.: *οἱ ἐν Ῥώμῃ καὶ οἱ ἐν τῇ ἄλλῃ Ἰταλίᾳ, παρ' οἷς ἄργυρος καὶ χρυσὸς ἐτεθησαύριστο τοσοῦτος, ὥστε εἰ σύμπας ὁ ἐξ ἁπάσης τῆς ἄλλης οἰκουμένης ἀπὸ περάτων αὐτῶν συνενεχθείη, πολλῷ καταδεέστερος ἂν εὑρεθῆναι.* — *Gemmas et lapides*] Ubi haec vv. iunguntur a poëtis, plerumque *gemmae* significant lapides pretiosos, *(intagli e camei,) lapides* vero uniones margaritasque. Sic certe Ovid. de medicam. faciei v. 20: *Conspicuam gemmis voltis habere manum: Induitis collo lapides Oriente paratos.* Martial. 11, 50, 4: *Gemma vel a digito vel cadit aure lapis.* Item *lapis* manifesto de margarita Senec. Hippol. 392: *nec niveus lapis Deducat aures, Indici donum maris.* Silius 12, 230: *miro candoris honore Lucet in aure lapis rubris advectus ab oris.* Alibi *gemmae* uniones significare videntur, nisi forte antiqui re vera credidérint etiam *sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas* (Mart. 5, 11.) a mari exspui, ut colligitur ex Curtio 8, 9, 19: *Gemmas margaritasque mare litoribus infundit.* Tib. 4', 2, 19: *Et quascunque niger rubro de litore gemmas Proximus Eois colligit Indus aquis.* Propert. 1, 14, 12: *Et legitur rubris gemma sub aequoribus.* 3, 4, 2: *gemmiferi — maris.* Martial. 8, 28, 14: *tibi — Cedet Erythraeis eruta gemma vadis.* Claudian. L. Serenae reginae v. 74: *Cantaber Oceanus vicino litore gemmas Exspuit.* Idem in Rufin. 1, 386: *pontumque per omnem Ridebunt virides gemmis nascentibus*

Gemmas et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis

49. *materiam* Lt. (non bSTc.) — 50. *Mittamus. Scelerum si bene poenitet, Eradenda* F. — 54. *Firmandae* Bentleius coni.

algae. — *aurum - inutile*] per λιτότητα, «exitiabile,» ut haud raro; sic Cic. Phil. 1, 8, 19: *iniquum et inutile*, noxium; Varro R. R. 3, 16, 18: reguli plures (inter apes) *inutiles - fiunt propter seditiones*; ita autem explicandum esse, contra atque alii contendunt, monstrant vv. seqq.

49. 50. *Summi - mali*] dictum ut *summa res publica, summa salus.* «Illud, a quo omne malum oritur ac pendet.» Rutilius 1, 357: *Materies vitiis aurum letale parandis.* — *scelerum si bene* (vere atque ex animi nostri sententia) *poenitet*] Haec iungo cum praecedd.: «quippe illud demum certissimum signum erit poenitentiae, ubi rebus, quarum summa cupiditate incensi eramus, sponte renuntiaverimus; nam magni aliquid atque inusitati patrando firmum nostrum propositum patefaciendum est.» Languet contra: «Si vere nos scelerum poenitet, eradenda sunt cet.»; et maiore cum vi nova γνώμη sine protasi incipit. (*«Bene*, valde, ut apud Ennium frequenter.» Porphyr.)

51 - 53. *Eradenda*] «Penitus abolenda sunt ex animis semina et principia pravae cupiditatis atque avaritiae, et quidem eo ipso, quod ante omnia exsequamur cōnsilium illud *nunquam alias datum.*» Sen. Ep. 11: *eradere vitia*, exstirpare. Varro Sent. 63. p. 28. Ed. Devit: *Sunt quaedam, quae eradenda sunt ab animo scientis, quae sciendi verum locum occupant.* — *elementa*] Huius voc. prima significatio cum sit «litterae suo ordine collocatae», apposite dixit etiam *eradere*, oblitterare. — *asperioribus*] «Illud ubi perfectum erit, instituitor sapientior severiorque puerorum educatio, quam paullatim effeminarunt Graeculi imprimis magistri!»

54. 55. *Formandae*] In hoc v. plus inest quam in Bentleii *firmandae*, cum illud totam educationem significet ad bonas artes etiam postmodo exercendas pertinentem; *firmandae* esset tantummodo: «durandae, corroborandae etiam sine actione sunt mentes nimis enervatae.» — *Nescit*] «Iamiam eo perventum est, ut pueri ingenui equitare ac venari nesciant, propterea quod rudes atque inexercitati sunt et ab omni labore abhorrent.» — *Haerere*] Simpliciter est «sedere», non ut plerique explicant, «firmiter insidere equo eumque regere.» Cic. pro Deiot. 10: *Itaque Deiotarum cum plures in equum sustulis-*

Haerere ingenuus puer
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Graeco iubeas trocho
Seu malis vetita legibus alea,
Cum periura patris fides
Consortem socium fallat et hospitem
Indignoque pecuniam
Heredi properet. Scilicet improbae

59. *peiura* T. — 60. *Consortem et socium* malebat Bentleius. — *hospites* T, omnes Blandin., *βγι* «cum multis aliis.» Recepit Bentleius.

sent, quod haerere in eo senex posset, admirari solebamus. Ovid. Met. 4, 26: *pando non fortiter haeret asello.* Cfr. Dillenburger p. 33.

57. 58. *Seu - - trocho*] «Contra optime versatus est in Graeco illo trochi ludo.» *Trochus*, rota ferrea cum anulis crepitantibus, quam radio s. virga ferrea circumagebant. Martial. 14, 169: *Garrulus in laxo cur anulus orbe vagatur? Cedat ut argutis obvia turba trochis.* — *Graeco* autem contemptim de more peregrino. *Κρικηλασίαν* vocabant Graeci, cuius imaginem vide in Winckelm. *Mon. ined.* 4. p. 257. Iuppiter et Ganymedes trocho ludentes in *Museo Gregor.* T. XIV. — *vetita legibus alea*] Licinium Denticulam lege, quae est de alea, condemnatum memorat Cic. Philipp. 2, 23, 56. Ovid. Trist. 2, 471: *Sunt aliis scriptae, quibus alea ludĭtur, artes: Haec est ad nostros non leve crimen avos.* V. *aleator* inter maxima erat opprobria. Cic. Catil. 2, 10, 23: *In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur.*

59. *Cum periura*] «Nec mirum cum patres ipsi bonarum artium expertes mercaturae unice vacent et quaestus causa peierent omnique fraudis genere utantur etiam adversus proprios socios.» — *periura fides*] «periura facta, crebro periurio violata», ut Od. 1, 18, 16: *Arcanique fides prodiga.* (Dictum est autem *κατὰ πρόληψιν*· «cum fides prius sincera periura postea facta est.»)

60. *Consortem socium*] id est, «sortis socium, *Theilhaber des Handlungscapitals.*» Alibi sane *consors* distinguitur a *socio.* Cic. Brut. 1: *socium et consortem gloriosi laboris amiseram.* Sed tria h. l. genera statuere, *consortem*, participem totius patrimonii non inter singulos filios aliosve coheredes divisi, sed in commune administrati (unde *consors* etiam pro fratre ponitur Tib. 2, 5, 24: *Moenia consorti* (Romuli) *non habitanda Remo.*), *socium* in negotiationis dumtaxat et lucro et damno, tertium *hospitem*, minus poëticum videtur.

61. 62. *Indignoque*] utpote aleatori. — *pecuniam - properet*] »quam citissime corradat, coacervet.» — *improbae*] «nimiae atque studio *improbo*, insatiabili et avidissimo, partae crescunt in immensum»; neutiquam vero: «scelere quaesitae atque ad scelus instigaturae.» Conf. quae de hoc adi. adnotavimus ad Od. 3, 9, 22.

Crescunt divitiae; tamen
Curtae nescio quid semper abest reï.

64. *Curtae*] «mancae atque exiguae, ex possessoris certe opinione, qui eo, quod habet, nunquam est contentus.» Sic Pers. 4, 52: *curta supellex*. Solon 11, 71. Schneidew. Del. p. 27: *Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται· Οἳ γὰρ νῦν ἡμέων πλεῖστον ἔχουσι βίον, Διπλάσιον σπεύδουσι· τίς ἂν κορέσειεν ἅπαντας;* Od. 3, 16, 42: *Multa petentibus Desunt multa.* — *rei*] bisyllabum, ut Od. 3, 16, 25. Lucret. 6, 917.

CARMEN XXV.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae nemora aut quos agor in specus
Velox mente nova? quibus
Antris egregii Caesaris audiar

XXV. Inscr. volg. *Hymnus in Bacchum.* — *Hymnus ad Liberum patrem* BT. — *Ad Liberum patrem dithyrambice dicolos* S. — *Liberum patrem invocat laudaturus Caesarem* bc. — 2. *quae in nemora* Lt, item γ ap. Kirchn. p. 36., contra meos et Pottierii omnes. — *aut*] *et* Aldinae et t. (Nostri *aut.*)

XXV. Bacchi numine afflatus vaticinatur se aliquando eximiis laudibus celebraturum esse Caesarem, quo ipso vaticinio eum ad caelum attollit. — Propius autem quam ullum aliud Horatii carmen ad dithyrambicum genus accedit; cuius imitatio magis pressa Latinis negata erat, ni putidi ac turgidi fieri vellent. — Compositum videtur a 725. aut 726.

2. *Plenum*] Od. 2, 19, 6: *Plenoque Bacchi pectore turbidum Laetatur.* Lucan. 9, 563: *Ille deo plenus.* — Praepositio *in* ad utrumque nomen pertinet, ut Virg. Aen. 6, 692: *Quas ego te terras et quanta per aequora vectum Accipio!* (Ad huiusmodi praepositionum usum cfr. Soph. El. 193. Oed. Tyr. 1205. et 1349. (h. l. cum Dindorfii Annot. in Ed. Oxon.) Eurip. Heraclid. 755: *Μέλλω τᾶς πατριώτιδος γᾶς, Μέλλω περὶ τῶν δόμων - - κίνδυνον - τεμεῖν.* Antipater Sid. Anth. Pal. I. p. 189: *Τὸν μὲν γὰρ ξυλόχων, τὸν δ' ἠέρος, ὃν δ' ἀπὸ λίμνας* κτλ. Et cum casibus diversis Leonidas Anth. Pal. I. pag. 278: *σοὶ καὶ πολλὰ προνήϊα, καὶ παρὰ βωμῷ - ἐτίναξα - - κόμην.* Rarior autem quam praepositionum talis aliarum particularum est transpositio, veluti Iuven. 3, 309: *Qua* (non) *fornace graves, qua non incude catenae?*

3. 4. *Velox mente nova*] «incitatus mente (*ἐνθουσιασμῷ*), quam novam Bacchus mihi infudit.» Alii seiungunt: *velox*, (praeditus) *mente nova*; sed praestat, causam huius velocitatis sive impetus significari. Talem *ἐνθουσιασμὸν* Bacchicum spirant vv. Pratinae apud Athen. 14, 8: *Ἐμός, ἐμὸς ὁ Βρόμιος· Ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν Ἀν' ὄρεα θύμενον μετὰ Ναϊάδων.* — *quibus Antris*] Nova haec est interrogatio, non ut alii prave post *nova* comma posuerunt, *quibus*, qui ablativus est pronominis interrogativi («in quibus»), pro dativo habentes pronominis relativi synonymo abl. *a quibus*, et *audiar*, quod ut *dicam* est futurum indicativi, pro coniunctivo. Cfr. Dillenburger p. 11. Ceterum *antra (Grotten)* cogita, qualia pulchre describit Plutarchus S. N. V. p. 565: *Βακχικὸν ἄντρον ὕλῃ καὶ χλωρότητι*

Aeternum meditans decus
Stellis inserere et consilio Iovis?
Dicam insigne recens adhuc
Indictum ore alio. Non secus in iugis
Exsomnis stupet Euias

6. *concilio* c, item corr. S,Lt, et cum his tacite Bentleius. — Vv. 7-9 in B desunt. — 9. *Exsomnis*] *Edonis* Bentl. coni.

καὶ χλόαις ἀνθέων ἁπάσαις διαπεποικιλμένον. — *egregii*] ut Od. 1, 6, 11: *Laudes egregii Caesaris. Egregii* autem *Caesaris decus stellis inserere*, quod tamquam Latinitati contrarium cavillatus est quidam, manifesto significat «Caesarem, gloriosum principem, in caelum efferre.»

5-7. *meditans*] «audiar, dum meditor, dum carmine conor stellis inserere» cet. quae quidem tres notiones *(audiar, meditans, inserere)* artissime inter se iunctae sunt. — Imago petita est a *καταστερίσεσιν* heroum. — *consilio*] Cfr. Od. 3, 3, 17. Imago sumpta a *consilio* ducum Romanorum. Rectissime sane dicitur *concilium deorum* (Virg. Ge. 1, 24: *deorum Concilia*, Calpurn. Ecl. 8, 54: *Concilioque deum*, Val. Max. 1, 6, 13: Caesarem *deorum concilio adiecerunt.*); sed *concilium Iovis* mire dictum esset pro «concilio deorum, cui Iuppiter praesidet.» Est *βουλὴ δωδεκάθεος· concilium* vero omnium deorum conventus. Tale *consilium Iovis* exhibet Gerhard *Vasengem.* T. VII., item Ara Borghesiana XII. deorum imagines exhibens in Müller *Denkm.* T. XIII.; atque vide imprimis figuras in Gerhard *die XII. Götter Griech., Abh. der Berl. Akad.* 1840. p. 383. Cfr. Heynium ad Virg. Ge. 1, 25. Aen. 10, 2. — *Dicam* cet.] «Tunc ubi deus me iubebit Caesaris laudes praedicare, dicam, ut decet *ἔνθεον*, *insigne* aliquid, illud, quod nemini adhuc proferre contigit.» Epp. 1, 19, 32: *non alio dictum prius ore.* — *recens* autem, quod praesentem dei afflatum spiret.

8. 9. *in iugis*] Anth. Pal. VI. 74: *Βασσαρὶς -- σκοπελοδρόμος.* Virg. Aen. 3, 125: *Bacchatamque iugis Naxon.* Silius 4, 776: *Edonis ut Pangaea super trieteride mota It iuga et inclusum suspirat pectore Bacchum.* — *Exsomnis*] «*ἄυπνος*, insomnis, pervigil», ut alibi. Sic Soph. Antig. 1152: *Θυιάσιν, αἳ σε μαινόμεναι πάννυχοι Χορεύουσι.* Baccha *νυκτιπόλοι* sunt in Euripidis Ione 718. Ibid. 1075: Bacchus, *εἰ -- Λαμπάδα θεωρὸν εἰκάδων Ὄφεται ἐννύχιος ἄυπνος ὤν.* Virg. Aen. 6, 556: *Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque* (Tisiphone). Sil. Ital. 9, 5: *consul traducere noctem Exsomnis.* Est igitur «Baccha, quae pervigilium celebrat;» neutiquam vero: «audito tympani sonitu e somno experrecta illoque ad novos furores recreata.» (Pessima autem est lectio Aldinae 1504: *E somnis* et Aldinae 1519: *Ex somnis*; otiosum HP. *Edonis* nom. sing. fem. Longe etiam praestat *ἐπίθετον* ab Horatio electum Bentleiano *iugis Edonis*, *ὄρεσιν Ἠδωνοῖς*, quod cumulo superadderetur Thraciae *Hebro*, eius fluvio, *Rhodopae* monti.) — *stupet*] «furore sacro abrepta suique vix compos miratur (v. 14.) locos sacri horroris plenos.» Ovid. Trist. 4, 1, 42: *Utque suum Bacchis non sentit saucia volnus, Dum stupet Edonis*

Hebrum prospiciens et nive candidam 10
Thracen ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen, ut mihi devio
Ripas et vacuum nemus

12. *ac mihi* e tribus Cruquii (non Bland.) Bentl. (Nostri et Bentleii *ut mihi*.) — 13. *Ripas* nostri et Bentleiani: *Rupes* Pottierii 1, 2, 4, 6, 7, 16., Muretus, Lambinus, Pottierius; *Rivos* Bentleius coni.

exululata iugis. Propert. 4, 4, 71: *Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta Strymonis abscisso fertur aperta sinu*. Omnino in his vv. poëta exprimit summum *ἐνθουσιασμοῦ* Bacchici gradum, minime, ut alii volunt, «remissum furorem atque paullatim abeuntem,» de quo Catullus in Galliambo c. 63. v. 38: *Abit in quiete molli rabidus furor animi*. Ovid. Amor. 1, 14, 21: *Tum quoque erat neglecta decens, ut Thracia Bacche, Cum temere in viridi gramine lassa iacet*.

10. *Hebrum*] amnem illum, ut ita dicam, poëticum (Od. 1, 25, 20.), qui iam Graecis frigoris immanis ac perpetuae nivis imaginem praebebat. Theocr. 7, 111: *Εἴης δ' Ἠδωνῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ Ἔβρον πὰρ ποταμὸν τετραμμένος ἐγγύθεν ἄρκτου*. — *prospiciens*] «Hoc», inquit, «nisi die claro facere non potuit.» Quidni plenilunio, quidni nocte sublustri vel paullo ante diluculum? Apud nos Helvetios certe nocturni Alpium, lacuum, catarrhactarum cum iride lunari prospectus non minus amoeni sunt quam diurni, atque animos secreto horrore perfundunt.

11. 12. *pede barbaro*] a thiaso Maenadum Thressarum orgia celebrantium. Quomodo in *ἐπιθέτῳ* haerere potuerit HP., nemo, qui antiquos poëtas unquam legerit, facile intelliget. Thraces enim ac Phryges iis *κατ' ἐξοχήν* sunt *barbari*, sine ulla tamen contumelia. — *Lustratam*] *durchschwärmt*, ut Virg. Ge. 2, 487: *et virginibus bacchata Lacaenis Taygeta*. — *Non secus - - ut*] Soloecum hoc nonnullis visum est, unde e Codd. interpolatis substituerunt *ac*. Tu confer Od. 1, 16, 7—9: *aeque - - ut*. Plaut. Aul. Prol. 22: *pariter - ut*. Prop. 1, 15, 7: *Nec minus* (item) *- - ut*. Plin. Epp. 1, 20, 1: *aeque - - ut*. Cic. Brut. 50, 188. de or. 3, 56, 231. Terent. Heaut. 1, 2, 21: *perinde - ut*. Vid. praesertim Voss et Wagner ad Virgil. Ge. 2, 277. Intolerabile vero *ac pede - - ac mihi*, quocirca in Ed. Gesneriana callide scripserunt: *et pede*. Non est autem exclamatio, ut quidam opinati sunt, ita cum Aldo distinguentes: *Rhodopen. Ut mihi - - libet!* atque appellantes Epod. 2, 19: *Ut gaudet! — devio*] «longius a consueto itinere evaganti, quo deus impellit.»

13. 14. *Ripas*] Vid. ad Od. 4, 2, 31. Verum non est, quod ait Bentleius: «Nusquam, ubi sanus locus est, repereris absolute sic positum, nulla mentione fluminis vel aquarum habita.» Cfr. Od. 3, 1, 21: *Somnus - - non humiles domos Fastidit umbrosamque ripam, Non zephyris agitata Tempe*. Quocirca reiicienda est et illius coniect. *rivos* et Codicum aliquot lectio *rupes*, quae placuit Mureto ac Lambino, et fortasse ducta est ex Od. 2, 19, 1: *Bacchum in remotis car-*

Mirari libet. O Naïadum potens
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos,

Nil parvum aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenaee, sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino.

14. *onaidum* T. — 17. *humile* T. — 19. *Te, Lenaee, sequi ducem* malebat Bentleius.

mina rupibus cet. — *libet*] efficacius est quam«iuvat», gaudeo.

14 - 18. *Naïadum potens*] «dominus ac dux,» ut Od. 1, 3, 1: *diva potens Cypri*. Nymphae autem, inter quas memoratur imprimis Ἀριάγνη (sic) *Ann. dell' Inst. arch.* VII. p. 83., primum Bacchi nutrices, deinde comites fuerunt. Orpheus H. 53, 6: *Ναΐσι καὶ Βάκχαις ἡγούμενε κιττοφόροισιν*. Cfr. Od. 2, 19, 3. — *valentium - - fraxinos*] Eurip. Bacch. 1109: *αἱ δὲ μυρίαν χέρα Προσέθεσαν ἐλάτῃ κἀξανέσπασαν χθονός*. — *humili modo*] De *modis* sive numeris proprie dictis interpretari non possumus, cum hac significatione pluralis semper numerus usurpetur. «Pollicetur se nihil nisi grave et sublime dicturum, et has ipsas sublimes sententias non humili, sed sublimi modo dicturum; atque hoc addi oportuit, quia non insolitum est res graves orationis tenuitate dehonestari.» Cuningham. — *Nil mortale*] Non est: «immortale, in perpetuum duraturum», ut Pind. Isthm. 3, 58: *Τοῦτο γὰρ ἀθάνατον φωνᾶεν ἔρπει, Εἴ τις εὖ εἴπῃ τι·* sed: «nihil, quale mortalium volgus proferre solet.»

18. 19. *Dulce periculum*] Non sine periculo deo praesente mortalem appropinquare illumque cerni posse credebant. Praeterea talis *ἐνθουσιασμὸς* graviter torquebat vexabatque mortale corpus. — *Lenaee*] pr. *Kellergott.* Apud Orph. Hymn. 50. vocatur *ληναῖε* et *ἐπιλήνιε* a *ληνός*, quod ei sacrum est torcular. Hinc Virg. Ge. 3, 509: *latices - - Lenaeos.* — *sequi deum*] Ovid. Met. 15, 143: *Et quoniam deus ora movet, sequar ora movientem Rite deum.* Bentleii *ducem* nimis redolet pedestrem orationem.

20. *Cingentem*] Supple «sibi, cinctum», referque ad Bacchum ipsum, ne *ἐπιθέτῳ* destituatur. Sic est Od. 4, 8, 33: *Ornatus viridi tempora pampino Liber.* Alii minus probabiliter de eo explicant, «qui cum corona pampinea est in Bacchi comitatu;» vel «Bacchus, qui ipse suos comites coronat.»

CARMEN XXVI.

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria;
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,

Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Hic hic ponite lucida
Funalia et vectes et arcus

XXVI. Inscr. volg. *Ad Venerem*, et sic Codd. nostri. *(Ad Venerem eucharistice tetracolos* S, *Ad Venerem tetracolos* T.) — 7. *vectes*] *vestes* γ ap. Kirchn. p. 36. — *et arcus*] *et uncos* malebat Biscionius, *securesque* Bentl., *et harpas* Cuningham. (Libri omnes tuentur *et arcus.)*

XXVI. Per iocum simulans se iamiam amoribus renuntiaturum lyram ac reliqua instrumenta amatoria Veneri dedicat, simul precatus, ut Chloës amorem sibi conciliet, in quo ipso lepida totius odarii vertitur *εἰρωνεία*. (Quo tempore compositum sit, non liquet. Referunt nonnulli ad a. 733., Franke ad a. 730.)

1. 2. *puellis*] Mira est Frankii coni. *duellis*. — *idoneus*] «cum essem aetate integra et ad amores accommodata.» — *militavi*] Frequens in amoribus describendis imago. Od. 4, 1, 16. Ovid. Am. 1, 9, 1: *Militat omnis amans et habet sua castra Cupido.* A. A. 2, 233: *Militiae species amor est: discedite segnes.* Achilles Tatius p. 29. Iacobs: *τί δὲ δειλὸς εἶ στρατιώτης ἀνδρεῖον θεοῦ;* (Amoris.)

3. 4. *arma*] ea ipsa, quae paullo post enumerat. — *Barbiton*, quo amores cecinerat, iam *defunctum* est *bello*, eo iam opus non est «ad excantandas puellas», ut ait Propert. 3, 3, 49.

5. 6. *Laevum*] paries sacelli sinistro Veneris lateri proximus, dexter iis, qui eius simulacrum ore adverso intuentur. Orientalis ergo pars intelligitur, Etruscis et Romanis in omni re divina fausta. — *marinae - Veneris*] ut Od. 4, 11, 15., *ποντίας, πελαγίας, λιμενίας*. Paus. 2, 34, 11. Eurip. Hippol. 445: *ὦ δέσποινα ποντία Κύπρι.* Cfr. Od. 1, 3, 1. — *Custodit*] ut alibi dicunt *tegere latus*. — *ponite*] «o pueri!» Verbum proprium de *ἀναθήμασιν*. Propert. 2, 19, 18: *Veneri ponere vota iuvat.* Ovid. Am. 1, 11, 25: *Non ego victrices lauro redimire tabellas, Nec Veneris media ponere in aede morer.*

7. *Funalia*] faces ex funibus, pice, resina, cera illitis, quibus utebantur in nocturnis comissationibus; *lucida* autem, «quae olim, cum comissabamur, lucem praebebant.» Ovid. A. A. 3, 567: *Nec franget postes nec saevis ignibus uret.* Theocr. 2, 127. De comissationibus nocturnis consule Iacobs Philostr. Imagg. p. 204. — *vectes*]

Oppositis foribus minaces.

O quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloën semel arrogantem.

9. *quae*] *quam* T. — *tenes*] *regis* S. (non BbTc.) — 10. *Memphyn* T.

Lucilius in Libri 29. Fragm. 47: *Vecte atque ancipiti ferro* (bipenni) *effringam cardines.* — *arcus*] «quibus ianitores terrerent.» Gloss. Cod. Regin. *Arcus* magis ioci causa, quam eo fine, ut sagittis figerent ianitores aut aemulos, interdum gestasse comissatores consentaneum est. Alii interpretantur: «fulcra, quibus vectes imponuntur»; sed sine auctoritate. Gesnerus denique: «*Foribus minaces* esse possunt illae machinae poliorceticae, quas recentior certe aetas *arcubalistas* nominavit. Hoc malim quam mutare verba omnium librorum.» (Intellexit tela quae vocamus *Armbrüste*, *arbalètes.*) — *minaces*] «destinatos ad effringendas ianuas, quae amatoribus se opponunt.»

9. 10. *beatam*] Eustath. ad Dionys. Perieg. 508: Ὀλβιώτατοι δὲ νησιωτῶν οἱ Κύπριοι διὰ τὸ θαλαττοκρατῆσαι. — *tenes Cyprum*] Od. 1, 3, 1. *Regis* Codicis Sangall. manifestum est gloss. — *Memphin*] Strabo 17, 32: πόλις ἐστὶ μεγάλη τε καὶ εὔανδρος, δευτέρα μετὰ Ἀλεξάνδρειαν. — *carentem Sithonia nive*] «semper liberam a nive Thracia.» Eurip. Androm. 245: Θρῄκην χιόνι τὴν κατάῤῥυτον. Virg. Ecl. 10, 66: *Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae.* Ovid. Am. 3, 7, 8: *Brachia Sithonia candidiora nive.*

11. 12. *sublimi*] «flagello in altum sublato, ut vehementiora sint verbera, tange semel saltem Chloën, ut mitigetur tandem eius superbia.» *Sublimi (schwebend)* significare non potest «extremo, summo flagello», id est, «leviter eam flagella,» ut volunt alii, sed est imago saevi imperii, quod Venus in amantes atque amatos exercere solet. Similiter *flagello tangere* aliquoties dixit Statius. Cfr. Markl. p. 402. Dresd. Iam Pindarus Pyth. 4, 219: Ἑλλὰς αὐτὰν Ἐν φρασὶ καιομέναν δονέοι μάστιγι Πειθοῦς. «Oppian. Hal. 2, 14. ubi sapiens dis obtemperare dicitur, Πρὶν χαλεπῇ μάστιγι καὶ οὐκ ἐθέλων ἐλάηται.» Doering. Nonnus 4, 177: Εἶπε (Venus), καὶ Ἁρμονίην φυγοδέμνιον ἤλασε κεστῷ Εἰς πόθον οἰστρήσασα. Paulus Sil. in Anthol. Pal. I. p. 164. ad amicam: μὴ δέ με μάστιξ, Πότνα, κατασμύξῃ καὶ σέο καὶ μακάρων. Tibull. 1, 8, 6: *ipsa Venus* (me) — *Perdocuit multis non sine verberibus.* Martial. 6, 21, 9: (Venus amantis) *arcano percussit pectora loro.* Ceterum, ut hic Veneri flagellum temporarium, sic alibi Δίκη vel ῥάβδος (Paus. 5, 18, 2.) vel ῥόπτρον (Eurip. Hippol. 1172.) tribuitur. — Exitus carminis παρὰ προσδοκίαν, prorsus ut Od. 4, 1, 33: *Sed cur heu, Ligurine* cet.

CARMEN XXVII.

Impios parrae recinentis omen

XXVII. Inscr. volg. *Ad Galateam*, et sic Codd. nostri. (ST addunt *hypothetice*.)

XXVII. «Non malis equidem ominibus te, Galatea, quam tam invitus dimitto, ab itinere, quod meditaris, deterrebo, immo deos venerabor, ut bonis avibus te proficisci iubeant; sed licet aves itineri tuo addicant, cogita, quaeso, quam graves hoc ipso, quod instat, anni tempore tempestates in mari oriri soleant. Cave igitur, ne tibi fraudi sit ea, quam nunc caelum ostendit, serenitas. Sic Europe quoque olim per externam tauri ei adblandientis speciem in fraudem inducta et summo animi angore oppressa est, donec Venus eam consolaretur. Ita tu quoque, etsi fortasse prosper erit profectionis tuae exitus (id quod tibi ex animo opto), tamen si perstiteris in itinere isto suscipiendo, multis timoribus agitabere.» Hanc simplicissimam rationem ubi sequamur, nihil habet inconcinni carminis exitus neque exordio repugnat. Uberior autem fabulae de Europae expositio eiusdem prorsus generis est atque Od. 3, 11, 33. de Hypermnestra narratio, quarum neutra ad carminis initium et primarium consilium regreditur, sed in liberam *φαντασίαν* a *μύθῳ* aliquo excitatam, alibi etiam ab historia aliqua, ut Reguli Od. 3, 5, 13., cuius simillima est compositio, evagatur. Talis autem exitus non, ut quidam interpretes volunt, merus ac prope reprehensione dignus est ornatus poëticus, sed ad ipsa artis arcana referri debet, quibus penitus initiatus erat etiam Balde noster. Exemplum esto *Lyra Pythagorae* Lyric. 2, 21. Opp. Monachii 1729. T. I. p. 82. Incredibile autem est, quas in tricas sese coniecerint Interpretes. Quid, quod F. A. Schulze eo usque progressus est, ut Galateam pro infelici puella ab Augusto rapta vel Romam allecta haberet, quam in patriam redire misere cupientem amico velificatus in Urbe retinere poëta conatus sit? Aeque vana est Grotefendii opinio (Philol. II. 2. p. 281.) significari Aeliam Gallam a Propertio 3, 12, 38. celebratam. — Quando carmen compositum sit, nos latet. Nonnulli referunt ad a. 733. (Similis argumenti est Propertii 1, 8. et Ovid. Am. 2, 11.)

1. 2. *Impios*] Talia omina, qualia hic memorantur, Aeschylus Prom. 487: *ἐνοδίους συμβόλους* vocat. — «Impiis (qualis tu certe non es) tristissima omina in profectione obveniant, nec tamen eos revocent ab incepto, adeo ut in perniciem ruant.» — *parrae*] Vanderburgio eadem videtur avis, quae in dialecto Veneta *parruzza*, in lingua Italica communi *civetta* vocatur, ulula flammeata, *Schleiereule, l'effraie* vel *l'effrosaie*, cuius cantum nocturnum pro mortis augurio ha-

Ducat et praegnans canis aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fetaque volpes.

Rumpat et serpens iter institutum, 5
Si per obliquum similis sagittae

2. *praegnas* B. — 3. *Lanivino* FJ. (Nullus meorum Codd.) — 5. *Rumpat* BbSTc, Bentleii Codd. praeter Graevianum, LCtF: *Rumpit* ex *β* (Pott. 2, 5, 6.) Bentl. M. (Ut nos, J.)

bere solent superstitiosi. (Ut verum fatear, in Boerii *Dizionario del dialetto Veneziano. Venezia* 1829. v. *parruzza* non comparet, sed *parussola,* Linnaei *parus maior*, id est, *Spiegel-* vel *Blaumeise.)* Alii explicant *Grünspecht* (cui explicationi favet v. 15.), alii *Kibitz*. Apud Plaut. Asin. 2, 1, 12. fausta omina memorantur: *Picus et cornix est ab laeva, corvus, parra* (al. *porro) ab dextera.* Conf. Prudent. adv. Symm. 2, 570. — *recinentis*] «assidue atque arguta voce canentis.» «Cantu adversa significare», ut nonnemo voluit, per se v. *recinere* significare non potest. — *praegnans*] In antiquioribus Codd., ut in nostro B, est fere *praegnas*. Sic in Amiatino Lucae 2, 5: *uxore praegnate.*

3. 4. *Rava*] Epod. 16, 33: *ravos - - leones.* «*Ravus (χαροπός)* ad oculos fere refertur et mixtum indicat colorem ex nigro et fulvo. (Festus s. v. Acron ad h. l.) Hanc speciem versicolorem oculorum iris in multis animalibus ita praebet, ut ex nigro colore iridis igniculi quidam auri instar refulgeant.» Lucas. — *decurrens*] ex silva aliquanto altius sita in viam Appiam. Sic Hermias ad Phaedr. pag. 94. Ast. inter omina infausta meminit *γαλῆς δραμούσης*. (Inter infausta omina, quae Seiani necem praecesserunt, Dio 58, 5. hoc quoque memorat: *προϊόντος αὐτοῦ ἐκ τῆς οἰκίας γαλῆ διὰ μέσων σφῶν διῆξεν.)* — *Lanuvino* sive *Lanivino* (utroque modo scribitur etiam in Inscriptt.) a Lanuvio, Latii oppido, haud longe a via Appia. — *Fetaque*] «recens (fetum) enixa, adeoque catulis lac praebens *(stillgend)*; qua significatione etiam Virg. Ecl. 1, 50. *fetas* dixit et Ovid. Fast. 5, 177: *latebras fetae catulosque leaenae.* Alibi sane est «praegnans», ut Virg. Ecl. 3, 82: *Dulce - Lenta salix feto pecori.* — *Volpem* multi explicant «item ab agro Lanuvino decurrentem»; sed cum in tam rapido cursu discerni vix possit, an *feta* sit necne, malim equidem interpretari: «si volpem cum catulis conspexerit.»

5. *Rumpat*] «interrumpat, incidat impiis iter institutum, mala iis minitetur etiam serpens transversa ex parte celerrime allabens mannosque perterrefaciens, scilicet ita, ut huic omini selerati non magis pareant quam prioribus illis aeque infaustis ideoque pereant;» quae quidem sententia deducitur ex v. *ducat*; praeterea partic. *et* necessario nos reducit ad *impios*. Quapropter locum non habet *rumpit*, quod ex Cod. Graeviano, cui accedit unus item Vanderb., praetulit Bentleius; quae satis frigida esset commemoratio alius ominis infausti, cui utrum quis paruerit necne non di-

Terruit mannos: ego cui timebo
Providus auspex,

Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.

7. *cur timebo* T, *quid timebo* bS,C cum interrog., *cui timebo* cum interrog. L. (Ut nos, Bc, Bland. antiq., Pott. quinque.) — 9. *stantis* B.

ceretur. Ad usum v. *rumpat* cfr. Lucilii iun. Aetn. 374: *Causa latet, quae rumpat iter cogatque morari.* (Simpliciter secare viam, *durchschneiden*, non significat, ut quidam nuper ratus est.)

6. *similis sagittae*] Cum fulgure stellionem comparavit Dantes Inferno 25: *Come il ramarro sotto la gran fersa De' dì canicular cangiando siepe Folgore par, se la via attraversa.*

7. *mannos*] «hinnos, burdones»; vox Gallica, ut *rheda, cisium, essedum.* (Cfr. Diefenbach *Celt.* 1, 70.) Alii minus recte habent pro equorum genere, *Zelter, haquenée.* — *cui timebo*] «cuius saluti timebo.» Eadem constr. Ovid. Am. 2, 11, 9: *Quid tibi, me miserum! Zephyros Eurosque timebo?* «Ego amico, pro quo timebo, providum sollicitumque avium volatus et cantus observatorem agens, ab oriente precibus meis suscitabo, id est, ad faustum cantum advocabo corvum oscinem voce sua laeta auspicia praebiturum, antequam infaustum illud omen fortasse incidat, ut cornix, quae imbres divinat (praesagit), ex locis editioribus ad paludes stagnantes revertatur. Sic ego tibi optima quaeque omina ex animi sententia opto.»

10. *divina avis*] Lucret. 5, 1082: *Et partim mutant cum tempestatibus una Raucisonos cantus cornicum saecla vetusta Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbres Poscere et interdum ventos aurasque vocare.* Virg. Ge. 1, 388: *Tum cornix plena pluviam vocat improba voce Et sola in sicca secum spatiatur arena.* — De corvo videtur interpretari Heynius ad Virg. Ge. 1, 382., sed minus apte. — Ceterum nota negligentiorem elisionem in vv. *divina avis.*

11. 12. *Oscines* aves dicuntur, quae augurium voce, *praepetes*, quae volatu faciunt. Cic. ad Fam. 6, 6, 7: Non *e cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, — tibi auguror.* — *Solis ab ortu*] «Ab ortu solis corvi omina prospera sunt, ab occasu adversa.» Schol. Liv. 10, 40: *Ante consulem* (Papirium) *haec dicentem corvus voce clara occinuit, quo laetus augurio consul affirmans nunquam humanis rebus magis praesentes interfuisse deos, signa canere et clamorem tolli iussit.* Varro L. L. 7, 7. p. 449. Muell.: *Caelum, qua attuimur, dictum* TEMPLUM. *Eius templi partes quattuor dicuntur, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem.* «Qui augurium agebant apud Romanos, ad meridiem spectabant, ita ut sinistra pars esset ab oriente, dextra ab occasu. Graeci contra; inde laeva Romanis felicia, Graecis dextra.» Bothe.

Sis licet felix, ubicunque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas,
Teque nec laevus vetet ire picus
Nec vaga cornix.

Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus

15. *laevos* antiqua scriptura B. — *vetet* BbSTc,CtF: *vetat* e Cod. Vaticano (Pott. 17.) L, Bentl. M. (Ut nos, J.) — 17. *trepidat* BS. (non bTc.)

13. *Sis licet*] Tenerrimis versibus, dolorem de amicae discessu premens, huic, dummodo amantis memoriam retineat, liberam proficiscendi optionem dat, denuoque optat, ne ullum omen adversum abeunti eveniat, sed maris periculorum anxie eam admonet. — *Licet* h. l. non «quamquam, etsi», sed in precando usurpatur, ut fere idem sit atque in prosa orat. «per me». Ovid. Met. 3, 405: *Sic amet iste licet, sic non potiatur amato.*

15. 16. *laevus - picus*] Apud Plautum (Asin. 2, 1, 12.) faustum est augurium. Sed num in his ominibus doctrinam auguralem alter uter poëta accurate servarit, dubitari potest. (De hac re accuratissime disputat J. Grimm *Gesch. d. deutschen Spr.* cap. XL. *Recht und Link.*) — *vetet*] Tenerior hic sensus videtur, ut rursus infausta signa deprecetur, quam si Lambino et Bentleio probantibus cum uno Cod. Vatic. legas *vetat*. Ita enim totum locum inde a v 7. exponit Britannus: «Siste paullisper, dum omina capimus. Et profecto fausta concinuerunt aves. Salvis auspiciis abire poteris et, *ubicunque mavis*, feliciter vitam agere. Nec *laevus picus* neque *vaga cornix vetat te ire*, quo libet. Sed illud interim non vides, quod omnibus auspiciis maius est? cet.» — *cornix*] Virg. Ecl. 9, 14: *Quod nisi me - - Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix.* — Novem ista omina partim laeta, partim adversa, nimia nonnullis visa sunt; sed hanc superstitionem populärem semel poëticis coloribus ornare suo iure voluit poëta.

17. 18. *trepidet tumultu*] pr. «quanto Orion agitetur tumultu», id est, «quantas tempestates inquieta sua vi concitans *pronus* ad occasum festinet, ruat.» — *Pronus*, ut *devexus* Od. 1, 28, 21. A. d. V. Idus Novembr., teste Plinio 18, 34., Orionis gladius occidere incipit. Leon. Tar. Anth. Pal. I. p. 385: *ὀνοφερῆς κύματα καυδυσίης Ἔβλαψ' Ὠρίωνος.* — *ater*] «funestus, periculosus.»

19. *Hadriae-sinus*] Simpliciter est «mare Hadriaticum, quod sinum maris efficit inter Italiam et Epirum Illyricumque»; non: «mare Hadriaticum, cum in *atros sinus* curvetur, fluctibus intumescat.» — Tota autem sententia in prosa or. hoc significat: «Ego, quam periculosum semper sit iter per mare Hadriaticum, experientia doctus novi;» propter cautes enim et saxa naufragia frequentiora fere sunt in sinu maris quam in ipso alto mari.

Peccet Iapyx.

Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Austri et
Aequoris nigri fremitum et trementes
Verbere ripas.

Sic et Europe niveum doloso

22. *Sentient* B. — *astri* T (non BbSc), *Haedi* auctore Mureto L. — *et* post v. *Austri* om. S, prob. Cuningh. (Habent BbTc.) — 23. *trementis* BTc; *gementes* malebat Bentl. *(trementis verbera ripae λ.)*

Mire HP.: «*Ater sinus* propter inconcinnum ac turgidum dicendi genus sine dubio valde displicuisset Augusti aequalibus *emunctae naris* hominibus». — *novi*] «ipse aliquando expertus sum», ex pugna Philippensi redux, ut opinor. — *albus*] Od. 1, 7, 15: *Albus--Notus*. Od. 3, 7, 1: *candidi--Favonii*; «caelum fallaciter quidem serenans, cum simul asperos fluctus in mari concitet.» — *Peccet*] cum naufragiorum causa fit. — De Iapyge v. Od. 1, 3, 4.

21. 22. *Hostium*] Solita exsecratio. Virg. Ge. 3, 513: *Di meliora piis erroremque hostibus illum!* Propert. 3, 8, 20: *Hostibus eveniat lenta puella meis!* Ovid. A. A. 3, 247. *Hostibus eveniat tam foedi causa pudoris! — caecos*] «fortuitos surgentis Austri impetus.» Doeringius explicat «atros, turbidos.» Vix recte; nam hic sensus alio aliquo vocabulo significandus fuisset, ut Lucr. 2, 53: *caecae tenebrae*, Virg. Aen. 3, 203: *incertos caeca caligine soles*; sed est ut ibid. 200: *Excutimur cursu et caecis erramus in undis*, ubi tamen Forbiger de tenebris explicat; mihi vero significare videtur: «incertis, caeco impetu nos iactantibus.» — *Sentiant*] ut Od. 2, 7, 9: *celerem fugam Sensi*, «cum malo suo experiantur!» — *orientis*] Rarius de ventis pro «surgentis, venientis.» Virg. Ecl. 5, 82: *venientis - austri*. Aen. 3, 481: *surgentes - austros*. Certe supervacanea erat Mureti coni. *Haedi*.

23. 24. *trementes*] «quae tremere videntur undarum pulsu conquassatae.» Seneca Hippol. 1014: *Saxa cum fluctu tremunt*. Lucret. 5, 954: *Verbera ventorum*. Seneca de Const. Sap. 3: *Scopuli verberati*. Longe minus vividum est Bentleii *gementes*. «Tales autem *ripas*, id est, fractos ad eas fluctus summo cum vitae discrimine *sentiunt*, qui ad eas undarum impetu alliduntur», vel etiam simplicius: «quatenus litus raduni.»

25. *Europe*] Fundus fabulae Iliad. ξ, 321. Cfr. Moschi Idyll. 2. Ovid. Met. 2, 836. Fast. 5, 605. Lucian. Dial. Deor. mar. 15. Achilles Tatius pag. 4. Iacobs. Lyrice eam tractarat Bacchylides, quem fortasse ante oculos habuit Horatius. Schol. Ven. ad Iliad. μ, 307: *Εὐρώπην τὴν Φοίνικος Ζεὺς θεασάμενος ἔν τινι λειμῶνι μετὰ Νυμφῶν ἄνθη ἀναλέγουσαν, ἡράσθη καὶ κατελθὼν ἤλλαξεν ἑαυτὸν εἰς ταῦρον καὶ ἀπὸ τοῦ στόματος κρόκον ἔπνει· οὕτω τε τὴν Εὐρώπην ἀπατήσας ἐβάστασε, καὶ διαπορθμεύσας εἰς Κρήτην ἐμίγη αὐτῇ. Ἐξ οὗ οὕτω συνῴκισεν αὐτὴν Ἀστερίωνι*

Credidit tauro latus et scatentem
Beluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax.

Nuper in pratis studiosa florum et
Debitae Nymphis opifex coronae
Nocte sublustri nihil astra praeter

26. *et*] *at* Bentl. coni.

τῷ Κρητῶν βασιλεῖ. Γενομένη δὲ ἔγκυος ἐκείνη, τρεῖς παῖδας ἐγέννησε, Μίνωα, Σαρπηδόνα καὶ Ῥαδάμανθυν. Ἡ ἱστορία παρ' Ἡσιόδῳ καὶ Βακχυλίδῃ. — Europa falsum taurum primum mulcens, deinde eo vecta, haud raro expressa est ab antiquis artificibus. Cfr. Müller *Denkm.* T. II. N. 39—42. atque imprimis Gerhard *Vases apuliens* T. VII.

26 - 28. *et scatentem*] in prosa or. «mox tamen scatentem cet.» Odyss. *γ*, 158: *μεγαχήτεα πόντον.* Od. 4, 14, 47: *beluosus - - Oceanus.* — *mediasque fraudes*] «insidias, occulta, quibus undique circumdata erat, pericula a monstris marinis, a procellis, ab undis ipsis.» — *Palluit*] Eadem constr. Epp. 1, 3, 10: *Pindarici fontis qui non expalluit haustus.* Persius Sat. 1, 124: *Iratum Eupoliden praegrandi cum sene palles.* Silius 1, 101: *palluit iras.* — *audax*] «eadem illa, quae paullo ante tam audax fuerat, ut tauri tergo insideret.»

29 - 31. *studiosa florum*] «cupide, *puellari studio* (Ovid. Met. 5, 393.) flores legens.» — *Debitae*] «Coronam nectebat Nymphis ex voto promissam.» — *sublustri*] «aliquantulum nec tamen satis a stellis illustrata, *beim Halblicht.*» Moschus 2, 127: *Ἡ δ' ὅτε δὴ γαίης ἀπὸ πατρίδος ἦεν ἄνευθεν, Φαίνετο δ' οὔτ' ἀκτή τις ἁλίῤῥοθος οὔτ' ὄρος αἰπύ, Ἀλλ' ἀὴρ μὲν ὕπερθεν, ἔνερθε δὲ πόντος ἀπείρων κτλ.*

33. *Quae simul*] Totam rem sic proponit, ut tauri quidem forma dolosa evanuerit, Europe tamen iamiam praesagiat animo, quid mox sibi instet, Venus autem velut pronuba eam soletur, antequam vera forma rursus assumpta Iuppiter ad amatam puellam redeat. De concubitu ipso consulto tacet, ne minus dignitatis ac verecundiae haheant lamenta Europae, quamquam vel ante amissam virginitatem culpae sibi iam consciae. Aliter Moschus 2, 158 seqq., apud quem taurus ipse virginem consolatur, deindê: *φαίνετο μὲν δὴ Κρήτη, Ζεὺς δὲ πάλιν ἑτέρην ἀνελάζετο μορφήν· Λῦσε δέ οἱ μίτρην καί οἱ λέχος ἔντυον Ὧραι· Ἡ δὲ πάρος κούρη Ζηνὸς γένετ' αὐτίκα νύμφη.* Item Lucianus l. l.: *Ἐπὶ δὲ ἐπέβη τῇ νήσῳ, ὁ μὲν ταῦρος οὐκ ἔτι ἐφαίνετο· ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς ὁ Ζεὺς ἀπῆγε τὴν Εὐρώπην ἐς τὸ Δίκταιον ἄντρον, ἐρυθριῶσαν καὶ κάτω ὁρῶσαν· ἠπίστατο γὰρ ἤδη, ἐφ' ὅ τι ἄγοιτο.* — *centum*] Iliad. *β*, 649: *Κρήτην ἑκατόμπολιν.* Epod. 9, 29: *centum nobilem Cretam urbibus.*

34 - 36. *Pater*] Ab Ovidio et Luciano Agenor, a Schol. Hom. supra allato et ab Hellanico (Schol. min.

Vidit et undas.

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten: Pater, o relictum
Filiae nomen pietasque, dixit,
Victa furore!

Unde quo veni? Levis una mors est

34. *Cretam pater* c, *Cretam o pater* ψ.

ad Iliad. β, 495.) Phoenix appellatur, ut ab ipso Homero Iliad. ξ, 321: *Οὐδ' ὅτε Φοίνικος κούρης τηλεκλειτοῖο, Ἣ τέκε μοι Μίνων τε καὶ ἀντίθεον Ῥαδάμανθυν.* Cfr. Stoll Antimach. p. 32. — Apud Euripidem (Cretum Fragm. 2.) Minoën sic alloquitur sacerdos: *Φοινικογενοῦς παῖ τῆς Τυρίας Τέκνον Εὐρώπας καὶ τοῦ μεγάλου Ζηνός.* Apud Schol. Plat. pag. 948. Ed. nostrae: *ἡ Ἀγήνορος ἢ Φοίνικος ἢ Τιτνοῦ.* — *o relictum*] Construe: «o pater, nomen (necessitudinis carissimum) relictum filiae (dativ.), id est, desertum ac proditum a filia, et pietas victa furore, temerario meo auso turpiter neglecta!» — *nomen pietasque* vocativi sunt; multi in eo errarunt, quod pro nominativis habuerunt; alii praeterea male distinguunt: *Pater o! relictum.* — V. *nomen* saepe ad necessitudinis et cognationis notionem accedit. Cfr. Ovid. Her. 10, 69: *Nam pater et tellus iusto regnata parenti Prodita sunt facto nomina cara meo.* et cetera exempla a Bentleio allata. Ovid. Met. 8, 463. et 507. Her. 8, 28. — *Filiae*] «a filia», ut Od. 2, 6, 11: *regnata -- Rura Phalantho.* Od. 3, 29, 27: *regnata Cyro Bactra.* Alii minus apte v. *filiae* pro genitivo habentes sic explicant, ut Lübker: «O pater, me miseram, quae filiae nomen pietatemque victam furore reliquerim, prorsus exuerim!» qua interpretatione prorsus tollitur necessaria illa appositio: *pater, nomen.* Languidior etiam est tertia expositio: «O pater, cuius mihi nunc nihil nisi nomen relictum est!, dixit Europe victa furore;» qua in ratione nimis negligitur v. *pietasque,* ad quod mirum in modum e v. *relictum* diversa significatione eliciunt «*relicta,* neglecta, violata.» Quarta denique restat prava distinctio: «*dixit:* ego *Victa furore unde quo veni?*» — *Victa*] Ovid. Met. 1, 149: *Victa iacet Pietas.* Id. 13, 662: *Victa metu pietas.* — *furore*] «caeco illo impetu, quo tauro fallaci me commisi.»

37. *Unde quo veni?*] Duplici interrogatione implicata Graeco modo: *πόθεν ποῖ ἐλήλυθα;* non: *Unde? quo veni?* Aeschyl. Prom. 546. Dind. Ox.: *εἰπέ, ποῦ τίς ἀλκά;* ubi volgo: *εἰπέ που τίς ἀλκά;* Eurip. Helen. 1543: *Πῶς ἐκ τίνος νεώς ποτε - ἥκετε;* Ion. 793: *πῶς δὲ ποῦ νιν εἰσιδών;* Ibid. 948: *ποῦ τίς λοχεύει σε;* Phoen. 123: *τίς πόθεν γεγώς;* Alcest. 213: *τίς ἂν πᾷ πόρος κακῶν γένοιτο;* Plato Tim. p. 22. B: *πῶς τί τοῦτο λέγεις;* (Turnus apud Virg. Aen. 10, 670: *Quo feror, unde abii, quae me fuga quemve reducet?*) — *Levis*] «nimis mitis.» Soph. Antig. 308: *Οὐχ ὕμιν Ἅιδης μοῦνος ἀρκέσει.* (Prop. 4, 4, 17: *Et satis una malae potuit mors esse puel-*

Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum, an vitiis carentem
Ludit imago

Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?

Si quis infamem mihi nunc iuvencum
Dedat iratae, lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati

38. *Virginis* Markland. — 39. *vitio* Bentl. coni. — 41. *quam* Sanadon. — 43. *recentis* T. — 46. *Dedat iratae! Lacerare* distinguit J. — *et* om C.

ae? Codd. Hertzb. cum Lachm. *urna.)*

38. *Virginum*] «laeso pudori, quam summam committere possunt culpam virgines.» Multo exquisitior in hoc v. et in v. *vitiis* est num. plur. quam Marklandi *virginis* et Bentleii *vitio*. Illud enim per communicationem cum omnibus virginibus nescio quomodo magis verecundam habet speciem in puellae ore; hoc autem plural. *vitiis* vitatur nimis aperta stupri significatio, quam notionem singularis habet aliquoties apud Terentium. (Adelph. 3, 4, 9. 3, 2, 10.)

41. 42. *porta-eburna*] Odyss. τ, 562: *Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων· Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι· Τῶν οἳ μέν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος, Οἳ ῥ' ἔλεφαίρονται, ἔπε' ἀκράαντα φέροντες· Οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε, Οἳ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι, βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.* Virg. Aen. 6, 894. — «*Φάντασμα* autem, *imago*, quae rapide *(fugiens)* exit ex altera utra porta, secum *ducit* illud *somnium*, quod cum maxime videre nobis videmur.»

42. 43. *Meliusne*] «Quomodo tandem factum est, ut *melius* (iucundius) dementi mihi videretur nare per fluctus quam ex vernis floribus corollas nectere, in quo grato opere occupata eram?» — *longos*] ex Phoenice in Cretam. Mosch. 2, 153: *τόσην ἅλα μετρήσασθαι.*

45. *Si quis*] Non est exclamatio, ut in multis Edd. distinguitur: *Si - - - iratae!*, sed *πρότασις* v. *enitar*. — *infamem*] «detestandum propter hoc ipsum, quod pudorem mihi erepturus est.»

47. 48. *enitar*] «omnibus viribus conabor.» — *multum amati*] «Cuius ori flores virgo admoverat, cuius cornua sertis cinxerat, cuius pectora manibus plauserat; sic enim Ovidius.» TORRENTIUS. — *monstri*] Altera lectio *tauri* est ex gloss. et ex v. 72.

50-52. *Impudens*] *Κλίμαξ* huius repetitionis, quae facilius sentitur, quam verbis exponitur, ita expli-

Cornua monstri.

Impudens liqui patrios Penates,
Impudens Orcum moror. O deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!

Antequam turpis macies decentes
Occupet malas teneraeque sucus
Defluat praedae, speciosa quaero
Pascere tigres.

Vilis Europe, pater urget absens:

48. *tauri* bT, LCt. (Ut nos, BSc,*βγκλνξ*, Pott. sex.) — 53. *decentis* B. — 54. *sucus* BbT: *succus* cum Edd. plerisque M. — 55. *Defluit* B, *Defluet* T. (Deficit post hunc v. T usque ad C. 4, 4, 6.) — 57. *Vilis Europae pater* LC.

cavit Gargallus: *Fuggii vergine ardita, ardita druda Or che non scendo a l'Orco?* — *Orcum* autem *moratur* is, qui, cum mori debet, non moritur. «Quid cesso emori?» Propert. 4, 19, 1: *Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes, Nec moror extremo debita fata rogo.* Stat. Theb. 7, 364: *seras tibi demoror improbus umbras.* — *Nuda*] non «auxilio privata,» ut volunt Schol. et Bosscha, afferens Ovid. Am. 1, 2, 38: *His tu militibus superas hominesque deosque; Haec tibi si demas commoda, nudus eris.*; sed sensu proprio.

53-55. *macies-Occupet*] Tibull. 4, 4, 5: *Effice, ne macies pallentes occupet artus.* — *malas*] pro genis. — *teneraeque*] «antequam puellae *teneae*, florentis, feris destinatae corpus contabescat.» Diuturnos igitur dolores perhorrescit et integra ad Orcum descendere cupit, ex prisco humanitatis sensu. Soph. Antig. 847: *Οὐκοῦν κλεινὴ καὶ ἔπαινον ἔχουσ' Ἐς τόδ' ἀπέρχει κεῦθος νεκύων, Οὔτε φθινάσιν πληγεῖσα νόσοις, Οὔτε ξιφέων ἐπίχειρα λαχοῦσ', Ἀλλ' αὐτόνομος, ζῶσα, μόνη δὴ Θνατῶν, Ἅιδαν καταβήσει.* Atque omnino haec videtur Graecorum antiqua opinio et mos. Certe Chariton pag. 13. Lips.: *μηδὲ ἄμορφον τῇ παρολκῇ ποιήσωμεν τὸ σῶμα. θάψωμεν Καλλιῤῥόην ἔτι καλήν.* Stat. Silv. 2, 1, 154: *Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta iacentis Exedit puerile decus, Manesque subivit Integer et nullo temeratus corpora damno.* Minime igitur haec stropha deleri aut saltem vituperari debebat, propterea quod a nostro sensu aliquantulum abhorret. — *sucus*] «vitalis; corporis vigor.» Putidum *(unzart)* videtur hoc Lübkero, quia sane cum nostris deliciis *(sentimentalen Zartheiten)* haud nimis congruit. — *speciosa*] «pulchritudine nondum deformata, integra et florens;» puellarem formae etiam propinqua morte curam exprimit. — *quaero Pascere*] De constructione vid. ad Od. 3, 24, 27.

57. *Vilis*] «Iam nunc digna, quae ab omnibus contemnaris.» — *pater*]

Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
Laedere collum.

Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age te procellae
Crede veloci, nisi herile mavis
Carpere pensum,

Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti

59. 60. *secuta e* || *lidere* cum «quibusdam» Codd. Lambini et Mureto Bentl. — 62. *delectent* B. (non bSc.) — 63. *erile* B. — 66. *paelex* B.

«Pater ipse, quamquam absens, mihi instare videtur atque imperare, ut mortem propere mihi consciscam.» Patris saevum iussum, quod sibi fingit, per ἀποστροφήν ad semet ipsam effert. Sequentia statim verae μονολογίας formam induunt, nec vero ullo modo Agenori tribui possunt. Sic etiam Neobule Od. 3, 12. secum ipsa loquitur per secundam personam. Ceterum cfr. Iliae similis culpae reae lamenta apud Ovid. Am. 3, 6, 73: *O utinam mea lecta forent patrioque sepulcro Condita, dum poterant virginis ossa legi! - - Quid moror? en digitis designor adultera volgi.*

58-60. *ab orno*] Construe: *pendulum ab orno*, non, ut alii, a *zona*. Sic Apollonius Rhodius in Cauno apud Parth. 11. de Byblide: *Καί ῥα κατὰ στυφελοῖο σαρωνίδος αὐτίκα μίτρην Ἀψαμένη, δειρὴν ἐνεϑήκατο.* — *bene te secuta*] «qua opportune, haud frustra, cincta huc devenisti.» — *Laedere*] h. l. prima significatione, *zerschlagen, quetschen, knicken*, ut apud Lucret. 5, 999: *turbida ponti Aequora laedebant naves ad saxa virosque.* Hinc demum deducta volgaris notio *nocendi, offendendi*. Qui primariam illam, quae elucet in compositis *allidere, collidere, elidere, illidere, oblidere, sublidere*, non intelligebant, substituerunt *elidere*, quod praeferebat etiam Heinsius Adversar. p. 118, idque sane hac significatione frequentius est quam simplex, propter hanc ipsam rationem h. l. praeferendum. — Ceterum hoc genus mortis commune in heroinis, velut in Iocasta, Antigona, Phaedra, Amata, saepeque apud Parthenium.

61-66. *Sive te* cet.] «Sive magis te alliciunt rupes et saxa (ex rupibus exstantia), ut quae acuta sint ad letum dandum (quae acuminibus suis celeriter mortem afferant), procellae impetu adiuta in praeceps te deiice; nisi tu, regia virgo, serva fieri praefers, cui quotidie ab hera assignetur pensum (certum pondus lanae *carpendae*, trahendae, nendae, de quo molesto officio Propert. 3, 6, 15: *tristes sua pensa ministrae Carpebant.*), quae domina barbara te simul ut exosam mariti pellicem perpetuo cruciatu afficiet. — *rupes - - Saxa*] Seneca Controv. 1, 3. p. 94. Bip.: *Moles*

Perfidum ridens Venus et remisso
Filius arcu.

Mox, ubi lusit satis: Abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae,
Cum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.

Uxor invicti Iovis esse nescis:

67. *et venusto* superscr. *remisso* B. — 69. *luxit* superscr. *lusit* B; *luxit* etiam unus Pott. 7. — 71. *visus* septem Pott., item γ ap. Kirchn. p. 36., *iussus* unus Pott. 4. *Iam tibi iniussus* malebat Bentl. — *reddit* B.

abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis. Eurip. Androm. 847: *ποῦ μοι πυρὸς φίλα φλόξ; Ποῦ δ' εἰς πέτρας ἀερθῶ Ἢ κατὰ πόντου ἢ καθ' ὕλαν ὀρέων.*

67. *Perfidum*] «maligne ac dolose,» sed iuncta ironia; non enim irata advenit Venus, ut apud Theocr. 1, 96. Daphnidi: *Λάθρια μὲν γελάοισα, βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχουσα*, sed suis artibus delusam esse gaudet Europen eamque simul consolatur. Aeque *perfidum ridens* Venus spectat Peleum, qui Thetidem raptat, apud Millingen *Mon.* I. T. 10. et Cupido Ledam a cygno compressam in pictura Pompeiana *Mus. Borbon.* X. T. 3. — *remisso*] «laxato, quippe qui opus suum iamiam perfecisset.»

69. 70. *ubi lusit satis*] «ubi Venus satis irriserat puellam splendidae suae sortis ignaram.» — *Abstineto-irarum*] *ἀπέχου τῆς ὀργῆς*, ut Od. 4, 9, 37: *abstinens - - pecuniae*, et 2, 9, 17: *Desine - - querelarum.* — *calidaeque rixae*] «acris huiusmodi contentionis.»

71. *Cum tibi*] «tunc, cum tibi cet.»; minime explicandum «donec tibi», nec scribendum *dum tibi* cum Ed. Veneta 1490. vel *non tibi* (Fabric. 1555.) ex male intellectis Scholl. vett. («Sane», inquit Acron, «non lacerabis eum, ubi rursus se tibi obtulerit.») Consulto cum levi variatione repetit irridens ipsas Europae minas v. 45. — *laceranda*] pro v. proprio *frangenda.* «Tunc (hoc enim significat), ubi ad te amplexandam revertetur, probe scio, facile in gratiam cum illo redibis, qui nunc tibi tam invisus est.» — *reddet*] «denuo praebebit; primum enim, cum ex improviso evanuisset, eum sane lacerare non potuisti.» Omnia ironice; non enim *tauriformis* ad eam reversurus erat Iuppiter. (Ceterum Bernhardy praefert Codicis B lectionem *reddit, jetzt, da er dir preisgibt*; verum scite poëta rem sic conformavit, ut per cunctas illas Europae querimonias et falsus Iuppiter tauro se celans et verus abesset, nemoque praeter *εἴρωνας* illos, Cupidinem et Venerem, eas audiret.)

73. *Uxor*] Iam ex ironia ad veram consolationem transit, quocirca aliorum interrogationi praefero tranquillam hanc et blandam

Mitte singultus, bene ferre magnam
Disce fortunam, tua sectus orbis
Nomina ducet.

affirmationem: «Nescis adhuc, cara puella, Iovis te coniugem esse», id est, «scito te mox illum coniugem habituram esse.» Sed cum nominativi cum infinitivo usus post verba sentiendi et declarandi vel apud poëtas Latinos rarissimus sit, praestat fortasse haec interpretatio: «*Nescis* (non vales, non audes) *esse Iovis uxor* (te gerere Iovis uxorem);» cum qua leni reprehensione optime quadrat qui sequitur imperativus: *bene ferre magnam Disce fortunam.*

74 - 76. *bene ferre*] «constanter ac dignum in modum, pro coniugis tui maiestate.» Chariton pag. 445. Lips.: Σὺ δέ, ἡ δούλη, τὴν εὐτυχίαν οὐ φέρεις. — *sectus orbis*] «dimidia pars orbis nomen tuum accipiet.» Duas enim dumtaxat orbis terrarum partes agnoscit h. l., Europam et Asiam, ut Sal. Iug. 17. et Varro LL. 5, 31: *Divisa est caeli regionibus terra in Asiam et Europam.* Soph. Trachin. 100: διπλαῖσιν ἀπείροις κλιθείς. Plat. in Critia 112. E. Cfr. Schaefer Meletem. crit. p. 36., ubi locos similes collegit Aeschyl. Pers. v. 179. Plat. Gorg. p. 265. Ed. Heind. Isocratis Paneg. c. 48. Moschi 2, 6. cet. Contra Ovid. Fast. 5, 617: *te, Sidoni, Iuppiter implet, Parsque tuum terrae tertia nomen habet.* Modum Latinum aliquanto audaciorem retinere potuit Gargallus: *trarrà il tuo nom Partito il mondo.* — *Nomina*] Nullus, quod sciam, interpres aut explicavit hunc num. plur. aut in eo haesit praeter HP., qui omnia inde a v. 33: *Quae simul* cet. Horatio abiudicavit, h. l. inter alia adnotans: «Nec laudandus est pluralis *nomina* pro *nomen*.» Verum ex usu poëtico de una persona ille ponitur. Od. 4, 2, 3: *daturus Nomina ponto*, Ovid. Trist. 4, 4, 90: *Icarus Icariis nomina fecit aquis*, unum maris Icarii nomen.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

CARMEN XXVIII.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum
Lyde strenua Caecubum
Munitaeque adhibe vim sapientiae.

XXVIII. Inscr. volg. *Ad Lyden.* — *Lydae* bc. — *Ad Lyden paraenetice (syllogistice* S.) *de Neptunalibus* BS. — 2. *facias* Bentl. coni.

XXVIII. Arcessita ad se amica solus cum sola Neptunalia compotatione et cantu celebrat. Neptunalia alia a. d. X. (non V., ut aiunt alii) Kal. Aug., alia in honorem pugnae Actiacae Kal. Sept. memorant Inscriptt. Lat. 2. p. 394 et 398. Intelligere videtur priora illa, quae teste Festo frondeis casis, quas *umbras* vocabant, in ripa Tiberis excitatis et tauro immolato celebrabantur. Quo tempore hoc carmen compositum sit, incertum est; Kirchnerus et nuperrime Grotefend (*Schriftst. Laufb. d. Horat.* p. 30.) assignaverunt anno 732.

2. *faciam*] «Ὕστερον πρότερον. Erat enim hic ordo: «Prome Caecubum, ut (tecum) bibam. Quid enim potius festo Neptuni die facere possum?» Lamb. Hoc si satis perpendisset Bentleius, vix scripsisset: *facias*. Sed in errorem inductus est eo quoque, quod cum plerisque Interprett. credidit compotationem hanc in Lydae domo, non in Flacci habitam fingi, quod contra est. — *Prome*] Propter «herile», ut aiunt, hoc iussum nonnulli Lyden pro Horatii villica vel cellaria habuerunt. Noli credere: nam ridiculum fuisset eiusmodi cum ancilla συμπόσιον etiam carmine celebrare. Sed ἑταίρᾳ libertinae ad solitarium convivium vocatae talia nullius laboris officia per iocum mandari poterant ab amico commodiore et, quo liberior foret, servum nullum mensae adhibente. — *reconditum*] «interioris notae (Od. 2, 3, 8.), satis igitur vetus ac generosum.»

3. *strenua*] pro adverbio prosae orat. Est igitur: «Noli defatigari in promendo Caecubo ex *horreo* sive apotheca vinaria atque expugna, pelle, liberaliore potu tristiorem tuam ac sic satis munitam adversus voluptates gravitatem mecumque Genio indulge.» Haec omnia prorsus iocose ac facete dicta sunt, praesertim *munita* illa ab omni tentatione *sapientia* puellae. Ut autem ad Lyden potius quam ad ipsum Horatium referamus vv. *munitae sapientiae* suadent seqq. *Parcis* cet. Nimis videlicet temperata, sapiens, σώφρων, effuse laetanti videtur amica fidicina. «Graeci aiunt vim sapientiae adhiberi per vinum.» Porphyr., id quod ex antiquo Commentatore, qui versiculum Graecum adscripserit, petitum videtur. — *Caecubum*] de quo Athenaeus 1, 27 a: παλαιοῦνται μετὰ ἱκανὰ ἔτη.

Inclinare meridiem
Sentis ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.

Nos cantabimus invicem
Neptunum et virides Nereïdum comas;

6. *ac*] *et* Bc, item *γδ* ap. Kirchn. Q. N. H. p. 36. 56. — 8. *amphoram?* Bothe, J. — 9. *in vices* B. — 10. *viridis* B. — *comas*] *choros* Cod. Lips. quartus

5. 6. *Inclinare*) «Vides solem a meridie iam ad occasum vergere.» Admodum tempestivum igitur describit *συμπόσιον*. In prosa orat. *se inclinare*, ut Liv. 9, 32: *sol meridie se inclinavit.* — *ac, veluti*] De solemni hac formula consule Hand Turs. I. pag. 478. Male Vossius malebat: *sentis; at veluti.* — *stet*] «consistat, moretur.» Tibull. 1, 4, 28: *non segnis stat remeatque dies.*

7. 8. *Parcis*] «cunctaris, veluti nondum adsit potandi hora.» — *deripere*] «celeriter de apothecae pariete demere hucque in triclinium afferre.» — *Cessantem*] «quae, tu dum segnis es, mihi impatienti ipsa videtur cessare.» (Significare nequit: «quae intacta et otiosa in horreo cubat inde a Bibuli consulatu.») — *Bibuli*] M. Calpurnius Bibulus cos. cum C. Iulio Caesare a. u. c. 695.; vinum igitur circiter XXXV. annorum bibiturum se fingit. — *amphoram.*] Est lenis potius expostulatio, qua miratur puellam *parcere* cet., quam interrogatio.

9. 10. *invicem*] «alternatim, carmine amoebaeo celebrabimus deos immortales; ego Neptunum, cuius est dies festus, eiusque comites Nymphas.» Cfr. Hand Turs. III. p. 452. — Cum Cod. B. antiquissimo etiam Cod. Graev. *in vices*, quod probat Burm. ad Petron. 42. Mihi pedestris potius orationis videtur: reiicit etiam Hand. — *virides*] Deorum marinorum omnia sunt caerulea, glauca, viridia; interdum etiam vitrea, *ὑάλινα*. Sic *caeruleos crines* Cyanae nymphae tribuit Ovid. Metam. 5, 432. atque ibid. 2, 11: de Nereidibus: *quarum pars nare videntur, Pars in mole sedens virides siccare capillos.* Met. 13, 959. de Glauco: *viridem ferrugine barbam - - et caerula brachia.* Pictores vero, ut par erat, flavas comas iis tribuebant, vestes virides. V. *Pitture d' Ercolano* III. T. 16. 17. Avellino *Bull. arch.* IV. p. 62. et 86. — Cumulavit, ut solet, Statius Silv. 1, 5, 15: *Ite, deae virides, liquidosque advertite voltus Et vitreum teneris crinem redimite corymbis.*

11. 12. *curva-lyra*] Od. 1, 10, 6: *curvaeque lyrae parentem.* — *recines*] «tu respondebis canendo Latonam et Dianam iaculatricem.» — *celeris*] Ovidio Her. 4, 169. est *agilis dea.* — *Cynthiae*] a Cyntho, Deli monte, ubi Diana nata est cum Apolline.

13. 14. *Summo*] «extremo», ut Epp. 1, 1, 1. «Nam in Veneris laudibus ut amantes inter nos desinamus, consentaneum est.» — *quae* cet.] Pendent haec ex superioribus: «Recines eam deam, quae cet.»

Tu curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae,
Summo carmine, quae Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas et Paphon
Iunctis visit oloribus;
Dicetur merita Nox quoque nenia.

13. *Cnidon* B,LCt, Bentl., F: *Gnidon* bSc,MJ. — 14. *Paphum* Bb, *γδκμν*, Bentleius. (Ut nos, Sc.)

(Prosae orationis speciem inducit Bentleii distinctio: *Summo carmine* Venus *dicetur; merita* cet. Atque eam probari vetat versuum 15. 16. tota constructio.) — *Cnidon-tenet*] Cfr. Od. 1, 30, 1: *O Venus, regina Cnidi Paphique.* — *Fulgentes*] *nitentes* dixit Od. 1, 14, 19. Virg. Aen. 3, 126. *Paros* vocatur *nivea* propter marmoris, cui innititur eius solum, splendorem navigantibus longe conspicuum. — *Paphon*] *Paphum* praetulit Bentleius, «ut evitaretur ὁμοιοτέλευτον in fine versuum»; sed substituit ingratam variationem *Cnidon, Paphum.*

15. 16. *visit*] «ex alio quo loco sibi placito illuc revertens,» quae deorum vocantur *ἐπιδημίαι.* — *oloribus*] Od. 4, 1, 10. Stat. Silv. 1, 2, 141: (Venus) *thalamique egressa superbum Limen, Amyclaeos ad frena citavit olores.* Idem 3, 4, 22: *molles agitat Venus aurea cygnos.* Silius 7, 440: *matris currus, niveos agitabat olores - - Cupido.* — «*Nox* ipsa quoque cantilena celebrabitur, et quidem debita ob gaudia, quae nobis praebebit.» *Nox* h. l. veluti dea, quae amorum fructum et donat et tuetur. Sic *Νυκτὸς μαντεῖον* Megaris erat. Pausan. 1, 40, 6. Ovid. Fast. 1, 455: *Nocte deae Nocti cristatus caeditur ales.* (Conf. etiam Od. 3, 19, 10.) — *Nenia* h. l. certe non de lugubri carmine, ut Od. 2, 1, 38. et 20, 21.; sed ut Epp. 1, 1, 63: *puerorum - Nenia*, de cantilena simplici et ad somnum invitante dicitur.

CARMEN XXIX.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado

. XXIX. Inscr. volg. *Ad Maecenatem*, et sic BS. — *Maecenati* bc. — 2. *versum* B. (non bSc.)

XXIX. Maecenatem invitat poëta, ut relictis urbanis negotiis aliquantulum temporis ad se in villam concedat Genioque ibi indulgeat, argumentis, quibus ei hoc suadere conatur, partim ab Urbis fastidio, quod eius luxus gignere soleat, partim a ferventissimo anni tempore desumptis. Cum autem Maecenatem curis administrandae Urbis, quibus tum districtus erat, maxime, quo minus copiam sui faceret, impediri intelligeret, poëta a nimia ista sollicitudine eum dehortaturus graviter ostendit certis curas istas circumscribi oportere finibus, ne bona, quae praesens hora largiatur, celeriter elabantur, futurarumque rerum anxiam sollicitudinem vanam esse atque inutilem. (Franke carmen refert ad a. 729., Grotefend ad a. 735.)

1. 2. *Tyrrhena regum*] Cfr. Od. 1, 1, 1. Silius 7, 29: *Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris.* — *Non ante verso*] «intacto adhuc», id quod convivae honori tribuitur. Est autem e sermone cotidiano. Plaut. Stich. 5, 4, 39: *quamvis desubito vel cadus vorti potest.* Sat. 2, 8, 39: *Invertunt Allifanis vinaria tota.* Vertebatur, cum inde in crateres effundebatur vinum. — *lene*] «vetustate domitum.» Schol. — *Cadus* ex opere figlino XII. congios capiebat; quadraginta circiter eiusmodi mensuras, quas *pintes* vocant Francogalli.

3. 4. *flore - rosarum*] ῥόδων ἀώτοις σκιάζειν λιπαρὰν ἔθειραν dixit Simonides p. 195. Schn. — *balanus*] s. myrobalanus, glans myrepsica, unguentaria Arabiae et Aethiopiae *(die arabische Behennus, Balsamfrucht.)*; h. l. oleum ex eius nucleo pressum. Oleo autem inde expresso «εἰς τὰ πολυτελῆ μύρα ἀντ' ἐλαίου ἐχρῶντο.» Dioscor. 4, 160. — *Pressa tuis - capillis*] «tibi destinata.»

5 - 7. *Iamdudum*] Non «quod diutius omnia ista domi suae Maecenati servarit» (ut interpretatus est etiam Gargallus, metuens, «ne rosae admodum vietae fuerint»), sed omnino «impatientiam, qua Maecenatem exspectet,» amice declarat. — *Eripe te morae*] Od. 4, 12, 25: *pone moras.* — *Ne semper*] Altera lectio *nec* habet nunc auctoritatem antiquiss. Cod. B. eamque valde probat Dillenburger p. 34. afferens inter alia exempla Od. 1, 11, 2: *nec Babylonios Tentaris numeros.* Atque de hoc nemo dubitare poterat, *nec* sic usurpatum per se rectissimum esse; sed ἀσύνδετον servavi propter similia v. 9. et 11; praeterea *ne* celeriorem reddit sententiarum progressum. Neutiquam vero aptus est hic sententiarum nexus, quem nonnulli statuunt: «Pelle, tolle, rumpe moram (eo fine), ne contempleris»; sed est

Cum flore, Maecenas, rosarum et
Pressa tuis balanus capillis
Iamdudum apud me est. Eripe te morae;
Ne semper udum Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvum et
Telegoni iuga parricidae.

6. *Nec* B.

ἀσυνδέτως «noli semper contemplari». — *udum Tibur*] Cf. Od. 1, 7, 13. Ovid. Fast. 4, 71: *Et iam Telegoni, iam moenia Tiburis udi Stabant.* — *Aesula*, colonia Romana in Latio, in declivi sita inter Praeneste et Tibur. — *contempleris*] «e longinquo sane cum desiderio gratissimis his tractibus ipsis fruendi, cui desiderio cur non illico satisfacis?» Verbum *contemplari* usurpatur praesertim de caelo, stellis, *μετεώροις*, item de regionibus amoenis, quibus oculi libenter immorantur.

8. *Telegoni iuga*] Ovid. Fast. 3, 92: *Factaque Telegoni moenia celsa manu.* Tusculum significat, conditum a Telegono (Sil. Ital. 7, 694: *Circaeo Tuscula dorso Moenia, Laërtae quondam regnata nepoti.*), qui inscius Ulixem patrem radio trygonis *(eine Rochenart mit einem Stachel am Schwanze)* sagittae praefixo interfecit. Primum memoratur ab Hesiodo in Theogoniae versu suspecto 1014., una cum fratribus Agrio et Latino: *Οἱ δ' ἤτοι μάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλείτοισι ἄνασσον.* Totam autem hanc fabulam tractaverat in Telegonea Eugammo Cyrenaeus, poëta cyclicus Olymp. 53. Vide Welcker *der epische Cyclus* p. 344. Sophocles in Euryalo apud Parthen. Narr. 3: *Τρωϑεὶς ἀκάνϑῃ τρυγόνος ϑαλασσίας.* Cfr. Lycophr. 797. cum Scholiasta. Hygin. Fab. 127: *Telegonus, Ulixis et Circes filius, missus a matre, ut genitorem quaereret, tempestate in Ithacam est delatus ibique fame coactus agros depopulari coepit. Cum quo Ulixes et Telemachus ignari arma contulerunt: Ulixes a Telegono filio est interfectus, quod ei responsum fuerat, ut a filio caveret mortem. Quem postquam cognovit qui esset, iussu Minervae cum Telemacho et Penelope in patriam redierunt; in insulam Aeaeam ad Circen Ulixem mortuum deportarunt ibique sepulturae tradiderunt. Eiusdem Minervae monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen duxerunt uxores. Ex Circe et Telemacho natus est Latinus; ex Penelope et Telegono natus est Italus, qui Italiam suo nomine denominavit.* Cfr. Oppian. Halieut. 2, 497. Sext. Empir. pag. 273. Fabr.: *Πῶς οὐκ ἔργον, τινὸς μὲν γραμματικοῦ λέγοντος, ὅτι Ὀδυσσεὺς ὑπὸ Τηλεγόνου παιδὸς κατὰ ἄγνοιαν ἀνῄρηται, τινὸς δέ, ὅτι λάρου κέντρον ϑαλασσίας τρυγόνος ἀφέντος αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ διεφώνησεν, ἄλλου δέ, ὅτι εἰς ἵππον μετέβαλε τὴν μορφήν;* Proclo apud Phot. Bibl. C. 239. teste haec Ulixis mors mythici cycli finis erat. Plutarch. Parall. T. 2. p. 316. narrat etiam Praeneste a Telegono conditum esse. Propert. 2, 32, 3: *Nam quid Praenestis dubias, o Cyn-*

Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis;
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.

Plerumque gratae divitibus vices
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae sine aulaeis et ostro
Sollicitam explicuere frontem.

thia, sortes, Quid petis Aeaci moenia Telegoni?

9. 10. *Fastidiosam*] «quae nauseam ac taedium parit.» — *Molem*] turrim *(Palast)* Maecenatianam in colle Esquilino, e qua Nero Romae incendium inspexit. (Suet. Ner. 38.) In eius vicinia ipse Horatius humatus est. *(Solche* turres *liefen pyramidalisch und terrassenförmig in die Höhe.* Boettiger. Sic postea dicta est *moles Hadriana.)* — Hoc dicit: «Noli semper Romae commorari;» idcirco nequaquam cum Nibbyo *(Viaggio* I. p. 174.) hos versus ad magnificum illud Maecenatis Tiburtinum, cuius parietinas ibi describit, referre possumus. — *arduis*] «sublimibus.»

11. 12. *Omitte*] Minime cum Burmanno ad Sulpiciae Sat. 9. legendum *O mitte*, cum anacrusis iambica in hoc tertio strophae alcaicae versu reperiatur etiam Od. 1, 16, 19. 17, 7. 29, 7. 37, 15. Od. 2, 3, 3. 20, 11. — *beatae*] «Opulentae ac splendidae.» — *mirari-Fumum*] *παρὰ προσδοκίαν*. Nam *mirari* proprie refertur ad *opes* dumtaxat; verum has comitantur omnis generis molestiae; ex quibus memorantur, quae maxime in sensus incurrunt, *fumus* et *strepitus*. *Fumum* vix recte explicaveris tropice: «vanam honoris ac felicitatis speciem»: *«sa trompeuse fumée»* (Vanderbourg.). sed proprie accipiendum est. Seneca Ep. 104: *ut primum gravitatem urbis excessi et illum odorem culinarum* cet. — *Strepitus* non est «strepitus tumultusque conviviorum lautiorum», ut nonnulli volunt, sed «strepitus ille Urbis nocturnus ac diurnus», de quo lamentatur Epp. 2, 2, 72-80.

13. 14. *vices*] «Vicissitudines inter summam copiam, qua divites cotidie veluti obruuntur, et vitam simpliciorem ipsis persaepe placent.» — *Mundae*] «tersae, sed frugales.» Sat. 2, 2, 65: *Mundus erit, qui non offendet sordibus atque In neutram partem cultus miser.* — *pauperum*] «ubi cum locupletibus illis comparentur.» Omnino tres gradus statuit Seneca de Tranquill. an. 8: *paupertatem, inopiam, egestatem.*

15. 16. *sine aulaeis*] Cfr. Sat. 2, 8, 54., ubi Schol.: «Consuetudo apud antiquos fuit, ut aulaea sub cameras tenderent, ut, si quid pulveris caderet, ab ipsis exciperetur.» — *ostrum* significat stragulam vestem, peristromata purpurea. Virg. Aen. 5, 111: *ostro Perfusae vestes*, a v. *ὄστρεον*, pr. succus muricis eiusque color purpureus. Böttiger *kl. Schr.* 1. pag. 124: aulaeis et ostro *nicht* aulaea purpurea, *sondern* aulaea *sind die unter der Decke ausgespannten Prunk-*

Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem, iam Procyon furit
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos:
Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit et horridi
Dumeta Silvani, caretque

21. *languida* γ ap. Kirchn. p. 36.

leppiche, ostrum *aber die köstlichen Purpurüberzüge der Tischchen.*» Adversatur aliquatenus Virg. Aen. 1, 697: *aulaeis iam se regina superbis - composuit.* — *explicuere*] *ἀορίστως*, «explicare solent.» Sat. 2, 2, 125: (Ceres) *Explicuit vino contractae seria frontis.*

17-19. *Iam clarus*] *Clarus*, ut patet ex *ἀντιθέτῳ occultum*, non ad regiam Cephei dignitatem, ut nonnemo nuper voluit, sed unice ad sideris splendorem refertur. «Tempus venit aestatis; igitur te rure mecum recrees.» Theognis 1039. Bekk.: *Ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι, οἵτινες οἶνον Μὴ πίνουσ' ἄστρου καὶ κυνὸς ἐρχομένου.* Alcaeus Bergk p. 580: *(θέρους) Τέγγε πνεύμονα Φοίνῳ· τὸ γὰρ ἄστρον* (Canicula) *περιτέλλεται· Ἁ δ' ὥρα χαλέπα, πάντα δὲ δίψαισ' ὑπὸ καύματος.* — «Cepheus, Aethiopum rex, *Andromedae pater* ex Cassiopea antea occultum lumen ostendit, iam ortus est. (VII. Id. Iul.)» — *Procyon* (quem Latini *Ante Canem* vocant), unus ex Orionis canibus venaticis, oritur Idibus Iuliis, quem XI. diebus post sequitur Canicula s. Sirius, orituque etiam *Leonis stella*, sidus *vesanum (rabidum* Lucano 6, 334.), summos calores afferens. Schol. Arati v. 449. Ed. Bekker p. 65: *τὸν δὲ Λέοντα οἱ μέν φασιν ὅτι ὑπὸ τοῦ Διὸς ἐτιμήθη, διότι τῶν τετραπόδων ἡγεῖται, οἱ δὲ ὅτι πρῶτος ἆθλος Ἡρακλέους ἐστίν.* Hinc *Herculeum leonem* vocat Ovid. A. A. 1, 68. Sol Leonem ingreditur XIII. Kal. Aug. Colum. 11, 2, 52.

20. *referente*] «annuo suo cursu rursus afferente.» — *siccos*] Od. 4, 12, 43: *Adduxere sitim tempora, Virgili.*

21. 22. *Iam pastor*] Cfr. Anth. Pal. II. p. 694: *Χῶ ποιμὴν ἐν ὄρεσσι μεσαμβρινὸν ἀγχόθι παγᾶς Συρίοδων, λασίας θάμνῳ ὕπο πλατάνου Καύματ' ὀπωρινοῖο φυγὼν κυνός.* — *Rivumque*] In pascuis Italicis greges per aestatem rivos intrant, ut melius se defendant et a calore et ab asilis. Rivos igitur quaerit pastor et *dumeta*, quae perambulare solet *horridus*, hirsutus, incultus, ut deus rusticus, *φριξοκόμης*, Silvanus. Hoc *ἐπιθέτῳ* utitur propter ipsius dei silvestris horridam formam, ut Mart. 10, 92, 6: *Tonantis aras horridique Silvani*, non propter dumeta horrida. In inscriptione nuper reperta *(Annal. dell' Inst. arch.* V. p. 150.) is, qui eam posuit, sic Silvanum alloquitur: *Magne deûm, Silvane potens, sanctissime pastor.* — Cave autem, ne cum Sanadono vv. *horridi Silvani* habeas pro nominativis plur. Ceterum non de meridie loquitur, sed de anni tempore

Ripa vagis taciturna ventis.

Tu, civitatem quis deceat status,
Curas et Urbi sollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus

28. *dissors* malebat Bentleius.

aestivo; horam enim hic significare nihil attinebat,

24. *Ripa*] rivi illius. — *taciturna*] «dum ventis cessantibus nullum usquam murmur auditur.»

25. *Tu, civitatem*] Tibi quidem, Urbis cura cum tibi commissa sit, cordi ante omnia est optimus civitatis status otiumque publicum; simul intentus es, quae pericula exteri hostes, imprimis Orientis populi, Romano imperio minitentur.» Cfr. Frandsen *Maecenas* p. 69.

26. 27. *Urbi*] «capiti rerum.» (Tac. Hist. 2, 32.) Moneo propter Sanadoni *orbi*. *Civitas* autem et urbs (in quo ille haerebat) recte coniunguntur, ut apud Cic. Acad. 2, §. 137. *nec haec* tibi videtur *urbs nec in ea civitas*. V. *Urbi* iunge cum v. *times*. — *sollicitus*] Vell. 2, 88. de Maecenate: *ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens*.

27. 28. *Seres*] extremi Orientis populi Romanis noti, «*lanicio silvarum nobiles.*» Plin. H. N. 6, 20. Cum *Indis* coniunguntur Od. 1, 12, 56.; cum Persis, sicut hic, Od. 4, 15, 23. A poëtis ornatus potius causa, quam quod unquam arma moverint, numerantur inter Romani nominis hostes, ut apud Lucan. 1, 19: *Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes*. Stat. Silv. 4, 1, 42. Ceterum vide Excursum. — *regnata Cyro Bactra*] «quibus olim Cyrus imperitavit.» Xen. Cyr. 1, 1, 4: ἦρξε δὲ Βακτρίων καὶ Ἰνδῶν. Plin. 6, 16: *Gens haec obtinet aversa montis Paropamisi et adversus fontes Indi; includitur flumine Ocho*. Propert. 3, 1, 16: *Qui finem imperii Bactra futura canent*. Gens nobilis postea inde ab anno circiter 250. usque ad 125. ante Chr. regno Graeco Bactriano; Augusti vero temporibus pars Bactrianae Parthis, pars Tocharis, Scythicae genti, subiecta erat; quocirca h. l. de Parthis intelliges. (De constructione cfr. Od. 2, 6, 11.) — *discors*] «Scythae, Tanais accolae, intestinis discordiis agitati», ut Parthi Od. 3, 8, 19: *Modus infestus sibi luctuosis Dissidet armis*. Pertinere haec videntur Frankio pag. 497. ad civilem Parthorum discordiam, cuius participes erant discordes Tanaitae. — Inest in his innocens neque amicum laesura ironia; etenim et ille et omnes Romani optime noverant nihil periculi iam impendere Romano imperio ab Orientis atque Septentrionis nationibus.

29. 30. *Prudens*] «Sapienter et consulto deus res futuras mortalibus velut obscura nocte *pressit*, abscondit.» Theognis 1075: Πρήγματος ἀπρήκτου χαλεπώτατόν ἐστι

Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest memento
Componere aequus; cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio aequore
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos

34. *aequore* (superscr. *alveo*) c, $\beta\xi$, alii Codd. Vanderb., Feae, Pottierii: *alveo* BbS, Pott. octo, LCt, Bentl., FMJ. («In ceteris, praeter $\beta\xi$, habetur *alveo*, fere cum *aequore* superscripto.» Bentl.)

τελευτὴν Γνῶναι, ὅπως μέλλει τοῦτο θεὸς τελέσαι· Ὀρφνῃ γὰρ τέτακται· πρὸ δὲ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι Οὐ συνετὰ θνητοῖς πείρατ' ἀμηχανίης. Pind. Ol. 12, 9: *Τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φραδαί.*

31. 32. *Ridetque*] «suae potentiae conscius.» — *trepidat*] «futuros eventus anxie explorare laborat, *ultra* hac in cura progressus, quam sors generis humani concedit.» Sophocl. Fragm. 515. D: *Θνητὴν δὲ φύσιν χρὴ θνητὰ φρονεῖν, Τοῦτο κατειδότας, ὡς οὐκ ἔστιν Πλὴν Διὸς οὐδεὶς τῶν μελλόντων Ταμίας, ὅ τι χρὴ τετελέσθαι.* Id. Fragm. 659: *Ἀλλ' οὐ γὰρ ἂν τὰ θεῖα κρυπτόντων θεῶν Μάθοις ἄν, οὐδ' εἰ πάντ' ἐπεξέλθοις σκοπῶν.* — *Quod adest*] «Aequo animo praesentia ordina, quippe quae in tua potestate sita sint; cetera omnia fluxa sunt atque incerta.» Cratinus apud Suidam v. *τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν· Ἄνδρας σοφοὺς ἐχρῆν τὸ παρὸν πρᾶγμ' εἰς δύναμιν θέσθαι καλῶς.*

33. 34. *fluminis Ritu*] Hor. A. P. 62: *iuvenum ritu.* Ovid. Am. 1, 7, 43: *tumidi ritu torrentis agebar.* Iuven. 3, 264: *More animae,* id est, «sicuti anima.» — *aequore*] Unus Vand. praebet *aequore* cum gl. *planitie.* Atque haec videtur Horatii manus, cui facillime antiquus interpolator substituere poterat gl. *alveo,* non contra. Scilicet ille verebatur, ut *aequor* de flumine recte diceretur. Attamen Virg. Aen. 8, 86: *Thybris — — tacita refluens ita substitit unda, Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis Sterneret aequor aquis.* et v. 96: *viridesque secant placido aequore silvas,* id est, alveo. Est igitur: «aqua fluminis sese inter utrumque alvei marginem continente.» Recepit etiam ante me Cuninghamius. (Nemo certe contendet, per se haud rectum esse *alveo*; verum ubi Codd. satis demonstrant rariori ac difficiliori vocabulo *aequore* substitutum esse glossema, illud non restituere nimia profecto foret timiditas. Nec vero debebat Bernhardy adversus me provocare ad meram N. Heinsii coniecturam Ovid. Met. 15, 624: *circumflua Thybridis alveo,* ubi Codd. lectionem, *c. Th. alti*, recte restituerunt et Bachius et Iahnius.)

35. 36. *Cum pace*] «ἠρέμα, placide, tranquille», significatione satis elucente ex *ἀντιθέσει nunc lapides* cet. Etiam in prosa or. Cic. Tusc. 5, 29: *Nos illud quidem cum pace agemus.* Cfr. Hand Turs. II. p. 454. et 457. — *Etruscum*] Ultima syllaba eliditur ante sequentem vocalem. — *adesos*] «vi aquarum adrasos.»

Stirpesque raptas et pecus et domus
Volventis una non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse Vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato,
Vel sole puro; non tamen irritum

42. *degit* c.

Theocrit. 22, 49: *πέτροι ὁλοίτροχοι, οὔστε κυλίνδων Χειμάῤῥους ποταμὸς μεγάλαις περιέξεσε δίναις.*

37. 38. *Stirpesque raptas*] Servius ad Aen. 12, 208: «*Imo de stirpe*] ideo genere masculino usus est, quia de arboribus loquitur. Nam de hominibus genere feminino dicimus, ut (7, 293.) *Heu stirpem invisam!* Dixit tamen, sed usurpative, Horatius etiam de arboribus: *Stirpesque raptas.*» — *una*] «omnia haec inter se permixta.» Sic Ovid. Met. 1, 285: *Exspatiata ruunt per apertos flumina campos, Cumque satis arbusta simul pecudesque virosque Tectaque cumque suis rapiunt penetralia sacris.*

39. 40. *Clamore*] «fragore ac sonitu immani.» Iliad. ρ, 265: *ἠϊόνες βοόωσιν.* — *diluvies*] ut *eluvies, illuvies, proluvies* est etiam apud Lucret. 6, 290. et Od. 4, 14, 28.; frequentius *diluvium.*

41. *Irritat*] «Illos fluvios, qui alioquin exundare non solent, Tiniam, Narem, Anienem reprimens, haud minus saevire cogit.» Plin. Epp. 8, 17: *Tiberis alveum excessit et demissioribus ripis alte superfunditur. -- Inde quae solet flumina accipere et permixta devehere velut obvius retro cogit atque ita alienis aquis operit agros, quos ipse non tangit.* — *Amnes* autem hic de minoribus etiam fluviis, ut Virg. Aen. 7, 465. ausus est dicere vel de aqua in lebete bulliente. — *potens sui*] *ἐγκρατὴς ἑαυτοῦ, αὐτάρκης.*

42. *in diem*] «singulis diebus.» — *Vixi*] Cic. ad Attic. 12, 2: *βεβίωται.* Terent. Hec. 3, 5, 11: *Sibi vero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, bene.* Seneca Ep. 12: *In somnum ituri laeti hilaresque dicamus:* Vixi et quem dederat cursum Fortuna peregi. (Aen. 4, 653.) *Crastinum si adiecerit deus, laeti recipiamus. Ille beatissimus est et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quisquis dixit:* Vixi, *quotidie ad lucrum surgit.* - Male olim iungebant: *cui licet «In diem» dixisse «vixi.» In diem vivere* esset temere ac fortuito vitam peragere. Hand Turs. III. p. 343: «Bentleius acute perspexit in his vv. intelligi «quocunque transacto die, quotidie.»

44. *polum*] Apud poëtas frequenter pro caelo, ut *axis.* — *Pater*] Od. 1, 34, 5: *Diespiter.* — *occupato*] tertiae est personae, non secundae pro *occupa*, ut ait Schol. Cruq., vel *occupabis*, ut Acron.

Quodcunque retro est, efficiet neque
Diffinget infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.

Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit et mea

54. *Pinnas* B, ut solet.

Verum secunda persona hominis esset stolide pervicacis adversus deum immortalium numen.

45. *sole puro*] Ex v. *occupato* ad haec vv. elice: «illustrato.» — *irritum*] «Non ita abolere poterit, ut omni effectu id careat, quod iam praeteriit.»

47. 48. *Diffinget*] «Diversam formam ei praebebit, prorsus illud immutabit.» — *Infectum (ungeschehen)* gradu aliquanto maius est quam *irritum (wirkungslos)*. Frequens apud poëtas sententia. Theognis 583: Ἀλλὰ τὰ μὲν προβέβηκεν, ἀμήχανόν ἐστι γενέσθαι Ἀργά. Pind. Olymp. 2, 15. Simonides p. 115. Schn.: Τὸ γὰρ γεγεναμένον οὐκέτ' ἄρεκτον ἔσται. Agathon apud Aristot. Eth. 6, 2: Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. Plin. H. N. 2, 7: Deus *nullum* habet *in praeterita ius praeterquam oblivionis*. — *hora vexit*] «avexit, abstulit, velut in praeteriti temporis voraginem demersit»; non, ut alii volunt: «advexit, attulit»; quo non quadrat v. *semel*, *ein für allemal*, ut Od. 1, 24, 16.

49. 50. *saevo-negotio*] «munere, quo fungitur, omnia sine ulla clementia ac saepe crudeliter administrandi, formandi rursusque immutandi.» — *laeta*] De fortuna Boëth. Cons. Phil. 2, 1: *gemitus dura quos fecit, ridet; Sic illa ludit, sic suas probat vires.* Dante Inferno 7. memoratis mortalium de Fortuna querimoniis: *Ma ella s'è beata, e ciò non ode; Con l'altre prime creature lieta Volve sua spera, e beata si gode.* — *ludere pertinax*] in prosa or. «pertinaciter ludens.» *Ludum ludere* dixerat iam Terentius Eunuch. 3, 5, 38. Palladas in Anth. Pal. II. 304: Παίγνιόν ἐστι Τύχης μερόπων βίος, οἰκτρός, ἀλήτης, Πλούτου καὶ πενίης μεσσόθι ῥεμβόμενος. Καὶ τοὺς μὲν κατάγουσα πάλιν σφαιρηδὸν ἀείρει, Τοὺς δ' ἀπὸ τῶν νεφελῶν εἰς Ἀΐδην κατάγει. Iuvenal. 6, 608: *Secretumque sibi mimum parat* (Fortuna).

53. 54. *manentem*] Exstat nummus Commodi rarior, in quo figura muliebris sedet, dextra equum capistro retinens, sinistra cornu copiae cum epigraphe: *FORTVNAE MANENTI.* — *Pennas*] Aeschyl. apud Stob. Ecl. phys. I. p. 200. de Fortuna: Ἅ τε χάρις λάμπει Περὶ σὰν πτέρυγα χρυσέαν. Cfr. Voss *mythol. Br.* II. p. 41. — *resigno*]

Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces

60. *Syriaeque* c. (non BbS.)

Epp. 1, 7, 34: *Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno.* «*Resignare* antiqui pro *rescribere* ponebant, ut adhuc *subsignare* dicimus pro *subscribere.*» Festus. *Rescribere* autem est scriptum debiti liberare, debitum solvere per scripturam *(Anweisung auf einen andern).* Incertus apud Plut. de Tranquill. Vol. 7. p. 855. R: Ἡδὺ μὲν ἄν τι φέρῃς, ὀλίγον δ' ἄχος, ἢν ἀπολείπῃς. Seneca de Tranq. 14: *Quandocunque autem reddere iubebitur, non queretur cum Fortuna, sed dicet, Quia imperas, cedo gratus libensque. Si quid habere me tui volueris, etiamnunc servabo: si aliud placet, ego vero factum signatumque argentum, domum familiamque meam reddo, restituo.*

55. *Virtute me involvo*] «veluti pallio; certum praesidium eam mihi paro.» Plato de Rep. 5, p. 457. A: ταῖς τῶν φυλάκων γυναιξίν, ἐπείπερ ἀρετὴν ἀντὶ ἱματίων ἀμφιέσονται κτλ. Cic. ad Fam. 9, 20: *litteris me involvo.* Athen. 7. pag. 281. de Dionysio Heracleota, qui ex stoa in Epicuri hortos migrarat: ὃς ἄντικρυς ἀποδὺς τὸν τῆς ἀρετῆς χιτῶνα ἀνθινὰ μετημφιάσατο.

56. *sine dote*] Opes significat, quibus Fortuna veluti dotat eum, cui favet. Imago autem ab eo ducitur, quod virginem indotatam sibi fingit honestam paupertatem. Petron. 84: *bonae mentis soror est paupertas.*

57. 58. *Non est meum*] «non est meae indolis meique moris; a mea dignitate abhorret.» Plato Alcib. I. p. 106. B: οὐ γάρ ἐστι τοιοῦτον τὸ ἐμόν. Plaut. Asin. 1, 3, 38. AR. *Non meum est.* CL. *Nec meum quidem edepol.* Tac. Ann. 6, 8: *non est nostrum - - aestimare. — mugiat*] «strideat, fragorem edat ab Africo fractus.» Od. 1, 14, 5. *malus - - Antennaeque gemant. — miseras*] «humiles, quae dedecori sunt illi, qui eis utitur.»

59. 60. *Decurrere*] Virg. Aen. 5, 782: *preces descendere in omnes*, quod frequentius est. — *votis pacisci*] «mercatorum more votis transigere cum dis, ne naufragio facto pretiosae merces in mari pereant»; id quod poëtice exprimit revocatis in mentem thesauris in perpetuum demersis. Seneca Quaestt. nat. 4, 7: *Negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur et tempestates munusculis redimat. — Tyriaeque*] al. *Syriaeque.* Sane a librariis notius voc. substitutum est rariori.

61. 62. *avaro*] Od. 1, 28, 18: *avidum mare.* — *Tunc* recepi partim propter gravissimam auctoritatem Codd. Bb., partim propter ingratum sonum *Tum - tutum*; (Sanadonus volebat: *Dum - - ferat.*) «tunc igitur, id est, tali in periculo, dum alii ad vota descendunt.» Plin. H. N. 8, 40: *Tum praecipuus votorum locus est, cum spei*

Addant avaro divitias mari:
Tunc me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret geminusque Pollux.

62. *Tunc* Bb, Comm. Cruq., Pott. 1, 7, 8, 9., LCtF: *Tum* Sc, Bentleius «e libris melioribus», MJ. — 64. *ferat* ξ,χ «duo», Bentleius. (Ut nos, nostri.)

nullus est. — «Adeo tutus sum, ut vel in summis vitae discriminibus tranquillo atque aequo animo adspecturus sim fortunarum mearum interitum.» Iam hoc per imaginem cum priore illa mercatoris arcte connexam ita exprimit: «Conscensa exigua cymba, qualis navi onerariae annecti solet, me cet.» — *biremis*] h. l. proprie, «quae duos habet remos, uno a remige propulsos, Ciceronis de Or. 1, 38, 174: *duorum scalmorum navicula, σκάφος δίκωπον*», non, ut frequentius, de duplici remorum ordine. — *scaphae*] *pirogue.* Cic. ad Att. 10, 10, 5: *Ego vero vel lintriculo, si navis non erit, eripiam me ex istorum parricidio.* — Frequens autem vitae cum navigatione comparatio. Plato Phaedon. 85. D: *ἐπὶ τούτου (τοῦ λόγου) ὀχούμενον, ὥσπερ ἐπὶ σχεδίας κινδυνεύοντα διαπλεῦσαι τὸν βίον.* Plutarch. de tranq. an. 17: *Ἐάν τις ἔξωθεν ἀρχὴ πάθους ὥσπερ διαδρομὴ γένηται σπιλάδος, εὐσταλεῖ καὶ κούφῃ κεραίᾳ παρήγεγκεν, ὥς φησιν Ἀσκληπιάδης.*

63. *Aegaeos*] Himerius Ecl. 13. p. 210. W. de tabula picta: *Γέγραπται δὲ οὔτε ἀπηνής τε καὶ ἄγριος οὐδὲ εἰς αὐτὰς ἐγείρων νεφέλας τὰ κύματα, οἷα τὰ πολλὰ Αἰγαῖος κατὰ τῶν ἐκεῖ πλωτήρων θρασύνεται, ἀλλ' ἐστόρεστο εἰς γαλήνην.*

64. *Aura*] «Lenis aura et secunda, quam Castores propitii mihi mittent, cursui meo favebit eo ipso tempore, quo ceterum mare Aegaeum saevis procellis exagitatur.» Monui propter scholasticum, qui coniecit: *Astra ferent.* — Aurae Quinto Smyrnaeo 1, 682. sunt *θοαὶ Βορέαο θύγατρες.* — *feret*] Longe melius futurum summam sui fiduciam exprimit quam Bentleii optativus *ferat.* — *geminusque Pollux*] «Pollux cum fratre Castore»; Castores, ut Latini dicebant, *Διόσκουροι* navigantibus propitii.

EXCURSUS

Ad v. 27 sq.

De Seribus multi multa disputarunt quae omnia percensere non libet. Praeter ceteros nuper de iis accurate et sagaciter disseruerunt duo viri clarissimi C. Ritter *Erdkunde v. Asien* VI. 1. pag. 692 sqq. et Lassen *Indische Alterthumskunde* I. pag. 320. annot. 2. Ritter l. l. pag. 693:

Es ist irrig, dass der Name der Seren erst zu Kaiser Augusts Zeit bekannt worden sei und Strabo ihn noch nicht erwähne; denn schon Ktesias nennt die Σῆρες Fragm. XXX. Indica ed. Lion p. 244. (sed cf. Lassen l. l.), *und Strabo spricht an drei verschiedenen Stellen von den Seren:* XI, 516. VI. 704 *und* 702., *an einer von dem Gewebe* Sericum XV. 693; *aber allerdings wissen sie beide fast gar nichts von ihnen als Fabeln zu berichten.* — Lassen l. l.: *Seren ist kein geographischer, sondern ein merkantilischer Name; die Völker nannten sich selbst so nicht, sondern hiessen so wegen ihrer Hauptwaare, der Seide, bei den westlichen Völkern. In diesem Sinne rechtfertigt sich auch die von Klaproth aufgestellte Erklärung des Namens der Seren aus der des Wurmes, σήρ aus dem Chinesischen* kek *oder* szu *mit weggelassenem* r (Ritter l. l. 709 «*weil die Mandarinensprache das* r *nicht ausspricht*»), *welches im Koreanischen* sir, *Mongolischen* sir-kek, *u. s. w. erhalten ist. Denn die Völker nannten sich selbst gewiss nicht Seidenwürmer.* Ipsorum propria nomina (nam plures gentes Seres appellatos esse verisimile est) non satis certa sunt; unum tamen *Kankarum* Lassen ex Mahâbhâr. feliciter eruisse videtur (*«Bewohner des östlichen Tübets»* l. l. p. 851.). Ritter l. l. pag. 694: *Ueber ihr ethnographisches oder geographisches Verhältniss lernen wir von ihnen (Ktesias, Strabo), wie auch von Horatius, Pomponius Mela und allen andern ihren Zeitgenossen nur im Allgemeinen, dass sie mit den Indern den äussersten Osten bewohnen. Erst seitdem Plinius, Ptolemäus, Agathemeros die Inder von den Scythen und hinter ihnen die Seren von den Thinen (Süd-Chin, nämlich Tsinitza bei Kosmas* Indicopl., *oder Tsinistan) unterscheiden, lässt sich mit Entschiedenheit annehmen, dass unter den Seren die Bewohner des nördlichen China oder Katai gemeint sind, und dass hier das* Serica *der Alten bis weit im Westen zu den Skythen oder Massageten in* Scythia extra Imaum *schon in sehr alter Zeit zu suchen ist.* Sed his addenda sunt, quae scripsit Kiepert *Erörterungen zum geographisch-historischen Atlas der alten Welt* p. 190: *Denn für die grössere Wahrscheinlichkeit der viel südlichern Ansetzung (von* Sera) *im jetzigen Tübet entscheidet sowohl die südöstliche Richtung, in der* Sera *von Issedon aus bei* Ptol. *gesetzt wird, als die von demselben in der Umgebung* Sera's *angeführten Namen der Landschaft Ὀττοραχόρρα und des Flusses Βαύτης mit den Βαῦται; es erhellt daraus, dass die Griechen ihre Nachrichten über* Serica *meist von Indien aus erhielten.*

De Bactris prae omnibus consulendus est Lassen *Ind. Alterthk.* II. p. 277 sqq.

CARMEN XXX.

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis

XXX. Inscr. volg. *Ad Melpomenen*, et sic BS. (S addit *pragmatice.*) — *Dicit se apotelesmatice scriptis suis semper victurum* c ac similiter b.

Od. XXX. Simplicissime huius carminis argumentum exponi potest Sapphus versu Fr. 46. Neue. Bergk. p. 608: *Μνάσασθαί τινά φαμι καὶ ὕστερον ἀμμέων.* Antiquissima fortasse huiuscemodi de propria immortalitate vaticiniorum exempla exstant apud Theogn. v. 19 sq. et 237. Bekk., neque abhorret comicum Philoxeni testamentum apud Machaonem, Athen. Deipnos. 8. p. 344 c: *Τοὺς διθυράμβους σὺν θεοῖς καταλιμπάνω Ἠνδρωμένους καὶ πάντας ἐστεφανωμένους, Οὓς ἀνατίθημι ταῖς ἐμαυτοῦ συντρόφοις Μούσαις, Ἀφροδίτην καὶ Διόνυσον ἐπιτρόπους.* Cfr. item Luciani Imagg. 23. Prop. 3, 1, 35: *Meque inter seros laudabit Roma nepotes.* 3, 2, 23. de poëmatis suis: *At non ingenio quaesitum nomen ab aevo Excidet: ingenio stat sine morte decus.* Ovid. Am. 1, 15, 41: *Ergo etiam cum me supremus adederit ignis, Vivam parsque mei multa superstes erit.* Met. 15, 871. (Kirchner et Grotefend *Schriftst. Laufb. des Horatius* p. 31. hoc carmen ad a. u. c. 736., contra Franke F. H. p. 497. ad a. 730. refert. Totum hac de discrepantia iudicium pendet ab Od. 1, 3. carmine ad navem Virgilii.)

1. *Exegi*] «absolvi, perfeci», ut patet ex Ovid. Met. 15, 871: *Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignes Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.* Prop. 3, 1, 8: *Exactus tenui pumice versus eat.* Non est, ut alii volunt: «in altum eduxi.» — *aere*] «aereis statuis titulisque aeri incisis.»

2. *situ*] «constructione, mole; pyramidibus maximo sumptu ab Aegypti regibus exaedificatis.» — *altius*] quatenus gloriosius est ingenii quam opum monumentum. (Pyramidum maxima alta esse dicitur pedes CCCCLIV.)

3. *imber edax*] «compagem saxeam paullatim solvens, aes arrodens, inducta aerugine.» Pindar. Pyth. 6, 7: *Ἑτοῖμος ὕμνων Θησαυρὸς ἐν πολυχρύσῳ Ἀπολλωνίᾳ τετείχισται νάπᾳ· Τὸν οὔτε χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθών, Ἐριβρόμου νεφέλας Στρατὸς ἀμείλιχος, οὔτ' ἄνεμοι ἐς μυχοὺς Ἅλὸς ἄξοισι παμφόρῳ χεράδι Τυπτόμενοι.* (Virg. Aen. 2, 758: *ignis edax.* Simonides Bergk p. 774: *χρόνος ὀξὺς ὀδόντας Πάντα καταψήχει καὶ βιαιότατα.* Curtius 4, 8, 8: *nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undae.)* — *impotens*] «sui; sibi non tempe-

Annorum series et fuga temporum. 5
Non omnis moriar multaque pars mei
Vitabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.

rans», id est, «vehementer saeviens.» Epod. 16, 64: *nullius astri - aestuosa - impotentia.*

5. 6. *fuga temporum*] Od. 2, 14, 1: *fugaces - - anni.* — *Non omnis*] Seneca Troad. 382: *An toti morimur, nullaque pars manet Nostri? — multaque pars mei*] «ingenii mei monumenta.»

7. 8. *Libitinam*] «Venus Libitina, dea funerum (cfr. Dionys. Hal. 4, 15.) metonymice pro morte. — Adv. *usque* iunge cum v. *crescam*, «semper crescam»: non: *usque recens*; qua significatione *usque* non iungitur nisi cum verbis; nec vero *usque dum scandet*, quae ratio foret pedestris orationis. — *postera-laude*] in prosa or. «posterorum, posteritatis.» — *Crescam*] «magis magisque agnoscent futurae aetates laudes meas poëticas meque honore persequentur.» Prop. 3, 1, 33: *Nec non ille tui casus memorator Homerus Posteritate suum crescere sensit opus.* — *recens*] «nunquam neglectus, quia memoria mea semper *recens* atque indelebilis manebit.» — *dum Capitolium*] Artissime haec iunguntur cum praecedentibus: *usque - - recens*; neque vero cum recenti interprete ita dissecari vel potius dilacerari possunt: *recens; dum Capitolium - - pontifex, Dicar* cet. — «Quamdiu pontifex maximus cum pontificum collegio et virginibus Vestalibus religiosum silentium tenentibus diebus festis in aedem Iovis Capitolini sollemni pompa ascendet; hoc est, «in sempiternum»; cum enim Roma *Urbs aeterna* civibus suis esset, sacra publica nunquam exstinctum iri iis persuasum erat. *Κυριωτέρως* et ut epicum poëtam decebat Virg. Aen. 9, 448: *Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum Accolet imperiumque pater Romanus habebit.* Ovid. Trist. 3, 7, 51: *Dumque suis victrix omnem de montibus orbem Prospiciet domitum Martia Roma, legar.* Cassius Dio Excerpt. Vatic. p. 154: *Σιβύλλης χρησμὸς ἐφάσκετο Καπιτώλιον κεφάλαιον ἔσεσθαι τῆς οἰκουμένης μέχρι τῆς τοῦ κόσμου καταλύσεως.* (Ceterum illa *Urbis aeternae* pro *Roma* denominatio dumtaxat apud poëtas reperiri videtur (Tibull. 2, 5, 23.), tum exstat in posterioris temporis nummis atque inscriptionibus, ut in ea quam dedi Vol. II. N. 3694: *VRBI. ROMAE. AETERNAE.* Cfr. Osann in Zimmermanni *Zeitschr.* 1837. p. 404.)

9. *Scandet*] Varro L. L. 5, 47. p. 49. Müll.: *caput Sacrae viae, quae pertinet in Arcem, qua sacra quotquot mensibus* (Idibus) *feruntur in Arcem.* — *tacita Virgine*] «Vestalibus venerabunde ac tacite incedentibus.» Ipsae enim silentium servabant, cum hymnos cantarent chori puerorum puellarumque patrimorum et matrimorum. Nec vero cum nonnemine *tacitam virginitatem* Statii Theb. 2, 232. huc trahas. Vestalium imagines vide in Millin *Gal. m.* 79, 332. Gerhard *ant. Bildw.* T. XXIV. — *pontifex*] Pontificem maximum

Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos

12. *Regnator* bc,C. *(Regnavit* BS, Bland. tres, $\gamma\xi$ et pr. $\varkappa$, Pott. octo.) M iungit: *Regnavit populorum ex humili potens* (Daunus).

Vestae *sacerdotem* vocat Ovid. Fast. 3, 699.

10. *Dicar*] «Grato animo memorabunt posteri, me, hominem Venusinum, primum Sapphus et Alcaei poësin lyricam Latine aemulatum esse.» Sic enim ordinanda verba, ut recte iam Acron: *Dicar princeps Aeolium carmen ad Italos modos deduxisse*, (ibi natus) *qua* (ubi) *Aufidus obstrepit*; non vero: «ibi, ubi Aufidus fluit, dicar,» id est, «Venusini, municipes mei, me laudibus celebrabunt, ut primum poëtam lyricum Latinum.» Natale enim solum Horatio nimis angustus gloriae finis fuisset. — *violens*] Rarior forma pro *violentus*. Apul. Met. 6. p. 710. Oud.: *violentes aquae*, ubi ego (in Amore et Psyche), item Hildebrand: *nolentes*. *Acrem* vocat Sat. 1, 1, 58. Od. 4, 9, 2: *Longe sonantem natus ad Aufidum*, qui locus egregie firmat nostram interpretationem. Cfr. de Aufido, hodie *Ofanto*, etiam Od. 4, 14, 25. Silius 8, 630: *fundoque imo mugivit anhelans Aufidus.* — *obstrepit*] accolis; «magno cum sonitu undas suas volvit,» ut etiamnunc facit.

11. *pauper aquae*] Daunum, fabulosum Apuliae regem, ipsum vocat *pauperem aquae*, pro regione eius imperio subiecta. Ovid. Met. 14, 510: *Iapygis arida Dauni Arva.* (De Dauno cf. Heyne ad Aen. 11, 247.)

12. *Regnavit populorum*] «incolarum eius tractus rex fuit, $\tilde{\eta}\varrho\xi\varepsilon$ $\lambda\alpha\tilde{\omega}\nu$,» constructione graeca. *Regnator* est glossema. Mire Monich construit *qua agrestium populorum*, id est, ut ait, «qua agrestium populorum regione Daunus regnavit.» — *ex humili potens*] «Ego humili loco natus ingenii mei ope ad eam vitae condicionem perveni, qua satis nobilis ac felix mihi esse videor.» *Potens* audacius pro eo, quod est apud Salustium (Cat. 53.) de Catone: *clarus atque magnus habetur*, quamvis sine externa potentia. Et prorsus sic *potentes vates* dixit Od. 4, 8, 26. Gloriatur ergo se, *libertino natum patre et in tenui re* (Epp. 1, 20, 20.), ad tantam studiorum claritatem pervenisse. Cfr. etiam Od. 2, 20, 5: *Non ego pauperum Sanguis parentum* cet. Propert. 2, 10, 11: *Surge, anima, ex humili* cet. (Recte accepit iam Petrarca in Ep. ad Horatium v. 5: *Quem sumpsit proprium Thybris ab Aufido, - - Nec fuscam atque humilem sprevit originem.* Bentleius contra de Dauno interpretatur, «qui (Illyricae gentis clarus vir, auctore Festo; cfr. Od. 1, 22, 14.) primus apud Apulos regnum capessivit, et proinde ex homine privato princeps, ex exsule tyrannus, *ex humili potens* est factus.» Sed, ut taceamus, spiritus, quos sumit Horatius per totum hoc carmen, longe melius convenire nostrae expositioni, vel duplex $\grave{\varepsilon}\pi\iota\theta\varepsilon\tau o\nu$ uni Dauno datum argutaque $\grave{\alpha}\nu\tau\iota\theta\varepsilon\sigma\iota\varsigma$, quae inde nascitur, poëta minus digna nobis certe videtur. Intolerabilis autem tertia

Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

15. *Delphia* δ ap. Kirchn. N. Q. Hor. p. 56.

est constructio nuper a nescio quo commendata: *qua regnavit Daunus, ex humili potens populorum.*

14. *Deduxisse*] «transtulisse, primum ausum esse in poësi Latina uti lyricis Graecorum metris.» Paucissimis enim ei veluti praeluserat Catullus. (Noli autem nescio qua perversa inversione explicare, vel, quod etiam peius est, transpositionem proponere (Zimmermanni *Zeitschr.* 1840. p. 1016.): *Aeolios modos carmen ad Italum.* Sed est, Latinis verbis ita imitari metra Graecorum lyrica, ut nusquam violetur, sed perpetuo Latina syllabarum quantitas vocum, atque in omnibus sincera Latinae poësis servetur indoles, id quod effecit Horatius.) — *Sume*] «Assume, o Musa mea, *(Melpomene,* ut Od. 4, 3, 1.) spiritus iustos, quippe ingenio meo convenientes, *et Delphica* cet.», id est, dempta imagine: «fac, ut omnes facultatem poëticam, cuius mihi conscius sum, ultro agnoscant.»

15. 16. *Delphica Lauro*] *Apollinarem* dicit Od. 4, 2, 9. — *volens*] Verbum sollemne in precibus. Servius ad Aen. 1, 734: *Sic enim dicunt:* «Volens propitiusque sis.» Cato R. R. 142: *Mars pater, te precor quaesoque, uti sies volens propitius mihi, domo, familiae* cet. Liv. 7, 26: *Precatus deinde, si divus, si diva esset, qui sibi praepetem misisset, volens propitius adesset.*

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

Intermissa, Venus, diu
Rursus bella moves? Parce, precor, precor.
Non sum qualis eram bonae

I. Inscr. volg. *Ad Venerem.* — *Allegoricos a se affirmat ex intermisso scribi carmina ad Venerem* B. — *Ad Fabium Maximum* bc.

1. Respondet, ut ita dicam, Libri 3. carmini 26. «Cum diu liber fuissem ab amoribus, rursus tu, Venus, me impugnas novumque amorem mihi inspiras, et quidem Ligurini.» Sappho Bergk p. 609: *Ἔρος δηὖτέ μ' ὁ λυσιμέλης δόνει* (Schneidew. *δονεῖ*). Neutiquam vero hoc dicit, sese renuntiare iam poësi atque Paullo tradere suam lyram, ut contendit novissimus interpres. Ceterum cfr. Archilochi Fr. 72., Alcmanis Fr. 17., Ibyci Fr. 2. (Compositum est carmen inter annos 739 – – 744, v. Franke p. 207. Ad a. 738. refert Grotefend.)

1. 2. *Intermissa*] V. *intermissa* post Stephanum Bentleius rursus recte rettulit ad v. *bella*, cum plerique iunxissent *intermissa Venus*. — «Post *moves* non punctum sed interrogandi signum ponendum est. Etenim poëta narrat rem, quae certa quidem et in facto posita est, sed praeter exspectationem tamen accidit. Miratur igitur tale quid fieri potuisse, cum aetate iam provectior sit. Eadem ratio est Od. 1, 28, 6. 29, 5. Epp. 1, 1, 3. 2, 3, 382.» Iahn. — *bella* autem ex frequenti similitudine in amoribus; unde etiam Agathias Anth. Pal. I. p. 177: *Κύπρι τροπαιοφόρε.* — *Parce*] Conf. Od. 2, 19, 7.

3. 4. *Non sum qualis*] Epp. 1, 1, 4: *Non eadem est mens, non aetas.* Cfr. Od. 3, 14, 27. — *bonae Sub regno*] «quae tam mite amoris imperium in me exercebat.» *bonae*, i. e. «probae, in me minime avarae, neque munera captantis.» Tib. 2, 4, 45: *At bona, quae nec avara fuit* cet. Cfr. imprimis Epp. 1, 14, 33: *Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci* (adversus alios amatores, erga me *bonae*). Non potest

Sub regno Cinarae. Desine, dulcium
Mater saeva Cupidinum,
Circa lustra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis: abi,
Quo blandae iuvenum te revocant preces.
Tempestivius in domum

4. *Cynarae* Aldus, LCt. — 9. *domo* BbS,LCt. *(domum* c, *βκξω,χ* duo et octo Pottierii, item Bentleius.)

significare nec «pulchrae», ut volt Ruhnkenius ad Ter. Phorm. 1, 2, 57., nec «vita defunctae», ut opinatur HP. — *Cinarae*] Hoc inter tot amicarum ficta nomina (Lyde, Lydia, Lalage, Pholoë, Glycera, cet.) verum est nomen libertinae ab Horatio aliquando ex animo amatae, cuius gratam mentionem fecit etiam Od. 4, 13, 21 sqq. Epp. 1, 7, 28. 1, 14, 33., nec tamen unquam singulari carmine eius laudes celebravit, vel propter hoc ipsum, quod vera erat persona: talem autem ex meretricum libertinarum turba ipsius nomine celebrare nimis fuisset ridiculum. (Eandem fuisse arbitratur et cum Glycera et cum Lalage Weber *Horaz* p. 87., ut in hisce amoribus solent indulgere opinabilibus recentiores interpretes. Ceterum scripturam *Cynara* idem praefert p. 88. Cfr. Estré Hor. Pr. p. 523. Alteram firmant Codd. mei antiquissimi. *Κινάρα* autem s. *κννάρα*, *Artischokke.)*

5. 6. *Mater*] Versiculus Od. 1, 19, 1. hic consulto repetitur. Philostrato Imagg. 1, 6. p. 383. K. Cupidines praeter caelestem illum Nympharum sunt filii. — *Circa*] «Propinquitatis notio transferri ad tempus coepit seculo Augusti. Notatur vero hoc modo tempus proximum.» Hand Turs. II. pag. 64. — *lustra decem*] Quinquagenarius iam erat Horatius a. u. c. 739.

7. *durum*] «tenerorum sensuum iam minus capacem.» In variatione ac velut oppositione *ἐπιθέτων saeva — mollibus* haeserunt interpretes nonnulli. Verum v. *saeva* opponitur dumtaxat v. *dulcium*; cum per se dulces sint amores, suam saevitiam atque amaritudinem iis immiscet Venus; contra v. *durum* opponitur vocabulo *mollibus*; talibus enim imperiis nunc uti necesse est deae, si allicere volt minus iam pronum ad amores. Tota autem imago repetita est ab equitatione; equis enim os aut *durum* aut *molle* tribuitur, prout vel aegre vel facile freno *flectuntur*, reguntur. — *revocant*] «a me ad se (retrorsum) vocant, ubi tibi aptior locus quam apud me.» Non est, ut alii volunt, «iterum vocant», neque, ut rursus alii, simpliciter pro *vocant* positum.

9. 10. *Tempestivius*] «opportunius ac decentius.» — *in domum*] «Sic legendum, non *domo*, vel propter illud *ales oloribus*, quod motum in locum significat. Theocr. 3, 1: *Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα.*» HP. in Bibl. crit. n. II. p. 41. — *Paulli*] Cum vocetur *puer*, vix fieri potest, ut sit Paullus Fabius Maximus, apud Augustum

Paulli, purpureis ales oloribus,
Comissabere Maximi,
Si torrere iecur quaeris idoneum:
Namque et nobilis et decens
Et pro sollicitis non tacitus reis
Et centum puer artium
Late signa feret militiae tuae,

10. *porphyreis* Cruquius.

valde gratiosus (Seneca Controv. 2, 12.) et consul a. u. c. 743., tempore igitur, quo hoc carmen compositum est, circiter quadragenarius. Equidem reor significari eius filium, quem ut fidelissimum sibi etiam in exsilio amicum crebro laudat Ovidius. Cfr. Bianconi *Lettere sopra Celso* p. 129. — *purpureis*] *purpureum* nonnunquam appellatur quod candet splendore, ut cum Pedo Albinovanus 2, 62. *nivem purpuream*, Lactant. de Phoenice 74. *flores aeterno veris honore rubentes* vocant; et figurate Virg. Aen. 1, 590: *lumenque iuventae Purpureum*. Sic etiam Graeci de quovis nitore usurpant. Pind. Nem. 11, 28: *ἐν πορφυρέοις ἔρνεσιν (ἐλαίας)*. *Candere* item de cocco Sat. 2, 6, 102: *rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos*. (Cf. Lucas *Quaestt. lex.* p. 206.) — *ales*] Alae non ipsi quidem Veneri tribuuntur, sed quadriga alitum (olorum) per aërem dea vehitur. Cf. Od. 3, 28, 15.

11. 12. *Comissabere*] cum Cupidinum comitatu. Quod faciunt iuvenes amore incitati, hic deae tribuitur. (Ceterum *comissari in domum* in prosa or. *comissatum ire*. Liv. 40, 7: *Quin comissatum* (e convivio) *ad fratrem imus?*) — *iecur*] sedes amoris ex antiquorum opinione. Cfr. Od. 1, 13, 4: *Fervens - - iecur*. (Aeschyl. Choëph. 272: *ἦπαρ θερμόν*.) Od. 1, 25, 15. Epp. 1, 18, 72. — *torrere - quaeris*] Vid. ad Od. 3, 24, 27. «Si tibi libet animum adolescentis alicuius, qui amori aptus sit ac facile tibi obsequatur, amore accendere.» Noli construere cum aliis: *si quaeris idoneum torrere* (quod torreas) *iecur*.

13. 14. *nobilis*] Ad hunc ipsum Fabium, ut videtur, Ovidius ex Ponto 1, 2, 1: *Maxime, qui tanti mensuram nominis imples Et geminas animi nobilitate genus; Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti, Non omnes Fabios abstulit una dies.* — *decens*] «formosus.» — *non tacitus*] «eloquens causarum patronus», ut Pollio Od. 2, 1, 13: *Insigne maestis praesidium reis*.

15. *centum puer artium*] «quam plurimis bonis artibus instructus iuvenis, *πάντεχνος*.» Cic. pro Rosc. Am. 41. *κατ' εἰρωνείαν*: *inter suos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos*. Catull. 12, 8: de Pollione adolescentulo: *leporum Disertus puer et facetiarum*. Viginti circiter annorum adolescentulum tunc fuisse arbitratur Walckenaer II. pag. 334. Ad formulam *centum* cfr. Plaut. Pseud. 2, 3, 12: *centum doctum hominum consilia*.

16. *Late signa*] «Sub te militans

Et, quandoque potentior
Largi muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
Ponet marmoream sub trabe citrea. 20

Illic plurima naribus

18. *Largis* bSc,LCtFJ. *(Largi* B,λψ, corr. *β*, item Pottierii 1, 7, 8, 17. Praetulit etiam Bentl.) — 20. *citrea* B, Bland. antiquiss., Pottierii 1, 7, 8., Comm. Cruq., LC et Bentleius, varietate haud memorata: *Cypria* bc,tFM, *Cyprea* S, item *γδ* ap. Kirchn. N. Q. Hor. p. 36. 56. (Ut nos, J.)

(ex solita illa imagine Od. 3, 26, 2.) efficiet, ut victricia tua arma ubique celebrentur proferaturque imperium tuum.»

17. 18. *Et, quandoque*] «Et quandocunque rivalem etsi largiora munera amicae offerentem proprio et decore et ingenio vicerit apud eam adeoque illum deriserit» cet. Iunge *potentior muneribus*, «quam munera», non cum aliis *riserit muneribus*. — *Largi - - aemuli* praefero ex auctoritate Cod. antiquiss. B. Sic constructio quoque fit elegantior atque Horatio dignior. Quin etiam hoc longe acerbius: «Nihil habet aemulus, cur praeferatur, praeter divitias tantummodo, quas identidem large profundit, sed frustra; tu enim eum vincis et forma et nobilitate et facundia.» (v. 13 sq.) Atque facilius accommodabatur adiectivum ad proximum nomen quam ad longinquius.

19. *Albanos - - lacus*] Ubi contuleris delineationem illius tractus apud Nibbyum *Viaggio* II. p. 33., videbis quattuor lacus ibi antiquitus sibi proximos fuisse, ita, ut quasi quadrangulum efficerent. Sunt 1) lacus Albanus proprie dictus; 2) lacus Nemorensis; 3) *Laghetto*, sine nomine proprio; 4) *Lago, oggi Valle Aricina*. In ea igitur regione videtur Maximus villam habuisse. Parietinas Nymphei et delubri prope lacus Albani emissarium etiamnunc superesse testatur Bianconi *Opere* I. pag. 190. Sed villae horum Maximorum, ut volt ille, has esse reliquias quis praestabit?

20. *trabe*] «trabibus, contignatione, tholo.» — *citrea*] Hanc lect. Cod. B praetuli. Vereor, ne *Cypria* orta sit ex illa longe diversa *trabe Cypria* Od. 1, 1, 13., nec magnopere placet *deam Cypri* locari *sub trabe Cypria*. Verum appellare licet etiam Plinii locum H. N. 13, 16., ubi de citro inter alia haec leguntur: *Theophrastus - - magnum iam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes quandamque immortalitatem materiae in tectis contra vitia omnia incorruptae*. Minime igitur audiendi sunt partim ii, qui de laminis tantum citreis, quibus inductae sint trabes, interpretantur, partim qui ex ipsa historia naturali et cedri et citri lect. *Cypria* probatum iverunt. Iis autem, qui hoc praeferunt, ante omnia probandum erit *Cypriam* trabem sic nude dici pro *cedrina*, maxime cum Libanus, Syria, Creta magis etiam quam Cyprus cedris abun-

Duces thura, lyraeque et Berecyntiae
Delectabere tibiae
Mixtis carminibus non sine fistula;
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes pede candido
In morem Salium ter quatient humum.

22. 23. *lyraeque et Berecyntiae - tibia* (sic) S, *lyraque et Berecyntia - tibia* «Codex Cruquii Blandinius omnium vetustissimus cum Lambini quibusdam et Bersmanni uno», C et Bentleius. — 28. *qualiunt* BbS, *βγ* (teste Kirchnero p. 36.) κ. (non c.)

darint. Una cedrus Cypria immensae magnitudinis memoratur a Plinio H. N. 16, 40.; Strabo autem 14. extr., ubi de Cypri silvis verba facit, nihil tradit de cedris. Ceterum de *ligno citreo* ante omnes consulendus est Mongez *Acad. des Inscr. N. S.* III. p. 31., qui demonstratum ivit fuisse *iuniperum Hispanicam*; alii vocant *thyian cypressoeiden*; certe non est *malus Medica*. — Omnino cogitandum (ut in Virg. Catal. 6, 5. Georg. 3, 13.) de templo ex libera poëtae *φαντασίᾳ* exstruendo, in quo quaelibet vel pretiosissima materia poëtico luxu large profundi potest.

21 - 24. *Illic*] «Illic assidue coleris; plurimi tibi adolebuntur odores; semperque lyrae, tibiae Berecyntiae (quae proprie est Matris deûm magnae, a Berecynto, Phrygiae monte), fistulae (ut Od. 3, 19, 20.) cantus mixtus resonabit.» De toto Veneris cultu cfr. Empedoclem apud Athen. 12, 1. p. 510 d: *Κύπρις βασίλεια· Τὴν οἵ γ' εὐσεβέεσσιν ἀγάλμασιν ἱλάσκονται, Γραπτοῖς δὲ ζώοισι, μύροισί τε δαιδαλεόδμοις, Σμύρνης τ' ἀκρήτου θυσίαις λιβάνου τε θυώδους, Ξανθῶν τε σπονδὰς μελίτων ῥίπτοντες ἐς οὐδας.* — Ablativi *lyraque* cet. in Codd. aliquot, quibus volgaris constructio Horatianae substituitur, orti esse videntur dumtaxat ex prava accommodatione ad v. *delectabere*; unice recti dativi, ut Epod. 9, 5: *Sonante mixtum tibiis carmen lyra*. Utrobique *carmina* significant modos (Od. 3, 11, 7.), concentus horum instrumentorum, *συναυλίαν, τὴν αὐλῶν πρὸς λύραν κοινωνίαν*. (Athen. 14, 9.) De carminibus proprie dictis mox loquitur.

25. *Illic*] «Illic bis tibi singulis diebus ducentur chori, hymnos tibi canentes.» — *bis*] Tibull. 1, 3, 31: *Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia*, mane prima hora et vespere hora octava.

28. *In morem Salium*] ut Od. 1, 36, 12. adiectivum potius quam plur. pro *Saliorum*. Cfr. Varr. LL. 7, 1: *Salia carmina interpretatus est C. Aelius Stilo.* — *ter*] ut Od. 3, 18, 16. «*im Drittelschlag.*» Voss. — *quatere terram* de saltatione, ut *pulsare, pellere* terram. (Od. 1, 4, 7.) Eurip. Troad. 544: *Λίβυς τε λωτὸς ἐκτύπει Φρύγιά τε μέλεα, παρθένοι δ' Ἄέριον ἀνὰ κρότον ποδῶν Βοάν τ' ἔμελπον εὔφρονα.* Lucian. de Saltat. 16: *παίδων χοροί, συνελθόντες ἐν αὐλῷ οἱ μὲν ἐχόρευον, ὑπωρχοῦντο δὲ οἱ ἄριστοι.*

Me nec femina nec puer
  Iam nec spes animi credula mutui,
Nec certare iuvat mero,
  Nec vincire novis tempora floribus.

Sed cur heu, Ligurine, cur
  Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
  Inter verba cadit lingua silentio?

Nocturnis ego somniis
  Iam captum teneo, iam volucrem sequor
Te per gramina Martii
  Campi, te per aquas, dure, volubiles.

30. *animi nuntia mutui* Cod. Lips. quartus. — 37. *Nocturnis te ego s.* Lt. («Illud *te* non comparet in vetustis.» Bentl. neque in nostris. — *Nocturnis ego te s.* β,χ alter, Pott. quinque, *Nocturnis te s. κ.)* — 40. *volubilis* B.

30 - 32. *nec spes*] «Nec spes me iuvat cum persuasione coniuncta fore, ut mutuo amer ab ea, cuius amore captus sum.» — *animi - mutui*] Od. 2, 12, 15: *bene mutuis Fidum pectus amoribus.* — *certare - mero*] Epp. 1, 19, 11: *Nocturno certare mero.* — *vincire*] «in conviviis redimire caput corollis recentibus.»

33. 34. *Sed cur heu*] Vi tandem amoris victus fatetur se Ligurini amore incensum esse. Cfr. Od. 4, 10. — Imperite nuper quidam hoc nomen duxit a v. *ligurire*, in quo syll. *gu* producitur. — *rara*] «guttatim ac furtim decidit», ut fit in molliore animi affectu. Od. 1, 13, 6: *humor et in genas Furtim labitur.*

35. 36. *decoro*] Versus hypermeter est. Conf. ad Od. 3, 29, 35. — *Inter verba* cet.] Sic Dido apud Virg. Aen. 4, 76: *Incipit effari mediaque in voce resistit.* Epod. 11, 9: *amantem languor et silentium Arguit.* Sappho Bergk p. 600: Ὤς σε γὰρ Φίδω, βροχέως με φώνας Οὐδὲν ἔτ' ἴκει. Ἀλλὰ καμ μὲν γλῶσσα Fέαγε κτλ.

37. *somniis*] Meleager Anth. Pal. II. p. 488: Ἠδύ τί μοι διὰ νυκτὸς ἐνύπνιον ἁβρὰ γελῶντος Ὀκτωκαιδεκέτους παιδὸς ἔτ' ἐν χλαμύδι Ἤγαγ' Ἔρως ὑπὸ χλαῖναν.

39. 40. *per gramina*] «per caespitem.» (Ovid. Trist. 5, 1, 32: *Mollia quot Martis gramina campus habet.)* Iam solitas adolescentium exercitationes ludosque campestres memorat, cursum per Campum Martium et natationem in Tiberi. Cfr. Od. 3, 12, 7 sqq. — *dure*] Eundem *crudelem* vocat Od. 4, 10, 1. — *volubiles*] «a natante huc illuc facile pulsas.» Sic quidem explicant plerique; vide tamen ne sit potius aquarum generale ἐπίθετον, ut Epp. 1, 2, 42: *amnis - - volubilis.* Cf. Virg. Aen. 4, 357: *celeres - - auras.*

CARMEN II.

Pindarum quisquis studet aemulari,

II. Inscr. volg. *Ad Iulum Antonium.* — *Ad Iulum Antonium vetustiorum poëtarum veneratio* BbS. — *Ad Iulium* (sic) *de aemulatione vana* c.

II. Iulus Antonius, alter M. Antonii triumviri ex Fulvia filius, natus circiter a. u. c. 740., educatus ab Octavia maiore, benigna noverca, huius filiam Marcellam maiorem in matrimonium duxit. Tam gratiosus fuit apud Augustum, ut cum primum locum Agrippa, Liviae filii secundum tenerent, tertius esset ac numeraretur Iulus circiter a. u. c. 742., quo Agrippa mortem obiit. (Plut. Anton. 87.) Ornatus est a patris victore sacerdotio, praetura anno u. c. 744. (Dio Cass. 54, 26. Vellei. 2, 100.), consulatu, quem cum Q. Fabio Maximo Africano gessit anno u. c. 744. Nihilo tamen secius violavit domum Augusti, affinis sui, commisso cum Iulia adulterio a. u. c. 752. Insimulabatur id fecisse spe imperii occupandi. (Dio 55, 10.) Iulia in Pandatariam insulam relegata est; Iulus Augusti iussu se ipse interfecit teste Velleio l. l. Cfr. Seneca de Brev. vit. 5. Weichert de Vario pag. 342 seqq. Loebellii opusculum Germanicum de Augusti principatu pag. 235. (Raumer *historisches Taschenbuch* Bd. V.) — «Iulus Antonius heroico metro Diomedeas *(Διομηδείας)* duodecim libros scripsit egregios et prosa aliqua.» Acron. Antimachum igitur, ut opinor, imitari conatus est, quemadmodum, Arctinum secutus, in Aethiopide fecerat M. Furius Bibaculus. (Sic scripseram ante lectum Welckerum *kl. Schr.* I. p. 396: *Die Diomedea des Iulus Antonius, in zwölf Büchern, enthielt vermuthlich den letzten Theil der Thebais des Antimachus, und unter dem Titel konnte der Hauptinhalt des ganzen Epigonengedichts zusammen gefasst sein.)* — «Iulus Antonius rogaverat Horatium, ut scripta Pindari Graeca in laudem Caesaris transferret, ut Virgilius scripta Homeri in laudem Aeneae. Inde excusat se Horatius dicens se tanto operi non sufficere, cum ille summus poëta fuerit.» Schol. apud Vanderburg. Hoc sane ex ipso carminis exordio desumptum est, atque ita explicandum, fieri utique potuisse, ut Iulus aliquando miratus sit, cur Horatius carminum Pindaricorum formas ac metra imitari nunquam voluisset. — Compositum videtur hoc carmen a. u. c. 738. exeunte vel 739. ineunte. (Cfr. Franke.) Grotefend refert ad a. 740., alii ad a. 741. vel 742.

1. *Pindarum*] Stat. Silv. 4, 7, 5: *Regnator lyricae cohortis, -- Pindare.* Tametsi Horatius singulas aliquot sententias ex Pindaro transtulit (ut Od. 1, 12, 1.), sapientissime tamen abstinuit ab imitandis carminum Pindaricorum formis ac metris, imaginibus audacioribus, liberiore verborum compositione, rationem

Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres 5

3. *pinnis* B, Codd. Bland.

habens et suarum virium et indolis totius Latinae poësis. Minus utique prudens fuit eius iunior amicus Titius, *Pindarici fontis qui non expalluit haustus*, Epp. 1, 3, 10. et Rufus ille Ovidii ex Ponto 4, 16, 28: *Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae.* — *aemulari*] Probe distinguenda ab imitatione aemulatio. Plin. Epp. 7, 30: *Libellos meos de ultione Helvidii orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers; quam sane, cum componerem illos, habui in manibus, non ut aemularer (improbum enim ac paene furiosum), sed tamen imitarer et sequerer.*

2. *Iule*] Iulus (falso in Cod. Med. Tacit. Ann. 4, 44. et apud alios *Iulius* dictus), insolitum hoc praenomen gessit inditum a patre, ut ostenderet, se per matrem Iuliam, L. Iulii Caesaris filiam, attingere gentem illam demissam ab Ascanio, *cui nunc cognomen Iulo*, Virg. Aen. 1, 267. 288., ubi Graeca pronuntiatione est nomen trisyllabum, hic Latina bisyllabum. Appellatio autem per praenomen poëtae familiaritem cum iuniore amico indicat. Frigidissima contra est HP. suspicio *Ille*, quae si stulte Horatio unquam placuisset, nunquam transisset in *Iule*. Neque vero illud argutiis persequendum est, quod hic semel praenomen a gentilicio nomine v. 26. distraxit, alibi vero (Od. 2, 2, 3: *Crispe Sallusti*, Od. 2, 11, 2: *Hirpine Quinti*, Epp. 1, 3, 1: *Iuli Flore*) coniunxit nomen gentis et familiae. — *ceratis*] «cera coniunctis affixisque corpori.» Schol. Cruq. *(mit dem Wachsgefieder.* Garve.) — *ope Daedalea*] «velut arte illa, qua Daedalus usus est.»

3. 4. *Nititur*] «sustinet, librat se in aëre.» Virg. Aen. 4, 252: *paribus nitens Cyllenius alis.* — *vitreo*] «ὑαλίνῳ, pellucido, splendido *(krystallen).*» Cf. Od. 3, 13, 1. — *Nomina ponto*] ut ex volgari opinione Icarus mari Icario. Ovid. Trist. 3, 4, 22: (ut) *Icarus immensas nomine signet aquas.* (De plurali *nomina* cf. Od. 3, 27, 76.) Dempta imagine: «Summum periculum adit, ne, dum audacior esse volt atque sublimis, adeo vitiosus turgidusque fiat, ut omnes ei experimentum male cessisse iudicent.»

5. *amnis*] Comparatio poëtae cum amni ex eo quoque explicanda, quod solito τρόπῳ dicebant *flumen ingenii, orationis.* Cic. Acad. 2, 38: *Flumen orationis aureum fundens Aristoteles*; sicque etiam *fons.* Iuven. 10, 118: *utrumque Largus et exundans leto dedit ingenii fons.* (De sua poësi ipse Pindarus Olymp. 11, 9. Boeckh: *νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν Ὄπα κῦμα καταχλύσσει ῥέον;*)

6–8. *notas*] «consuetas.» Manil. 4, 417: *notis fugientia flumina ripis*, sed Iacob *ruptis.* — Absurda est lectio: *cum* (imbres) *super notas saliere ripas.* — *Fervet*] «ζέει, aestuat.» Dionys. Long. 48, 5: *ὁ Πίνδαρος καὶ ὁ Σοφοκλῆς ὅτε μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ*

Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore,

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos

6. *Cum super notas saliere* S, Cod. Blandin. antiquiss., *βγ*. (In S superscr. *Quem - - aluere.)*

φορᾷ κτλ. Schol. Pind. ad Olymp. 1, 3: *Πίνδαρος θερμός τις ὢν καὶ πολύνους ἐπὶ τὰ νοήματα.* Sat. 1, 10, 62: *Cassi rapido ferventius amni ingenium.* — «Unus Codex *fervit*, antiquo more.» Cruq. — *immensus*] «fines illos audaciae lyricae, intra quos se continuerunt ceteri, migrans.» — *profundo - ore*] «*mit tiefem Wortstrom.*» Garve. Os rotundum, magnum (Ovid. A. A. 1, 206: *Et magno nobis ore sonandus eris.)*, *magna sonaturum* (Sat. 1, 4, 44.), poëtis tribuitur ad significandam elocutionis vim atque ubertatem. (Cic. Orator 5: *Grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt cum ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum.)* Hic assumpta amnis imagine copia illa infinita mixtâ metaphorâ refertur ad amnis ostium, per quod in mare immensa aquarum vis exit. *Profundum* pertinet imprimis ad imaginum sublimitatem et magnificentiam miramque sententiarum gravitatem, qua singula argumenta, per se interdum sterilia, Pindarus exornavit. Quintilianus 10, 1, 61. Pindaro *beatissimam rerum verborumque copiam* tribuit. — Iungi non potest *immensus ore profundo*, ut nonnemo voluit. Minus recte recentiores nonnulli «aesthetici», quos dicunt, hoc loco abusi sunt ad reprehendendum Pindarum; «nam», ut aiunt, «ipse Horatius illum leges artis propter caecum nescio quem impetum sprevisse saepeque migrasse pronuntiat»; verum, si quis alius, sapientissimus ille poëta suique semper compos nihil non consulto egit, ut scite demonstravit imprimis Dissen.

9. *Laurea - Apollinari*] Poëtae Horatio posteriores praeferunt formam *Apollineus*; illa usitatior est de ludis sacrisque *Apollinaribus*. Cfr. Od. 3, 30, 15: *Delphica Lauro*. Od. 4, 3, 6: *Deliis - foliis*. «In singulis generibus, in quibus elaboravit, quaeque postea significantur, ille primas fert.»

10. *per audaces nova dithyrambos Verba*] «Dithyrambus genus est carminis in honorem Liberi patris rhythmis vehementioribus liberioribusque compositum.» Schol. Cfr. Strab. 10. p. 749. Archiloch. Bergk p. 483: *Ὡς Διωνύσου ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος Οἶδα διθύραμβον, οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας. Nova verba* vocat dithyrambicum dicendi genus maxime propter audaciorem verborum compositionem. Aristot. Poët. 22, 14: *τῶν δ' ὀνομάτων τὰ μὲν διπλᾶ μάλιστα ἁρμόττει τοῖς διθυράμβοις.* Hermias ad Plat. Phaedr. p. 87 Ast: *οἱ διθύραμβοι σκολιῶς ἀπηγγέλλοντο καὶ διὰ συνθέτων καὶ πεπλεγμένων ὀνομάτων.* Dionys. Halic. de Comp. vv. T. V. p. 154. Reisk., post allatum locum ex Pindari Dithyrambis (Ed. Dissen I. p. 225.): *ταῦτ' ἔστιν ἰσχυρὰ καὶ στιβαρὰ καὶ ἀξιωματικὰ καὶ πολὺ τὸ αὐστηρὸν ἔχει κτλ.* Idem scri-

Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis;

Seu deos regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae;

13. *regesque* BbS,LCtJ. (Ut nos, c, *βιξ,χ* alter, Pott. sex.) — 14. 15. *iusto Marte* Mönch.

ptor (VI. pag. 763. Reisk.) dithyrambis *κόμπον ὀνομάτων* tribuit. Philodemus de Musica Vol. Hercul. I. pag. 95: *Πίνδαρος ἔφη, θύσων ποιήσεσθαι διθύραμβον.* (Dithyrambus etiam in Genium transformatus est in vase picto *Annal. dell' Inst. archeol.* 1829. p. 398., duce fortasse, ut arbitratur Welckerus, Aeschylo, qui Fragm. 381. Dind.: *Μιξοβόαν - - πρέπει Διθύραμβον ὁμαρτεῖν Σύγκοινον Διονύσῳ.* Cfr. etiam Cinesiae *ῥῆσιν* in Aristoph. Av. 1387 seqq.)

11. 12. *devolvit - - fertur*] Permanet in proxime praecedente fluminis similitudine. — *numerisque*] Quintil. 9, 4, 45: *Omnis structura ac dimensio et copulatio vocum constat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi volo) aut μέτροις. — Lege solutis*] ut certe iudicabant Horatii aequales inter Graecos et Romanos de dithyramborum Pindaricorum metris; quod genus propter vehementiorem animi motum repetitionem numerorum aspernabatur. Illustre testimonium perversi huius iudicii affert Priscianus de metr. com. p. 419. Gaisf.: *Pindarus, teste Heliodoro metrico* (Horatii comite in itinere Brundisino) *ἀντέστρεψεν, id est, convertit rhythmum iambicum hoc modo:* (Fragm. 142. ed. Bergk p. 265.) - - *Itaque puto Horatium propter huiusmodi versus Pindaricos dixisse Cum per - - solutis.* Cfr. Bergk *Rhein. Mus. N. F.* 1. p. 378.

13-16. *Seu deos*] Paeanes dicit et hymnos, ut in Iovem, *Ἄμμων Ὀλύμπου δέσποτα* et *Δωδωναῖε μεγάσθενες, ἀριστότεχνα πάτερ.* (Ed. Diss. p. 223. et 224.) Iam transit ad *ἐγκώμια. — regesve*] «heroas, *ἡμιθέους*, deorum filios, quorum ex numero potissimum Pirithoum, Theseum, Peleum *Κενταυροκτόνους* (Od. 1, 18, 8. Ovid. Met. 12, 210 sq.) et Bellerophontem, Chimaerae *πῦρ πνεούσης* (Od. 2, 17, 13.) interfectorem, memorat. — Etiam regem sibi aequalem Pindarus laudibus celebravit. Dio Chrysost. Or. 2. p. 83. R.: *ἐπῄνεσεν Ἀλέξανδρον τὸν Φιλέλληνα ἐπικληθέντα, ποιήσας εἰς αὐτὸν· Ὀλβίων ἐπώνυμε Δαρδανίδων. — iusta Morte*] propter raptatam Hippodamiam, Pirithoi novam nuptam. Ovid. Met. 12, 223. Referuntur huc Fragm. 44. et 45. Diss. pag. 244: *Ἀνδροδάμαντα δ' ἐπεὶ Φῆρες δάεν ῥιπὰν μελιαδέος οἴνου, Ἐσσυμένως ἀπὸ μὲν λευκὸν γάλα χεροὶ τραπεζᾶν Ὦθεον, αὐτόματοι δ' ἐξ ἀργυρέων κεράτων Πίνοντες ἐπλάζοντο.* De Centauris eorumque cum Lapithis pugna cfr. imprimis v. Stackelberg *der Apollotempel zu Bassae* p. 66. (Bellerophontes Chimaeram, Amazonibus heroi opitulanti-

Sive quos Elea domum reducit
Palma caelestes pugilemve equumve
Dicit et centum potiore signis
Munere donat,

Flebili sponsae iuvenemve raptum
Plorat et vires animumque moresque

18. *caelestis* Bb.

bus, interimens est in *Mon. ined. dell' Inst. arch.* II. T. 49 et 50.)

17. *Elea--Palma*] Victoriam Olympicam ut inter omnes gloriosissimam praecipue memorat. — *domum reducit*] Vitruv. Lib. 9. Praefat.: *Graecorum maiores* (hieronicis) *ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam, cum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* — Victorem Olympicum domum cum uxore redeuntem, cui *Νίκη* gratulatur, videsis in vase picto apud Millingen Cohill Tab. I.

18. *caelestes*] «quos eius *ἐπινίκια terrarum dominos evehunt ad deos* (Od. 1, 1, 6.), diis aequant.» — *pugilemve equumve*] Ars P. 84: *Et pugilem victorem et equum certamine primum.* Cfr. Od. 4, 3, 3 sqq. Sic *Φερενίκου*, Hieronis equi, mentionem facit Olymp. 1, 18. et Pyth. 3, 74. Theocr. 16, 46: *τιμᾶς δὲ καὶ ὠκέες ἔλλαχον ἵπποι, Οἵ σφισιν ἐξ ἱερῶν στεφανηφόροι ἦνθον ἀγώνων.* Nihilominus *equum* cum dicit, eius dominum victoria potitum intelligit. Etenim nolim equidem cum Bentleio dicere: «hic et *equum* dicit *caelestem* fieri palma adepta.»

19. 20. *signis*] «statuis, quae hieronicis ponebantur.» Pausan. 6, 1, 1: *Ἔπεται δέ μοι τῷ λόγῳ τῷ ἐς τὰ ἀναθήματα τὸ μετὰ τοῦτο ποιήσασθαι καὶ ἵππων ἀγωνιστῶν μνήμην καὶ ἀνδρῶν ἀθλητῶν τε καὶ ἰδιωτῶν ὁμοίως· τῶν δὲ νικησάντων Ὀλυμπίασιν οὐχ ἁπάντων εἰσὶν ἑστηκότες ἀνδριάντες κτλ.* — *Munere*] «*ἐπινικίῳ*, cuius, utpote aeterni, maius pretium est, quam vel centum statuarum.» Pind. Nem. 5, 1: *Οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμ', ὥστ' ἐλινύσοντά μ' ἐργάζεσθαι ἀγάλματ' ἐπ' αὐτᾶς βαθμίδος Ἑσταότα.*

21. *Flebili sponsae iuvenemve*] Ad partic. *ve* e superioribus supplenda coni. *si*. «Sive iuvenem maestae sponsae acerba morte ereptum deplorat.» Significat *θρήνους*, quorum pulcherrimae aliquot supersunt reliquiae. — *flebili*] h. l. «lacrimas fundenti», ut A. P. 123: *flebilis Ino*, non «deplorandae», ut Od. 1, 24, 9. 10. Conf. Od. 2, 9, 9: *flebilibus modis.*

22. 23. *moresque - - nigroque*] Versus hypermetri. Utrumque *que* colliquescit cum vv. seqq. Cf. Carm. Sec. 47. — *Aureos*] «purissimos omnique laude dignos.» Antiphanes in Mein. Fr. Com. III. p. 124. de *ἑταίρᾳ: Ἠθός τι χρυσοῦν πρὸς ἀρετὴν κεκτημένης.* Etiam nostro ser-

Aureos educit in astra nigroque
Invidet Orco.

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quotiens in altos

23. *reducit* γ, pr. x. (Ut nos, nostri.) — 25. *cygnum* B, superscr. *c*, *cygnum* J, *cignum* bSc.

mone Garve ausus est dicere: *die goldenen Sitten*; cum propter nescio quem timorem Vossius sententiam sic pervertisset: *des goldenen Alters Sitten*. — *educit in astra*] solita ὑπερβολῇ etiam in prosa orat. Cic. ad Att. 2, 25: *nostras laudes in astra sustulit*. (Welckerus in Mus. Rhen. II. p. 121: *Horaz scheint mir einen bestimmten Threnos, einen schönsten von allen, in's Auge zu fassen, der auch dadurch sich bestimmt von andern unterschied, dass darin die Seele des Verstorbenen nicht in den* HADES *überging, sondern wegen ihrer* GOLDENEN *Reinheit den Weg zu den Sternen nahm.* Ingeniosa sane coniectura, sed incerta. Simplicior autem mihi semper visa est solita interpretatio: «sponsum illum immortalem reddit»; quo sane ducit Θρήνων Fr. 4. in Boeckh. Ed. min.: βασιλῆες ἀγανοί - -· ἐς δὲ τὸν λοιπὸν χρόνον ἥρωες ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται.)

24. *Invidet Orco*] «a morte vindicat; eripit oblivioni.» Hoc ipsum egit Pind. Olymp. 8, 77: Ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος Κὰν νόμον ἐρδόμενον· Καταχρύπτει δ' οὐ κόνις Συγγόνων κεδνὰν χάριν. Idem praecipua carminum suorum genera ita enumeravit in Fr. Schol. Vatic. Rhesi 895., quod sic restituere conatus est Schneidew. in Eustathii Prooem. Pind. p. 35. ac post eum Bergk p. 253: Ἔντι μὲν χρυσαλακατεκέων Λατοῦς ἀοιδαὶ Ὧριαι παιάνιδες· ἔντι δ' ἐπαντέλλοντος ἐκ κισσοῦ στέφανον Ἐκ Διθυράμβου μαιόμεναι· τὸ δὲ κοίμισαν [τετράζυγον θεαὶ κᾶδος υἱῶν] σώματ' ἀποφθιμένων. Ἃ μὲν ἀχέταν Λίνον αἴλινον ὕμνει, Ἃ δ' Ὑμέναιον, ὃν ἐν γάμοισι χροᾳζόμενον . . . συμπρώτοις λάβεν Ἔσχάτοις δ' ὕμνοισιν· ἃ δ' Ἰάλεμον ὠμοβόλῳ νούσῳ πεδαθέντα σθένος, Ἃ δ' υἱὸν Οἰάγρου χρυσάορ' Ὀρφέα. Suam autem restitutionem ita explanavit Schneidewin: *Apollinis et Dianae paeanes sunt, Dithyrambi spectant ad Bacchum: Musae autem mature absumptorum filiorum corpora lugubribus modis condiderunt: alia Linum lamentabili carmine prosequendum, altera Hymenaeum, tertia Ialemum atque (quarta) Orphea.*

25. *Multa - - aura*] «magna aurae vis *(Masse)*, qua nituntur cycni latae alae.» — *Dircaeum*] a Dirce, fonte Thebano. Cfr. Apollod. 3, 5, 5, 9. — *levat*] Oloris volatum altum simul atque ita quietum, ut ab aëre ipso sine alarum verberibus sursum ferri videatur, significat. — *cycnum*] Sic Leon. Tar. Anth. Pal. I. p. 344. Alcmanem vocat: τὸν ὑμνητῆρ' ὑμεναίων Κύκνον. Antip. Sid. Anth. Pal. I. p. 345: ὁ Τηΐιος ἐνθάδε κύκνος Εὕδει. — Acutius quam verius totum hunc locum explicat Unger in Electis criticis, Friedlandiae 1842. p. 45., quem vide, si vacat.

26 - 28. *Antoni*] In hoc uno car-

Nubium tractus. Ego apis Matinae
More modoque

Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique 30

30. *Plurimum* iungit cum v. *nemus* Bentleius, simul dubitanter proponens *Florum circa nemus*.

mine eundem hominem bis diverso nomine alloquitur, primum praenomine, id quod familiaritatis est, hoc loco nomine gentilicio, partim ut illum testem suae sententiae advocet («ut tumet ipse, Antoni, probe nosti»), partim, quo transitum sibi paret ad seq. allocutionem *Concines* cet., quae omisso in prioribus nomine amici languidissima evasisset. — *tractus*] «regiones.» Similiter Tac. Ann. 2, 23: Auster *immenso nubium tractu validus*. — *apis*] Frequens haec comparatio. Simonides p. 96. Schneidew. Plato in Ione pag. 534. A.: *λέγουσι - γὰρ πρὸς ἡμᾶς οἱ ποιηταί, ὅτι ἀπὸ κρηνῶν μελιῤῥύτων, ἐκ Μουσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσιν ὥσπερ αἱ μέλιτται, καὶ αὐτοὶ οὕτω πετόμενοι.* Aristoph. Av. 737: *Μοῦσα λοχμαία - - Ποικίλη, μεθ' ἧς ἐγὼ Νάπαισι καὶ κορυφαῖς ἐν ὀρείαις - - Ἰὼ μένος μελίας ἐπὶ φυλλοκόμου - - Πανὶ νόμους ἱεροὺς ἀναφαίνω· - - Ἔνθεν, ὥσπερ ἡ μέλιττα, Φρύνιχος ἀμβροσίων μελέων ἀπεβόσκετο καρπόν, ἀεὶ φέρων γλυκεῖαν ᾠδάν.* Leon. Tar. Anth. Pal. I. p. 309. Erinnam vocat *μέλισσαν - - Μουσῶν ἄνθεα δρεπτομέναν*, et Sophocles dictus est *Ἀτθὶς μέλισσα*. — *Matinae*] Matinus mons prope Garganum in Apulia, ubi mel optimum. (Od. 1, 28, 3. 3, 16, 33. Epod. 16, 28. Lucan. 9, 184. Romanelli *Topografia* II. p. 209.) — *More modoque*] Formula est Latina. Cic. Tim. 1: *multa sunt a nobis - - Carneadeo more et modo disputata*. Quintil. 11, 1, 29: *agendi more ac modo. Mos* naturam et ingenium, *modus* usum et consuetudinem significat.

29. 30. *carpentis*] «*δρεπτομένης*, succum sugentis ex thymo.» — *thyma*] Virg. Ge. 4, 169: *redolentque thymo fragrantia mella*. Columella 9, 4, 6: *Saporis praecipui mella reddit thymus*. Metaphorice item Epp. 1, 3, 20: *Ipse quid audes? Quae circum volitas Agilis thyma?* — Utique iungendum *per laborem plurimum*, «*μετὰ πόνου πολλοῦ*, admodum laboriose singulos flores supervolitans, ut mel inde delibet»; neutiquam vero cum Bentleio *circa nemus plurimum*, id est, spissum, ut Ovid. Met. 14, 361: *Plurima qua silva est*; nam *labor* hic *ἐπιθέτῳ* definiendus erat, non *nemus*, quod h. l. utrum densum sit necne, nihil refert. — Iahnius distinxit: *Ego, apis Matinae - - - Tiburis ripas, operosa* cet. At huic interpretationi repugnat *apis Matina*, Apulica, quae circa *Tibur* mel colligere non potest. Manifesto loquitur de *nemore* circa Tibur (Martial. 4, 13: *Tiburis arces - - Rura nemusque sacrum dilectaque iugera Musis.*), adeo ut haec ad Horatium referenda sint, qui in secessu Sabino prope Tibur carmina componere solebat. — *uvidique*] Od. 1, 7, 14. 3, 29, 6: *udum Tibur*.

Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Concines maiore poëta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sygambros,

34. *rivos* Bentl. coni. — 34. *trahat* superscr. «vel *trahet*» d. — 35. *clivom* Bentl. — 36. *Sygambros* Bbc, C, Bentl., FMJ: *Sycambros* S, *Sicambros* cd,Lt.

34. 32. *ripas*] absolute, ut Od. 3, 25, 13., ubi non minus facile *Hebri* cuique in mentem venit quam hic *Anienis*. Neutiquam igitur *rivos* legendum. — *operosa*] opponuntur iis, quae poëtis, inspirantibus Musis, veluti sponte proveniunt. — *parvus*] «ut apis comparata cum cycno, ita ego cum Pindaro commissus, tenuis sum atque humilis poëta.» — *fingo*] πλάττω, verbo Graecis de mellificio proprio.

33. *Concines* cet.] «Dignius tu canes ad lyram, maius argumentum tractaturus, Augusti laudes, quas operosa mea carmina non assequuntur.» Sic enim malo explicare quam cum Acrone: «Cantabis nobiscum tu, Antoni,» quod probat Unger de C. Valgio pag. 24. Etenim si hoc voluisset Horatius, hic statim subiungendum aliquid fuisset de parte ab ipso in his laudibus Antonio demandatis assumenda. — Iungunt quidam *poëta maiore plectro* (praeditus); sed simplicius est: *concines maiore plectro*, «ut poëta vere hoc nomine dignus, pleniore sono, grandioris spiritus carmine.» Sic Ovid. Met. 10, 150: *cecini plectro graviore Gigantas — Nunc opus est leviore lyra*. (Ceterum Horatius nunquam profecto cogitavit de Augusto cum Pindaro comparando, ut opinatus est novissimus interpres: «*Du wirst schon besser, als ich, den Augustus besingen, der ein ähnliches Genie wie Pindar ist, dessen Bestrebungen wir kleineren Geister alle fördern müssen.*») — *poëta*] quippe qui Diomedeam composuerit.

34. *quandoque*] «quandocunque.» Nam tunc ipsum non cogitabat de triumpho ducendo. Immo a. u. c. 741. Augustus rebus Gallicis, Germanicis, Hispanicisque omnibus compositis honores a senatu decretos non accepit et praeterea, occursum populi vitaturus, noctu urbem intravit. (Dio Cass. 54, 25.) Est igitur: «cum ipsi aliquando placebit triumphare.» — *trahet*] Epp. 2, 1, 194: *Mox trahitur manibus regum Fortuna retortis*.

35. *sacrum clivum*] Sacer clivus a nullo scriptore memoratur praeterquam ab Horatio et a Martiale 1, 70, 5. Partem fuisse Sacrae viae leniter ascendentem, diversam a clivo Capitolino (quem memorat Varro LL. 5, 47. pag. 48. Muell.), contendit Fea ad Epod. 7, 8. Vide iam Excursum.

36. *Sygambros*] Apud Tac. Ann. 2, 26. scribitur *Sugambros*, ut *Suevi* cet. Straboni 4. p. 194. sunt Σούγαμβροι, Dioni 54, 20. Σύγαμβροι, populus Germaniae tractum inter Rhenum, Sigiam et Luppiam fl.

Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique divi
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.

Concines laetosque dies et Urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu forumque

primum inhabitans, qui cum Usipetis et Tencteris M. Lollium magna clade affecerunt a. u. c. 737. Sed, cum Lollium rursus arma parare vel Augustum cum exercitu appropinquare cognossent, in fines suos recesserunt et obsidibus datis pacem pacti sunt a. 738. Postea autem in sinistram Rheni ripam transductos esse constat. Suet. Oct. 21. *Caede gaudentes* vocantur iidem Od. 4, 14, 51., h. l. *feroces*, «quia», ut aiunt Acron et Comm. Cruq., «antequam caperentur, centuriones Romanos, qui ad stipendia ab iis exigenda missi erant, circumventos crucibus affixerant.» (Sigambrorum nomen Iac. Grimm statuit esse compositum ex vv. *sigu* = victoria et *gambar* = strenuus, sagax, ita ut contractum sit ex Sigigambar. *Gesch. d. d. Sprache* I. 525. De iisdem ib. p. 520: *Am sicherste nund unmittelbarsten auf die Franken zu beziehen ist das Volk der Sigambern, dessen die Römer von frühe an oft gedenken.* Ibid. 522: *Wenn es bei Horaz* Od. 4, 2, 34. *heisst:* — feroces — Sigambros, *so könnte ihnen* feroces *schon beigelegt sein, weil zu dem römischen Ohr ein Epithet dieser german. Stämme gedrungen war, das nachher ihren allgemeinen Namen bildete; nannten suevische oder gallische Nachbarn den Römern diese Sigambern* feri *oder* feroces, *wie nahe lag das dem deutschen Ausdrucke Freie oder Franke?*

37–40. *Quo nihil maius*] Cfr. Epp. 2, 1, 17: *Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes* (qualis est Augustus). Ovid. ex Ponto 1, 2, 98: *Alma nihil maius Caesare terra ferat. — donavere - - dabunt*] Hanc variationem reprehendit nonnemo, ex Latinorum usu idem verbum repetendum fuisse contendens, sed utrumque in solita formula *dedit donavitque* (Cic. Verr. Acc. 5, 17, 44.) arte coniungitur, adeo ut hic sine ulla reprehensione unum post alterum poni potuerit. — *bonique divi*] «benigni, propitii», ut Od. 4, 5, 1: *Divis orte bonis.* Virg. Ecl. 5, 65: *Sis bonus o felixque tuis! — in aurum*] «quamvis aureum seculum redeat.»

41. 42. *laetos*] «festos», cuiusmodi erant Augustalia primum a. u. c. 735. celebrata (Dio 54, 10.), postea a. u. c. 743. *πρῶτον ἐκ δόγματος ἐτελέσθη.* (Id. Ibid. 34.) Talia igitur mox celebratum iri putabat poëta. — *Publicum ludum*] editis etiam muneribus gladiatoriis cet. — *impetrato*] votis nostris.

43. 44. *reditu*] Supersunt nummi a. u. c. 738. apud Eckhel D. N. VI. pag. 463. cum inscriptione: *S. P. Q. R. V. S. (vota suscepta) Pro. S.*

Litibus orbum.

Tum meae, si quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars, et, O Sol
Pulcher! o laudande! canam, recepto
Caesare felix.

45. *loquar* BScd,LCtF : *loquor* b,βκνχ, Pott. 4, 9, 43., Bentl., M. — 47. *o*] *et* d.

(salute) ET RED. AVG. Dio 44, 49 : *εὐχὰς ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου τοῦ Αὐγούστου ἐποιήσαντο.* Ludi autem isti votivi, quos poëta editum iri dicit, editi sunt demum a. 744. (Dio 54, 27.) et nummi cusi cum inscriptione FORTVNAE. REDVCI. — *orbum*] «vacuum, propter iustitium indictum.» Pind. Isthm. 3, 26 : *κελαδέννας - ὀρφανοὶ Ὕβριος.*

45. 46. *si quid loquar*] Supple : «tunc»; quo nomine praestat futurum : nam praesens tempus nimis demissi animi esset : «Si omnino is sum, cuius carmina legi mereantur.» Verum hoc dicit : «Si meae laetitiae vox digna erit, quae illo die festo audiatur.» Longe aliter alii explicant : «accedet acclamantium turbae magna pars meae vocis; id est, acclamabo ei contenta voce.» Sed huic interpretationi omnino repugnant vv. *Si quid loquar audiendum*, quae, ubi de altissima ac prope Stentorea voce explicaris, nescio quid habent ridiculi. *Vocis* autem *bona pars* hoc significat : «Omnibus viribus enitar, ut carmine laetissimos meos sensus de Caesaris reditu digne exprimam, dum tu, Iule, illius res gestas atque virtutes celebras»; quae carminum argumenta prorsus sunt diversa. — «*Solem* pro die posuit, quo victor Caesar urbem ingressus est.» ACRON.

48. *Caesare felix*] «Ego felicissimum me reputans propter Augustum reducem.» Longe tenerior hic est sensus, quam si cum Vossio et Gargallo v. *felix* ad *solem* referas, ut sit exclamationis pars.

49. *Teque, dum procedit*] Triumphus h. l. velut numinis divini formam induit, quod invocent Romani (prorsus ut Epod. 9, 21 : *Io Triumphe, tu moraris aureos Currus* cet.), et quidem ex eadem illa antiquissima formula, quae ter continuo repetita reperitur in Carmine Fratrum Arvalium : *Io* TRIVMPE (sic). Ita in nummis gentis Papiae caput iuvenile laureatum conspicitur, prominente pone tropaeo cum inscriptione : TRIVMPVS (sic). Eckhel D. N. V. p. 267. Riccio *M. F. R.* p. 162. Interpretare igitur : «Dum procedit Augustus triumphans a porta triumphali usque ad Capitolium, nos te, Triumphe, non semel, sed continuo dicemus sacra (ut ait SCHOL.) et laeta acclamatione nomen tuum ita identidem repetentes : *Io Triumphe, Io Triumphe.*» Inde autem a v. 49. manifesto non iam loquitur de carminibus vel a semet ipso vel ab Antonio vel ab utroque in Augusti honorem pangendis, sed de ipso principis gloriosissimo triumpho ab utroque eius admiratore summa cum laetitia et altis acclamationibus spectando. — In constituendo autem hoc loco secuti sumus

Teque, dum procedit, io Triumphe,
Non semel dicemus, io Triumphe,
Civitas omnis dabimusque divis
Thura benignis.
Te decem tauri totidemque vaccae,

49. *Teque* BbScd, tres Bland., scripti omnes vetustiores Bentleii, omnes Pottierii praeter unum, LCJ: *Tuque* Pott. 22., tFM, *Isque* Bentleius coni. — *procedit* B, firmans D. Heinsii coni. a Rutgersio et Bentleio receptam: *procedis* bScd cum ceteris libris notis et LCtFMJ.

omnium antiquissimum nostrum Cod. B firmantem, quod D. Heinsius et Bentleius sagaciter viderunt pro v. *procedis*, nato ex prava accommodatione ad lect. *tuque*, legendum esse *procedit* Augustus. (Mire autem ac paene incredibiliter Regel contendit, hanc meam lectionem, quae innititur Codici, ut hoc denuo inculcem, antiquissimo inter omnes adhuc notos, idonea auctoritate destitutam esse. Quid autem manifestius quam ex v. *Caesare* hic facillime repeti *Caesar procedit*? de quo, utpote triumphatore, aptissimum est hoc verbum, de spectatoribus vero longe minus congruum videtur.) In hoc autem poëtae *ἐνθουσιασμῷ* minime in eo offendere debemus, quod hic Triumphum et stropha sequente, interposito tamen communi verbo *dabimus* («ego et tu aeque atque omnes cives») secundae personae pronomine rursus alloquitur Iulum. Post nostram lectionem a Codd. maximam habet auctoritatem *Teque, dum procedis*, id est, «dum tu, Triumphe, procedis, in Capitolium duceris.» Tertia ex correctione nata est: *Tuque dum procedis*, «Antoni», ut plerique statuunt, alii olim, «o Sol.» Verum quam ineptae omnes istae sint lectiones, adeo clare demonstravit Bentleius, ut refutari omnino nequeat, etsi minus felix fuit in proponendo *Isque* pro Horatii *Teque*. Omnium autem maxime mira est distinctio Ed. Gesnerobothianae: *canam, recepto Caesare felix Teque. Dum procedis.* — Ceterum recte iam Scholiastae cuncti: «Ad ipsum Triumphum conversus sacra acclamatione hoc dicit.» — «*Nicht bloss* teque *oder* tuque, *auch* dum, *das* Horaz *nach dem ersten Buche nirgend in den* Carmina *anwendet und einigemal (z. B. Od.* 2, 12, 25. *und in Epod.* 5, 55. *mit den Mss.*, *wo* cum *für den Begriff* zur Zeit wo *das bessere) zu vertreiben ist, scheint ein Flick statt der ursprünglichen Lesart zu sein.*» BERNHARDY. Sed quid substituendum sit particulae *dum*, quomodo legendus totus versiculus, dicere nobis dignatus non est. Et nova profecto mihi accidit doctrina ista de part. *dum*, ab Horatio post Carminum Lib. I. nusquam usurpata; reperitur enim Od. 2, 3, 15. 10, 2. 11, 16. 12, 25. Od. 3, 7, 18. 11, 23. 17, 13. 20, 9. 21, 24. 30, 8. Od. 4, 12, 26.; ergo praeter nostrum locum undecies.

52. *Thura*] Adoleri solebant thura in aris temporariis per plateas et areas, quas pompa triumphalis attingeret, exstructis. Sic Virg. Aen. 8, 105: *omnes -- Thura dabant*, ubi Servius: «Verbo sacrorum usus est. Nam dici solebat in sacris: *DA, QUOD DEBES, DE MANU DEXTRA ARIS.*»

Me tener solvet vitulus, relicta
Matre qui largis iuvenescit herbis
In mea vota,

Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
Cetera fulvus.

55. *iuveniscit* B. — 58. *orbem* c, sed superscr. *ortum*, ut in *βγω*, praeterea habent *orbem* decem Bentleii, octo Pottieri; *ortum* superscr. *orbem* d. *(ortum* BbS,*κλ.)* — 59. *traxit* Cod. Regiae Soc. *(λ.)* — 60. *fulvos* antiquâ scripturâ B.

54-56. *solvet*] «voto a me concepto.» — *vitulus*] Modeste paupertatem suam Antonii opibus opponit, prorsus ut Od. 2, 17, 32: *Nos humilem feriemus agnam.* Hoc quoque dicendum erat propter incredibilem novissimi interpretis opinionem, qui in his symbolici nescio quid quaesivit, quasi vero Horatius diceret, sese prae Antonio exigua facultate poëtica praeditum esse. — *relicta matre*] «delactatus». Gloss. — *largis*] «abundantibus, *laetis*», quod ipsum v. nonnemo substituere voluit ei, quo Horatius usus est. — *iuvenescit*] «paullatim fit iuvencus, ut a me immolatus mea vota solvat.» Cfr. Od. 3, 23, 11: *Aut crescit Albanis in herbis.*

57. *Fronte*] «qui cornibus imitatur Lunae tertiae, id est, tertio post interlunium die, figuram.» Significat eius cornua admodum esse parva ipsumque tenellum. Moschus 2, 87: *Ἴσά τ' ἐπ' ἀλλήλοισι κέρα ἀνέτελλε καρήνου Ἄντυγος ἡμιτόμου κεραῆς ἅτε κύκλα σελήνης.* Claudian. de Raptu Pros. 1, 128. de vitula: *pedibus quae nondum proterit arva Nec nova lunatae curvavit germina frontis.* — *Tertium - - ortum*] Virg. Ge. 1, 432: *ortu quarto*, item de luna. Alii *orbem*, ad quod v. compararunt Ovid. Met. 7, 179. de luna: *Tres aberant noctes, ut cornua tota coirent Efficerentque orbem*: sed frustra; nam clare hic significat plenilunium, ut Heroid. 2, 3: *Cornua cum Lunae pleno semel orbe coissent.*

59. 60. *Qua notam duxit*] «qua parte notam contraxit in fronte.» Propert. 1, 5, 16: *Et timor informem ducet in ore notam*; sicque *colorem ducere* pro *sumere* tralatitium est. Alii ex gloss. *traxit.* — *niveus videri*] Theocr. 11, 20: *λευκοτέρα παχτᾶς ποτιδεῖν.* Conf. Od. 1, 19, 8. — *Cetera*] ut Epp. 1, 10, 3 et 50. — *fulvus*] eiusdem originis voc. ac nostrum *falb*, Ital. *falbo*, Gall. *fauve.* Mosch. Id. 2, 84: *Τοῦ δ' ἤτοι τὸ μὲν ἄλλο δέμας ξανθόχροον ἔσκεν, Κύκλος δ' ἀργύφεος μέσσῳ μάρμαιρε μετώπῳ.* Conf. Hom. Iliad. *ψ*, 454. — Victimae formam similiter refert Od. 3, 13, 4. Fuerunt qui reprehenderent huius carminis exitum, poëtae artificio parum intellecto. Videlicet summus *ἐνθουσιασμὸς* in placidissima ac religiosa futuri sacrificii cogitatione tandem adquiescit («Carminis extrema stropha a totius poëmatis gravitate ac sublimitate discrepat: desinit in vitulum mulier formosa superne!» Steiner.)

EXCURSUS

Ad v. 35.

«Certissimum est, sacrum illum clivum, errorum gravissimorum causam, ipsam esse Sacram viam, quod egregie demonstravit Ambroschius *Studien* p. 78 seqq. Nempe clivum Sacrae viae, qui est a Foro ad arcum Titi poëtae sacrum clivum vocarunt. Horat. Carm. 4, 2, 35. Martial. 4, 70, 5: *Inde sacro veneranda petes Palatia clivo.* Cfr. Horat. Epod. 7, 7.» Becker de Romae vet. muris p. 28. «*Le* clivus sacer *selon Martial montait au Palatin longeant à l'extrémité du Forum le flanc droit du sanctuaire de Vesta.*» Bunsen *le Forum Romanum* in *Annali dell' Inst.* VIII. p. 238.

CARMEN III.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico 5

III. Inscr. volg. *Ad Melpomenen.* — *Ad Musam* bc. — *Ad Melpomenen Musam* S. — *Achaio* c,F. (Ceteri mei *Achaico.)*

III. Post multas illas ac diuturnas obtrectatorum et iniquorum suorum cavillationes se tandem verum atque unicum *Romanae fidicinem lyrae* a suis popularibus agnitum esse laetatur. — Tempus, quo hoc carmen compositum sit, incertum est. Grotefend refert ad a. 738.

1 - 5. *Melpomene*] Cfr. Od. 1, 24, 3. 3, 30, 16. — *semel - - videris*] «primum atque propterea ita, ut nulla alia vis malefica ei obstare et nocere postea possit.» — Criticus, qui hanc notissimam consuetudinem Latinam v. *semel* ignorabat, coniecit *simul*. Tu cfr. Od. 1, 24, 16. — *placido lumine*] «Quem tu oculis benevolis primo temporis puncto, quo natus est, (ipso in horoscopo) aspexeris, is profecto nunquam in eo elaborabit, ut in Graecorum ludis publicis victor evadat (quem honorem illi Romanorum triumpho aequiparare solebant), neque ut rebus bellicis clarus fiat ac de hostibus devictis triumphet.» — De aspectu deorum opinio est antiquissima. Hesiod. Theog. 84: *Ὁντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο, Τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἀοιδήν.* Pind. Olymp. 7, 11: *Ἄλλοτε δ' ἄλλον ἐποπτεύει Χάρις ζωθάλμιος.* Theocr. 9, 35: *οὐς γὰρ ὁρῆτε (Μῶσαι) Γαθεῦσαι, τὼς δ' οὔτι ποτῷ δαλήσατο Κίρκα.* Alciphr. 3, 44: *εὐμενεστέροις ὄμμασιν ἐκεῖνον εἶδον αἱ Χάριτες. Τῷ κυριωτέρῳ* usa est Sappho in simili sententia Fr. 90: (Musae) *Αἵ με τιμίαν ἐποίησαν, ἔργα τὰ σφὰ δοῖσαι. — labor Isthmius*] Sic saepe apud Pindarum de his ludis *κάματος, πόνος.* Stat. Silv. 4, 4, 34: *Elei labores. — Clarabit*] «clarum reddet, illustrabit»; «nobilitatis». Schol. Verbum est antiquius ac poëticum. — *ducet*] «reducet in patriam,» Od. 4, 2, 47; neutiquam vero cum aliis: «in ipso curriculo victorem reddet.» — *Achaico*] Tunc tota Graecia a Romanis Achaia solebat appellari. Non est cur ad victoriam dumtaxat Olympicam hoc referamus, sed generatim loquitur de ludis Graeciae publicis.

6-8. *Deliis - foliis*] «lauro Apollinis in Delo insula nati.» — *contuderit*]

Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
Et spissae nemorum comae
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae principis urbium
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros,

10. *perfluunt* e Codd. F. (*praefluunt* superscr. *per* d, *profluunt* γ. Ut nos, bsc, βx, «cum aliis».)

«profligarit atque ultus sit.» Sic Od. 3, 6, 10: *contudit impetus.* — *regum - - minas*] Od. 2, 12, 11: *ductaque per vias Regum colla minacium.*

10. 11. *Sed quae* cet.] «Sed cum, spreta caducae gloriae specie, id unice spectet, quod per se pulchrum est cuiusque perfectam imaginem praebet ipsa rerum natura atque ante omnia amoenissimus quisque tractus, ut Tibur cum aquis suis, Aniene et Albunea, ut nemora solitaria, poëta ille evadit.» — *Tibur*] «Hoc proprie Horatius ad secessum suum refert. Tiburi enim fere suum otium conferebat ibique carmina sua conscribebat.» Schol. Certe in eius vicinia, in Sabino suo; nam Tiburtinum, ut nonnulli volunt, non habebat. — *aquae*] Ovid. Am. 3, 6, 45: *Nec te praetereo, qui per cava saxa volutans Tiburis Argei pomifer arva rigas.* — *praefluunt*] pro volgari *praeterfluunt*, «prope oppidum Tibur fluunt», ut Od. 4, 14, 26. et apud Liv. 1, 45: *infima valle praefluit Tiberis.* Virg. Aen. 6, 705: *Lethaeum -, domos placidas qui praenatat, amnem.* Apul. Met. 6, 15: *aquila ob os puellae praevolans.* Altera lectio *perfluunt* ab iis provenit, qui significationem v. *praefluere* minus nossent. — *nemorum*] Cf. Epp. 2, 2, 77. Tacit. Dial. 9: *poëtis - -, ut - ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est, in solitudinem recedendum est.* — *comae*] Conf. Od. 1, 21, 5.

12. *Fingent*] «reddent, efficient.» Virg. Aen. 2, 79: *nec si miserum Fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.* — *Aeolio carmine*] Alcaei et Sapphus, pro toto genere lyrico. Cfr. Od. 2, 13, 24. 3, 30, 13.

13. 14. *principis urbium*] Od. 4, 14, 44: *dominae Romae.* Epp. 1, 7, 44: *regia Roma.* Martialis 12, 8: *Terrarum dea gentiumque Roma, Cui par est nihil et nihil secundum.* — *soboles*] ut Virg. Aen. 4, 236: *prolem Ausoniam*, imprimis de iuventute significatione Romana usque ad quadragesimum circiter annum.

15. 16. *Vatum*] «hoc nomine vere dignorum, cuiusmodi sunt novem illi Graecorum Lyrici»; *amabiles*

Et iam dente minus mordeor invido.

O, testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum, 20

20. *cigni* bcd.

autem, quatenus poëtae omnibus cari acceptique sunt. — *mordeor*] «rodor», ut est apud Ovid. Trist. 4, 10, 123: *Nec, qui detrectat praesentia, Livor iniquo Ullum de nostris dente momordit opus.* Martial. 5, 28: (Invidus) *Rubiginosis cuncta dentibus rodit.* Pind. Pyth. 2, 53: *δάκος ἀδινὸν κακαγοριᾶν. Torqueor* Cuninghamii longe minus appositum est ac vera auctoritate caret. «Gloriâ», inquit, «invidiam vici.» Od. 2, 20, 4: *invidiaque maior Urbes relinquam.*

17. 18. *testudinis aureae*] Pind. Pyth. 1, 1: *Χρυσέα φόρμιγξ.* — *strepitum*] Sic vocat lyrae sonum etiam Epp. 1, 2, 31. Epp. 1, 14, 26., ut Pind. Isthm. 4, 27. B.: *κλέονται δ' ἔν τε φορμίγγεσσιν ἐν αὐλῶν τε παμφώνοις ὁμοκλαῖς.* — *Pieri*] Rarior hic usus num. sing. Ovid. Fast. 4, 222: *Pieris orsa loqui.* — *temperas*] «*stimmest.*» Propert. 2, 34, 79: *Tale facis carmen, docta testudine quale Cynthius impositis temperat articulis.*

19. 20. *mutis-piscibus*] Sic etiam Graeci. Hesiod. Scut. H. 212: *ἕλλοπας ἰχθῦς, mutos pisces*, ut certe Grammaticorum pars explicabat, alii *celeres*. Sophocl. in Phrygibus Fragm. 700. D.: *Χορὸς δὲ μύνδων* (ex gloss. alii *δ' ἀναύδων*) *ἰχθύων ἐπερῥόθει.* Oppian. Hal. 1, 434: *Καὶ σκάρον, ὃς δὴ μοῦνος ἐν ἰχθύσιν πᾶσιν ἀναύδοις Φθέγγεται ἰκμαλέαν λαλαγήν.* — *cycni*] prima syllaba h. l. correpta.

21. *muneris*] «Nullum meum proprium meritum, totum tuum donum ac beneficium est.» Ad usum confer Tib. 1, 9, 43: *Saepe insperanti venit tibi munere nostro.* Amabili autem modestia temperat laudes, quas suo iure sibi tribuit. — Propter ipsam vim vocabuli *muneris* priore loco posuit, non, ut nonnemini lenius visum est: *Totum hoc muneris est tui.* Non lenius hoc, sed languidius.

22 - 24. *monstror digito*] in bonam partem contra nostrae linguae rationem. Lucian. Herod. 2: *εἴ πού γε φανείη μόνον, ἐδείκνυτο τῷ δακτύλῳ· οὗτος ἐκεῖνος Ἡρόδοτός ἐστιν ὁ τὰς μάχας τὰς Περσικὰς συγγεγραφώς.* Sic etiam Dial. mer. 6, 4. Pers. 1, 28: *At pulchrum est digito monstrari et dicier Hic est.* Tac. Dial. de Oratt. 7: *Quos saepius volgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat?* Sed et in deteriorem partem apud Ovidium Amor. 3, 6, 77: *en digitis designor adultera volgi.* (Lucian. Rhet. Praec. 25: *τὸ δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ τοῦτον ἐκεῖνον τὸν ἀκρότατον ἐν πάσῃ κακίᾳ λεγόμενον.*) — *praetereuntium*] Minus apte nuper quidam post hoc v. colon ponendum esse et iungendum *Quod Romanae fidicen lyrae spiro* opinatus est. — *Romanae fidicen lyrae*] Cf. Od. 3, 30, 13. Epp. 1, 19, 24 et 32., ubi *Latinum* se *fidicinem* nominat. Ovid. Trist. 4, 10, 49: *Et tenuit nostras*

Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

numerosus Horatius aures, Dum ferit Ausonia carmina culta lyra. — spiro] Non significat, «quod vivo», ut quidam volunt; sed: «quod inspiratus sum a Musa, quod verus me movet *ἐνθουσιασμός*.» («Quod lyrici poëtae me agit spiritus.» Doering.) Est autem *ὅτι πνέω*, non *ὃ πνέω*, ut credebat, qui interpretatus est: «quicquid poëtici spiritus mihi est.» Dioscorid. in Anth. Pal. I. p. 426. Sappho dicit *ἴσα πνείουσαν ἐκείναις (Πιερίσιν)*. Cfr. Od. 4, 6, 29.

CARMEN IV.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aves vagas

IV. Inscr. volg. *Drusi laudes* vel *Ad urbem Romam.* — *Ad urbem Romanam de indole ducum* Bc. — *Ad Drusum privignum Augusti qui patrem Neronem habuit* S. — *In Drusi Neronis virtutem* b. — 2. *avis* B.

IV. Drusi res gestas egregiis laudibus celebrat, ita ut eius virtutes educationi, qua eum formarat vitricus Augustus, imprimis deberi significet. Claudius Drusus Nero, minor frater Tiberii, natus a. u. c. 716., XXIII. annorum adolescens a. u. c. 739. una cum illo Raetos Vindelicosque debellavit, postea consul a. u. c. 745. in expeditione Germanica mortem obiit. Ex Antonia, triumviri filia, genuit Germanicum Caesarem, Claudium imperatorem, Livillam. Tacit. Ann. 1, 33: *Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret* (Augustus enim una cum populo eum Tiberio longe anteferebat), *libertatem redditurus.* Consolat. ad Liviam de morte Drusi 43: *Occidit exemplum iuvenis venerabile morum; Maximus ille armis, maximus ille toga.* Suetonius in Horatii vita: (Augustus) *scripta quidem eius usque adeo probavit mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo seculare carmen componendum iniunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum, eumque coëgerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere.* «Haec est Ecloga, propter quam totus hic liber editus est.» Porphyrion. Carmen hoc aliquot mensibus ante mensem Sextilem a. 739. compositum videtur Frankio F. Hor. p. 210., qui de rebus gestis, quas significat poëta, omnino consulendus est, nec tamen hic exscribi potuit; quocirca in hac Ed. tertia non sustuli lani verba in Excursu I., quem ille inspexisse non videtur.

1. *Qualem*] Protasis procedit usque ad v. 16: «Qualem novellam aquilam -- qualemve leonem, talem videre Vindelici Drusum adolescentem.» — *ministrum fulminis*] Aquila Iovis fulmina custodit atque ei iacienda porrigit. Hinc Ciceroni in Marii Fragm. p. 567: *Iovis altisoni -- pinnata satelles.* Idem Arat. 294: *summi Iovis ales nuntius.* Virg. Aen. 5, 255: *Iovis armiger.* Plin. H. N. 10, 3, 4: *Negant unquam solam hanc alitem exanimatam fulmine; ideo* armigeram Iovis *consuetudo iudicavit.* Sic apud Plat. Phaed. p. 85. A. cycni sunt Apollinis *ὑφάκοντες.* Alibi talia animalia deorum *famuli* vocantur. Cfr. Grimm *Reinhart Fuchs* p. XLIV. Contra Iob 5, 7. *fulminis filias* appellat aquilas.

2. *regnum*] Sic Pindaro aquila est *ἀρχὸς οἰωνῶν* (Pyth. 1, 7.), *οἰωνῶν βασιλεύς.* (Ol. 13, 21. B.) — *aves vagas*] «*ἠεροφοίτους.*» Sic Od. 3, 27, 16: *vaga cornix.* Virg. Cir. 197: *vagae - volucres.*

4. *in Ganymede*] Ex Horatii igi-

Permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo,
Olim iuventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium
Vernique iam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus

6. *protulit* BbTd. (non Sc.) — 7. *Vernisque* b,γμ (cum var. lect. *verni*) χ alter, ε, pr. βκ, non improbante Bentleio. (Ut nos, BSTcd, Pott. quinque.)

tur mente aquila, Iovis ministra sive famula (ut Virg. Aen. 5, 95: serpens *famulus* Anchisae), Ganymedem, Trois filium, rapuerat, sicque Apollodorus 3, 12, 2, 3: *τοῦτον-διὰ κάλλος ἁναρπάσας Ζεὺς δι' ἀετοῦ θεῶν οἰνοχόον ἐν οὐρανῷ κατέστησεν.* Posteriores, ut videtur, Iovem ipsum eo consilio sese in aquilam mutasse narrant. Lucian. Dial. D. 4. ibique Hemsterhus. Fundus autem fabulae est Iliad. υ, 232: *ἀντίθεος Γανυμήδης, Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων· Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.* Schol. Vatic. ad Eurip. Troad. 824: *Τὸν Γανυμήδην καθ' Ὅμηρον Τρωὸς ὄντα παῖδα Λαομέδοντος νῦν εἶπεν ἀκολουθήσας τῷ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκότι.* — Inspice egregiam picturam Pompeianam *Mus. Borbon.* X. T. 86. — *flavo*] Hom. Hymn. in Ven. 203: *Ἤτοι μὲν ξανθὸν Γανυμήδεα μητίετα Ζεὺς Ἥρπασεν.* Satis autem poëtice hac digressione, quam frustra (deleto etiam v. 6.) in *νοθείας* suspicionem adducere conatus est HP., significat, cur Iuppiter aquilam tanto honore dignatus sit.

5. *Olim*] frequenter usurpatur in fabellis et exemplis de tempore infinito, quo aliquid factum est aut fieri solet, ut Epod. 3, 1. Sat. 1, 1, 25. Epp. 1, 10, 42. Virg. Aen. 8, 394. — *patrius*] «ingenitus.»

6. *laborum*] «et volatus et certaminum, quae eum manent, etiamtunc insuetum.» — *propulit*] «impulsu quodam naturali nido foras expulit.» Altera lectio *protulit* vi, quae hic requiritur, caret. — Frequens autem perfectum aoristi significatione in similitudinibus et comparationibus. Cfr. Virg. Aen. 11, 809 seqq.

7. 8. *Vernique*] «iam nimbis hibernis desinentibus, cum sudum est caelum.» Primo enim vere, ineunte mense Aprili, interdum iam exeunte m. Martio aquila per dies XXI. ovis incubat. V. Schinz *Nester und Eier, Zürich* 1849. p. 109. In poëta autem versantis stulta erat Iulii Caesaris Scaligeri reprehensio Poët. Lib. 6. p. 887., quod aquilae novellae mense demum Augusto nidis patriis evolarent. (De *nimboso* Italiae *vere* cfr. Iuven. 4, 87. 5, 78: *fremeret saeva cum grandine vernus Iuppiter et multo stillaret paenula nimbo.*) — Lectio Codd. aliq. *vernisque* non est nisi accommodatio ad v. *nimbis*; nec placent *venti* sine *ἐπιθέτῳ*, et ingrate sibilat versus *Vernisque iam nimbis remotis.* — *nisus*] «alarum verbera, remigium.»

Venti paventem, mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnae;

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem

15. *Iam mane* vel *Iam sponte* malebat Bentl., *Iam iamque* Kusterus.

Lucret. 6, 833: *pinnarum nisus inanis.*

9. 10. *paventem*] «primo conatu pavidum; sed mox audacter cum acri impetu defertur in praedam.» Apuleius Flor. 1: *Aquila quaerit, quorsus potissimum in praedam superne sese ruat fulminis vice.* — *vividus*] Poëticum esse vocabulum tradit Festus; est tamen etiam apud Liv. 6, 22: *in vivido pectore*, et alibi.

11. 12. *reluctantes*] Plin. H. N. 10, 4: *Ille* (draco) *multiplici nexu alas* (aquilae) *ligat, ita se implicans, ut simul decidant.* Luctam inter aquilam et serpentem pingunt Homerus Iliad. μ, 200. Nicander Ther. 458. Cicero in Mario. (de Legg. 1, 1.) — Ut in Horatio, sic aquila cum dracone luctans imago est fortitudinis bellicae in ocrea Musei Borbon. VII. T. 14. — *amor dapis*] «cibi cupiditas.» Admirabili arte tres describit veluti gradus aquilae vires suas paullatim explicantis.

13-16. *Capream* (nostris zoologis *cervum capreolum, Reh*) cum *capra* confundi non debere dicendum est propter nuperum quendam interpretem. — *lacte depulsum*] ἀπογαλαχτισθέντα. Unam notionem exprimit, quam posteriore aetate, ut e Glossariis constat, uno verbo *ablactatus* signarunt. Hinc recte adiungi poterat *ab ubere*, «a mamma»: falsique sunt, qui *ubere* pro adiectivo habentes explicarunt: «a copioso leaenae lacte», quod quidem ἐπίθετον hic prorsus otiosum, immo ineptum esset; nec vero convenit cum part. *iam*, quo posita est loco. Cfr. Ern. Guil. Weberum ad Iuvenal. p. 350. Ed. suae Wimar. Recte etiam Regel: «Cum mater iuvenem leonem ab ubere depellat, ut lacte eum prohibeat, sine verborum abundantia leo dici potest *ab ubere matris lacte depulsus*; additum enim *lacte* significat id, a cuius usu prohibetur, qui a matris ubere depellitur.» *Depellere a lacte* dixit Virg. Ecl. 7, 15., *ab ubere matris* Ge. 3, 187., *depellere* absolute Ecl. 3, 82. (Animi, puto, causa vir κριτικώτατος nuper proposuit *Iam (macte!) depulsum.*) — *Dente novo*] «novelli leonis, tunc primum praedam rapturi.» — *peritura*] «certo exitio destinata.»

17. *Raetis*] pro Raeticis. Haec, ut docent Inscriptt., rectior scriptura est quam *Rhaetis*. Vera autem lectio (quam cum paucis aliis habet antiquus Cod. Sangall. a pr. m.) corrupta est partim errore *Raeti*, partim interpolatione Codd. aliq.: *et Vindelici*. Cuninghamius Animadvv. p. 50. adnotat iam diu

Dente novo peritura vidit:
Videre Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; — quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi

16. *videt* d. — 17. *Raeti* BbTc et corr. S, *Rethi* d, *Rhaeti* Pott. omnes, LCt. *(Raetis* primum Bentl. coni., postea repperit idem coniecisse N. Heinsium, et habuisse pr. κ, item «exemplar Rottendorphii»; ac sane ita pr. S, Feae pr. Vr. H.) — 18. *et Vindelici* ω, ex aliis Torr. — 18 - 22. Vv. *quibus* - - *sed* suspecta Guyeto, Ianio, Webero, Meinekio, Frankio, aliis. Qui delent, v. 22. scribunt *et diu*.

ante Bentleium *Raetis* legisse Sarbievium 4, 6, 30: *Pugnata Raetis bella sub Alpibus.)* — Quamquam *Raeti* miro acumine Vanderburgius habuit pro genit. sing., ut *Alpes Raeti* sint Alpes veteris illius herois mythici, de quo Plin. H. N. 3, 20: *Raetos Tuscorum prolem arbitrantur, a Gallis pulsos, duce Raeto.* (In hanc Vanderburgii explicationem, eius interpretatione nunquam visa, incidit etiam Gustav Schwab, egregius poëta, meus amicus. Neuter tamen adhuc persuasit. *Raetum* quidem heroëm nosse poterat Horatius, ut novit Plinius l. l.; sed positio ipsa non placet *Raeti sub Alpibus*, et longe differt *Pacori manus.*) — *bella*] De universo bello Raetico inter Interpretes nemo ante Frankium melius exposuit quam Iani. Vide Excurs. I. in fine huius Carminis.

18 - 20. *Drusum - Vindelici - - - securi*] Ipsius *Drusi* gladium honorarium, saltem vaginam eius argenteam, *Vindeliciae* hasta et *bipenni* armatae effigie aliisque caelaturis conspicuam, Magontiaci nuper esse repertam docuit J. Becker in *Zeitschr. f. Alterthw.* VII. p. 131 seqq. — *quibus* cet.] «quorum mos in proeliis semper securibus utendi (quemadmodum solebant, ut tradunt poëtae, Amazones, *securigerae puellae* Ovid. Her. 4, 117. Curtius 6, 19.), *unde* sit *deductus*, quam ob causam apud eos inde ab antiquissimis temporibus invaluerit, equidem investigare adhuc intermisi, neque vero id curo, inane enim hoc foret studium, cum multa eiusmodi semper nos lateant necesse sit.» — *per omne Tempus*] «ex quo eos novimus.» Minus recte nonnulli explicarunt: «cur omni tempore, etiam in pace, bipennes gestent.» Etenim iungenda vv. *deductus per o. t.* — *Amazonia securi*] Non inest in his vv. illud, quod repperisse sibi visi sunt Scholiastae et Servius ad Aen. 1, 244: *Vindelici ab Amazonibus originem ducunt, ut etiam Horatius dicit* Quibus cet. (Gladiis quidem Amazones pugnant in cista Volcentina apud Gerhard *Etr. Spiegel* T. X.; frequentius tamen in antiquis marmoribus et picturis securibus utuntur, ut Antiopa apud Millingen *Uned. Mon.* I. T. 19. in *Mus. Borbon.* VI. T. 3 et 5. Gerhard *Vaseng.* II. T. CII., item haud raro in nummis Graecis. Cfr. Rasche Lexic. I. p. 502. Pulcherrimam Amazonis statuam, Salamine repertam, vide in *Collection d'antiquités, qui composaient le cabinet du B. de Stackelberg. Dresde* 1837. p. 6.)

Dextras obarmet, quaerere distuli,
Nec scire fas est omnia; — sed diu
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae

Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus

21. *obarmet* superscr. «vel *sub*» d, *subarmet* c. — 24. *repressae* corr. β, Bentleius, *reiectae* Wadius. — 26. *faustis*] *sanctis* Bentl. coni.

21. 22. *obarmet*] Praeter Horatium hoc verbo usi sunt etiam Ausonius Epigr. 25. et Apuleius Metam. 2, 25. 9, 1: *contra me manus impias obarmabat*. Lectio *subarmet* nata videtur ex littera finali praecedentis v. *Dextras*. — *distuli*] «quaerere supersedeo, non vacat.» — *Nec scire fas est omnia*] Hoc quidem refert antiquissimorum temporum sensum, cum mortales deorum voluntate negatam sibi esse rerum imprimis ad religiones pertinentium cognitionem timide agnoscerent. Nec sine causa Scaliger comparari iussit Pind. Nem. 5, 16: *στάσομαι· οὔ τοι ἅπασα κερδίων Φαίνοισα πρόσωπον ἀλάθει' ἀτρεκής· Καὶ τὸ σιγᾷν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώπῳ νοῆσαι*. — Iam manifestum est id Horatium egisse, ut loco de Vindelicis aliquantum immoraretur; id quod optime fieri poterat more aliquo illorum insigni describendo; elegit igitur eorum secures, quarum aciem Romani satis erant experti; atque ad eum finem usus est digressione, quae gravitate minime caret. Haec cum non satis perspicerent interpretes quidam omnemque hunc locum prorsus otiosum esse ducerent, inde a Guyeto pro insititiis hos versus habuerunt, iis deletis sic scribendum proponentes: *Videre Raetis bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici; et diu* (vel *et* omisso, *diu* dumtaxat) cet.; quo quidem *et* nihil languidius excogitari poterat, cum *sed* optime, ut apud Ciceronem frequenter, subsequatur *παρενθέσεις* hoc sensu: «sed, ut eo, unde digressus sum, revertar.» Omnino de hoc loco idem fere valet, quod de similibus digressionibus Od. 3, 11, 17 - 20. Od. 3, 17, 2 - 5., quae, quemadmodum haec, miro casu sine metri damno resecari possunt. Quamquam in hoc artificio poëtico Horatium minus felicem Pindaro fuisse haud nego.

23. 24. *catervae*] utpote de barbaris. — *Consiliis*] «*Consilium* scilicet *imperatorum, quod Graeci στρατήγημα appellant*, ut ait Cicero de N. D. 3, 6, 15. Sic Liv. 9, 17, 14. Tac. Ann. 2, 8.» Halm. — *revictae*] Graviter et cum vi *victrices - - revictae*, «prorsus victae, perditis omnibus quae victoriis suis ante partis sibi conciliaverant.» Cic. pro Sulla 1. non minus singulariter: *perditi cives, redomiti atque victi*. Apul. Met. 8, 10: *simulatque revicta Charite*. (Horatianum autem verbum restituendum videtur Ovidio Met. 9, 74: (Hydram) *domui domitamque peremi*, ubi alii *revinxi*,

In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus et bonis;
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam;
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant;

28. *neronis* T. — 29. *fortibus. et bonis Est in* distinguunt Td et «maior pars membranarum» Bentleii; item Fea. — 31. *nec* d, LCtF. (Ut nos, BbTc.) — *inbellem* T.

reduxi, redegi, resolvi. Lege: *revici.)* Languet atque omni probabilitate caret *repressae*; nec prorsus verum est, quod ait Bentleius: «*revictus* nihil aliud notat quam «refutatus, convictus», neque unquam de bellis et proeliis, sed de criminibus et iudiciis usurpatur.» Tu cfr. Lucret. 5, 409: *Inde cadunt vires aliqua ratione revictae.*

25 - 28. *Sensere*] «cum magno malo suo intellexere.» — *mens* ad virtutes intelligentiae, sagacitatem, prudentiam, *indoles* ad animi virtutes, fortitudinem, clementiam, fidem pertinet. — *rite*] «bene ac recte.» Verba tria sunt religiosa, *rite, faustus,* «cui dii favent», *penetralia,* «veluti dei domicilium», significantque castam omnino et sanctam fuisse hanc educationem. — *penetralibus*] Velleius 2, 94: Tiberius *innutritus caelestium praeceptorum disciplinis.* — *In pueros Nerones*] «in privignos Tiberium et Drusum.»

29. *Fortes* cet.] Pind. Pyth. 8, 44: *Φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει Ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα.* Eurip. Fr. Alcm. 7. Dind.: *ὡς ἀληθὲς ἦν ἄρα Ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθαι τέκνα, Κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τῇ τοῦ πατρός.* Seneca Troad. 540: *Generosa in ortus semina exsurgunt suos.* — *fortibus et bonis*] ablativi sunt, non dativi. Est formulae instar: Epp. 4, 9, 43: *et fortem crede bonumque.* Cic. ad Fam. 3, 11: *in summa bonorum ac fortium civium copia.* Ibid. 5, 19: *id quod omnes fortes ac boni viri facere debent.* Verr. 3, 69: *quem ego - quamvis bonum fortemque facile paterer evadere.* — Mire Fea ita discerpsit: *fortibus; et bonis est in iuvencis.* Scilicet sufficiebat dicere: «patrum virtus est, cernitur in iuvencis;» cum hoc ipso significentur horum vires et robur. — Iam sententia haec est: «Tiberius et Drusus utique genus ducunt ab antiquis illis Claudiis, viris fortibus et bonis; sed educatio eorum, cuius curam sapientissime gessit Augustus, bonam iuvenum indolem excoluit.» Hinc illa *Doctrina sed vim promovet insitam* cet. — Cave autem putes v. *fortibus* cet. vel tecte significari Ti. Neronem, Tiberii et Drusi patrem, cuius ex domo Augustus Liviam gravidam abduxit. De hoc viro, cuius memoria iamdudum obsoleverat, ne cogitavit quidem Horatius. — *neque imbellem feroces*] Theognis 537: *Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται οὐδ' ὑάκινθος, Οὔτε ποτ' ἐκ δούλης τέκνον ἐλευθέριον.*

34. 35. *Rectique cultus*] «Recta educatio animum fortem reddit et exemplo et exercitationibus.» —

Utcunque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

36. *Indecorant* βξχ, pr. ν, var. lect. ω, Pottierii 2, 5, 6, 9, 13, 14., Fea, J: *Indedecorant* c, *Dedecorant* BbST,LCt, Bentl., M. — 38. *Asdrubal* c, *Hannibal* superscr. *Hasdrubal* d.

Utcunque] ex Horatii consuetudine (Od. 2, 17, 11. 3, 4, 29.) pro «quandocunque». «Verum simulac recta morum disciplina patribus deest, prava educatione etiam bona liberorum indoles corrumpi solet.» — *defecere*] Sic absolute apud Rutil. Lupum 1, 2: *quarum quaevis una res per se satis est gravis ad deficiendum*, id est, ut explicat Iacob, «ut vires deficiant.»

36. *Indecorant*] Volgari *dedecorant* a poëta praelatum esse verbum rarius (usurpavit Accius apud Non. pag. 125. Merc.) satis demonstrat etiam Cod. c., in quo ex utraque lectione coniuncta ortum est monstrum *indedecorant*. V. item Accianum *indecoris* quinquies usurpavit Virgilius. — *bene nata*] «τὰ εὐφυῆ, generosas naturas.»

38. *Testis*] Catull. 64, 357: *Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri.* — *Metaurum flumen*] ut Od. 2, 9, 21: *Medum-flumen*. A. P. 18: *flumen Rhenum*. Metaurus ex Piceni finibus oritur. — *Hasdrubal*] A. u. c. 547. C. Claudius Nero cos. cum Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, cum nova belli mole Italiae faucibus imminere intellexisset, relictis clam cum delecto milite, quae in Lucania adversus Hannibalem tenebat, castris, in Umbriam profectus, Hasdrubalis exercitum praevalidum collatis cum M. Livio Salinatore signis ad Metaurum flumen adgressus, maxima clade penitus contrivit. Liv. 27, 43 seqq.

39. 40. *pulcher*] ut Od. 4, 2, 46: *o Sol Pulcher*. «Similiter Aeschyl. Pers. 300: Ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα Καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου.» Halm. Adde Sophocl. Antig. 100. Boeckh. — *fugatis--tenebris*] «perpetuarum calamitatum tristi metu.» Imago etiam rhetorica. Cic. pro Sex. Roscio Am. 32: *tamquam si offusa rei publicae sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris.* — *Ille dies*] *ἰσοστάσιον (τῇ ἐπὶ Κάνναις ἀτυχίᾳ)* eum vocat Appianus Annib. 53.

41. *Qui primus*] Vide Excursum II. — *risit*] «laetus atque hilaritatis plenus fuit remoto tandem terrore hostili.» Heliodor. 1., init.: Ἡμέρας ἄρτι διαγελώσης. — *alma*] aptissimum est ἐπίθετον propter primam voc. *adorea* significationem. — *adorea*] donatio, a v. *ador (Dinkel, Spelt)*. Iam cum de re publica bene meriti antiquis temporibus farre donarentur, hinc factum est, ut v. *adorea* pro praemio atque adeo pro laude, gloria, honore usurpari coeptum sit. Glossar.: *adorea, δόξα ἢ ἀπὸ τοῦ κο-*

Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu

42. *Durus* nonnulli Torrentii; nostri omnes *Dirus*. — 45. *Post*] *Per* b.

λέμου. Plin. H. N. 18, 3: *Gloriam -- a farris honore adoream appellabant*. Plaut. Amph. 1, 1, 43: *praeda atque agro adoreaque affecit populares suos*. Claudian. de laud. Stilic. 1, 384: *Haec omnes veterum revocavit adorea lauros*. Apul. Met. 7, 16: *ut fortibus factis adoriae* (sic) *plenae gloriarer*. (Amant hoc v. posteriores vel propter sonum.) Aliter explicat Festus in v. *Adoream* p. 3. Müll.: *Adoream laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret*.

42 - 44. *Dirus*] Vid. ad Od. 2, 12, 2. — *ut*] «ex quo». — *Ceu*] hoc uno loco usurpat Horatius. Cfr. Hand Turs. II. p. 47. — *taedas*] «silvam piniferam, *Kiengehölz*.» Nihil autem terribilius quam talia per aestatem silvarum incendia, quale ipse Curiae Raetorum ante hos XL. annos vidi. — *equitavit*] Eurip. Phoeniss. 209: *περιῤῥύτων Ὑπὲρ ἀκαρπίστων πεδίων Σικελίας Ζεφύρου πνοαῖς Ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ Κάλλιστον κελάδημα*. Exemplum metricum in Frgm. Censorino subiecto C. 14. Ed. Iahn: *Orte beato lumine, volitans qui per caelum candidus equitas*. Verum cum per zeugma v. *equitavit* referatur simul ad Poenum et ad flammam, pro «furit, pervagatur», cogitare non debemus de Euri equis (Virg. Aen. 2, 417: *laetus Eois Eurus equis*.), sed de summa celeritate, qua Hannibal Italiam pervagatus omnia devastavit. (Cfr. Voss *myth. Br.* I. p. 271. Geel ad Eur. Phoen. p. 103.)

45. 46. *secundis*] «Exinde exercitus Romani feliciores in dies superioresque hostibus fieri coeperunt, auctaque est res Romana.» — *laboribus*] Theognis 987: *(Ἵπποι) Αἵτε ἄναχτα φέρουσι δορυσσόον ἐς πόνον ἀνδρῶν*. Polyb. 11, 3. de victoria illa ad Metaurum fl.: *καθόλου δ' εἰς τοιαύτην εὐελπιστίαν παρεγένοντο καὶ θάρσος, ὥστε πάντας τὸν Ἀννίβαν, ὃν μάλιστα πρότερον ἐφοβήθησαν, τότε μηδ' ἐν Ἰταλίᾳ νομίζειν παρεῖναι*. — *Romana pubes*] ut pro Dardanis dixit Virg. Aen. 7, 219: *Iove Dardana pubes Gaudet avo*. — *crevit*] «Latinum est *res Romana*, non *pubes Romana*.» HP. Recte contra Bosscha interpretatur: «pubes R. laetiores in dies spes concepit», affertque Ovid. Her. 15, 117: *Gaudet et e nostro crescit maerore Charaxus*. Liv. 5, 46: *Veiis interim non animi tantum in dies sed etiam vires crescebant*. — *impio*] propter deorum delubra violata. Vide de Feroniae templo spoliato Liv. 26, 11.

47. 48. *Vastata*] Sic inter alia

Fana deos habuere rectos,
Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.
Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus sacra
Natosque maturosque patres

49. *que* om. T. — *annibal* c. — 54. *Tuscis*] *tuis* T.

multa Liv. 22, 9: Hannibal *Praetutianum Hadrianumque agrum, Marsos inde Marrucinosque et Pelignos devastat circaque Arpos et Luceriam proximam Apuliae regionem.* — *tumultu*] h. l. de bello internecino, ut dicebant *tumultum Italicum, Gallicum.* Cic. Phil. 8, 1. *gravius tumultum esse quam bellum* demonstrat. — *rectos*] «simulacra, quae deiecerat Hannibal, reposita in bases suas in perpetuumque restituta sunt.»

49. *Dixitque tandem*] Liv. 27, 51: *C. Claudius consul cum in castra redisset, caput Hasdrubalis, quod servatum cum cura attulerat, proiici ante hostium stationes captivosque Afros, vincti ut erant, ostendi, duos etiam ex iis solutos ire ad Hannibalem et expromere, quae acta essent, iussit. Hannibal tanto simul publico familiarique ictus luctu, agnoscere se fortunam Karthaginis fertur dixisse.* — *perfidus*] Livius 21, 4. *perfidiam plus quam Punicam* ei tribuit. Et omnino *perfidus, periurus,* Hannibalis *ἐπίθετα* sunt prope stabilia. Statius Silv. 4, 3, 5: *Nec dux advena peierante bello Campanos quatit inquietus agros.* Ibid. 6, 77: *periuroque ense superbus Hannibal.*

50-52. *Cervi*] Theognis 56: *Ἔξω δ' ὥστ' ἔλαφοι τῇσδ' ἐνέμοντο πόλεος.* — *Sectamur ultro*] «Caeco impetu abrepti eos aggredimur.» — *opimus*] Memor, ut videtur, formulae illius, *opima spolia,* opimum triumphum nove dixit pro magnifico et amplissimo.

53-56. *Gens*] Virg. Aen. 1, 67: *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor, Ilium in Italiam portans victosque Penates.* — *fortis*] «haudquaquam perterrita patriae excidio.» Iunge cum v. *pertulit,* pro «summa fortitudine advexit.» De Rooy ad Martial. p. 144. coniiciens *fortior Ilio* et iungens *iactata sacra* nequaquam animadvertit *τὸ κύριον*, populum Romanum, et tonsae ilicis imaginem summa cum arte a poëta inter se connecti et quasi in unum confundi. — *sacra*] Vestam et Penates. Virg. Aen. 1, 68. Cfr. ibid. 2, 293: *Sacra suosque tibi commendat Troia Penates* cet. — *maturosque*] A. P. 145: *Maturusque senex.* Virg. Aen. 5, 73: *aevi maturus Acestes.*

57. 58. *tonsa*] «Ilex ramis amputatis laetius pullulat.» Virg. Ge. 2, 368: (vitibus) *tum stringe comas, tum brachia tonde.* — *Nigrae*] Cfr. Od. 1, 21, 7. Od. 4, 12, 14. h. l. de silvis densis et opacis. Pind. Pyth. 1, 28: *Οἷον Αἴτνας ἐν με-*

Pertulit Ausonias ad urbes,
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.
Non hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve submisere Colchi

56. *Pertulit ad daunias urbes* miro errore T. — 58. *alcido* T. — 60. *animosque νχ.* (Nostri non.)

λαμφύλλοις δέδεται κορυφαῖς. Etenim e longinquo virides montes nigri videntur. — *Algido*] monte Latii, Dianae sacro.

59. 60. *Per damna*] Cfr. Karthaginiensium lamenta apud Liv. 29, 3: *Illis* (Romanis) *Romanam plebem, illis Latium iuventutem praebuisse maiorem semper frequentioremque pro tot caesis exercitibus subolescentem.* Sulpiciae Sat. 48: *Quos* (veteres) *inter prisci sententia dia Catonis Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis, An magis adversis staret Romana propago: Scilicet adversis.* — *Ducit*] «acquirit, sumit; laetior revirescit.» — *animumque*] «Codd. duo *animosque*; ita prorsus Virg. Aen. 2, 799: *Undique convenere animis opibusque parati.* Tamen plures hic et antiquiores sequimur, ut Caesar B. G. 7, 76: *omnesque et animo et opibus in id bellum incumberent.* Sane Horatius varietatem numeri videtur studio consectatus esse, ut supra Od. 4, 2, 22: *et vires animumque moresque* cet., ubi potuit pariter *animosque.*» BENTL.

61-64. Vide Excursum III. — *hydra*] Eurip. Herc. fur. 1274: Τήν τ' ἀμφίκρανον καὶ παλιμβλαστῆ κύνα Ὕδραν φονεύσας. Ovid. Met. 9, 69. Seneca Herc. fur. 531: *Serpentis resecet colla feracia.* Minucius Felix 20. *hydram felicibus volneribus renascentem* dixit. Idem dictum Pyrrho tribuitur a Cassio Dione Exc. Vat. p. 30. Lips.: ὡς τὸ στράτευμα τοῦ Λαβιηνοῦ (Laevini) πολλῷ πλεῖον τοῦ πρόσθεν εἶδεν, Ὕδρας ἔφη δίκην τὰ στρατόπεδα τῶν Ῥωμαίων ἀναφύεσθαι. Item a Floro 1, 18, 19: «*Video me plane Herculis sidere procreatum, cui quasi ab angue Lernaeo tot caesa hostium capita de sanguine suo renascantur.*» — Hercules hydram interimens est in vase picto apud Gerhard T. XCV., ubi novem habet capita, atque imprimis T. CXLVIII., in qua pulcherrimum monstrum duodecim heroi minitatur capitibus. — *Vinci dolentem*] «prae dolore atque indignatione frementem, quod se a tali monstro prope vinci videret.» — *crevit*] «Pluribus capitibus aucta captisque inde semper virium incrementis adversus Herculem sese extulit.» — *submisere*] «unum post alterum protulere»; ut ἀναπέμπειν. Lucret. 1, 8: *tellus Submittit flores.* Propert. 1, 2, 9: *submittit humus formosa colores.* — *Colchi*] satis ab Iasone dentibus draconis a Cadmo interempti, quos Minerva Aeetae donaverat. Apollod. 1, 9, 23. — *Echioniae*] Echion, unus terrigenarum (τῶν σπαρτῶν) ex dra-

Maius Echioniaeve Thebae.

Merses profundo: pulchrior exiet;
Luctere: multa proruet integrum
Cum laude victorem geretque
Proelia coniugibus loquenda.

Karthagini iam non ego nuntios

65. *Mersus* Scd et Bentl. plerique, *Mersae* T. (Ut nos, Bb,$\beta\lambda$, Pott. quinque.) — *evenit* BbSTcd et Codd. Bentleii ac Pottierii, LCtF et Bentl. (*exiet* e corr. Vat. L et aliis (?) apud Valart Meineke, post nos etiam Iahn.) — 66. *Ductore* T. — *proruit* T,$\beta\xi$, pr. d (retinentes *geretque*), Bentl. — 67. *geritque* $\delta\xi$, Bentleius. (Nostri non.) — 69. *Karthagini* scripsi cum b. (*Cartagini* T.)

conis illius dentibus ortorum cum quattuor aliis post pugnam inter fratres superstes, gener Cadmi, quem in Thebis condendis adiuvit, Agaves maritus, Penthei pater. Apollod. 3, 4, 1. Ovid. Met. 3, 126.

65. *Merses*] «Si mersaris, licet merses in alto mari, pulchrior ac fortior exibit.» Lectio *mersus* «nullo modo ferri potest. Oportuit enim *mersa*, non *mersus*, cum referatur ad *Gens* cet.» Bentl. Contra in vv. *Merses* et *Luctere* aptus est parallelismus. — *pulchrior*] saepe de heroibus, quorum forma in pugnis enitet atque conspicua est, Virg. Aen. 7, 656: *satus Hercule pulchro* (al. ex gloss. *forti*) *Pulcher Aventinus*. Ib. v. 764: *Hippolyti proles pulcherrima bello, Virbius*. — *exiet*] Propter parallelismum statuendum est archaismo h. l. usum esse poëtam; nam seqq. futura satis muniuntur ab optimis Codd. Mature autem, ut vel nostri Codd. demonstrant, Grammatici hoc, ut opinabantur, naevo Horatium liberaturi interpolarunt *evenit*, quod tamen hac significatione («e profundo emergit, exsilit») omni exemplo caret ac prope cogit, ut contra librorum auctoritatem in seqq. quoque praesentia recipiamus. *Exiet* est apud Tertull. adv. Iud. 13., *redies* apud Apul. Met. pag. 419., ubi vid. Hildebrand. Cfr. etiam Huschke ad Tibull. Vol. 2. pag. 707. — *proruet integrum*] «prosternet hostem illaesum, qui paullo ante iamiam victoriae certus erat.»

68. *coniugibus loquenda*] «de quibus coniuges Romanorum et cum filiis et inter se cum voluptate iustaque gloriatione verba faciant.» Salust. Fr. 204. p. 257. Gerl.: *Hispanis mos fuit, ut in bella euntibus iuvenibus parentum facta memorarentur a matribus*. Haec rectior interpretatio quam 1) «coniugibus Karthaginiensium loquenda»; pro qua afferunt Catull. 64, 349: *Illius* (Achillis) *egregias virtutes claraque facta Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres*. Verum si hoc voluisset poëta, nonne querimoniae et luctus mentionem iniecisset vel uno ἐπιθέτῳ? 2) «a militibus Romanis domum aliquando reversis narranda suis coniugibus»; Ovid. Her. 1, 30: *Narrantis coniux pendet ab ore viri*. Sed hanc quoque sententiam sine dubio clarius expressisset Horatius, ut fecit Theocritus 16, 86. in contraria sorte Poenorum ab Hierone devictorum: φίλων μόρον ἀγγελέοντας Τέκνοις ἠδ' ἀλόχοι-

Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.

Nil Claudiae non perficient manus,
Quas et benigno numine Iuppiter
Defendit et curae sagaces
Expediunt per acuta belli.

73. *Nihil* T. — *perficiunt* T, «Blandin. vetustiss., alter Pulm. optimus et quidam Lambini», Bentleius, *perficiant* Pottierii 5, 14, *efficient* cum Codd. aliq. (Pottierii 2 et 6.) Glareanus. (Ut nos, BbScd.) — 75. *Descendit* T.

σιν. — Iam similes Hannibalis orationes habes apud Liv. 27, 14: «*Cum eo nimirum,*» *inquit*, «*hoste res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter instat victis; seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.*» et Iustinum 31, 5: «*Cum Romano, seu occupaveris prior aliqua seu viceris, tamen etiam cum victo et iacente luctandum esse.*»

69. 70. *nuntios - superbos*] Liv. 23, 12. post cladem Cannensem Mago Karthaginem missus, illa enarrata: *ad fidem - tam laetarum rerum effundi in vestibulo curiae iussit anulos aureos* (equitum Romanorum in illa acie caesorum), *qui tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium super tres modios explesse sint quidam auctores.*

72. *Hasdrubale interempto*] Liv. 28, 12: *Post Hasdrubalis - exercitum cum duce, in quibus spes omnis reposita victoriae fuerat, deletum, cedendoque in angulum Bruttium cetera Italia concessum* cet.

73. 74. *Nil Claudiae*] Non, ut alii volunt, haec ex poëtae persona dicta sunt, sed Hannibali tribuenda; quae ratio et honorificentior est Neronibus, «quibus prosperam fortunam vaticinatus sit etiam hostis, iustus virtutis eorum aestimator», et profecto magis poëtica, quippe cum sic carmen exeat in Hannibalis vaticinium. Sic Pind. Olymp. 4. Ergini, non poëtae, verbis finitur, atque Nem. 1. Tiresiae vaticinio. — *perficient*] Futurum eo nomine praestat, quod praedictionis etiam in posterum tempus speciem clarius praebet. — *benigno numine*] Tacit. Ann. 4, 64: *sanctos acceptosque numinibus Claudios.*

75. 76. *curae sagaces*] «ἀγχίνοια, ipsorum diligentia cum ingenio ac prudenti consilio coniuncta»; neutiquam, ut volt Schol., «optima Augusti consilia.» — *Expediunt*] «felicem susceptorum periculorum exitum praebent.» Virg. Aen. 2, 632: *ducente deo flammam inter et hostes Expedior.* — *per acuta belli*] «per graves belli molestias atque omnis generis discrimina.» Liv. 6, 32: *subita belli.* 33, 14: *aspera belli.* Tacit. Hist. 2, 77: *proeliorum incerta.* 4, 23: *fortuita belli.* H. l. fere dictum, ut *morbi acuti*, vehementes celeremque mortem minantes. Cf. Hom. Iliad. 4, 352: ὀξὺν Ἄρηα.

EXCURSUS I.

AD VV. 17—24.

«Vindelici incolebant inter Danubium, Aenum et lacum Brigantinum: Raeti inde a Vindelicis meridiem versus usque ad Italiam supra Comum et Veronam pertinebant, hinc Rheno et Ticino, illinc Plavi, fluviis terminati. Attingebant utrique ab occasu Helvetios, ab ortu Noricos, Raeti etiam Carnos. Constat de eo situ e Strab. 4. pag. 206. 7. pag. 292. Plin. 3, 20. Erant autem populi cum numerosissimi, tum locis munitissimi, ob Alpes scilicet, in iisque castella posita (Od. 4, 14, 12.), denique fortissimi, bellicosissimi, saevissimi. Vellei. 2, 95. Flor. 4, 12, 4. Illi igitur, inde ab aliquo tempore vicinam Galliam Cisalpinam populati, etiam in Italiam crebras incursiones fecerant neque solum multam inde praedam egerant, sed etiam magna in captivos saevitia erant usi. Quare Augustus a. u. c. 739. primum Drusum Neronem (tunc quaestorem) contra eos cum exercitu misit, qui ad Alpes Tridentinas obviam sibi factos ingenti proelio vicit, eiusque victoriae causa praetorios honores adeptus est. Verum ab Italia reiecti barbari mox Galliam denuo premunt, itaque Augustus Tiberium quoque Neronem, Druso adiutorem datum, adversus illos mittit. Ergo Drusus ac Tiberius multis simul locis [et Tiberius quidem ex Helvetia per lacum Brigantinum] in eorum fines irruptione facta, divisos dissipatosque multis aggressi proeliis expugnatisque eorum castellis, exiguo cum damno Romani exercitus unica aestate perdomuerunt. Dio 54, 22. Strab. et Vellei. ll. ll. Quo facto Raetia provincia Romano imperio adiuncta, quae et Raetiam propriam et Vindeliciam complexa uni pareret praesidi: unde saepe uterque populus uno Raetorum nomine appellati, licet semper finibus suis et separati manserint. Seriore aetate, cum nova provinciarum divisio institueretur, Raetia propria vocata fuit Raetia prima, Vindelicia Raetia secunda; hinc et frequenter Raetiae plurali numero dictae, imprimis apud Ammianum. — Illam igitur Drusi Tiberiique victoriam celebrare ab Augusto iussus Horatius huius libri carmen hoc et quartum decimum, neque tamen prius quam a. u. c. 744. post Augusti reditum composuit. [Eidem anno assignant Dillenburger et Grotefend *Schriftst. Laufb. des Horatius* p. 34.] Nostrum hoc proprie ad Drusum, quemadmodum alterum illud maxime ad Tiberium pertinet. — In universo autem bello Raetico primas partes Druso ceteri scriptores praeter Tiberii adulatorem, Velleium, tribuunt. Vide etiam Sueton. Claud. 1. Unde facile intelligitur, quomodo factum sit, ut hoc carmine Drusus imprimis Raetorum Vindelicorumque victor caneretur. Raetorum inquam et Vindelicorum; quod enim Bentleius affirmat, Drusum cum Vindelicis tantum, cum Raetis Tiberium pugnasse, id cum in Velleii verbis *uterque divisis partibus Raetos Vindelicosque aggressi* neutiquam insit, tum et eiusdem Velleii loco alio (2, 122.), ubi Tiberium *Vindelicorum Rae-*

torumque victorem appellat, et vero re ipsa refellitur, si quidem Raetos et Vindelicos foedere artissimo inter se iunctos fuisse, neque separatos, sed sociatos commixtosque exercitus habuisse plane apparet. Et quid? in prima expeditione, cui solus Drusus praefuit, ad Alpes Tridentinas, in Raetorum finibus, Vindelici tantum illi obviam facti sunt? Raeti (quorum in finibus res gerebatur) exspectarunt, dum veniret Tiberius? Sed ea ipsa de causa, quod socii erant eo in bello Raeti et Vindelici, poëtae erat pro utroque populo alterutrum nominare hic v. 18. et Od. 4, 14, 9 et 15., ubi post generale *Vindelici* memorantur Genauni et Breuni, quos sane proprie ad Raetos potius quam ad Vindelicos referendos esse manifestum fit vel ex Plin. 3, 20.» Iani. — Cfr. v. Hormayr *Geschichte der Grafschaft Tirol* I. pag. 94. Drakenborch ad Liv. Epit. 136.: «Adsentiri nequeo Bentleio statuenti, Drusum non cum Raetis et Vindelicis bellum gessisse, sed Drusum Vindelicos tantum, Raetos Tiberium adgressum esse. Ad quod probandum imprimis urguet vv. Velleii l. l.: *Quippe uterque* (Tiberius et Drusus) *divisis partibus Raetos Vindelicosque adgressi*. Verum eius hunc sensum puto, Tiberium et Drusum utramque gentem non iunctis sed divisis copiis, neque iisdem, sed diversis locis adgressos esse. Similis locutio est apud Livium 44, 11: *Divisis partibus* (Cassandream) *oppugnare adorsi* praetor et Eumenes.» — Addit Fea: Drusus Alpibus superatis per eas etiam viam militarem aperuit, quam postea munivit eius filius Tiberius Claudius, ut discimus ex lapide reperto anno 1786. prope Feltriam apud Marin. Fr. Arv. p. 77:

TI. CLAVDIVS. DRUSI. F
CAESAR. AVG. GERMA
NICVS. PONTIFEX. MAXV
MVS. TRIBVNICIA. POTESTA
TE. VI. COS. IV. IMP. XI. P. P.
CENSOR. VIAM. CLAVDIAM
AVGVSTAM. QVAM. DRVSVS
PATER. ALPIBVS. BELLO. PATE
FACTIS. DERIVAVIT. MUNIT. AB
ALTINO. VSQVE. AD. FLVMEN
DANVVIVM. M. P. CCCI.

EXCURSUS II.

Ad vv. 44—48.

«Glossa poëtici Grammatici, *illum diem* explicantis. Et observo, plurimas glossas a voce *qui* incipere, cuius rei in Horatio multa vidimus exempla, et in hoc ipso carmine v. 18. Neque mihi placet *alma adorea*, neque glossa vera est. Dicit enim auctor, victoriam apud Metaurum fuisse

primam, quam Romani reportaverint, ex quo Hannibal in Italiam venit. Atqui constat ex historiis, iam a. u. c. 539. et duobus sequentibus Poenos a M. Claudio Marcello praetore apud Nolam fuisse profligatos. Clades apud Metaurum accidit a. u. c. 547. Marcellus prima victoria Nolana docuit Hannibalem vinci posse, eaque res Romanis, de re summa fere iam desperantibus, animum reddidit. Itaque historici dies Nolanos multis laudibus celebraverunt. Liv. 23, 16. Valer. Max. 1, 6. Atque ista victoria Nolana tam crebro et grato omnium sermone usurpabatur, ut propemodum res in proverbium abierit. Cic. Brut. 3. Hieronym. Ep. 7.» HP.

Verum, ut quae historici sunt argumenti in hac adnotatione omnia concedamus, quidni Horatius, dum Claudios Nerones patricios summis laudibus extollit, M. Claudium Marcellum plebeium praeteriens, praeclaram illam victoriam a C. Claudio Nerone ex Hasdrubale relatam primam tali nomine vere dignam vocare potuerit? Apud poëtam autem lyricum in huiuscemodi exemplis ex antiquitate, non ex praesentia repetitis historici scriptoris accurationem semper requirere sanum interpretem valde, opinor, dedecet.

EXCURSUS III.

Ad vv. 61—64.

Hanc stropham ab Hofman Peerlkampio non addubitatam pro subditiva habuit iam C. L. Struve, professor Regiomontanus, in scriptiuncula ad G. L. Klausenium 1836. missa: ab otioso enim Grammatico eam inculcatam esse, qui animi causa sic Hydrae et *Σπαρτῶν* fabulas tractare voluerit. (Nemo autem atrocius in hoc carmen grassatus est quam Martin *De aliquot Horatii Carminibus* (Posen, 1844.) p. XI sq., qui non solum cum Peerlkampio versus 2. 3. 4. 6. 18–22. 41–48. 73–76., sed etiam vv. 29–36. 65–68. eiiciendos censet.)

Sane notabile est versus ante Criticum Leidensem huic vel illi suspectos, Carm. 3, 17, 5–8. 4, 4, 18–22., itidem, ut hos, mythologici esse argumenti et sine magno carminum detrimento deleri posse. At vero invicem sese defendunt, cum demonstrent Horatii morem (alii dicent vitium) fuisse, Alexandrinorum prope ritu in talia interdum exspatiandi. Cfr. etiam Wuestemann ad Horat. Sat. 2, 1, 35.

CARMEN V.

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes iam nimium diu;
Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio redi.

Lucem redde tuae, dux bone, patriae:

V. Inscr. volg. *Ad Augustum.* — *Ad Augustum de Expeditione eius tarda* BS. — *Ad Caesarem Augustum absentem* b. — *Ad Caesarem Augustum absentem de expeditione eius tarda. Paeanis species* c. (Inscriptione caret T.) — 4. *consilio* F e Codd. (Ut nos, BbSTcd.)

V. Augustus rebus Gallicis, Germanicis Hispanicisque omnibus confectis, Druso in Germania relicto, Romam reversus est tribus primis mensibus a. u. c. 744. (Dio Cass. 54, 25.) Paullo ante eius reditum (probabiliter a. 740.) Horatius hoc carmen composuit, Drusi laudes hic Augusti laudibus excipiens, eadem ratione, qua Tiberii praeconium Od. 4, 14. subsequitur laus Augusti, quem hic venustissimis blanditiis ambiens ad maturandum reditum exhortatur. Totum autem carmen miram quandam tranquillitatem et felicitatis sensum certum ac fiduciae plenum spirat. Cum eo qui conferatur dignus est locus Velleii 2, 89.

1-4. *Divis orte bonis*] Od. 4, 2, 38: *bonique divi.* Sententia est, non: «qui ex deorum stirpe ortus es», neque enim hoc loco Augustus «ortus D. Iulio vel omnino gente Iulia a Venere et Anchisa stirpem ducente» dici poterat; (hic, dico; nam longe alia res est in Carm. sec. 50: *Clarus Anchisae Venerisque sanguis*, Augustus;) sed: «diis propitiis nate; quem deorum benevolentia nobis principem dedit.» — *Romulae*] Romuleae. Sic Virg. Aen. 6, 877: *Romula -- tellus.* — *Custos*] Od. 4, 15, 17: *Custode rerum Caesare.* — *nimium diu*] a mense Septembri a. u. c. 738. usque ad mensem Februarium 741. — *Sancto concilio*] Ut frequenter dicitur *concilium deorum, caelestium*, sic etiam Senatus Romani. Virgil. Aen 1, 426: *Iura magistratusque legunt sanctumque senatum.* — Ex Codd. nostrorum antiquissimorum auctoritate retinendum *concilio*; *consilio* aptum esset prosae or. Sic Cic. Catil. 1, 4. senatum Romanum vocat *orbis terrae sanctissimum gravissimumque consilium.*

5-8. *Lucem*] «Felicem redde patriam reditu tuo.» Aeschyl. Pers. 300. de Xerxis reditu: Ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα Καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου. Eurip. Orest. 243: ἥκει φῶς ἐμοῖς καὶ σοῖς κακοῖς. Virg. Aen. 2, 281: *O lux Dardaniae, spes o*

Instar veris enim voltus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies
Et soles melius nitent.

Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,

Votis ominibusque et precibus vocat,

7. *Effulsit* b, *Affluxit* T. (non BScd.) — *it*] *et* T. — 9. *uvido* Codd. tres Torrentii. — 10. *carpathi* T. — 12. *destinet* T, Pott. quattuor. Incertum, utrum *destinet*, an *detinet*, certe non *distinet*, d.

fidissima Teucrum! — *veris*] Theocr. 13, 45: ἔαρ θ' ὁρόωσα Νυχεία. — *Affulsit*] in prosa or. «arrisit». Sed occupat metaphoram de solis radiis v. 8. Silius 7, 466: *nitenti Affulsit voltu ridens Venus.* Charito Ed. Lips. p. 70: ἔαρος ὑπολάμψαντος. Multi perperam distinguunt: *Affulsit, populo gratior it dies.* — *it*] «procedit», ut Od. 2, 14, 5: *quotquot eunt dies.* — *melius*] «splendidius ac gratius, quasi omnibus sollicitudinis ac metus nubibus iam dissipatis.»

9. 10. *invido*] «qui matri amanti reditum filii invidet; adversus cum sit, reditum eius impedit.» Languidum h. l. foret cum illo comparatum ἐπίθετον *uvido*, ut contra optime Noti naturam pingit Epod. 10, 19: *Ionius udo cum remugiens sinus Noto carinam ruperit.* Virg. Ge. 1, 418: *Iuppiter uvidus austris.* — *Carpathii*] Vid. Od. 1, 35, 8.

11. 12. *spatio - annuo*] intra quod mercatores ex Italia in Asiam navigare atque redire solebant. Ceterum iunge *cunctantem trans mare*, non, ut alii volunt: *distinet trans mare.*

13. *Votis*] Liv. in praefat. extr.: *cum bonis ominibus votisque ac precationibus.* Ut *votis vocare* hic et Virg. Ge. 1, 42., sic etiam *divos in vota vocare* Aen. 5, 234., *per vota vocare* Silius 2, 115. — *ominibusque*] «omina captans», ut Delia Tibulli 1, 3, 11: *illi Rettulit e triviis omina certa puer.* Plin. Paneg. 92: *inter secunda omina et vota certantia.*

14. *Curvo - - litore*] ut Epod. 10, 21. Ἐπίθετον perpetuum. Iam Accius Bothii p. 235: *Hac ubi curvo litore latratu Unda sub undis labunda sonit.* Virg. Aen. 3, 223: *litore curvo Exstruimusque toros.* Aen. 5, 765: *procurva - - litora.* Ovid. Met. 11, 352: *ad litora curva.* Iuven. 11, 86: *curvo Litore Caietae.* Lucan. 8, 177: *Scythiae curvantem litora pontum.* — *dimovet*] Oppian. Halieut. 1, 335: Ὡς δ' ὅτε τηλόγετον μήτηρ γόνον ἢ καὶ ἀκοίτην Εὐνέτις ἀλλοδαπὴν τηλεχθονα γαῖαν ἰόντα Ἀχνυμένη στέλλῃσι, νόος δέ οἱ ἔνδον ἀλύει, Ὅσση οἱ μεσσηγὺ ἁλὸς χύσις, ὅσσα τε κύκλα Μηνῶν· ἀκροτάτοισι δ' ἐπεμβαίνουσα θαλάσσης Κύμασι δακρυόεσσαν ἐπὶ στόμα γῆρυν ἵησι, Σπεύδειν λισσομένη, καί μιν πόδες οὔκ ἔτ' ὀπίσσω Ἰεμένην φορέουσιν, ἔχει δ' ἐπὶ

Curvo nec faciem litore dimovet:
Sic desideriis icta fidelibus
Quaerit patria Caesarem.

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
Culpari metuit Fides,

44. *demovet* T, item S, sed superscr. *ι*, Pott. quattuor, LCt et Bentl. (Ut nos, Bbcd et Pott. ceteri.) — 47. *etenim bos* T. — *prata perambulat* Tanaquil Faber. — 48. *Nutritura* T et pr. *β*, *Nutrit farra* Bentleius coni., *Nutrit culta* Cuninghamius.

πόντον ὀκωκάς. Ceterum Bernhardy et Dillenburger praeferunt *demovet*; Regel me meosque Codd. Bbc secutus *dimovet*.

45. *icta*] «percussa, affecta.» Frequentius de doloribus, metu, luctu; tamen etiam Lucret. 2, 360: *desiderio perfixa*. Aeschyl. Agam. 544: *ἱμέρῳ πεπληγμένος*.

47. *rura perambulat*] Consulto immoratur in *ruris* et imagine et nomine; nam ope rei rusticae et strenuae agriculturae, per bella civilia et intermissae et varie perturbatae, ex mente Augusti ante omnia firmanda erat rei publicae salus. Hinc grata illa repetitio, quam variis modis, sed infeliciter, amoliri conati sunt Critici, veluti qui coniecit *rura perambulat, N. culta* Cuninghamius; Faber *prata* proponens memor fuisse videtur Od. 3, 18, 11: *Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus*. Pastionem autem h. l. significat (nam in hac dumtaxat bos libere pascua perambulat); in aratione, quae v. seq. continetur, stimulis durum ad laborem incitatur. Notavi, quia nonnulli v. *perambulare* de aratione interpretati sunt.

48-20. *Nutrit rura*] «fertilia reddit.» Silius 12, 375: *arva - - Cereris nutrita favore*. Inter Augusti nummos hic quoque est: *IMP. CAESAR. AVGVSTVS. (Caput nudum.) COL. IVL. (Berytus. Colonus arans.)* Eckhel D. N. VI. p. 132. — *Faustitas*] Nobis nunc *ἅπαξ λεγόμενον*. Deam gregum praesidem interpretatur Forcellinus. Sed recte Schol.: «Nove Felicitas dicta;» omnium rerum abundantia. Carm. Sec. 59: *beata pleno Copia cornu*. — Novitas autem videtur, quod *Faustitatem* dixit pro *Fausta Felicitate*, cuius sollemne memoratur in Kalend. Amiternino Inscr. m. Lat. II. p. 412. — *Pacatum*] a piratis. Suet. Oct. 98: Vectores nautaeque de navi Alexandrina Augusto acclamarunt, *per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui*. — *volitant*] ut iam Ennius dixit *velivolas naves*. Virg. Aen. 3, 124: *pelagoque volamus*, de celeri ac tuto cursu, non de lascivia et audacia nautarum, ut alii volunt. — *Culpari metuit*] «Non culpatur cuiusquam fides, quia nemo est, qui eam violet, sed sancte servatur ab omnibus.» Cfr. Od. 2, 2, 7: *penna metuente solvi*.

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperae,
Culpam poena premit comes.

Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
Quis Germania quos horrida parturit
Fetus, incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Hiberiae?

Condit quisque diem collibus in suis,

25. *parthu* T. — 27. *incolomi* T. — 28. *hiberniae* T.

21-24. *Mos et lex*] Od. 3, 24, 35: *Quid leges sine moribus Vanae proficiunt?* — *stupris* ad adulteria et virgines vitiatas, *maculosum* autem *nefas* ad legis Scantiniae (v. Baiteri Ind. Legg. Cic. p. 259.) indicem videtur pertinere. Tacit. Hist. 1, 7: *avaritia et libidine foedus ac maculosus.* — *edomuit*] «suis legibus, institutis, exemplo prorsus domuit atque emovit.» Ad v. usum cfr. Ovid. A. A. 3, 113: *nunc aurea Roma Edomiti magnas possidet orbis opes.* — *simili prole*] Iam Hesiodus O. et D. 235. in ceteris hominum iustorum praemiis hoc quoque enumerat: *Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν.* Catull. Epith. 61, 209 seqq.: *Torquatus, volo, parvulus - - Sit suo similis patri Manlio et facile insciis Nosciteur ab omnibus, Et pudicitiam suae Matris indicet ore.* — *Culpam*] «Culpam ita celeriter insequitur poena, ut pede pedem premat.»

25-28. *Scythen*] Od. 3, 8, 23: *Iam Scythae laxo meditantur arcu Cedere campis.* Carm. sec. 55: *Iam Scythae responsa petunt.* — *horrida*] et propter caelum, Romanis sane insolitum ac molestum, ut Tacitus Germ. 2. *informem terris, asperam caelo, tristem cultu adspectuque,* atque Cap. 5. *silvis horridam, paludibus foedam* eam vocat; et propter proceros formidolososque eius incolas, ut Epod. 16, 7. *fera caerulea Germania pube.* — *parturit*] rariore usu pro: «parere, edere solet.» Cfr. Od. 1, 7, 16. — *Fetus*] grandes, truces atque deformes, contemptim, veluti monstra. Manil. 4, 710: *Flava per ingentes surgit Germania partus.* Flor. 3, 10, 12: Germanorum *immania corpora.* — *ferae*] Feros vocat Cantabros, quod tamdiu tam saepe rebellarant adversus Romanos ac vix tandem domari potuerant a. u. c. 734. *Duram* vocat Hiberiam Od. 4, 14, 50.

29-32. *Condit*] non tam «condi cernit», quam: «diem totum usque ad vesperam tranquillo animo traducit in vineis suis neque incursionum hostilium metu ab opere rustico deterretur.» Virg. Ecl. 9, 51: *saepe ego longos Cantando puerum memini me condere soles.* Plin. Epp. 9, 36: *et quamquam longissimus dies cito conditur.* Callim. Epigr. 2: *ὁσσάκις ἀμφότερος Ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν.* — *collibus in suis*] Consulto addit *suis*, ut significet laetitiam, qua agricola sua possessione fruitur, ut Vellei. 2, 89. de Augusti aetate: *certa cuique*

Et vitem viduas ducit ad arbores;
Hinc ad vina redit laetus et alteris
Te mensis adhibet deum;

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

34. *venit* T, item S, superscr. *redit*, $\beta\chi$, Bentleius. Ut nos, Bbcd. — 34. *Defuso* bTcd, Bland. antiquiss.: *Diffuso* B, item S, superscr. *e*, FMJ.

rerum suarum possessio. Similem pacis picturam Dacierius affert ex Michaeae Cap. 4, 4: *Et sedebit vir subtus vineam suam et subtus ficum suam, et non erit, qui deterreat.* — *viduas*] Viduae dicuntur ulmi, populi similesque arbores, antequam iungantur vitibus, iunctae autem maritae vocantur. Epod. 2, 9: *adulta vitium propagine Altas maritat populos.* Inversa imagine Catullus 62, 49: *vitem viduam* appellat. — *redit*] «domum suam ab opere rustico, ut solet quotidie, et secundis mensis tibi ut deo libationem offert.» *Venit* longe minus aptum quam *redit*; est enim, quasi tunc primum accederet ad vina. Similiter confunduntur *rediret* et *veniret* Epp. 2, 2, 22. — Verba *Te mensis adhibet deum* explicantur sequentibus. Virg. Aen. 5, 62: *adhibete Penates Et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.* De sigillis ἐπιτραπεζίοις Augusti (ut erat Hercules epitrapezius Vindicis Stat. Silv. 4, 6, 32: *festae Genius tutelaque mensae.*) apud rusticos nolim equidem cum aliis cogitare.

33–36. *prosequitur mero*] Ut dicimus «laudibus, veneratione, votis aliquem *prosequi*», sic h. l. mero et libationis honore. Est ergo: «una cum Laribus suis te veneratur ac pacem tuam invocat.» Ovid. Fast. 2, 634: (Caristiis) *Et libate dapes, ut grati pignus honoris Nutriat incinctos missa patella Lares. Iamque ubi suadebit placidos nox humida somnos, Larga precaturi sumite vina manu Et, Bene nos Patriae, bene te, Pater, optime Caesar, Dicite suffuso per sacra verba mero.* Dio 51, 19. post pugnam Actiacam: ἐν τοῖς συσσιτίοις, οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις πάντας αὐτῷ σπένδειν ἐκέλευσαν, ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐγγράφεσθαι. Non est igitur vana adulatio. — *Defuso*] v. proprium de libationibus. Valer. Max. 2, 6, 8: *Tum defusis Mercurio libamentis.* In multis Codd. substitutum est notius verbum *diffuso*, quod est «ex dolio s. cupa vinum in amphoras vel lagenas transfundere.» — *uti Graecia*] «ut Graecia memor Castoris et Herculis eos inter deos honorat»; non, ut alii volunt: «ut Graecia memor miscet dis numen Castoris et Herculis.» (Assentitur mihi Dillenburger p. 92: «Primum quidem non facile fero, quod *memor* adiectivum quo referatur obiecto privare conantur ii, qui alteram constructionem sequuntur; --

Longas o utinam, dux bone, ferias
Praestes Hesperiae! dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano subest.

37. *dux*] *rex* Td,$\beta\varkappa\psi$, non improbante Bentleio. (Ut nos, BbSc.)

nec *memorem esse* sic nude pro *beneficiorum memorem esse* dici potest. Altera ratio, quae me movet, ex poëtae more verborum collocandorum petita est. Hoc enim animadvertimus, ubi substantivum adiectivo ornatum obnoxium sit potestati alterius nominis, ibi Horatium tria vocabula disponere ita solere, ut regens nomen in medio loco positum reliquis duobus cingatur. Od. 1, 14, 12: *Silvae filia nobilis.* 17, 21. 18, 12. 24, 13. 27, 10. 36, 13 cet.»

37-40. *dux bone*] Gratissimam hanc repetitionem allocutionis v. 5. pessumdederunt, qui substituerunt: *rex bone*, vocabulum invidiosum, a quo Augustus publice prorsus abstinebat. Atque omnino saepius *ducem* dixerunt Augustum pro *principe*. Ovid. Trist. 1, 2, 103: *Hoc* (Augusto) *duce si dixi felicia secula* cet. — *ferias*] «dies festos, securitatis ac laetitiae plenos;» *longas* autem, id est, «diu, precamur, vivas;» ut Od. 1, 2, 45: *diuque Laetus intersis populo Quirini.* («Omnes igitur dies, quos sub te vivemus, feriarum instar nobis erunt.») — *Integrum diem* vocat cum maxime incipientem adeoque intactum, cui nulladum pars dempta est. Diversus est *solidus dies* Od. 1, 1, 20. — *Sicci*] «sobrii, nondum poti», ut Od. 1, 18, 3. Epp. 1, 19, 9. — *uvidi*] $\beta\varepsilon\beta\rho\varepsilon\gamma\mu\acute{\varepsilon}\nu o\iota$, vino madidi, poti. — De significatione ac perpetua confusione vv. *uvidus* et *humidus* cfr. Wagner ad Virg. Ge. 1, 448.

CARMEN VI.

Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae Tityosque raptor

VI. Inscr. volg. *Ad Apollinem*, et sic bSc. — *Apollinis laudem refert quoniam servavit Aenean auctorem originis Romanae* B. — Om. T.

VI. Est veluti *προοίμιον* carminis secularis (a. u. c. 737.), quo Apollinis pacem ac favorem, ex vetere hymnorum consuetudine admirandis eius factis celebratis, implorat, ut et ipse poëta et puerorum virginumque chori mox munere suo rite fungi possint. Praecipue autem immoratur in Achille a deo interfecto, propterea quod Troia ob illius interitum non funditus deleta Aeneaque servato condi potuit Urbs aeterna. Deinde ad choros se convertens etiam atque etiam eos exhortatur, ut, quantum in ipsis sit, officio imposito satis faciant, cuius recte persoluti memoria aliquando gratissima iis sit futura. «*Προοίμιον* hoc ortum est ex iusta quadam superbia et sui fiducia, qua poëta efferebatur, ex quo tempore virtutem suam poëticam et artem cum a primoribus viris, tum ab ipso Augusto ita comprobatam esse intellexerat, ut ex permagno poëtarum illius aetatis grege solus haberetur dignus, qui in sollemni ludorum secularium celebratione hymnum in Apollinem et Dianam componeret.» FRANKE. Quapropter hic quoque duo illa numina prae ceteris celebrat.

1. 2. *Dive*] Post longam parenthesin repetitur allocutio v. 25. *Doctor*. — *proles Niobea*] De Nioba cfr. imprimis Welcker *gr. Tragödien* p. 286. Müller *Denkm.* I. N. 142. Cum Niobe, Amphionis, regis Thebarum, uxor, cui septem filios totidemque filias pepererat, se prolemque suam Latonae eiusque liberis antetulisset et matronas Thebanas ab illius deae cultu absterruisset, Apollo et Diana matris iratae iussu Niobidas omnes sagittis confixerunt. Iliad. *ω*, 602. Ovid. Met. 6, 155. — *magnae - linguae*] «immodicae iactantiae»; unde Callimacho H. Del. 96. est *κακόγλωσσος*, Theodoridae Anthol. Pal. II. p. 665. *ἀθυρόγλωσσος*. Ovid. Met. 6, 150. de Nioba: *Nec tamen admonita est poena popularis Arachnes Cedere caelitibus verbisque minoribus uti*. Virg. Aen. 10, 547: *Dixerat ille aliquid magnum*. Sic etiam Graeci. Theogn. 159: *Μήποτε, Κύρν', ἀγορᾶσθαι ἔπος μέγα*. Sophocl. Antig. 127: *Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους Ὑπερεχθαίρει*. Ibid. 1354: *μεγάλοι δὲ λόγοι Μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων Ἀποτίσαντες*. — *Tityos*] Cfr. Od. 3, 4, 77. Pind. Pyth. 4, 90: *καὶ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνόν*. Ab Apolline et Diana sagittis confixum eum tradit Pausanias 3, 18, 9. et ex Pherecyde Schol. Pind. l. l. — *raptor*] Latonae; auctore vero Euphorione apud Schol. Apoll. Rh. 1, 181., Dianae. *Raptor* autem, qui ei vim facere

Sensit et Troiae prope victor altae
Phthius Achilles,

Ceteris maior, tibi miles impar,
Filius quamvis Thetidis marinae
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.

Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late posuitque collum in

6. *quamquam* F. (Ut nos, nostri omnes.) — *Thetidos* CtF. (Ut nos, nostri.) — 10. *impressa* B et quinque Pottierii; recepit Cuningh. (Ut nos, bSTcd.) — 11. *in* om. b, Aldus.

conatus erat, ut ἕλκειν, ῥυστάζειν. Egregia Tityi raptoris pictura est in Gerhard *Vaseng.* I. T. XXII. Eius ab Apolline interfecti imago apud Inghir. *Gall. Om.* III. T. 84.

3. 4. *Sensit*] grave verbum de eo, qui alicuius vim iramque experitur. — *prope victor*] interempto Hectore. — *altae*] Hom. Iliad. ν, 773: Ἴλιος αἰπεινή. Odyss. γ, 130: Πριάμοιο πόλιν διεπέρσαμεν αἰπήν. — *Phthius*] Myrmidones, quorum dux erat Achilles, Phthiotidis regionis in Thessalia erant incolae. — Pulcherrimam Achillis imaginem praebet Millingen *Anc. Mon.* T. XX-XXIV., Gerhard *Vaseng.* III. T. CLXXXIV.

5. 6. *Ceteris maior*] Iliad. α, 412. ἄριστος Ἀχαιῶν appellatur. — *tibi miles impar*] Iliad. χ, 358. Hector Achilli: Φράζεο νῦν, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι Ἥπατι τῷ, ὅτε κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων Ἐσθλὸν ἐόντ' ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν· ad quem locum Heynius Cyclicorum et Tragicorum de Achillis morte μύθους collegit; addi poterat Sophocl. Philoct. 334: Τέθνηκεν ἀνδρὸς οὐδενός, θεοῦ δ' ὕπο, Τοξευτός, ὡς λέγουσιν, ἐκ Φοίβου δαμείς. — *Μύθους* de Achillis interitu collegit etiam Welcker *Gr. Tragoed.* p. 1111. In *Mus. Gregor.* T. XIII. Achilles, a Minerva adiutus, occidit Hectorem, sed victori iamiam arcu minitatur mortem Apollo. Achillis interfectionem vide in *Mon. dell' Inst.* I. T. 51. *Ann. dell' Inst. arch.* T. V. p. 224. Conf. ad v. 11. — *Thetidis*] Quinquaginta circiter exstant etiamnunc vasa picta, Thetidem eiusque raptorem Peleum varie exprimentia. Vide Raoul-Rochette *Mon. inéd.* T. I-IV.

7. 8. *turres*] πύργους. — *quateret*] «labefactaret, vel sine imagine, ruinam iis minitaretur, *pugnax cuspide*», de qua Iliad. τ, 387: Ἐκ δ' ἄρα σύριγγος πατρώϊον ἐσπάσατ' ἔγχος, Βριθύ, μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὔ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν πάλλειν, ἀλλά μιν οἷος ἐπίστατο πῆλαι Ἀχιλλεύς. Florus 2, 9, 1: Fulvius *Ambraciam --machinis quatit.* (Alii minus recte iungunt: *cuspide quateret, pugnax,* cui quidem iuncturae repugnat vel ipsa caesura, nec *pugnax* sic nude

Pulvere Teucro.

Ille non inclusus equo Minervae
Sacra mentito male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
Falleret aulam;

Sed palam *captis* gravis, heu nefas heu,

17. *captis*] Sic habent BbSc,x «cum aliis,» *captos* var. lect. μ, Ed. Locheri. Contra *victor* d,ν, χ duo, *raptor* ξ. Sed omittunt voc. dubium T, $\beta\lambda$ (in β superscr. *captis*). Hinc potissimum, et ex arbitrariis illis lectt. *victor*, *raptor*, merito colligas cum Bentleio, antiquitus iam excidisse vocabulum, quo usus sit ipse Horatius, varieque esse suppletum; id quod litteris inclinatis significavi. *(palam bello gr.* Withof, *palam atque armis gr.* Jeep, uterque nisus adnotatione Acronis.)

ponere decuisset poëtam.) «Haec autem eo omnia pertinent, ut a fortitudine Achillis clarior fieret Apollo, qui et vicit et occidit Achillem.» Cruq.

9-12. *mordaci*] «vi fortiter impacto.» (Eurip. Cycl. 404. Herm.: *πελέκεων γνάθοις.)* — *volut-- Pinus*] Est comparatio Homerica. Iliad. *ε*, 560: *Καππεσέτην ἐλάτῃσιν ἐοικότες ὑψηλῇσιν.* *π*, 482: *(Πάτροκλος)* *Ἥριπε δ', ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωΐς κτλ.* — *impulsa*] «deiecta in terram.» Ingratissimus autem est sonus alterius lect. *impressa cupressus.* — *Procidit late*] Odyss. *ω*, 39: *σὺ δ' ἐν στροφάλιγγι κονίης Κεῖσο μέγας μεγαλωστί, λελασμένος ἱπποσυνάων.* Quintus Smyrn. de Achillis interitu *γ*, 175: *ὃς δ' ὑπὸ πότμῳ Θυμὸν τολμήεντα καὶ ὄβριμα γυῖα βαρυνθείς, Ἥριπεν ἀμφὶ νέκυσσιν, ἀλίγκιος οὔρεϊ μακρῷ.* Schol. ad Eurip. Troad. v. 14: *Ἀχιλλέα ἐλθόντα ἐπὶ τὸν γάμον τῆς Πολυξένης οἱ περὶ Ἀλέξανδρον ἐν τῷ τοῦ Θυμβραίου Ἀπόλλωνος ἱερῷ λόγχαις ἀνεῖλον.* Occisum Livius Andronicus Fr. inc. 2. cum eodem puero eleganter comparat: *Haud ut quom Chiro in Pelio docuit ocri.*

13-16. *equo*] Odyss. *δ*, 272: *Ἵππῳ ἔνι ξεστῷ, ἵν' ἐνήμεθα πάντες ἄριστοι Ἀργείων Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.* Eurip. Troad. 14: *Δούρειος ἵππος, κρυπτὸν ἀμπισχὼν δόρυ.* Hygin. F. 108. Inghirami *Gall. Om.* III. p. 121. Gerhard *Vaseng.* III. T. CCXXX. — *Minervae*] Quem simularant Graeci a se constructum esse, ut Minervam propter Palladii raptum iratam placarent. Virg. Aen. 2, 17: *Votum pro reditu simulant* cet. — *male feriatos*] ut Ovid. Fast. 5, 452: *male veloci - - Remo* (in suam ipsius perniciem), «intempestive et magno suo malo diem festum celebrantes.» Cfr. Eurip. Troad. 547 seqq. Troianos male feriatos monstrat monumentum Etruscum apud Raoul-Rochette *Mon. inéd.* T. LVII. N. I. — *Falleret aulam*] «clam irrupisset in regiam.»

17-20. *palam captis*] «aperto Marte, non insidiis, devictis perniciosus»; ut nunc quidem se habet lectio. Sed vide Var. Lectt. Quod Buttmannus proposuit, *captor*,

Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo,
Ni tuis victus Venerisque gratae
Vocibus divom pater annuisset

19. *latentes* LCt cum Aldo et Pottierii 2, 17. (Ut nos, nostri et Bentleii, Pott. ceteri.) — 21. *victus*] *flexus* e Cod. Bland. antiquiss. Bentleius.

vocabulum est Horatio prorsus indignum; immo fortasse ne Latinum quidem fuit unquam, nam ubi sine alio exemplo legebatur in Burm. Anthol. 5, 162, 8. Meyerus e Cod. Salmas. dedit *raptor*. (Simile exemplum verbi, quod cum iam antiquitus excidisset, temere suppletum est, habes Epp. 2, 2, 199.) Agathias in Anth. Pal. II. p. 54: *ἁ κλεινὰ Πριάμου πόλις, ἂν ἁλαπάξαι Ἑλλάνων δεκέτης οὐκ ἐτάλασσεν ἄρης Ἀμφαδόν, ἀλλ' ἵππειο κακὸν ξύλον.* — *gravis*] Sic Alexander *βαρὺς Πέρσαις* Theocr. 17, 19. Achillem in Troilo Sophocles vocarat *πλήρη μασχαλισμάτων*, plurimorum hostium occisorum. Suidas in *Ἐμασχαλίσθη.* — *Nescios fari*] Nahum 3, 10: *parvuli eius* (urbis Nini) *elisi sunt in capite omnium viarum*. Iliad. χ, 63: *καὶ νήπια τέκνα βαλλόμενα προτὶ γαίῃ ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι*. Iliad. ξ, 57: *μήτις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον Χειρός θ' ἡμετέρας· μηδ' ὄντινα γαστέρι μήτηρ Κοῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὃς φύγοι*. Quae eundem spirant furorem, cui debemus sublime illud Psalm. 137, 9: *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram, filia Babylonis!* — *latentem*] Num. singul. h. l. poëta dignior, quam aliorum pluralis. Est enim: «latentem quemque.»

21-24. *victus*] *flexus*, quod Bentleius e Codd. praetulit, vel merum est glossema, cum Comm. Cruq. *victus* eodem verbo interpretetur, vel ex eo var. lectt. genere, quo librarii memoriter scribentes neque *ἀρχέτυπον* suum satis fideliter inspicientes homonyma scriptoris ipsius verbis substituebant. — *Rebus Aeneae*] «toti eius fortunae ac statui.» — *annuisset*] Virg. Aen. 1, 257. Iuppiter Veneri pro Aenea deprecanti: *Parce metu, Cytherea, manent immota tuorum Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini Moenia* cet. — *potiore-alite*] «melioribus auspiciis.» Contra Od. 1, 15, 5: *Mala - avi*. — *ductos*] «exstructos.» Mitscherlich eo propendet, ut *ducere* explicetur: «fossa ducta locum exstruendo muro describere, quod ipsum auspicato fiebat;» sed verior est interpretatio longe simplicior, ut idem sit atque Graecorum *ἐλαύνειν*. Odyss. η, 86: *Χάλκεοι μὲν γὰρ τοῖχοι ἐληλέδατ' ἔνθα καὶ ἔνθα*. Virg. Aen. 1, 423: *pars ducere muros*.

25. «Ab hoc igitur divino principio ortum est imperium Romanum, cuius ferias seculares, omnium maxime sollemnes, brevi sumus celebraturi.» — *Doctor*] Apollo est veluti *χοροδιδάσκαλος* Musarum. Idem apud Euripidem Med. 426. vocatur *ἀγήτωρ μελέων*. Paneg.

Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.

Doctor argutae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.

25. *Ductor* $\kappa\psi$, tres Torr. — *Argivae* S, in mg. pro var. lect. $\beta\gamma$, F. — 28. *Agylieu* b et Aldus, *Agileu* Td, *Agylleu* C.

in Pison. 456: *Et te credibile est Phoebo didicisse magistro.* Pseudotib. 4, 4, 478: *Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.* — *argutae*] «canorae, sonorae, λιγείας», quod *ἐπίθετον* Musis tribuit iam Alcman Fragm. 1. ductum ex Homerico illo Odyss. ω, 62: *τοῖον γὰρ ὑπώροπε μοῦσα (ἀοιδὴ) λίγεια.* Altera lectio *Argivae* inventa videtur ab iis, qui cum *argutae* ad vocem referri ignorantes hoc voc. significatione sibi nota «subtilis» vel «vafrae» minus quadrare viderent, aptam oppositionem fore rebantur ad v. *Dauniae Camenae.* Sed haec ipsa *ἀντίθεσις* in Horatio h. l. minus placet, etsi Od. 2, 16, 38. *Spiritum Graiae tenuem Camenae* sibi tribuit, collatis Od. 3, 30, 13. Od. 4, 3, 23. Epp. 1, 19, 32. *Argivae* etsi probabat Bentleius, tamen edere non est ausus.

26. *Xantho - amne*] Non de Scamandro, Troadis fluvio, sed de eiusdem nominis fluvio Lyciae accipiendum propter Pataram, huius regionis urbem. Memoratur ille Lyciae fl. Il. β. 877. — *lavis - crines*] Od. 3, 4, 64: *Qui rore puro Castaliae lavit Crines solutos.* Fuerunt scholastici Interpretes, qui haec tamquam supervacanea ac molesta reprehenderent. Optime respondet Lehrs *die Horen* p. 47: *«Es ist kein leeres Wort, wenn nach Griechischer Art Horaz anhebt: Phoebus, der du im Xanthusflusse dein Haar badest. Vielmehr es ist dem Griechen überall Bedürfniss seine Götter in irgend einer herrlichen oder schönen und anmuthigen Situation sich zu vergegenwärtigen.»*

27. 28. *Dauniae*] «Latinae», ab antiquo Apuliae nomine. «Fac, ut Carmen meum seculare honori atque ornamento sit poësi Latinae.» — *Levis*] «imberbis, perpetuo iuvenis.» Callim. Hymn. Apoll. 36: *Καί κεν ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος οὔ ποτε Φοίβου Θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.* Falso nonnemo nuper asseveravit Acronem et Porphyrionem legisse *lenis*, atque aptissimum dixit epitheton h. l. minime sane congruens vel propter carminis initium; verum in utriusque Ed. Veneta 1484. recte est *levis*; in Acrone utique Ed. Basil. 1580. est': *Lenis in verbis*, corrupte pro *Levis, imberbis.* — *Agyieu*] Macrob. Sat. 1, 9: *Apud Graecos Apollo colitur, qui θυραῖος vocatur, eiusque aras ante fores suas celebrant, ipsum exitus et introitus demonstrantes potentem; idem Apollo apud illos et ἀγυιεὺς nuncupatur, quasi viis praepositus urbanis.* Cfr. Schol. Plat. p. 944. B. Ed. nostrae. Apollo Agyieus in nummis Ambraciorum est in Müller *Denkm.* I. N. 2.

Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis nomenque dedit poëtae.
Virginum primae puerique claris
Patribus orti,

Deliae tutela deae fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum,

33. *fugacis* B.

29. 30. Nexus inter hanc strophen et praecedentes a plerisque interpretibus minus perspectus hic est: «Preces meas Apollo iamiam exaudivit; ipse me poëtico furore perculit;» unde missas faciens preces, quibus doni illius compoti iam non opus est, fiduciae plenus se ipsum poëtam profitetur. Igitur hoc rursus loco illud recordemur necesse est: *Sume superbiam Quaesitam meritis.* (Od. 3, 30, 14.) — *Spiritum*] *ἐνθουσιασμόν*, qui *arti* opponitur. Cfr. Od. 2, 16, 38. Od. 4, 3, 24. Tria autem haec perficiunt poëtam tali nomine dignum, ingenium, studium, fama utrique respondens.

31. *Virginum primae*] «nobiles.» Erant autem virgines et pueri patrimi et matrimi, ex gentibus patriciis, parentibus confarreatis geniti.

33 - 36. *tutela*] «qui estis in tutela Dianae.» Catull. 34, 1: *Dianae sumus in fide Puellae et pueri integri.* — *cohibentis*] «sistentis in fuga, dum eos sagittis transfigit.» Callim. H. Dian. 16: *ὁππότε μηκέτι λύγκας Μήτ' ἐλάφους βάλλοιμι.* — *Lesbium - pedem*] metrum Sapphicum. — *Pollicis ictum*] *χειρονομοῦντά με.* Vide Boissonade ad Aristaen. p. 384. Non de ipsa citharae pulsatione, sed de carminis *ῥυθμῷ*, qui pollicis motu indicabatur, loquitur. Terentian. Maur. 2253: *adsuetam moram, Quam pollicis sonore vel plausu pedis Discriminare, qui docent artem, solent.* Qui, ut nuper etiam Dillenburger pag. 93., cum Scholiastis explicant: «modulationem carminis, veluti ipse lyram percutiam», haud satis attenderunt ad vim vocis *ictum*, longe diversae ab iis, quae ad v. *pellere lyram* pertinent, neque expenderunt Horatium ne poëtice quidem dicere potuisse, semet ipsum lyram esse pulsurum. Hoc dicit: «Docebo choros *(dociles* meorum *modorum) ῥυθμὸν* Sapphicum carminis secularis.»

37. 38. *Rite*] «ex ritu in his caerimoniis antiquitus nobis tradito.» — *face*] «lumine.» Diana Lucifera in antiquis monumentis aut lunam crescentem s. falcatam in capite habet aut facem dextra tenet aut utroque symbolo ornata conspicitur. Cfr. Millin *Gall. mythol.* N. 93. 117. 118. 121. Hinc Soph. Trachin. 214. vocat *Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν, ἐλαφαβόλον, ἀμφίπυρον.* Diotimus in Anthol. Pal. I. pag. 274: *Φωσφόρος, ὦ σώτειρ' --Ἄρτεμι.* — *Noctiluca*] *νυκτιφαής, νυκτιλαμπής.* Item *σελασφόρος* Pausan. 4, 31, 2. et *φωσφόρος* Id. 4, 31,

Rite Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum celeremque pronos
Volvere menses.

Nupta iam dices: Ego dis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

37. *pueri* T. — 38. *Noctelucam* d, sex Pottierii. *(nocte lucem* T.)

8. Varro L. L. 5, 68: *Luna -- dicta Noctiluca in Palatio; nam ibi noctu lucet templum.* Inscriptio Musei Kircher. ed. Brunatii pag. 10: *BON. DEAE. LUCIFERAE. ANTISTIA. VETERIS. LIB. EVR. D. D.*

39. *Prosperam frugum*] Graeca constructione, «prosperantem fruges celeriterque cursu suo singulos menses ad finem perducentem.» — *pronos*] «celeriter praetereuntes.» Catull. 34, 17: *Tu cursu, dea, menstruo Metiens iter annuum, Rustica agricolae bonis Tecta frugibus exples.*

41-44. *Nupta* cet.] «Aliquando gratissima tibi erit festorum horum dierum recordatio.» Quae quidem cogitatio iam nunc alacre carminis recte discendi studium excitatura erat. Tenerior autem eo fit sensus, quod de virginibus tantummodo verba facit. — *luces*] Per triduum et trinoctium celebrabantur ludi seculares. — *Reddidi*] «Cantu, gestu, saltatione expressi ego, quos studiose et facili opera didiceram, Horatii versus.» In ipsum Carmen seculare cum nomen suum inserere non posset, Graecorum Lyricorum exempla secutus iusta cum gloria in hoc prooemio se ad illud componendum delectum esse ab Augusto commemorat. — *Horati*] Nomen hoc poëtae pater, ut probabile est, assumpsit a tribu Horatia, cui adscripti erant Venusini. Vidit Grotefendius.

CARMEN VII.

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
Arboribusque comae;

VII. Inscr. volg. *Ad Torquatum*, et sic c. — *Ad Manlium Torquatum* Bb. — Om. T.

VII. Hunc Torquatum, ad quem est etiam Epist. 1, 5., plerique nunc habent pro nepote L. Manlii Torquati, quo consule a. u. c. 689. natus est Horatius: nonnulli olim pro consulis filio, qui tamen ante a. u. c. 709. (Cic. Brut. 76.) in Africa interiit. (Bell. Afric. 96.) Verum cum de L. Manlii Torquati nepote nihil omnino constet, alii amplexi sunt Marcilii et Weicherti coniecturam, probatam etiam a Frankio, intelligendum esse C. (in Fastis Capitolinis: Q.) Nonium Asprenatem, consulem postea suffectum a. u. c. 748., de quo Sueton. Oct. 43: *In* Troiae *ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum aureo torque donavit passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen.* Atque sine causa nuper quidam contendit huiusce viri, qui tamen consul factus est, *genus* non potuisse celebrari. (v. 23.) Ceterum in re tam incerta haud omnino displicet coniectura, quam nuper proposuit Estré Hor. Pr. p. 497., esse hunc Aulum illum Torquatum, de quo Corn. Nep. Att. 11: *Qui etiam post proelium Philippense — A. Torquatum ceterosque pari fortuna perculsos instituerit tueri, atque ex Epiro his omnia Samothraciam supportari iusserit.* Nisi forte obstat aetas; nam, si vel maxime in vivis fuit A. hic Torquatus post a. 730., si non admodum grandis natu, tamen iam aetate ita provectus esse debebat, ut inter sodales Horatii vix locum haberet. — Inde quod hic quoque, ut saepissime, laetum vitae usum commendat amico, nequaquam profecto cum scholasticis nonnullis colligendum est nimia fuisse Torquatum parsimonia atque avaritia. Minime enim urbanitas, quam Horatius omnium optime callebat, id concessisset, ut virum illustrem, sibi benevolum, nec tamen intima illa amicitia secum coniunctum, quae poëtae intercedebat cum Virgilio, Vario, Maecenate, sine ulla necessitate laederet, cum vitia eius, si vel maxime vellet, viginti hisce, triginta epistolae illius versiculis corrigere non posset, siquidem longe aliis machinis opus est ad «eradenda pravi cupidinis elementa.» Immo utrobique liberales ipsius Torquati sensus multa cum venustate expressit, «circum eius praecordia ludens.» — Temporis indicio hoc carmen prorsus caret: Grotefend refert ad a. 738.

1 - 4. *Diffugere nives*] Od. 4, 12, 3: *nec fluvii strepunt Hiberna nive turgidi.* — *comae*] Cfr. Od. 1, 21, 5. 4, 3, 11. — *Mutat terra vices*] dictum est fere ut *πόνον χονεῖν*,

Mutat terra vices et decrescentia ripas
Flumina praetereunt;

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.

Immortalia ne speres, monet annus et almum
Quae rapit hora diem.

7. *et*] *ad* T. — *album* d, corr. b, Franekeranus *(v)*, pro var. lect. *β*. — 8. *Quem* T. — *diem*] *polum* ψ.

μάχην μάχεσθαι, in prosa orat.: «patitur, subit vices annuas; mutantur terrae vices, cum ex hiemali vernam speciem assumit.» Placuit locutio Claudiano Prob. et Olybr. 42: (His non) *novit* (Fortuna) *mutare vices*. Panegyr. in Pison. 133: *Ipsa vices natura subit variataque cursus Ordinat, inversis et frondibus explicat annum*. Plin. H. N. 2, 6: *vices temporum annumque semper renascentem*. — *decrescentia*] Alpium et Apennini nivibus cito liquefactis primo vere intumescunt Italiae flumina; mox adulto vere decrescunt et se continent intra ripas suas; itaque eas *praetereunt*, id est, iuxta ripas labuntur neque eas evagantur *(vorbeirollen)*. Liv. 38, 18: *praeter ripam euntibus Romanis*. Male olim *decrescentia* «valde crescentia» et *praetereunt* «exundant, inundant loca adiacentia» interpretabantur.

5. 6. *Gratia cum - geminis - sororibus*] id est «Gratiae tergeminae», ex opinione volgari ab Hesiodo profecta, Euphrosyne, Aglaia, Thalia; ex antiqua Atheniensium duae, *Αὐξὼ καὶ Ἡγεμόνη*. Pausan. 9, 35, 2. — *cum Nymphis*] ut Od. 1, 4, 6. Hom. Hymn. in Ven. 262: *(Νύμφαι) Καί τε μετ' ἀθανάτοις καλὸν χορὸν ἐρρώσαντο*. — *nuda*] Od. 3, 19, 16 sq. Pausan. 9, 35, 6. narrat antiquiores et pictores et sculptores, Bupalum, Apellem, Pythagoram Parium, Socratem, Sophronisci filium, Gratias vestibus indutas expressisse: *οἱ δὲ ὕστερον, οὐκ οἶδα ἐφ' ὅτῳ, μεταβεβλήκασι τὸ σχῆμα αὐταῖς. Χάριτας γοῦν οἱ κατ' ἐμὲ ἔπλασσόν τε καὶ ἔγραφον γυμνάς*.

7 - 12. *Immortalia ne speres*] «Ut nobis vix conscii interdum facimus, dum viget aetas morsque immane quantum procul abesse felicibus videtur.» Simonides Fr. 60. Schneidew.: *Θνητῶν δ' ὅφρα τις ἄνθος ἔχῃ πολυήρατον ἥβης, Κοῦφον ἔχων θυμὸν πόλλ' ἀτέλεστα νοεῖ. Οὔτε γὰρ ἐλπίδ' ἔχει γηρασέμεν οὔτε θανεῖσθαι. Immortalia ne spires*, ut voluit nonnemo, Horatianum non est; in Lucano similibusque poëtis utique esset ferendum. — *almum*] diem vocat, quod sol, qui diei praeest, omnia alit. Est *ἐπίθετον* perpetuum, ut *ἱερὸν ἦμαρ*. Virg. Aen. 5, 64: *si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit*. Alii minus apte *album*, id est, «laetum, faustum.» — *hora*] Hic non dea vicissitudinis, nec temporum universe, sed proprie horae singulae, ut patet ex vv. *annus* et *diem*. (Apud Athenienses duae fuerunt temporum praesides, *Θαλλὼ καὶ Καρπώ*, Pausan. 9, 35, 2.; apud Hesiodum

Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas
Interitura, simul
Pomifer Auctumnus fruges effuderit, et mox
Bruma recurrit iners.

Damna tamen celeres reparant caelestia lunae:
Nos, ubi decidimus,

10. *Imperitura* T, quo manifesto errore valde dubium fit, utrum *impermissa* Od. 3, 6, 27. genuina sit lectio necne. — 12. *recurret* L. (Codd. mei *recurrit*.)

Theog. 902. tres Iovis et Themidis filiae, *Εὐνομίη τε Δίκη τε καὶ Εἰρήνη τεθαλυῖα.*) — *proterit*] «pellit, fugat» *(drängt zurück)*. Aptissimum sane est verbum de rapido veris in aestatem transitu in Italia. Martialis 2, 46, 2: *Cum breve Sicaniae ver populantur apes.* — *Pomifer Auctumnus*] Cf. Epod. 2, 17 sq. — *fruges*] de arborum fructibus. Cfr. Cornificius apud Serv. ad Ge. 1, 55: *ut folia, quae frugibus arboreis tegmina gignuntur.* Calpurnius Ecl. 8, 67: *omnique ex arbore fruges.* — *effuderit*] e sinu suo vel ex Amaltheae cornu. — *iners*] «nihil producens.» Od. 2, 9, 5: *glacies iners.* Virg. Ge. 1, 299: *hiems ignava colono. (Ein ewiger unwirksamer Winter.* Goethe. B. XLII. S. 25.)

13. 14. *Damna*] «Luna quoque decrescendo quasi *damna* accipit, quae *tamen* semper reparantur.» Qui proposuit *etiam* pro *tamen*, sententiarum nexum non satis perspexit. — Lunae cum *damna* tribuit, proprie locutus est de illa, ut ait Plin. H. N. 2, 9, 6., *senescente semper aut crescente.* Manil. 2, 94: *Ad Lunae motum variant animalia corpus, Et tua damna, tuas imitantur, Delia, vices.* Sed Iacob cum libris: *Et cum damna tuas imitantur, Delia, vires.* v. 945: (Phoeben) *Fataque damnosis imitantem finibus oris.* Idem 3, 286: *Haec sunt ad Librae sidus surgentibus astris Incrementa; pari momento damna trahuntur.* Lucan. 8, 467: *noctique rependit* (Libra) *Lux minor hibernae verni solatia damni.* Rutilius 1, 122. ad urbem Romam: *Exemplo caeli ditia damna subis.* Fulgent. Mythol. 2, 19: *detrimenta lunae et augmenta.* Cfr. Gronov. ad Gell. 20, 8. Opponuntur *lunaria incrementa* apud Lucan. 10, 215. Dum autem Horatius, ut poëtam decebat, de luna dumtaxat loqui videtur, totam mundi vitam ac formam identidem renovari significat: «nos vero mortales vitae non restituimur.» Similiter de sole Catull. 5, 4: *Soles occidere et redire possunt: Nobis, cum semel occidit brevis lux, Nox est perpetua una dormienda.* — *decidimus*] Similiter Epp. 2, 1, 36: *Scriptor abhinc annos centum qui decidit.* Ovid. Met. 10, 17: *O positi sub terra numina mundi, In quem decidimus, quidquid mortale creamur.* Frustra igitur HP. coniecit *recidimus*.

15. 16. *Quo pater Aeneas*] Solitum *ἐπίθετον* Virgilianum *pius* multis librariis magis placuit, quamquam etiam Aen. 1, 699. ac saepius est *pater Aeneas*. Praeterea vv. *pius* et *dives* nescio quam op-

Quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.

Quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae
Tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.

15. *pater*] *pius* Bbcd, LCtF. (Ut nos, ST, Cod. Bland. antiq., *κνω,χ* duo, pr. *β.*) — *Tullus dives* Bb, Pott. septem, LCt, *Tullus, dives et Ancus* Bentl., *pauper et Ancus* idem malebat. (Ut nos, STd.) — 16. *umbra*] *ossa ω.* — 17. *adiciant* B. — *summae*] *vitae* Td, Bland. antiq. et quatt. Pott. — 19. *avidi* dubitanter susp. Bentl. — *fugient. haerebis amico* T.

positionem efficerent, quasi vero Aeneas non *dives*, Tullus et Ancus non *pii* fuissent. — Aliorum *quo Tullus dives et Ancus* hanc quoque distinctionem admittit: *quo Tullus, dives et Ancus*, quam secutus est Bentleius. Praestat tamen *ἐπίθετον* utrique tribui. *Dives* autem ex volgi opinione de opibus ac potentia veterum regum, quorum statuas in Capitolio collocatas quotidie videbant. Sic Livius 1, 34. *in magna gloria magnisque opibus regnum Tulli ac totam rem Romanam* fuisse dicit. Contra elevantur illorum divitiae a Iuvenale 5, 57: *Tulli census pugnacis et Anci*, contemptim. Bentleii suspicio *pauper* repetita est ex Claudiano de Bello Gildonico 108 sq.: *Ipsa nocet moles. Utinam remeare liceret Ad veteres fines et moenia pauperis Anci!* Anci autem memoria imprimis cara Romanis. Lucretius Ennium imitatus 3, 1037: *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.* Epp. 1, 6, 27: *Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.* — *Pulvis*] Soph. Electr. 1158: *ἀντὶ φιλτάτης Μορφῆς σποδόν τε καὶ σκιὰν ἀνωφελῆ.*

17-20. *Quis scit, an*] Omisso, ut saepe, altero dubitationis membro: «Quis scit, utrum hodie iam nobis moriendum sit, an cet.», ut volt Hand Turs. I. p. 304. Simplicius Belerus ad Cic. Offic. T. I. p. 338: «Nemo scit, ambiguum est, an cet.» ut Eurip. Alc. 783: *Οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται Τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται.* Similes Horatii loci sunt 1, 9, 13. 2, 16, 25. Epp. 1, 4, 12. 1, 11, 22. — *hodiernae - summae*] temporum, dierum nostrorum, *οἱ θνατοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἐσορῶμες.* Pro *summae* multi Codd. *vitae* e gloss. — *avidas*] Sat. 2, 3, 154: *avidus iam haec auferet heres.* Sed h. l. elegantius atque efficacius est *manus avidas* quam, quod volebat Bentleius, *avidi - heredis.* Epod. 3, 4: *Parentis - Senile guttur*, id est, «senis». Bosius. — *amico - - animo*] In Latina lingua aliquanto significantius quam *φίλῃ ψυχῇ χαριζόμενος*, maxime cum v. *animus* h. l. significet non mentem, sed facultatem appetendi ea, quae delectabilia videntur, unde, ut *Genio indulgere, Genio bona facere* (Plaut. Pers. 2, 3, 11.), ita etiam dicunt *animo morem gerere, animo obsequi.* — Simonides Fr. 60: *Νήπιοι, οἷς ταύτῃ κεῖται νόος οὐδὲ ἴσασιν, Ὡς χρόνος ἔσθ' ἥβης καὶ βιότου ὀλίγος Θνητοῖς· ἀλλὰ σὺ ταῦτα μαθὼν βιότου ποτὶ τέρμα Ψυχῇ τῶν ἀγαθῶν τλῆθι*

Cum semel occideris et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas;

χαριζόμενος. Aeschyl. Pers. 840: *Ὑμεῖς δὲ, πρέσβεις, χαίρετ', ἐν κακοῖς ὅμως Ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ καθ' ἡμέραν· Ὡς τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ.* — Ceterum male alii *amico - animo* pro ablat. habuerunt.

21 - 24. *splendida - - arbitria*] «iudicium sollemne atque augustum», pro tribunalis, cui praeest Minos, severa dignitate. Recordare illud de Cornelia iudicium in Orco factum apud Propertium 4, 11, 19. Odyss. λ, 568: *Μίνωα εἶδον - - Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσιν.* Lucian. Necyom. 11. Alii interpretantur: «cum Minos sententiam de te tulerit splendidam, id est, tibi honorificam, quae exactae laudabiliter a te vitae testimonium tibi praebeat»; sed imago maiestatis ipsius tribunalis apud Inferos constituti magis poëtica videtur. — Iudicium apud inferos factum monstrat Gerhard *Vaseng.* III. T. CCXXXIX. — *Fecerit*] Frequentius est *arbitria agere* Liv. 24, 45. Tac. Hist. 4, 21. Curtius 6, 1. — *genus*] Cum C. Nonius Asprenas Troiae ludicro adhibitus fuerit ab Augusto, iam hoc indicio est *clarae stirpis* eum fuisse. Cfr. Suet. Oct. 43. Quodsi *Manliae* gentis fuit, patricia haec et nobilissima erat. — *facundia*] quam praedicat etiam Epp. 1, 5.

25. 26. *Diana*] quae apud Eurip. Hippol. 1437. ita Hippolyto valedicit: *Καὶ χαῖρ'· ἐμοὶ γὰρ οὐ θέμις φθιτοὺς ὁρᾶν.* Hygin. Fab. 47. Graecam igitur secutus est fabulam; nam apud Ovid. Met. 15, 543 sq. ab Aesculapio in vitam revocatum Diana collocat in nemore Aricino: *quique fuisti Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius esto: - - de disque minoribus unus*: similiterque Virgil. Aen. 7, 765.; cuius Virbii sive masculae Minervae statua Gabiis reperta nunc asservatur Lutetiae. (Müller *Denkm.* I. Fasc. II. N. 484.) Graeci vero Hippolyti egregiam picturam Pompeianam vide in *Museo Borb.* XI. T. 2. — Nec vero repugnat Horatio Pindarus Pyth. 3, 55. B., cum incertum sit, quem ab Aesculapio vitae redditum ibi memoret. — *pudicum*] «Phaedrae novercae amori caste resistentem.»

27. 28. *Pirithoo*] Pirithous, Iovis filius, ex gente Lapitharum, artissimo amicitiae vinculo cum Theseo iunctus, Hippodamia uxore praematura morte exstincta nullius in posterum nisi Iovis filiae petere coniugium sibi proposuerat. Itaque *Taenaria porta* (ut Ovidius ait Pont. 2, 3, 43.) *Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas*, ut Proserpinam Pirithoo conciliaret, quemadmodum antea una rapuerant Antiopam Amazona, ut Thesei fieret uxor. Pausan. 1, 2, 1. Quam quidem audaciam Pluto tam graviter tulit, ut ambos Furiis lacerandos traderet atque saxo alligandos curaret. Cum deinde Hercules ad inferos descendisset, ut Cerberum educeret, Theseum quidem, quippe qui non sua sponte, sed amicitiae obsecutus descendisset, auxilium implorantem liberavit, sed amatorem insanum *trecentae cohibent catenae* (Od. 3, 4, 79.),

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum,
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

neque Theseus amicum secum abducere potuit. Cfr. Bach ad Critiam p. 80. Quae forma fabulae cum minime repugnet Horatii consilio, quo demonstrat neque a dis ipsis neque ab intimis amicis ex Orco revocari quemquam posse, minime eo confugiamus oportet, ut dicamus alios fortasse narravisse, alligato iam proco protervo Theseum in Orcum descendisse et tum demum a Plutone vinculis constrictum esse. Vel ex Critia vel ex Euripide Plut. Moral. pag. 96. c.: *Θησεὺς τῷ Πειρίθῳ κολαζομένῳ καὶ δεδεμένῳ Πέδαις ἀχαλκεύτοισιν ἔξευκται πόδας.* — Praeterea cfr. Odyss. λ, 634. versum a Pisistrato, ut aiunt, inculcatum: *Θησέα, Πειρίθοόν τε, θεῶν ἐρικυδέα τέκνα.* Sophocl. Oedip. Col. 1593: *οὗ τὰ Θησέως Πειρίθου τε κεῖται πίστ' ἀεὶ ξυνθήματα.* Plut. Thes. 20. Virg. Aen. 6, 617: *sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus.* Fabulam tractavit iam Panyasis. Cfr. Paus. 10, 29, 4: *Πανύασις δὲ ἐποίησεν ὡς Θησεὺς καὶ Πειρίθους ἐπὶ τῶν θρόνων παράσχοιντο σχῆμα οὐ κατὰ δεσμώτας, προσφυὲς δὲ ἀπὸ τοῦ χρωτὸς ἀντὶ δεσμῶν σφίσιν ἔφη τὴν πέτραν.* — Thesei apud Inferos sedentis afflictique imaginem praebet Inghirami *Gall. Om.* III. T. 94. Aliquoties Theseus et Pirithous cum Hippolyta Amazone pugnantes ab antiquis artificibus expressi sunt. Vid. *Museum Gregorian.* Tab. XXIV. Theseus taurum Marathonium ligans Ibid. T. LXXXI. Minotaurum occidens Ibid. T. XLVII. LVII. LXII. atque imprimis Gerhard *Vaseng.* III. p. 34 et 152: *Theseische Mythen.* Avellino *Bull.* IV. p. 75. *Archaeol. Ztg.* I. p. 194.

CARMEN VIII.

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus,
Donarem tripodas, praemia fortium

VIII. Inscr. volg. *Ad Censorinum*, et sic Bbc. — *Ad Marcium Censorinum* S. — Om. T. — 1. *commodis* Tc et Aldus 1509. (non BbSd, tres Bland., Pott. septem, neque Aldus 1549.)

VII. Pro rebus cuiusvis generis pretiosis, quas poëta non habet, quibus amicus non eget, carmen ei mittit, cuius pretium in eo maxime constare dicit, quod ut alia aliis, velut Ennii Scipioni, Graecorum poëtarum heroibus, sic Censorino immortalitatem dare valeat. (Alcmanis imitationis nullum inest vestigium: nam quomodo ad v. 10. a scholastico conferri potuerit illius versiculus Fragm. 27. Schneidew. 78. Bergk: *Οὐ γὰρ πορφύρας τόσσος κόρος, ὥστ' ἀμύνασθαι*, equidem non intelligo.) — C. autem Marcius Censorinus fuit consul a. u. c. 746. cum C. Asinio Gallo. *Demerendis hominibus genitum* appellat Vellei. 2, 102. Huius denario (*Ann. dell' Inst.* XI. p. 304.) duo capita impressa sunt cum inscr.: *NVMAE. POMPILI. ANCI. MARCII.* — De tempore carminis nihil plane liquet. Grotefend ad a. 739. refert.

1. 2. *Donarem*] Kalendis Martiis et Saturnalibus homines locupletes suis sodalibus dona (strenas) mittebant, qualia significat Pseudotibull. 3, 1, 1: *Martis Romani festae venere Kalendae — — Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa Perque vias urbis munera perque domos.* Lucian. Cronosolon 16: Saturnalibus *ἀντιπεμπέτω ὁ πένης τῷ πλουσίῳ, ὁ μὲν πεπαιδευμένος βιβλίον τῶν παλαιῶν, εἴ τι εὔφημον καὶ συμποτικὸν ἦ, ἢ αὐτοῦ σύγγραμμα, ὁποῖον ἂν δύνηται.* — *grataque*] «quae plerisque accepta atque magnopere expetenda videntur.» — *commodus*] Construe: *commodus* (largus et liberalis, pro adverbio *mit Lust* Voss.) *donarem pateras meis sodalibus*; non vero: *commodus meis sodalibus.* Epp. 2, 1, 226: *speramus eo rem venturam, ut — — commodus ultro Arcessas.* Sic verbum cognatum *commodare* alicui quid est «libenter ac sine ullo fenore ad certum tempus alicui aliquam rem, qua utatur, concedere.» Opponitur Epp. 1, 18, 74: *Ne* (munere negato amicus te) *incommodus angat (ungefällig).* — *aera*] vasa in primis Corinthia.

3–5. *tripodas*] Odyss. *ν*, 13: *Ἀλλ' ἄγε, οἱ δῶμεν τρίποδα μέγαν ἠδὲ λέβητα.* Hesiod. O. et D. 656: *ἔνθα μέ φημι Ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν τρίποδ' ὠτώεντα.* Pind. Isthm. 1, 18: *Ἐν τ' ἀέθλοισι θίγον πλείστων ἀγώνων Καὶ τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον Καὶ λεβήτεσσιν φιάλαισί τε χρυσοῦ Γενόμενοι στεφάνων Νικαφόρων.* — *Ferres*] «auferres, acciperes.» — *artium*] «operum affabre factorum.» Sic *τέχνα* in Epigr. mox

Graiorum, neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.
Sed non haec mihi vis, non tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.

Vv. 7. 8. Knightley, Hibernus, ut versuum per singulas strophas quaternarium numerum extunderet, subditicios esse statuit. (In idem incidit Martin.) — 9. *non tibi*] *nec tibi* ST, cum Blandin. antiquiss. C, *βκ*, Bentleius. (Ut nos, Bbcd.)

afferendo. Virg. Aen. 5, 359: *clypeum - -, Didymaonis artes.* Epp. 1, 6, 17: *marmor vetus aeraque et artes Suspice.* Cic. de Legg. 2, 2: *exquisitis - antiquorum artibus.*

6–8. *Parrhasius*] Ephesius, Olymp. 95. (ante Chr. 400.) Certamine cum Zeuxi nobilitatus est, cum hic pinxisset uvas, quo aves deceptae sunt, ille linteum, quo Zeuxin ipsum decepit. Tria eius Epigrammata conservata sunt in Anthol. Pal. II. p. 779 sq., in quorum tertio memorabile illud dictum: *φημὶ γὰρ ἤδη Τέχνης εὑρῆσθαι τέρματα τῆσδε σαφῆ Χειρὸς ὑφ' ἡμετέρης.* — *protulit*] «ut inventor finxit», non cum aliis: «spectandas exposuit.» Tibull. 1, 10, 1: *Quis fuit horrendos qui primus protulit enses? — Scopas*] Parius, Olymp. 87. Plin. 36, 5: *fecit Venerem et Pothon et Phaëthontem, qui Samothrace sanctissimis caerimoniis coluntur, item Apollinem Palatinum*, citharoedum (Müller *Denkm.* I. N. 141.), propter quem artifex notus Romanis omnibus esse debebat. Eius Mercurius praedicatur in Anth. Pal. II. p. 684: *Ὦ. λῶστε, μὴ νόμιζε τῶν πολλῶν ἕνα Ἑρμᾶν θεωρεῖν· εἰμὶ γὰρ τέχνα Σκόπα.* Maxime celebratus est propter inventionem ac peritiam in rebus Bacchicis exprimendis demonstratam, quo in genere illustrissima erat eius *Μαινὰς χιμαιροφόρος*. Müller *Denkm.* I. N. 140. — *liquidis - coloribus*] *im Farbenfluss.* Gehlen. Opponuntur marmori liquidi colores, ita ut splendoris quoque insit notio. — *Sollers - - ponere*] «peritus artifex in fingendo.» Ars. P. 34: *ponere totum Nesciet.* Ovid. A. A. 3, 404: *Si Venerem Cous nunquam posuisset Apelles.* Similiter nos *darstellen.* Omnia constructionis adiectivi cum infinitivo exempla Horatiana ad h. l. collegit Lambinus.

9. 10. *vis*] «facultas et copia.» — *non tibi*] *non* apte ad sententiam concitatiorem reddit orationem quam *nec*, in quod illud facillime mutari potuit, non contra. Cfr. Od. 4, 9, 19., ubi eadem varietas. — *Res*] familiaris. «Cum tute satis locuples sis, opus non habes, ut quis talia tibi donet, neque vero nimis cupidus es eiusmodi *deliciarum*», quemadmodum Romani severiores artificum Graecorum praeclara opera nominabant. Cic. Verr. Accus. 4, 23: *Sic Haluntini excussis deliciis* (vasorum ornamentis) *cum argento puro domum reverterunt. (solcherlei Köstlichkeit* Voss.)

Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare et pretium dicere muneri.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus, non celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,

12. *muneri* BbTc, tres Bland., $\beta\gamma$,Ct, Bentl.: *muneris* Sd, tres dumtaxat Pott., item LFM. — Vv. 14–17. subditicios censet Hofm. Peerlkamp. — 15. *celeris fuga* B. (Verba *non celeres fugae – – Lucratus rediit* spuria videntur Haackio, Martino, Lachmanno.) — 16. *annabilis* (sic) T.

11. 12. *Gaudes carminibus*] «Tu, quod generosum animum longe magis decet, sensu vere poëtico praeditus es.» — *pretium dicere*] «de iusto pretio carminum, quae omni alio honore certius immortalem viris bene meritis gloriam conciliant, recte statuere.» — *muneri*] omnino exquisitior lectio, in qua v. *dicere* statuendi habet significationem; neque intelligi potest, cur librarii faciliorem lectionem *muneris* in difficiliorem mutarint. Genitivum explicant: «ostendere pretium, quod habet carmen in se spectatum;» id quod eodem fere redit, sed pedestri orationi propius est. Cfr. etiam Sat. 2, 3, 23: *Callidus huic signo ponebam milia centum.* Nec vero superbia inest Flacco indigna in ea lectione, quam nos praetulimus.

13. 14. *notis – publicis*] «Non tituli insignibus ducibus in statuarum (triumphalium) basi publice incisi eo utique fine, ut talium laudes etiam a posteris celebrentur, aequiparari possunt carminibus *bonorum*, fortium ac strenuorum, imperatorum laudes praedicantibus.» Liv. 6, 29: *tabula litteris incisa.* Eadem litterarum, non compendiorum scribendi *(siglarum)*, significatione dixit h. l. *notas.* Exemplum praebet Plut. Cat. mai. 19. Catoni censorio populi iussu posita statua cum titulo honorificentissimo. Praeterea cfr. Inscr. m. Lat. T. I. pag. 145. Monumenta historica. Generalis autem est sententia nec cum nupero quodam interprete referri potest ad honorem a Scipione in Hispania partum. Cfr. etiam Epp. 2, 1, 248 sqq. Ceterum probabiliter hic de virorum clarorum statuis locus refertur ad eas, de quibus Suetonius Octav. 31: Augustus *proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque et opera cuiusque manentibus titulis restituit et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.* Gell. N. A. 9, 11. Lamprid. Alex. 28: *Augustus summorum statuas virorum in foro suo e marmore collocavit additis gestis.* — *spiritus (Athem) et vita*] Ut hic nomina, sic verba respondentia iunguntur Od. 4, 9, 10: *spirat adhuc amor Vivuntque commissi calores* cet. Virg. Aen. 6, 848: *Excudent alii spirantia mollius aera, Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus* cet.

15 seqq. Multis difficultatibus laborat hic locus, ut exstat in omni-

Non incendia Karthaginis impiae
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes quam Calabrae Pierides: neque,
Si chartae sileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae

V. 17. delendum censuerunt Bentleius, Buttmann *Mythol.* 2. p. 367., seclusit Meineke. — *impendia* Cuningh., *stipendia* Doering, *dispendia* Hermannus. — *cartaginis* T. — 21. *Sic arte* T.

bus Codd. (nisi quod *celeris fuga* nonnulli). Vide Excursum in fine huius carminis. *Fugae* sive celer discessus Hannibalis, sane ex Italia (Liv. 30, 20.), non fuga capta post cladem, quam apud Zamam perpessus erat. — *minae*] «quas iactarat, a se Romanum imperium tandem eversum iri.» — *reiectae retrorsum*] «repulsae». Quod addunt, «in ipsius caput reiectae», in poëtae verbis ipsis certe non inest; sed dictum est, ut Plin. H. N. 9, 31. *retrorsum redire*, et satis frequenter *retro redire, retro regredi, retro referre corpus* (Seneca Thyest. 449.), *retro respicere*. Plin. Paneg. 38: *retro recurrere*. Virg. Aen. 2, 378: *Obstupuit retroque pedem cum voce repressit.*

17-19. *impiae*] Cic. de Off. 1, 12: *Poeni foedifragi, crudelis, Hannibal.* — *nomen ab Africa*] Sat. 2, 1, 65: *Laelius aut qui Duxit ab oppressa meritum Karthagine nomen.* Liv. 30, 45: *Primus-hic imperator nomine victae ab se gentis est nobilitatus.* — *Lucratus*] «Ne quis humile putet v. *lucratus*, sicuti putavit T. Faber, recordemur Scipionis dictum apud Valer. Max. 3, 7, 1: *Cum Africam totam potestati vestrae subiecerim, nihil ex ea, quod meum diceretur, praeter cognomen retuli.* Hoc unicum erat Scipionis lucrum; alii alia lucra spectabant.» Hofman Peerlkamp. De Scipionis monumentis cfr. Liv. 38, 56.

20. *Calabrae Pierides*] «Ennii Musae s. carmina.» Ovid. A. A. 3, 409: *Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus, Contiguus poni, Scipio magne, tibi.* Rudiis, Calabriae oppido, natus erat (a. u. c. 515-584.), unde ipse de se: *Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini.* (Cic. de Or. 3, 42.) — In Scipione autem suo (cfr. Lersch in Museo Rhen. 5, 3. p. 416.) haec scripsit Ennius: *Quantam statuam faciet populus Romanus, Quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?*

21. *chartae*] poëmata, ut Od. 4, 9, 31. Ovid. ex Ponto 4, 12, 27: *Maeoniis - - chartis.* — *sileant*] «Si nullus poëta memorarit tua bene facta, tua merita, debita mercede in perpetuum carebis.» Pind. Olymp. 11, 91. B.: *Καὶ ὅταν καλὰ ἔρξαις ἀοιδᾶς ἄτερ, Ἀγησίδαμ', εἰς Ἀΐδα σταθμὸν Ἀνὴρ ἵκηται, κενεὰ πνεύσαις ἔπορε μόχθῳ βραχύ τι τερπνόν.*

22-24. *Mercedem*] Pind. Nem. 7, 14: *Ἔργοις δὲ καλοῖς ἔσοπτρον ἴσαμεν ἐνὶ σὺν τρόπῳ, Εἰ Μναμοσύνας ἔκατι λιπαράμπυκος Εὕρηται ἄποινα μόχθων κλυταῖς ἐπέων ἀοιδαῖς.* — *Quid foret*] «Obscurus

Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus et favor et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori:
Caelo Musa beat. Sic Iovis interest
Optatis epulis impiger Hercules,
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates,

25. *Aeacum*] *aequum* T. — 26. *pavor* T. — 29. *beatus. Sic* T.

maneret etiam Romulus, nisi celebratus esset a poëtis, praesertim ab Ennio apud Cic. de Rep. 1, 41: *O Romule, Romule die, Qualem te patriae custodem di genuerunt! O pater, o genitor! o sanguen dis oriundum! — Tu produxisti nos intra luminis oras. — si taciturnitas Obstaret - invida*] «Si posteri invidi de eo tacuissent.» Cfr. Od. 4, 9, 33: *lividas Obliviones*. Victorem a poëta celebratum *σιγαλὸν ἀμαχανίαν ἔργῳ φυγόντα* vocat Pindarus Pyth. 9, 92.

25 - 27. *Aeacum*] qui immortalitati consecratus saepe laudibus celebratur a Pindaro, loco imprimis notabili Isthm. 7 (al. 8), 23., ubi de eo dicit: *ὃ καὶ Δαιμόνεσσι δίκας ἐπείραινε. — Virtus*] «vis ingenii, facultas poëtica.» — *potentium*] ut Od. 3, 30, 12: *ex humili potens. Potentes* sunt poëtae, quatenus immortalitatem donare possunt. — *divitibus - insulis*] «fortunatis». Sic iam Epod. 16, 42. *τὰς μακάρων νήσους* vocarat. — *consecrat*] Sanctae enim sunt omnes Elysii umbrae. Cic. Phil. 14, 12: *fortissimi, dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites*. Seneca de Provid. 2: *Mors illos consecrat, quorum exitum et qui timent laudant.*

28 - 34. *vetat mori*] «Eius nomen interire nunquam sinit.» — *Caelo - beat*] «in caelo collocatum reddit beatum.» Epp. 1, 18, 75: *Munere te parvo beat*. (Ovid. ex Ponto 4, 8, 55: *Di quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt.)* — *Sic*] per poëtarum carmina. — *Optatis*] «ab omnibus viris generosis, qui rebus suis gestis ad immortalitatem aspirant.» Hermannus in nova sua carminis constitutione: *Oblatis*. — *Hercules*] Pulcherrimam imaginem Herculis a Iove et Victoria in caelo recepti vide apud Gerhard *Vaseng.* II. T. CXLIII. — *Tyndaridae*] Castor et Pollux, *fratres Helenae, lucida sidera*, Od. 1, 3, 2. — *ab infimis*] Eadem constructio etiam in prosa oratione. Rutilius Lup. 2, 4: *ut se a calumniatoribus eripiatis*. Idem 2, 16: *socios nostros de servitute eripuimus.* — *eripiunt*] Theocr. 22, 17: *Ἀλλ' ἔμπας ὑμεῖς γε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας Αὐτοῖσιν ναύτῃσιν ὀϊομένοις θανέεσθαι.* Eurip. Electr. 990: *κούρων Διός, οἳ φλογερὰν αἰθέρ' ἐν ἄστροις Ναίουσι, βροτῶν ἐν ἁλὸς ῥοθίοις Τιμὰς σω-*

Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

36. *duxit* Bd.

τῆρας ἔχοντες. — *pampino*] Similiter iam Od. 3, 25, 20: *Cingentem viridi tempora pampino*; unde hic in suspicionem adductus est versus etiam ab Hermanno et Lachmanno. Sed omni epitheto carere Liber h. l. vix potest. — *Liber*] «ipse quoque ex mortali deus factus, ut poëtae cecinerunt (Od. 3, 3, 13.), *votis* homines *damnat* (Virg. Ecl. 5, 80.), votorum eos compotes reddit.» Atque θεὸς σωτὴρ est Lycophroni 206.

EXCURSUS

Ad v. 17.

Non incendia] Duplici excusatione eget hic versiculus, primum a caesura, quam pessumdatam dicunt necessitate nominis proprii, quod aliter versus non recepisset; deinde ut *incendia* «generaliter», ut aiunt, «et poëtice» accipiantur pro cladibus (ut Aen. 1, 566: *tanti incendia belli*, atque opinatus est Böttiger, Ennium fortasse alicubi Karthaginis clades calamitatesque vocasse eius *incendia.)* vel etiam de binis castris Syphacis et Hasdrubalis a Scipione incensis (Liv. 30, 5.) crematisque Karthaginiensium D. navibus (Liv. 30, 43.), minime vero (qui ridiculus foret error, poëtae nunquam imputandus) de Karthagine a Scipione Africano minore incensa atque excisa. Neque vero clanculum, ut ita dicam, intrudi potest Scipio minor, ut post Glareanum et Gesnerum factum video etiam a nupero interprete: «Poterat», inquit, «poëta in his nomen Scipionis urgere et silentio praeterire, quod iunior demum Scipio Karthaginem incendio deleverit.» Haud magis, quae est Gerberi sententia ab eo ter prolata*), *Eius, qui - - rediit* pro alicuius domitoris Africae ficta nescio qua persona haberi potest, cum hoc vetet et indicativus *rediit* et ipsa Ennii mentio, neque, ut voluit Io. Deodatus Fröhlich **), *Calabrae Pierides* universe significare possunt nescio quae carmina panegyrica a nescio quo in Scipionis minoris laudem composita. Nam nihil magis ἄκυρον inconcinnumque fuisset atque ambiguum, quam si Calabris Pieridibus, quae unice Ennium significare possunt, totum genus panegyricum denotare voluisset. Ita non peccavit Horatius. Nec tandem tolerabiles sunt coniecturae Cu-

*) Zeitschr. f. Alterthw. 1839. p. 47. Progr. Sondersh. 1843 et 1846.
**) Progr. Gymn. antiq. Monac. 1837. p. 9 sqq.

ninghamii *impendia* (quam firmare conatus est Stat. Silv. 3, 3, 87: *partaeque per omnes Divitiae populos magnique impendia mundi.)*, Doeringii *stipendia*, «tributa ei imposita,» Fröhlichii *Namque incisa - - non celeres fugas Reiectasque retrorsum* cet. — Verum ecce nova exoritur difficultas ex sententiis ipsis. Quid, quaeso, dicit? «Non fugatus Hannibal, non Karthago devicta ac paene deleta» (ut faciles simus in interpretando) «clarius indicant laudes Scipionis maioris quam Ennii carmina.» Sed haec ipsa quid aliud tandem praedicabant quam easdem illas Scipionis res gestas? Nulla est ergo ἀντίθεσις, quam tamen manifesto quaesivit poëta. Quam ut qualicunque saltem modo eliciant, (nonnulli etiam parenthesi inclusis vv. *Per quae spiritus - - - ducibus*, quo scilicet artius, sed tamen mira compositione, cohaereant *celeres fugae* cum *incisis marmoribus)*, ita fere interpretantur: «non incisae notis, id est, in inscriptione statuae Scipionis memoratae, Hannibalis fugae, minae repulsae, clades Karthaginis clarius indicant imperatoris illius laudes quam Ennii *Annales* et *Scipio*.» Verum haec precario sumi apparet. Aequo enim iure ac fortasse minus contorte suppleas: «Scipionis facta aut marmoribus anaglyphis picturisve expressa, aut ab annalium scriptoribus litteris tradita, aut fama dumtaxat ad posteritatem propagata, minus clara sunt eius virtutum monumenta quam Ennii poëmata.» (Dignissima etiam est quae perpendatur Fr. Ritteri de hoc loco sententia in Philologi Schneidewiniani Vol. I. p. 584 sq. contra Peerlkampii et Lachmanni*) opiniones proposita. «*Drei Mittel*», inquit, «*die thaten des Scipio im andenken der menschen zu erhalten, werden von dem dichter so neben einander gestellt, dass an der letzten stelle dasjenige namhaft gemacht wird, was er für das wirksamste hielt und darum den beiden andern entgegensetzte. Diese mittel waren erstens anerkennung der thaten des Scipio durch standbilder und inschriften* (incisa notis marmora publicis), *welche ihm nach seinem Tode gesetzt wurden* (per quae spiritus et vita redit bonis post mortem ducibus). *Solche sah man zur zeit des Horaz bei Rom vor dem Capenischen thore und zu Liternum*. Liv. 38, 56: alii Romae, alii Literni et mortuum et sepultum. Utrobique monumenta ostenduntur et statuae: nam et Literni monumentum monumentoque statua superimposita fuit, quam tempestate deiectam nuper vidimus ipsi, et Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt, quarum duae Publii et Lucii Scipionum dicuntur esse, tertia poëtae Quinti Ennii. *Ein zweites mittel, den Scipio zu verherrlichen, waren die wirkungen und folgen seiner thaten. Die erste dieser wirkungen bestand darin, dass Hannibal durch Scipio's siege in Spanien und Africa genöthigt wurde Italien eiligst zu verlassen, um seiner bedrängten vaterstadt zu hülfe zu kommen.*

*) Zeitschr. f. Alterthw. 1845. p. 481 sqq. Philolog. Schneidew. I. p. 464 sqq.

Indem Rom auf diese weise von einem drünger befreit wurde, der es lange genug auf das entsetzlichste heimgesucht hatte, musste seinen bürgern recht fühlbar werden, was Scipio, obgleich entfernt, für sie gethan habe, und dieser eindruck war geeignet, das andenken an einen solchen wohlthäter auf lange zeit zu erhalten. Da Hannibal mit brechendem herzen Italien verliess und mit wehmuth die frucht langjähriger anstrengung auf einmal vernichtet sehen musste, so stand es dem dichter zu, diese räumung als eilige flucht zu bezeichnen: denn ohne dringende noth hätte Hannibal Italien nie aufgegeben. Wiederum erglänzte Scipio's ruhm in den flammen Carthago's, als dieses durch den jüngern Scipio zerstört wurde: denn die möglichkeit dazu war durch den älteren angebahnt worden. Als drittes mittel, die grossen thaten des Scipio im andenken der Menschen zu bewahren, wird die verherrlichung derselben durch Ennius bezeichnet, und diesem mittel wird vor den beiden andern der vorzug eingeräumt.» Atque similiter Dillenburger (ed. alt.) ad v. 13: «Quid hoc et insequentibus versibus poëta dicere voluerit, satis manifestum est, nimirum *pretium dicere muneri.* ««Non monumenta, inquit, titulis publice inscripta, ne ipsae quidem magnae res gestae hominum manent; temporis perpetuo motu quidquid bene factum est oblivionis caligine paullatim obducitur. Quare nihil ad posteros pervenit nisi quod fixum firmatumque est poëtarum aeternis carminibus.»» Sed ut poëtae solent, exemplis usus est. *Celeres fugae* (ex Italia) et *reiectae minae Hannibalis* Scipionem Africanum maiorem, deinde *incendia Karthaginis* minorem Africanum indicant, tum *Calabrae Pierides* iterum ad maiorem referendae sunt, quoniam Ennius Rudiis Calabriae oppido natus maiorem Scipionem carmine celebravit. Quae ab altero ad alterum Scipionem transitio quibus displicet, iis *incendia* non sunt intelligenda de urbe a Scipione minore combusta, sed de navibus et portu a maiore Scipione incendio deletis, quam calamitatem Karthaginienses non minus aegre tulerunt, quam si ipsa urbs esset deleta.» Paullo minus placent atque ingeniosius quam probabilius disputata videntur, quae nuper Steinerus*) de nostro loco scripsit: «Horatio Romanisque haec legentibus quaedam artificum monumenta ante oculos fuisse mihi quidem persuasum est. Sententiarum enim nexus (v. 13 sqq.) ostendit, verbis illis *celeres fugae* cet. non fugam ipsam sed fugam marmore expressam declarari. Itaque illa aetate Scipionis *maioris* monumentum Romae fuisse statuo, in quo cives et ipsum spectabant ducem egregium marmore effictum (vs. 14.) et res illius praeclaras sive marmore sive aereis columnis (cf. Lamprid. Alex. Sev. c. 28.) repraesentatas: celeres Poenorum ex Italia fugas Hannibalisque nequidquam minitabundi atque Scipionis ultoris in Africam traiectionem (v. 16): incendia

*) Comment. Horat. Specim. secc. p 9 sq.

castrorum Hasdrubalis et Syphacis (Liv. 30, 5 et 6; Flor. 2, 6.), incendia navium Carthaginiensium (Liv. 30, 43): Scipionem domita apud Zamam Africa in Italiam redeuntem. — Tali vero honore quis dignior Scipione? quem Ennius sic affatur: *Quantam statuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?* Horatii igitur aequales qui illa castrorum naviumque incendia marmore expressa vidissent, profecto cum hos versus legebant non poterant, ut nonnulli interpretes nostri, de incensa a Scipione minore Carthagine cogitare.» Denique commemoranda est etiam Iahnii*) speciosa explicatio, qua genitivum *eius* non ab obiecto *laudes* sed a subiecto *incendia* pendere volt, ut sententia sit: «non ipsa Karthago incendio deleta ab eo qui nomen accepit a domita Africa.» Quam interpretationem quo minus probemus, facit et constructio durissima et quod *laudes* genitivo, ad quem referantur, carere vix possunt.)

Iam vero Meineke legem, quam Horatius in his carminibus Asclepiadeis constanter secutus est, probe animadvertit, omnia in strophas quaternorum versuum dividenda esse, et quae vocabant *μονόστροφα* (Od. 1, 1. Lib. 3, 30.) et quae *δίστροφα* (Od. 1, 3. 13. 19. Lib. 3, 9. 15. 19. 24. 25. 28. Lib. 4, 1. 3.) et systema Asclepiadeum maius, olim *μονόστροφον* (Od. 1, 11. 18. Lib. 4, 10.). Haudquaquam igitur credibile est semel tantummodo ab eo hanc legem migratam esse, et quidem in carmine maturiore iam aetate composito. Quapropter probabile fit aut, quod ille asteriscis significavit, aliquot versiculos iam antiquitus excidisse, aut aliquot eorum, quos libri exhibent, interpolatori deberi. Itaque in prioribus editionibus post v. 17. lacunam duorum versuum statueramus, quibus poëta partim incendia illa ita definierit, ut vero rerum ordini minime repugnarent, partim modum indicarit, quo Scipionis res gestae aliter quam ab Ennio posteritati traditae minus clarae fuerint. Nunc vero, utpote in re nimis incerta, ab omni vel lacunae vel interpolationis significatione in hoc carmine abstinuimus, ut lectori liberum arbitrium sit, utrum remedium adhibere velit, ut strophae quaternorum versuum evadant. Ceterum non silentio hic praetereundum est, illam legem quantumvis nobis arridentem a multis viris doctis acriter impugnatam esse, a nullo acrius quam a Deodato Fröhlichio, qui his verbis in eam invectus est: «*Da in diesen Asklepiadeischen Gedichten durchaus nur ein und dieselbe Versart wiederkehrt, auch die Gedanken keineswegs auch nur ihren Hauptpartien nach sich auf je vier und vier Verse vertheilt entwickeln, sondern vielmehr dem äussern Umfange nach mannigfaltig wechseln und sich oft im Anfang oder Mitte eines Verses abschliessen, da folglich weder Ohr noch Verstand des Hörers solcher Gedichte eine andere Scheidung und*

*) Iahrb. f. Philol. u. Paedagog. Vol. 42. p. 286.

Abtheilung der Worte wahrnehmen kann als die im Vortrage von dem Gange der Gedanken gebotenen kleinern und grössern Pausen: so ist Meineke's rein äusserliche, bloss in der Schrift für das Auge wahrnehmbare Anordnung dieser Gedichte als τετράστροφα weiter nichts als ein bedeutungsleerer Einfall, der keinen andern Grund hat als die Beobachtung, dass die fraglichen Gedichte jedes aus einer Anzahl Verse bestehe, die sich durch die Zahl vier rein theilen lässt, also kein Gesetz, welches uns berechtigte, auch nur in einem Gedichte des Horatius etwas wegzuschneiden oder anzusetzen, um es in jener zufälligen Aeusserlichkeit seinen Metrumsgenossen gleich zu machen, wenn urkundlich dargethan ist, dass der Dichter selbst es ihnen nicht gleich gemacht hat.» Hanc sententiam praeter Eichstadium*), Iahnium, Dillenburgerum, Düntzerum, Gerberum**), Gerlachium nostrum***), alios, nuper amplexus est etiam Steinerus, qui disputationi suae de nostro loco supra allatae haec subiecit: «At lex illa Meinekiana, qua Horatius omnia carmina lyrica in *quaternorum* versuum strophas divisit, hoc loco (v. 17.) postulat, ut duos versus aut excidisse aut aliena manu additos esse statuamus. Equidem isti legi non tantum tribuerim. Etenim praeter hoc carmen *quinque* omnino in quattuor odarum libris reperiuntur carmina, in quibus idem versus semper reperitur. Od. 1, 1; 3, 30 versus Asclepiadeus minor; Od. 1, 11; 1, 18; 4, 10 Asclepiadeus maior. Ex tam paucis exemplis certam de carminibus monostichis legem conficere non licet, cum praesertim in Epodon libro numerum illum quaternarium ab ipso poeta neglectum videamus. Accedit quod divisio illa tetrastrophica neque in ipsius metri natura nititur et sententiarum nexum saepissime interpellat.» Sed iam tempus est ab legis Meinekianae, de cuius veritate neminem nisi ipsam stupiditatem dubitare *(«nur die bare dummheit zweifelt»)* Lachmannus contentius quam urbanius affirmavit, obtrectatoribus redeundi ad eiusdem fautores, inter quos iam supra p. 421. Kirchnerum laudavimus, nullus tamen maior exstitit quam vir summus, Godofredus Hermannus, cuius audacissimam nostri carminis restitutionem *(Berichte über die Verhandl. der Gesellsch. der Wissensch. z. Leipz.* N. VIII. p. 274.) corollarii loco hic subiecimus:

Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare et pretium dicere muneri:
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus. Non statuae magis,
Non incisa notis marmora publicis 15

*) Progr. Acad. Ien. 1843.
**) Progr. Sondershus. 1846.
***) Revue de Philologie II. p. 336 sqq.

Illum, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit post celeres fugas
Reiectasque retorsum Hannibalis minas
In dispendia Karthaginis impiae,
Clarant, quam Calabrae Pierides, neque
Si chartae sileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida praemiis?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori,
Caelo Musa beat. Sic Iovis interest
Oblatis epulis impiger Hercules:
Liber vota bonos ducit ad exitus:
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates.

CARMEN IX.

Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante volgatas per artes
Verba loquor socianda chordis:

Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces

IX. Inscr. volg. *Ad Lollium*, et sic bc. — *Ad Marcum Lollium consularem* S. — Om. BT. — 3. Habet scripturam *volgatas* c. — 4. *loquar* superscr. *o* c. — *chordis*] *nervis* Cod. Card. Rain. sive Farnesianus apud Lamb.

IX. De argumento cfr. Excursum.

1 - 4. *Ne forte credas*] Apodosis, quam plerique puncto post v. *chordis* posito a prioribus divellerunt, inest in v. 5 seqq.: «Scito non oblitterata esse Pindari cet. carmina nec multo minorem lyricae poësis dignitatem quam epicae.» — *ad Aufidum*] Cfr. Od. 3, 30, 10. Od. 4, 3, 23. et 14, 25. Cum studio patrium tractum semper commemorat gloriaturque, inde potissimum, unde fortasse minime exspectaretur, Romanis exstitisse, qui Graecorum lyricam poësin tandem ad eos transduceret; id quod inest in seqq. *Non ante* cet. — *socianda chordis*] «lyrae aptanda, ad lyram decantanda.» Schol. Ovid. Met. 14, 5: *Orphea percussis sociantem carmina nervis.* Non sine generosa confidentia, ut supra dixi, semet ipsum immiscet Graecis.

5 - 7. *Maeonius*] proprie Lydus; h. l. idem quod *Maeonides*, filius Maeonis, mythici patris Homeri. Antipater Thess. in Anth. Pal. I. pag. 427: *εἰ δ' ὕμνων σκᾶπτρον Ὅμηρος ἔχει Καὶ Ζεύς τοι κρέσσων Ἐνοσίχθονος· ἀλλ' Ἐνοσίχθων Τοῦ μὲν ἔφυ μείων, ἀθανάτων δ' ὕπατος. Καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος* (Antimachus) *ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ, Ἄγεῖται δ' ἄλλων πλάθεος ὑμνοπόλων.* Lucret. 3, 1049: *Adde Heliconiadum comites, quorum unus Homerus Sceptra potitus.* Dante *Inferno* 4: *Ecco il signor dell' altissimo canto, Che sovra gli altri, com' aquila, vola.* — *Ceaeque*] Non est Bacchylides Ceus, sed Simonides. Od. 2, 1, 38. Theocr. 16, 44: *δεινὸς* (*κεῖνος* Ameis) *ἀοιδὸς ὁ Κήϊος αἰόλα φωνέων Βάρβιτον ἐς πολύχορδον.* — *Alcaei minaces*] *στασιωτικά*, quibus Pittacum Myrsilumque, Lesbi tyrannos, insectatur. Od. 2, 13, 34. Cfr. etiam ex *συμποτικοῖς* Fr. 30. Schneidew. Del. p. 274. Bergk p. 579: *τὸν κακοπάτριδα Πίτταχον*

Stesichorique graves Camenae;
Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas; spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

Non sola comptos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus illitum
Mirata regalesque cultus

8. *Stesichorive* B. — 15. *regalisque* BbTc.

πολιος τᾶς ζαχόλω καὶ βαρυδαίμονος Ἐστάσαντο τύραννον μέγ' ἐπαινέντες ἀόλλεες.

8. *Stesichorique*] Stat. Silv. 5, 3, 154: *Stesichorusque ferox.* Quintil. 10, 1, 62: *maxima bella et clarissimos* cecinit *duces et epici carminis onera lyra* sustinuit. *Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem:* quo refertur v. *graves.*

9 - 12. *Anacreon*] «si quid levioris, imprimis amatorii argumenti tractavit.» Propter nonnullos lectores monendum duco, ipsius Anacreontis eas dumtaxat esse reliquias, quas nuper edidit Theod. Bergk. Lipsiae 1834. et Schneidew. in Delectu cet.; subditicia vero Odaria illa a Stephano primum reperta. — De miro Acronis scholio: «Anacreon autem Satyram scripsit, amicus Lysandri. Alii dicunt, quod scripsit Circen et Penelopen in uno laborantes.» (Od. 1, 17, 19 sq.) cfr. Bergk Anacr. pag. 12. Bode *Gesch. der gr. Poësie* 2, 19, 2. pag. 360. — *spirat*] Sic Simonides de Anacreonte Anth. Pal. I. p. 343: Ὃς Χαρίτων πνείοντα μέλη, πνείοντα δ' Ἐρώτων Τὸν γλυκὺν ἐς παίδων ἵμερον ἠρμόσατο. Cic. Brut. 24: *Videtur Laelii mens spirare etiam in scriptis, Galbae autem vis occidisse.* Gellius 7, 5: *Polus - - opplevit omnia - - lamentis veris et spirantibus.* — *Vivuntque*] Sappho de se ipsa Bergk p. 646: *Οὐδ' ἴαν δοκίμωμι προσίδοισαν φάος ἀλίω Ἔσσεσθαι σοφίαν πάρθενον εἰς οὐδένα πω χρόνον Τοιαύταν.* Posidippus Anth. Pal. II. pag. 780: Σαπφώ, σαὶ δὲ μένουσι φίλης ἔτι καὶ μενέουσιν Ἰωνῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες. Pind. Nem. 4, 6: Ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει. Hoc igitur dicit: «Gratissimo sensu etiamnunc nos afficiunt amores, quos Sappho suis carminibus tamquam arcanas pectoris curas concredidit (Sat. 2, 1, 30 sq.) iisdemque admirabiliter expressit.» — Iunge: *commissi fidibus Aeoliae* (Lesbiae) *puellae* (genit.). Alii minus bene *Aeoliae puellae* pro dativo habent «ab Aeolia puella.»

13 - 15. *arsit*] «amore capta est eleganter compti ornatique adulteri.» Construe, ut est apud Virg. Ecl. 2, 1: *pastor Corydon ardebat Alexin: arsit crines, eos mirata;* non cum aliis: *arsit, mirata crines.* Aristoph. Eccles. 954: Πάνυ γάρ τις ζρως με δονεῖ Τῶνδε τῶν σῶν βοστρύχων. — *aurum vestibus illitum*] veluti inspersum, de vestibus

Et comites Helene Lacaena,
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu; non semel Ilios
Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus
Dicenda Musis proelia; non ferox
Hector vel acer Deiphobus graves

16. *helenae lacenae* T. — 17. *Primusque* ST (non Bbcd). — *Cydoneo* Tc. — 18. *Dilexit* T. — 19. *non*] *nec* bcd (non BST). — 20. *Idomeneus fortis et Aiax* (v. *Aiax* a sec. m. superscr. *solus*) d. — *Sthenelusque (stelenusque)* BT (non BSc). — 22. *gravis* Bc.

pictis vel aureis filis intextis. Significat Orientalium χρυσοπήνητα φάρεα. (Eurip. Orest. 840.) Virg. Aen. 3, 483: *picturatas auri subtemine vestes*. De Paride Eurip. Iphig. Aul. 73: ἀνθηρὸς μὲν εἱμάτων στολῇ, Χρυσῷ τε λαμπρός, βαρβάρῳ χλιδήματι. Troad. 991: Ὃν γ' εἰσιδοῦσα βαρβάροις ἐσθήμασι Χρυσῷ τε λαμπρὸν ἐξεμαργώθης φρένας. Ovid. Her. 13, 57: *Venerat (ut fama est) multo spectabilis auro, Quique suo Phrygias corpore ferret opes.*

16. *Helene Lacaena*] Sic saepe additur patria ornatus, ut aiunt, causa, vel potius, ut accuratius definiatur persona, in quam poëta mentis nostrae oculos convertere volt. Od. 2, 4, 2: *Xanthia Phoceu.* Od. 3, 9, 9: *Thressa Chloë.* Ibid. 14: *Thurini Calais filius Ornyti.* Od. 3, 12, 6: *Liparaei nitor Hebri* Epod. 12, 18: *Cous - Amyntas.* Propert. 1, 4, 6: *Spartanae - - Hermionae* cet. Sine causa interpretes inferunt notionem Lacedaemonis καλλιγύναικος vel h. l. etiam: «Helena, quae in paupere illa regia Spartana talem luxum nunquam viderat.» Immo satis laute et magnifice ibi vivebat auctore Homero Odyss. δ, 120 seqq. (Cfr. Gerhard *die Schmückung der Helena. Berlin* 1844.)

17-20. *Teucer*] Cfr. Od. 1, 7, 21. Iliad. ν, 313: ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν Τοξοσύνῃ. — *Cydon*, Cretae urbs; Cretes autem sagittandi arte excellebant. Od. 1, 15, 17. *calami spicula Cnosii.* Virg. Ecl. 10, 59: *torquere Cydonia cornu Spicula.* — *Ilios Vexata*] «Non semel urbs aliqua aeque magna et opulenta ac Troia excisa est, neque tamen poëta ullus eius interitum narravit.» Alii referunt ad Troiam prius ab Hercule expugnatam; minus recte, ut videtur. — *Idomeneus*] Cretensium dux. Iliad. γ, 230: Ἰδομενεὺς δ' ἑτέρωθεν ἐνὶ Κρήτεσσι θεὸς ὣς Ἕστηκε. — *Sthenelus*] Capanei et Euadnes F., Diomedis auriga.

21-24. *Dicenda*] Od. 4, 4, 68: *Proelia coniugibus loquenda. Pugnavit* autem *proelia*, pro eo, quod tralaticium est, «pugnavit pugnas.» Verba neutra admittunt accusativos non solum suae originis, sed etiam cognatae significationis. Sic Od. 3, 19, 4: *pugnata - bella.* — *ferox Hector*] Hectoris imagines vide in Gerhard *Vaseng.* III. T. CLXXXVIII seqq. — *Deiphobus*] Helenae post Paridis interitum coniux, unus post Hectorem Troiano-

Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisque primus.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,

24. *puerisve* d. — 26. *inlacrimabiles* bSTcd. — 28. *carentque uate* T. — 29. *sepultae distat inertiâ* malebat Bentleius. — 34. *sileri* bTc,$\beta\delta\iota\psi$, pr. ν, Ct. (Ut nos, BSd, $\gamma\varkappa\chi$, pr. ξ, Pott. sex.)

rum fortissimus. Iliad. ν, 258: *Δηϊφόβοιο - ὑπερηνορέοντος*, optimo sensu. Quint. Smyrn. 11, 340: *Δηϊφοβός τε μενεπτόλεμος κρατερός τε Πολίτης*. — *Coniugibus*] Iliad. ω, 730. de Hectore: *(πόλιν)Ῥύσκευ, ἔχες δ' ἀλόχους κεδνὰς καὶ νήπια τέκνα*. — Multa cum gravitate repetit in fine v. *primus*, quo sententiam inceperat.

26 - 28. *illacrimabiles*] *ἄκλαυστοι*, *indefleti*. Ovid. Met. 7, 614. Aliter Od. 2, 14, 6. *illacrimabilem* Plutonem dicit. — *Urgentur*] «obruuntur, premuntur»; ut saepe de spissis tenebris et de morte. Od. 1, 24, 5: *Ergo Quinctilium perpetuus sopor Urget*. Pind. Nem. 9, 6: *Ἔστι δέ τις λόγος ἀνθρώπων, τετελεσμένον ἐσλὸν Μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι· θεσπεσία δ' ἐπέων καύχαις ἀοιδὰ πρόσφορος*. Tac. Agr. 46: *multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet*. — *sacro*] Sacros vocat poëtas, quatenus sunt in Apollinis, Mercurii, Bacchi tutela, interpretes deorum, Musarum sacerdotes. (Od. 3, 1, 3.) Lucan. 9, 978: *O sacer et magnus vatum labor! omnia fato Eripis et populis donas mortalibus aevum*. Praeterea conferre iuvabit perquam similem locum Theocriti in *Χάρισι* 16, 48 sq.

29-34. *Paullum* cet.] «Virtus incognita ac silentio transmissa parum differt ab inertia (merito) latente.» Melius quam ceteri Scholiastae Commentator Franequeranus exposuit locum nequaquam difficilem, quamquam etiam coniecturis vexatum a Bentleio et HP. *(sepulti)*: «Nihil interest», inquit, «inter celatam virtutem et inertiam; nam virtus carens litterarum monumentis procedente tempore perdit famam et similis fit ignaviae, de qua nemo loquitur.» Pind. Nem. 7, 12: *αἱ μεγάλαι γὰρ ἀλκαὶ Σκότον πολὺν ὕμνων ἔχοντι δεόμεναι*. Silius 3, 145: *Quantum enim distant a morte silentia vitae?* Operae pretium est videre, eandem fere sententiam quomodo expresserit poëta Arabs, Abii Tammam, in Schulthensii Hamasa pag. CLXII: *Sane rhythmi et Musae haud desinunt Instar habere lineae unionibus consertae. Soluta oratione margaritae sunt, quas si nexueris Carmine, existant*

Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus,
Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae,
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus

33. Deficit Cod. Turic. inde ab hoc versu usque ad Carm. 11, 12. — Vv. 38 - 40. 42. 43 - 45. in B desunt.

torques et monilia. Diffugiunt inter eos (Arabes) *celsissimae virtutes, nisi queis Funiculi poëmatum perennia iniecerint vincula.* — *inertiae*] dativus, ut Sat. 1, 4, 48: *Differt sermoni* (comoedia). Bentl. volebat: *Virtus inertia* poëtarum *celata paullum distat* virtuti *sepultae.* — *silebo*] Alii *sileri* ex accommodatione ad v. *patiar.* — «Non concedam, ut malevolorum livor et oblivione obscuret et *carpat*, obtrectando extenuet, praeclara tua facta.»

35. 36. *Rerumque prudens*] «rerum civilium bellicarumque peritus.» — *dubiis*] saepe idem fere ac «rebus adversis.» Tac. Ann. 1, 64: Caecina *secundarum ambiguarumque rerum sciens eoque interritus.* Referri hoc sane potest ad cladem, quam Lollius in Germania passus erat. — *Rectus* opponitur ei, qui ad omnem casum flectitur atque deprimitur. Est igitur: «firmus, constans sibique semper aequalis.»

37. 38. *Vindex*] «qui vel iudex vel provinciae praeses severe punit fraudes et avaritiam, ipse quoque a rapinis abhorrebit.» — *Ducentis ad se*] «cuius illecebris plerique ducuntur transversique aguntur, cum paucissimi iis resistant.» Quod Scholiastae explicant: «Pecuniosorum gratiam cuncti sequuntur», in vv. proprie non inest.

39. *Consulque*] «Optimi quique scriptores non aliter interdum de animo quam de persona quapiam loquuntur.» Bentl. Atque exempla larga manu ab eo collecta demonstrant Latinos dixisse: *Animus aestimator, carnifex, censor, contemptor, corruptor, dominus, liberator, proscriptor, rector, rex, speculator*, quibus adde ex Seneca Phoeniss. 45: *desertor animae*; ex Plinii Paneg. 55: *contemptor ambitionis et infinitae potestatis domitor ac frenator animus ipsa vetustate florescit*; ex Iuvenale 13, 195: *animus tortor.* Mitigatur autem durior haec metaphora *animus consul* vel eo, quod quattuor versiculi interponuntur, ita ut lector illius nominis prope oblitus facillime suppleat: «tu, Lolli, *consul* es et *iudex* et *victor* cet. Nam haec quoque vocc. pendent a v. *animus*, cui itidem *altus vultus* tribuitur.

Iudex honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium
Voltu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti

41. *utili et* Cod. Pottierii duodecimus, Aldus, LCt et Bentleius. (Ut nos, BbScd, Bentleii omnes, Pott. ceteri.) — 43. *per* bScd. Bentleii et Pottierii omnes: *et per* Aldus, LCtM.

Similis est sententia Od. 3, 2, 19: *Nec sumit aut ponit secures Arbitrio popularis aurae.* «Vero nomine consul, et perpetuus quidem, tu es, fungeris dignitate vere consulari, quotiescunque iudicem te praebes probum atque incorruptum.»

41. *Iudex*] h. l. proprie: «unus de iudicibus selectis» (Sat. 1, 4, 123.); non vero: «qui honestum ac probabile fert iudicium de quolibet bono vel malo externo, de divitiis, de paupertate cet.» — *alto -- Voltu*] «non ad pecuniam oblatam deflexo, sed cuius liberrima indignatio aperte monstret te ex animi sententia sontium dona aspernari.» — Codd. noti, etiam mei, miro consensu praebent *ἀσύνδετα utili, Reiecit* pro *utili et Reiecit, Voltu, per*, pro *Voltu et per*. Et a Codd. standum arbitror; *quoties* ad secundum tertiumque membrum repetendum est, ut *si* Od. 3, 24, 40 seqq., *sic* Od. 4, 8, 31. Consulto duriore hoc modo auxit severitatem sententiae Stoicae.

43. 44. *catervas*] Eos, qui virtuti atque integritati iudicis donis insidiantur eiusque cupiditates excitare conantur, adeoque pravas cupiditates ipsas, nulla addita comparationis particula, confert cum hostium catervis, per quas destricto gladio aperienda sit via; sine imagine: «quoties removet a se corruptores summa in eos austeritate usus fortiterque suas quoque domans cupiditates.» Virtutes autem victoriam de vitiis atque corruptione ferentes *armis* comparat. — *Explicuit*] in prosa or. «expedivit.»

46-50. *occupat*] «sibi vindicat.» — *deorum Muneribus*] «sorte divinitus data, etiam minus commoda.» Hom. Hymn. in Cer. 447: *Μαῖα, θεῶν μὲν δῶρα καὶ ἀχνύμενοί περ ἀνάγκῃ Τέτλαμεν ἄνθρωποι· δὴ γὰρ πολὺ φέρτεροί εἰσι.* — *Peiusque -- timet*] Epp. 1, 17, 30: *Mileti textam cane peius et angui Vitabit chlamydem.* Est e consuetudine populari. Cic. ad Fam. 7, 2: *oderam multo peius hunc quam illum*, respondetque populari nostro: *ärger fürchten.*

51. 52. «Stoicorum ille sapiens perfectus (cuius speciem inde a v. 34. Lollio exhibet) turpitudinem

Duramque callet pauperiem pati
Peiusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

52. *peribit* B, Cruquii duo.

quidem timebit, nequaquam timebit mortem pro amicis et pro patria oppetere.» Qui constructionem Graecam non satis perspiciebant, scripserunt *timidus peribit*, ut habebant duo Codd. Cruquii.

EXCURSUS.

M. Lollius consul a. u. c. 733. Vellei. 2, 97: (a. u. c. 738.) *Accepta est in Germania clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiore et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo.* Postea tamen moderator iuventae C. Caesari, Agrippae filio, Augusti nepoti ac filio adoptivo in Orientem misso a. u. c. 754. ab Augusto additus fidem datam cum minus praestitisset (Tacit. Ann. 3, 48.), *perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata Caesari fama volgavit; cuius mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro,* ut ait Vellei. 2, 102. Plin. H. N. 9, 35, 58: *Lolliam Paullinam, quae fuit Caii principis matrona, ne serio quidem aut sollemni caerimoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium coena, vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spira, auribus, collo, monilibus digitisque, quae summa quadringenties H.S.* (3619852 Flor. Rhen. 5265239 Franc. Helv.) *colligebat, ipsa confestim parata mancupationem tabulis probare. Nec dona prodigi principis fuerant, sed avitae opes, provinciarum scilicet spoliis partae. Hic est rapinarum exitus, hoc fuit, quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto oriente, interdicta amicitia a Caio Caesare, Augusti filio, venenum biberet* (a. u. c. 753.), *ut neptis eius quadringenties H. S. operta spectaretur ad lucernas.* (De Lollia Paullina cf. Suet. Calig. 25. Tac. Ann. 12, 1. 22. Dio 59, 12. 60, 32.) — Lollius hic ex iis est, quibus unum dumtaxat carmen inscripsit Horatius, sicut Agrippae, Asinio Pollioni, Crispo Salustio, Iulo Antonio, Censorino, utpote principibus civitatis viris, qui ipsi quoque Augusto haud negligendi erant, quibusque gratum acceptumque esse debebat, ubi *Romanae fidicen lyrae* honorificam eorum mentionem fecisset. Atque si, ut ait Velleius, summa arte ille vitia sua dissimulabat, eadem latuisse Horatium minime mirum est. Quocirca hic quoque adulationis crimen a poëta longe remotum maneat necesse est: quam

enim ob caussam minus honestam Lollium esset adulatus? — Incertum est M. Lollii cognomen; nam in Inscriptione (apud Sigon. et Pigh. ad a. 732.) vocatur simpliciter *M. Lollius M. F.* et Fasti Capitolini eius anni desunt. *Palikanum* nominat Torrentius sine certa auctoritate, sed eius aequalis *L. Lollii Palikani* exstant nummi; cfr. Eckhel D. N. V. pag. 235. Ryckius ad Tac. Ann. 12, 1. et Obbarius ad Epp. 1, 2. pag. 11. *Paullinum* vocant, quia neptis eius *Lollia Paullina* et *M. Lollius Paullinus* consul suffectus a. u. c. 846. fuit. Sed hoc quoque incertum, cum per duas tresve aetates tum cognomina permultum variare solerent. Piranesius in Fastis Capit. ad a. 732. eum appellat *M. Lollium Paedium Verum* ex Inscriptione Ursiniana apud Grut. 1031, 4. manifesto conficta ex Horat. Epp. 1, 20, 28. et alio turpi errore *Q. Iunio Lepido* pro *Aemilio* inquinata. *Lollius*, ad quem est Epp. 1, 2., huius M. Lollii filius videtur fuisse. — «Poëtarum Graecorum Lyricorum (quibuscum fidenter ego, *Romanae fidicen lyrae*, me consocio) carmina, tametsi primas ultro deferimus Homero, tamen etiamnunc exstant ac summa cum admiratione ab omnibus leguntur; sic mea quoque aetatem durabunt. Sed permulti priscorum illorum heroum, qui antecesserunt Troiana tempora, a nullo poëta collaudati nunc misera oblivione premuntur; quae iniqua fortuna ne te quoque maneat, Lolli, hoc carmine eximias tuas virtutes praedicante satis, ut spero, cautum erit.» Scriptum videtur carmen post Lollii consulatum, fortasse post cladem, quam in Germania passus est, circa a. u. c. 738. vel 739. maxime propter v. 35: *secundis Temporibus dubiisque* cet. Quodsi post hanc compositum est, consolationis vice fungitur existimationemque Lollii illa imminutam, quatenus civilibus eius virtutibus extollendis fieri poterat, redintegrare studet.

CARMEN X.

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae cum veniet pluma superbiae,

X. Inscr. volg. *Ad Ligurinum*, et sic c. — *Ad Ligurinum puerum speciosum et arrogantem* BSb. — 2. *bruma* malebat Bentleius, *ruga* Markland, Hofman Peerlkamp, Mönch.

X. Idem argumentum ita tractavit Theognis v. 1299. Bekk.: Ὦ παῖ, μέχρι τίνος με προφεύξεαι; ὡς σε διώκων Δίζημι· ἀλλὰ τί μοι τέρμα γένοιτο κιχεῖν Σῆς ὀργῆς. Σὺ δὲ μάργον ἔχων καὶ ἀγήνορα θυμὸν Φεύγεις, ἐκτίνου σχέτλιον ἦθος ἔχον. Ἀλλ' ἐπίμεινον, ἐμοὶ δὲ δίδου χάριν· Οὐκέτι δηρὸν Ἕξεις Κυπρογενοῦς δῶρον ἰοστεφάνου. Et v. 1327: Ὦ παῖ, ἕως ἂν ἔχῃς λείαν γένυν, οὔποτε σαίνων Παύσομαι, οὐδ' εἴ μοι μόρσιμόν ἐστι θανεῖν. Cf. Automedon Anthol. Pal. II. p. 440. (Compositionem carminis ad a. u. 738. refert Grotefend.)

1. *crudelis*] *Durum* eundem vocat Od. 4, 1, 40. — *Veneris muneribus*] Iam Hom. Iliad. γ, 54: τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης Ἥ τε κόμη τό τε εἶδος. — *potens*] «forma, venustate, lepore praevalens.» Propert. 3, 20, 7: *Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes.*

2. *Insperata*] «Cum necopinato tibi supervenerit adultior aetas, a qua nunc quantum potes refugis.» Ceterum nemo cum Monichio construet: *Insperata tuae superbiae*, sed: *veniet* iamiam *tuae superbiae*. *Insperata* autem est pro antiquo adverbio *insperato*, «antequam exspectes»; *veniet* pro: «superveniet.» — *pluma*] «lanugo, quae tibi cum genas vestierit, ex ephebis excedes.» Philostrat. Ep. 14. Μειρακίῳ. Ταχέως σε θεασάμην γενειῶντα κτλ. Nec vero cum aliis explices: «cum formae, qua nunc superbis, pulchritudo pennas, quibus avolet, sibi sumet.» Videlicet confuderunt *pennas* et *plumam*; cuius metaphorae tametsi vix aliud exstat exemplum, cum frequentior sit *flos genae*, non tamen propterea alius *bruma*, alius *poena*, *ruga* alius denique proponere debebant, cum v. *pluma* egregie lanuginis mollitiem exprimat mireque consonet cum nostro *Flaum*, Gallorum *duvet*, Italorum *piuma*, de prima barba usurpato. Accedit Graecorum usus πτερὸν pro τριχί. Aeschyl. Choëph. 174. et Eurip. El. 530: βοστρύχους ὁμοπτέρους. Sic πτίλον et plumam et lanuginem significat. Sophocl. Fragm. 708. Dind.: πτίλον κύκνειον. Ad rem cfr. Asclepiadem in Anth. Pal. II. pag. 460: Νῦν αἰτεῖς, ὅτε λεπτὸς ὑπὸ κροτάφοισιν ἴουλος Ἕρπει, καὶ μηροῖς ὀξὺς ἔπεστι χνόος κτλ. Ibid. in Ἀδήλῳ: ἀλλὰ φρο-

Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam, 5

5. *Ligurinum* BbSc,LCtF: *Ligurine* Cod. meus d, duo Torrentii, Bentleius et M.

νεῖτε Μηδὲν ὑπὲρ ὑνητούς, ὦ νέοι· εἰσὶ τρίχες.

3. 4. *humeris involitant*] Eiusmodi enim pueri puellarem in morem comam alebant. Od. 2, 5, 21 sqq. Od. 3, 20, 14. Epod. 11, 28. Martial. 1, 31, 6: *Dumque decent fusae lactea colla iubae*, item de puero delicato. De femina Anth. Pal. I. p. 92: *τὰς τρίχας - - Τὰς ἐπὶ τοῖς σοβαροῖς αὐχέσι πλαζομένας.* — *deciderint*] Adulta autem aetate tondebantur, et, qui servilis condicionis erant, in ceterorum conservorum gregem iamiam transibant; libertini alium quaesticulum circumspiciebant. Martial. 11, 78: *Tondebit pueros iam nova nupta tuos.* Sic Smerdiae Polycrates propter *ζηλοτυπίαν* adversus Anacreontem crines detonderi iussit. Vide Bergk ad Anacr. Fr. 46: *Ἀπέκειρας δ' ἁπαλῆς κόμης ἄμωμον ἄνθος.* Pseudolucian. Amor. 40: *ὁ μὲν Ἀθηναῖος εὐμόρφοις παισὶν ἐξήσκητο, καὶ πᾶς οἰκέτης αὐτῷ σχεδὸν ἀγένειος ἦν, μέχρι τοῦ πρῶτον ὑπογραφέντος αὐτοῖς χνοῦ παραμένοντες, ἐπειδὰν δὲ ἰούλοις αἱ παρειαὶ πυκασθῶσιν, οἰκονόμοι καὶ τῶν Ἀθήνησι χωρίων κηδεμόνες ἀπεστέλλοντο.* — *puniceae*] purpureae. Idem rotarum Aurorae *ἐπίθετον* est apud Virg. Aen. 12, 77. Usurpatur de vivido colore rubro, unde Gellius N. A. 3, 9. dicere ausus est: equum, *colore exuberantissimo, quem - nos - - puniceum dicimus.*

5. *Ligurinum*] Dictum, quasi tertia esset persona. Qui mutarunt in vocativum, non satis perceperant acerbam poëtae sententiam: «te, puerum tam formosum tamque superbum cet.» Praeterea qui legunt *Ligurine*, construunt: *cum color rosae mutatus verterit* (se) *in faciem hispidam*, cum multo simplicior sit altera ratio atque huius carminis indoli convenientior: *cum color mutatus* atque evanidus *Ligurinum verterit in faciem hispidam*, id est, ei induxerit faciem hispidam. Tibull. 1, 8, 34: *Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent Ora nec amplexus hispida barba terit.* — *hispidam*] «hirsutam atque asperam»; non cum aliis: «rugis contractam et horridam.» Non enim senem fingit sibi Horatius Ligurinum pristinae superbiae poenitentem (quae quidem ingratissima fuisset imago), sed iuvenem puerilibus hisce amoribus non iam aptum; quocirca nec v. *deciderint* «propter vetulam aetatem defluxerint» explicandum est, sed: «cultro resectae fuerint.» (Opponitur *puer adhuc lubrico genarum splendore conspicuus* Apul. Met. 9, 22. Stat. Flaccus Anth. Pal. II. p. 457. invehitur in adolescentem iamiam *φρίσσοντα γενείοις*, et Strato pag. 455. adolescentium *τρίχας* absolute *τὰς φθονερὰς* vocat.)

6. *heu*] Poëtae est exclamatio, non pueri, ut alii voluerunt distinctione mutata. — *te speculo*] Antiquissimum gloss. *te in speculo* comparet iam in Codice B. Sed

Dices, heu, quotiens te speculo videris alterum:
Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

6. *te in speculo* B, duo Blandin., γx, duo Pottierii, L et Bentleius. (Ut nos, bScd, Pott. ceteri.)

praestat, ne elidatur *te*, ablativus instrumenti sine praepositione, ac prorsus distat Virg. Ecl. 2, 25: *nuper me in litore vidi*, ubi dicere non poterat: *me litore*. Calpurn. Ecl. 9, 74: *Quin etiam fontis speculo me mane notavi; -- Quod vidi, nulla tegimur lanugine malas: Pascimus et crinem*. Minus recte Monich v. *speculo* esse dativum putat. — *alterum*] «alium factum, prorsus diversum ab hoc, qui nunc es.»

7. 8. *mens*] «iam ad amorem prompta et facilis, sed frustra, quia omnes nunc me aspernantur.» — *incolumes*] «barba non deformatae, leves ac nitidae.» Comparant iam Scholiastae Terent. Hecyr. 1, 1, 17: *Eheu me miseram, cur non aut istaec mihi Aetas et formast, aut tibi haec sententia?*

CARMEN XI.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
Est hederae vis
Multa, qua crines religata fulges; 5
Ridet argento domus; ara castis

XI. Inscr. volg. *Ad Phyllidem*, et sic Codd. nostri; S addit *amicam suam*. — 5. *crinis* B.

XI. Ad Maecenatis diem natalem Id. April. secum celebrandum invitat Phyllida, amabilem psaltriam, cui consilium dat, ut nimis dispari Telephi amori tandem renuntiet, atque perpetuum, qui priorum iam finis sit, amorem pollicetur. Similis argumenti sunt Neptunalia cum Lyde celebrata Od. 3, 28. (Grotef. refert ad a. u. c. 739.)

2-4. *Albani*] Vinum Albanum soli Falerno cedens, Dionys. Halic. 1, 12.; tertia saltem palma inter Italica dignum, auctore Plinio H. N. 14, 6. Cfr. Sat. 2, 8, 16. — *apium*] Frequens eius usus in corollis convivalibus. Cf. Od. 1, 36, 16. Od. 2, 7, 24. «Alcaeus frequenter se dicit apio coronari.» Acron. — *hederae vis*] «copia.» Atque in omnibus his imaginibus inimitabili cum lepore beatam quandam copiam ac munditiem, dignam illam festo hoc die, sibi praesto esse demonstrat.

5. 6. *qua crines religata*] Optima videtur interpretatio huius βραχυλογίας, ut significet: «comâ in nodum religatâ (ut Od. 1, 5, 4: *cui flavam religas comam?*) coronâque hederaceâ capiti impositâ.» Alii volunt esse: «qua hedera pro taeniis vel philyris coma in nodum collecta fulges oculis totaque facie.» Sed hedera et apio coma *redimitur*, non *religatur*. — *fulges*] «in quo simplici ornatu fulgere soles.» «Non enim eam ad se coronatam venire cupit, sed invitat, ut apud se coronetur.» Porphyr. Ab antiquiore forma *fulgo*, *is* cum aliis repetere nolim. — Sic etiam Charito p. 86. Lips.: ἀστράπτουσα τῷ προσώπῳ. — *Ridet*] «renidet, splendet.» Epp. 1, 5, 7: *Iamdudum splendet focus et tibi munda supellex.* — *ara*] ex caespitibus in terrae solo exstructa. Schol. Ovid. Trist. 5, 5, 9: *Araque gramineo viridis de caespite fiat.* Iuven. 12, 1: *Natali, Corvine, die mihi dulcior haec lux. Qua festus promissa deis animalia caespes Exspectat.*

7. 8. *verbenis*] Plin. H. N. 22, 2: *Auctores imperii Romani conditoresque - quiddam (et ex surdis, hoc est, ignobilibus herbis) sumpsere, quoniam non aliunde* sagmina *in remediis publicis fuere et in sacris legationibusque* verbenae. *Certe utroque nomine idem significatur, hoc*

Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno;

Cuncta festinat manus, huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae;
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.

Ut tamen noris quibus advoceris
Gaudiis, Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae

9. *festinant* N. Heinsius. — 11. *crepitant* malebat Bentleius.

est, gramen ex arce cum sua terra evolsum. Donatus ad Ter. Andr. 4, 3, 11: Verbenae - - *redimicula sunt ararum.* Conf. ad Od. 1, 19, 14. — *Spargier*] Hoc uno loco in lyricis utitur infinitivi forma antiquiore, qua nimis abuti solent lyrici Latini recentiores, etiam Sarbievius. — Iam, quod nonnemo cavillatus est ex Varronis testimonio apud Censorinum C. 2: *Id moris institutique maiores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annale Genio solverent, manum a caede ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent:* assensum fortasse moveret, si de Horatii ipsius die natali h. l. ageretur; nihil autem vetabat, quominus Maecenatis natali una pro amici salute et pro semet ipso rem divinam domi suae faceret. Confer etiam Od. 3, 17, 15., ubi contra idem Varronis testimonium *Genius curatur porco bimestri.*

9-12. *manus*] «familia mea tota diligenter ministrat convivium a me paratum.» Quominus vertamus cum Vossio: *Ungesäumt eilt jegliche Hand;* prohibet v. *cuncta.* Cfr. Iuven. 14, 59: *Hospite venturo cessabit nemo tuorum; Verre pavimentum, nitidas ostende columnas; Arida cum tota descendat aranea tela* cet. — *pueris puellae*] ministri et ancillae. V. *puellae* de ancillis rarissimum; cogita de vernulis. — *Sordidum*] *den qualmig wirbelnden Rauch.* Voss. — *trepidant rotantes*] «fumum celerrime torquentes ac glomerantes, ita ut eius verticem *(Wirbel)* efficiant.» «Quodam tremore nigrum fumum glomeratim volventes in verticem.» Comm. Cruq. Hanc enim interpretationem praetulerim alteri, ex qua *vertex* est «culmen aedium.» Iam Lucretius 6, 200. de fulminibus: *rotantque cavis flammam fornacibus intus.*

13-16. *quibus advoceris*] Hanc formam exhibent quattuor mei Codd., etsi ego quoque praeferrem *advocere* et propter sonum et propter multorum Codd. auctoritatem, qui Od. 4, 12, 16. *merebere* exhibent pro *mereberis.* — Eadem constructione Quintil. 11, 1, 39: *causae, quibus advocamur.* — *marinae*] Od. 3, 26, 5. Ἀναδυομένης, quae mense Aprili, ipsi sacro, e mari emer-

Findit Aprilem,
Iure sollemnis mihi sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus adfluentes
Ordinat annos.

Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuae sortis iuvenem puella
Dives et lasciva tenetque grata
Compede vinctum.

Terret ambustus Phaëthon avaras

19. *affluentis* BT.

sisse ferebatur. Cfr. Varro L. L. 6, 33. ed. Müll. Macrob. Sat. 1, 12: *Hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere* (quasi ab ἀφρῷ) *nominaret.* Varro l. l.: *magis puto dictum, quod ver omnia aperit, Aprilem.* Ceterum de Apellis Venere marina v. elegans Leonidae Tar. Epigr. Anth. Pal. II. p. 680. — *Findit*] «dividit»; ut ipsum v. *Idus* deducebant ab antiquo verbo *iduare*, id est, *dividere*. Macrob. Sat. 1, 15.

17 - 20. *sanctiorque*] Tibull. 4, 5, 1: *Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus Atque inter festos semper habendus erit.* — *Paene*] «Pro adulatione vitanda posuit.» Acron. Sine causa Scholastici nonnulli hoc tamquam lyrico generi minus conveniens vituperarunt. — *Ordinat*] «A primo die suo natali exorsus Maecenas annos suos *affluentes*, sensim sibi succedentes et quorum numero quam plurimi opto accedant, ordine numerat.»

21 - 24. *Telephum*] Idem nomen poëticae personae Od. 1, 13. et 3, 19., unde magna et inutilis controversia inter Scholasticos exorta est, utrum unus idemque fuerit, an duo, an tres diversi; quidam eo etiam audaciae progressus est, ut Telephum pro ficta persona haberet. Ceterum acerbioribus sententiolis pungere Phyllidem conatur, quo Telephi tandem oblitam ad se solum amandum inducat. — *occupavit*] «te praeveniens sibi conciliavit.» — *Non tuae sortis iuvenem*] «condicionis longe nobilioris, ac te ditiorem; cuius igitur amorem tibi polliceri nunquam debebas.» Sic enim iungo, non cum Lambino: *non tuae sortis puella*, «tibi valde dissimilis loco, re, genere, quippe *dives*.»

25 - 27. *Terret*] «Atque copia adest exemplorum, quae graviter nos moneant, ut ea tantummodo sectemur, quibus vires fortunaeque nostrae pares sint; veluti Phaëthon ille, *(τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ Ἡμιδαὴς Φαέθων* Apoll. Rhod. 4, 597.) qui *ambustus* incendio, quod per caelum excitavit, et Iovis ful-

Spes, et exemplum grave praebet ales
Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,

Semper ut te digna sequare et ultra
Quam licet sperare nefas putando
Disparem vites. Age iam, meorum
Finis amorum —

Non enim posthac alia calebo
Femina — condisce modos, amanda

Post v. 32. excisa sunt folia aliquot e Cod. c usque ad Od. 13, 15.

mine ictus nos deterret, ne spes nimis *avaras*, id est, avidas atque immodicas rerum nobis negatarum concipiamus.» — Phaëthontis exitium vide in Winckelmann *Mon. ined.* T. XLV. — *ales*] ut Od. 3, 12, 4: *puer ales*. Epod. 3, 14: *Serpente -- alite*. — *Pegasus*] divinae originis equus, ut qui a Neptuno et Medusa procreatus sit. — *gravatus*] «indignatus ferre *equitem* mortalem.» Fortasse memor fuit Pind. Isthm. 6. (al. 7.) 44. B.: *πτερόεις ἔῤῥιψε Πάγασος Δεσπόταν ἐθέλοντ' ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς Ἑλθεῖν μεθ' ὁμάγυριν Βελλεροφόνταν Ζηνός· τὸ δὲ πὰρ δίκαν Γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτά.* Cfr. Schol. ad Aristoph. Ran. 75: *ὁ Βελλεροφόντης διὰ τοῦ Πηγάσου τοῦ πτερωτοῦ ἐπεθύμει καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνελθεῖν*, eum sic allocutus apud Eurip. Belleroph. Fr. 47: *Ἄγ' ὦ φίλον μοι Πηγάσου πτερόν.* — Belleroph. Pegaso vecti et Chimaeram devincentis imaginem vide apud Millingen *Anc. Mon.* II. T. 4. — Ceterum grata et, ut ita dicam, comica inest hyperbole in exemplis hisce mythicis eiusmodi puellae, qualis Phyllis vel fuit vel fuisse fingitur, tam graviter propositis.

29 - 32. *ut te digna*] Pind. Pyth. 4, 90: *Καὶ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνόν, -- Ὄφρα τις τᾶν ἐν δυνατῷ φιλοτάτων ἐπιψαύειν ἔραται.* — *Disparem vites*] «ideoque semper amicum condicione tibi parem deligas.» — *Finis*] Propert. 1, 12, 20: *Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.* «*Meiner Liebe Beschluss du.*» Voss. In his autem vv. minime inest, quod Scholasticus quidam nuper opinatus est, Phyllidem, quae pulchritudine *fulgebat*, iam deflorescere coepisse: neque profecto tam stultus fuit Horatius etiam quinquagenarius, ut vietas puellas adamaret.

33-36. *calebo*] Cf. Od. 1, 4, 19. — *amanda*] in prosa or. «amabili, grata.» — *condisce*] «accurate ac diligenter disce domi tuae.» Supplent nonnulli: «a me.» Vix recte; nam cantum docere erat musicorum, ut Tigellii, *discipularum inter*

Voce quos reddas; minuentur atrae
Carmine curae. 35

35. *minuuntur* Codex unus Bersmanni.

cathedras. (Sat. 1, 10, 91.) — *reddas*] «mihi». Cantu quasi redduntur numeri *(ῥυθμοί)* et modi *(μέλη)*, quos quis a modulatore didicit. Sic Od. 4, 6, 43: *Reddidi carmen*, «cantavi.» — *minuentur*] «Statim ubi tu cantu me delectabis, tristes curae mitigabuntur.» Consulto futurum posuit; nam praesens *minuuntur*, quod nonnullis placuit, locum communem eumque admodum tenuem praebuisset. — *atrae*] Vid. ad Od. 3, 1, 40. — *Curas* Bentleius putat esse solius Phyllidis, utpote quae adverso Telephi amore contristetur. Quidni: «omnia, quae nos ambos angunt:»?

CARMEN XII.

Iam veris comites, quae mare temperant,

XII. Inscr. volg. *Ad Virgilium.* — *Veris descriptio ad Virgilium* BS. — *Ad Virgilium loquitur quendam unguentarium* b. — *Ad Virgilium negotiatorem* Oberlini B. — Om. T.

XII. Ad se Virgilium iocose invitat ea condicione, ut unguenti onychem quasi cadi mercedem afferat; quae condicio si placeat, statim missis omnibus, quae convivium moratura sint, advolet, adiectis, quae ad hoc impellant, argumentis, a sicciore anni tempestate vitaeque brevitate desumptis. Iam cum probabilis sit eorum opinio, qui omnia huius libri carmina inde ab a. u. c. 736. composita esse censent (hoc a Kirchnero refertur ad a. 740., a Grotefendio ad annum 739.), vel propterea non ad Virgilium Maronem poëtam scriptum esse potest, quippe qui mortem obierit a. u. c. 735. Praeterea poëta quomodo sub vitae finem dici potuerit *iuvenum nobilium cliens* difficile est profecto intellectu, cum Augusti ipsius et Liviae amicitia uteretur, non Augusti privignorum vel nepotum nescio cui tutelae sese applicasset. Deinde quomodo vel ludibundus *studium lucri* poëtae tribuere poterat? qui quidem iocus, ut iocum esse largiamur, in talem virum iactus sensu prorsus caruisset neque cuiquam risum movisset. «Nihil denique hic est» (recte inquit Gesnerus), «quod talem spiret amicitiam, quali coniunctus cum Marone Flaccus fuit, quodve magis ad poëtam quam ad quemvis alium Horatii sodalem pertineat.» — Ridiculae quidem sunt Codd. et Schol. inscriptiones: *ad Virgilium unguentarium* vel *mercatorem* vel *negotiatorem*, petitae partim ex *nardi* illo *onyche*, partim ex *studio lucri*. Speciosior alia et fortasse ex antiquis Interpretibus desumpta: *ad Virgilium medicum Neronum*. (Cfr. Weber *Horaz* pag. 234.) Poterat autem esse Virgilii Maronis cognatus aliquis vel cliens, poterat esse nepos fortasse C. Virgilii s. Vergilii praetoris, Ciceronis amici. Quod quidem nos latet; hoc unum certum est, poëtam sic ad compotationem invitari nunquam potuisse ab Horatio suo. In eadem est sententia Weberus et Estré Hor. Pr. pag. 455. (Qui vero de Virgilio poëta exponunt, ut nuper Dillenburger pag. 94., hoc carmen fortasse iam a. 714. vel 715. compositum nescio quo aut consilio aut casu demum post a. 736. editum esse contendunt, quod quidem parum est veri simile.)

1 - 4. *veris comites*] Non zephyri, ut quidam voluerunt, sed aquilones. Pseudaristot. de Mundo 4: *οἱ δὲ Ὀρνιθίαι καλούμενοι ἐαρινοί τινες ὄντες ἄνεμοι βορέαι εἰσὶ τῷ γένει.* Colum. 11, 2, 21: *venti septentrionales, - - Ornithiae per dies XXX. esse solent; tum et hirundo advenit.* — *temperant*] «tranquillant.» Comm. Cruq.; «faciunt, ut placidius sit mare quam per tempus hibernum;» quae interpretatio aptior est, propterea quod hi venti navigantibus secundi sunt, ut patet

Impellunt animae lintea Thraciae;
Iam nec prata rigent nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.

2. *Impellunt* T. — 5. *hithis* T. — 7. *quod*] *quae* λ.

ex seq. vers., quam altera: «modo excitant, modo, cum cessant, placatum sinunt.» — *Impellunt*] «dum vela intendunt, eo propellunt naves.» — *animae Thraciae*] Graeciae ab Aquilone, qui venti ver antecedunt. Soph. Antig. 586: *ὥστε ποντίαις Οἰδμα δυσπνόοις ὅταν Θρήσσαισιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς.* (*Animae*, omnis aër motus, ut Virg. Aen. 8, 403: *ignes animaeque.*)

5-8. *Nidum ponit*] «Hirundo, veris nuntia, iam nidificat.» Pandionis filia Procne, Philomelae soror, Tereo marito, Thraciae rege, gladio eam persequente, in hirundinem est mutata, postquam sororem, cui ille vim intulerat linguamque exsecuerat, ultura Ityn filium ei epulandum apposuerat. Ovid. Met. 6, 424 sq. et Pausan. 1, 5, 4. Contra Apollonius Rhodius in *Κτανόου κτίσει* apud Parthen. 14: *Κλαῖεν ἀηδονίδων θαμινώτερον, αἵτ' ἐνὶ βήσσῃς Σιθονίῳ κούρῳ πέρι μυρίον αἰάζουσιν.* Item Achilles Tatius 5, 5. p. 406. Iacobs: *Ἔποψ ὁ ἀνήρ, αἱ δύο γυναῖκες, Φιλομήλα χελιδών, καὶ Πρόκνη ἀηδών.* Schol. Vatic. ad Rhesum 547: *Λέγεται ἡ Πρόκνη μετὰ τὸ κρεανομηθῆναι Ἴτυν τὸν υἱὸν διὰ τὴν λύπην μεταβληθῆναι εἰς ὄρνιν· καὶ ἡ μὲν Πρόκνη εἰς ἀηδόνα μετεβλήθη, ὡς καὶ ἡ Φιλομήλα εἰς χελιδόνα.* Iam quia alii Procnen in lusciniam, Philomelam in hirundinem mutatam narrant, fuerunt, qui h. l. de luscinia interpretarentur cum Sappho Fr. 19. Schneidew.: *Ἦρος ἄγγελος, ἱμερόφωνος ἀηδών.* Minus recte ad popularem certe opinionem, quae inde ab *Εἰρεσιώνῃ* Homerica longe saepius hirundinem habet pro veris nuntia, v. 11: *Νεῦμαί τοι, νεῦμαι ἐνιαύσιος ὥστε χελιδών. Ἕστηκ' ἐν προθύροις, ψιλὴ πόδας.* Hesiod. *Ἔ. καὶ Ἡ.* 568: *Τὸν δὲ μετ' ὀρθρογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδὼν Ἐς φάος ἀνθρώποις ἔαρος νέον ἱσταμένοιο.* Simonidis Fragm. 121. Schneidew.: *Ἄγγελε κλυτὰ ἔαρος ἀδυόδμου Κυανέα χελιδοΐ.* Et *χελιδόνισμα* apud Schneidewin Del. p. 465. Bergk p. 882: *Ἦνθ', ἦνθε χελιδών, Καλὰς ὥρας ἄγουσα, Καλοὺς ἐνιαυτούς κτλ.* — Nativae simplicitatis antiquum est monumentum Volcense *Ann. Instit. arch.* Vol. II. T. 24. (Text. Vol. VII. p. 240.): *Ἔφηβος. ΙΔΟ ΧΕΛΙΔΟΝ. Ἀνήρ. ΝΕ ΤΟΝ ΗΕΡΑΚΛΕΑ. Παῖς. ΗΑΥΤΕΙ. Ἀνήρ. ΕΑΡ ΕΔΕ.* Bis Cicero illam veris nuntiam *λαλαγεῦσαν* vocat ad Att. 9, 18. et 10, 2. Horat. Epp. 1, 7, 13: *Cum Zephyris — et hirundine prima.* — Tertia denique est fabulae forma Odyss.

Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula
Delectantque deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiae placent.

Adduxere sitim tempora, Virgili;
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, iuvenum nobilium cliens,

9. *in tenero*] *integro* T. — 11. *Delectante* T et plures Pottierii (non BbSd). — *nigrae* ex var. lect. Cod. Battel. Bentl. — 13. *Vergili* recte B.

τ, 518: *Ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη, χλωρῆϊς Ἀηδών, Καλὸν ἀείδῃσιν, ἔαρος νέον ἱσταμένοιο, --Ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν, Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.* (De triplici forma huius fabulae egregie disputavit Rossignol *Fragments des Choliambographes* p. 50 sqq.) — *Infelix*] Pamphilus in Anth. Pal. II. p. 22: *Τίπτε παναμέριος, Πανδιονὶ κάμμορε κούρα, Μυρομένα κελαδεῖς τραυλὰ διὰ στομάτων;* — *Cecropiae domus*] regum Atheniensium, quorum primus fuit Cecrops. Apollod. 3, 14, 1. — *quod*] «propterea, quod» cet. — *male*] «nimis atrociter.» Schol. — *Regum*] quales solent esse barbarorum regum libidines, tales fuerunt etiam Terei, quas ultae sunt Procne et Philomela.

9-12. *Dicunt*] «modulantur.» Schol. Od. 3, 4, 1: *dic age tibia.* Apul. Met. 6, 24: *ut Satyrus et Paniscus ad fistulam dicerent.* Epp. 1, 19, 7: *ad arma - dicenda*, id est, canenda, ut saepe, etiam apud Graecos. Theocr. 20, 29: *Κῆν αὐλῷ λαλέω κἠν δώνακι.* — *fistulâ*] «quam Pan invenerat (Voss. ad Virg. Ecl. 2, 32.), hunc deum delectant.» — *Delectantque*] Altera lectio *delectante deum* prosae orationis indolem refert. Mire Vossius malebat: *carmina, fistula* (nominat.) *Delectatque.* — *nigri Colles Arcadiae*] «piniferi, opaci», *dunkelnde Hügel.* Voss. Claudian. in Ruf. 1, 336: *caligantia nigris Ilicibus Pangaea.* (Lectio *nigri* nescio quomodo venustior est, quam si ipsam Arcadiam *nigram* vocasset, id quod explicandum esset verbis Boccaccii Decam. Giorn. III.: *era un prato di minutissima erba, verde tanto, che quasi nera parea.*) Cfr. Od. 1, 21, 7: *Nigris aut Erymanthi Silvis*, item de Arcadia. Od. 4, 4, 58: *Nigrae feraci frondis in Algido.* Pind. Ol. 6, 40: *λόχμας ὑπὸ κυανέας.* Pyth. 1, 28: *Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις - κορυφαῖς. Colles* autem Maenalus, Lycaeus, Cyllene. — Simonides Fragm. 189. Schn.: *Τὸν τραγόπουν ἐμὲ Πᾶνα, τὸν Ἀρκάδα κτλ.* Ovid. Fast. 2, 274.

13-16. *Adduxere sitim*] Cogita de veris Italici calore nostram aestatem prope aequante. — *pressum Calibus*] Calenum vinum e Campania. Cf. Od. 1, 20, 9. — *iuvenum*] Utrum haec ad Tiberium et Drusum, Augusti privignos, an ad Agrippae filios, Augusti nepotes, qui postea C. et L. Iulii Caesares, an, ut mavolt Bentleius, ad quoscunque tandem nobiles iuvenes pertineant, nos ignoramus. Qui de Virgilio poëta exponunt, cogitant de Marcello, Maecenate, Pollione, Agrippa. Ho-

Nardo vina merebere.

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus amaraque
Curarum eluere efficax. 20

Ad quae si properas gaudia, cum tua

16. *merebere* Bbd et pr. S,LCtF: *mereberis* T, corr. S, *βνχ*, octo Pott., item Bentl. et M. — 18. *suppliciis* T.

minem autem compellat, cuius summum decus in eo positum erat, quod iuvenes nobiles eum clientis loco habebant; nam honoris certe causa, non iocabundus, ita eum nominat. — *merebere*] «redimes;» hoc utique iocose. Cfr. Catull. 13., ubi Fabullo, coenam ad ipsum si attulerit, unguentum se daturum pollicetur.

17 - 20. *Nardi*] Cuius pretium aequasse fere videtur cadi illius pretium, unde augetur loci festivitas. Locos Plinii de nardi pretiis (XL. LX. LXXV. denariorum pro singulis libris) Lib. 12, 12. L. 13, 3. collegit Dillenburger, addens memorabilem locum Ioannis 12, 3: Ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν (uncias XII.) μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου - - τριακοσίων δηναρίων - ἤλειφε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ. — *onyx*] Non de huiusce nominis gemma (Plin. H. N. 37, 24.) loquitur, sed de concha ex alabastrite, de quo Plin. H. N. 36, 12: *Hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur.* Poëtae enim v. *onyx* pro quolibet vase unguentario usurparunt, materiam non respicientes, unde Propertius 3, 10, 22. dicere potuit: *Et crocino nares murrheus unguat onyx*, similiter ac Theocr. 15, 114: Συρίῳ δὲ μύρῳ χρύσει' ἀλάβαστρα. — *eliciet*] «efficiet, ut ex horreis Sulpiciis (ubi vina generosiora vendebantur) cadum emam tibique opponam.» Etenim domi Od. 1, 20, 1. *vile* dumtaxat *Sabinum* se habere dicit. — «Sulpicii Galbae horrea dicit; hodieque etiam Galbae horrea vino et oleo similibusque aliis referta sunt.» Porphyr. *Sulpicia* autem *horrea* (non *Sulpiciana*) ex consuetudine Latina, ut *atria Licinia* (auctionaria) apud Cic. pro Quinctio 3, 12. atque in legum indicibus *leges Corneliae, Iuliae.* In Inscript. meis Lat. N. 4092. habes *horrea Galbana* (eadem cum Sulpiciis), N. 5004. *horrea Agrippiniana*, sic nominata vel a primis conditoribus vel a posterioribus possessoribus, qui ibi per servos vinum et oleum cet. in fundis suis nata vel aliunde coëmpta cum lucro vendebant. Cfr. Osann Inscript. p. 469. — *accubat*] «acclinatus, repositus est»; ex usu enim iam Homerico (Odyss. β, 342: πίθοι - - Ἕξείης ποτὶ τοῖχον ἀρηρότες.) apothecarum parietibus acclinabant cados. Hinc Od. 3, 28, 7: *deripere horreo - - amphoram.* — *amara Curarum*] τὰ πικρὰ τῶν μεριμνῶν. Sic Sophocl. Antig. 1265: ἄνολβα βουλευμάτων. Eur. Phoen.

Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.

Verum pone moras et studium lucri,
Nigrorumque memor, dum licet, ignium
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

23. *Immunem* T. — *tinguere* Td. — 25. *mores* T.

1485: *βοτρυώδεος Ἄβρὰ παρηίδος*. Sat. 2, 2, 25: *vanis rerum*. A. P. 49: *abdita rerum*. — *eluere*] Od. 3, 12, 2: *Mala vino lavere*. Iam in Cypricis Fragm. 8. Muell. Nestor ad Menelaum: *Οἰνόν τοι, Μενέλαε, θεοὶ ποίησαν ἄριστον Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσχεδάσαι μελεδῶνας*. Conf. Od. 3, 21, 13 sqq.

22 - 24. *merce*] «unguento illo nardino, e Syria Romam misso.» — *Immunem*] «*ἀσύμβολον*, nihil afferentem.» Terent. Phorm. 2, 2, 25: *Ten asymbolum venire!* cet. — *non ego - - meditor*] «probe scito non hunc mihi animum esse.» *(Ich bin gar nicht Willens.)* — *tingere*] ut *τέγγειν*, *βρέχειν*, madefacere, irrigare. — *Plena - - domo*] locuplete, ut Od. 2, 12, 24: *Plenas Arabum domos*.

25 - 28. *Verum*] «Sed quidquid te nunc occupat, venies; ego enim te pro certo exspecto.» — *pone moras*] Od. 3, 29, 5: *eripe te morae*. — *et studium lucri*] Hoc quoque, ut facile est intellectu, per iocum dicit pro: «negotiis omissis per horas aliquot subsecivas genio indulge.» *Mitte leves spes et certamina divitiarum* item scripsit Torquato Epp. 1, 5, 8. — Qui ad Maronem hoc carmen referunt, caute et callide interpretantur de prudenti atque honesta parsimonia sive *οἰκονομίᾳ*. Prorsus autem antiquorum moribus ac sensui repugnant aliae explicationes: «ne detinearis lucri in emenda nardo faciendi studio, ut lucreris aliquantulum, salubri eam parans pretio»; vel: «ne diu expendas, uter nostrum in hac collatione aliquid lucelli faciat.» — *Nigrorum - - ignium*] «lugubris rogi»; ut omnia, quae ad mortem pertinent, nigra, atra. Sic Virg. Aen. 11, 186. et Ovid. Fast. 2, 559. busti *ignes atros* dixerunt. — *dum licet*] Quod ad sententiam attinet, referendum ad v. *misce*, non ad v. *memor*. — *consiliis*] «severiori sapientiae.» — *desipere*] «effusa cum laetitia genio indulgere.» — *in loco*] «suo loco, opportuno tempore, *ἐν καιρῷ*.» Terent. Adelph. 2, 2, 8: *pecuniam in loco negligere*. Epp. 1, 7, 57: *properare loco et cessare*. Seneca de Tranq. an. 15: *Sive Graeco poëtae credimus, aliquando et insanire iucundum est*. Theognis 343: *Ἐν μὲν μαινομένοις μάλα μαίνομαι*. Menander Mein. p. 150: *Οὐ παντα-χοῦ τὸ φρόνιμον ἁρμόττει παρόν, καὶ συμμανῆναι δ' ἔνια δεῖ*.

CARMEN XIII.

Audivere, Lyce, di mea vota, di
Audivere, Lyce: fis anus, et tamen
Vis formosa videri
Ludisque et bibis impudens
Et cantu tremulo pota Cupidinem 5

XIII. Inscr. volg. *Ad Lycen.* — *Compotem se voti sui factum esse dicit quod Lyce anus facta sit* BS. — *Ad Lycen vetulam meretricem* b. — Om. T.

XIII. Referri videtur ad Od. 3, 10., ubi de Lyces ferocia ac superbia conqueritur, sive fictus est is amor seu verus. Hic vetulae interea factae et tamen lascive iuveniles amores captanti magno cum contemptu insultat, grato simul animo *bonae* Cinarae, nimis mature exstinctae, memor. Similis plane argumenti sunt Od. 1, 25. et 3, 15. item Meleager Anth. Pal. I. p. 142: *Οὐκέτι Τιμάριον, τὸ πρὶν γλαφυροῖο κέλητος Πῆγμα, φέρει πλωτὸν Κύπριδος εἰρεσίην κτλ.* — Tempus, quo compositum sit, definiri nequit. Kirchner opinatur a. u. c. 736., Grotef. a. u. 738.

1 - 4. *mea vota*] «ut puniretur aliquando fastus tuus importunus.» — *Ludisque*] «ut adolescentula ludos iocosque amatorios tentas in comissationibus.»

5 - 8. *tremulo*] ut solet esse anus bene potae. Sic de vetula amica Agathias Anth. Pal. I. pag. 168: *Χείλεα βαμβαίνει φθέγματι γηραλέῳ.* Virg. Aen. 7, 395. de Bacchis furentibus: *Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent.* Differt prorsus Persii illud 1, 21: *tremulo scalpuntur ubi intima versu.* — *Lentum*] «tranquillum, non commotum ac propterea tuas preces non exaudientem, *ἀδιάφορον.*» Ovid. Her. 1, 1: *Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe.* Amor. 3, 6, 60: *Qui tenero lacrimas lentus in ore videt.* — *sollicitas*] «canticis amatoriis iuvenes pellicere frustra conaris.» — *virentis - - Chiae*] «in genis Chiae aetate florentis et psallendi peritae vigil cubat, cum in te sopitus sit, nullamque tu iam excites cupiditatem te fruendi.» — *Chia* autem nomen proprium apud Grut. 15, 9. 642, 9., ut *Lesbia, Delia.* — *psallere*] pr. digito, non plectro, chordam impellere, ut Herod. 1, 155. *κιθαρίζειν τε καὶ ψάλλειν*; sed apud Latinos hoc discrimen non semper servatur. — *in genis*] Athen. 13. pag. 564. et 604: *Φρύνιχος - ἐπὶ τοῦ Τρωΐλου ἔφη Λάμπειν ἐπὶ πορφυρέας παρῇσι φῶς ἔρωτος.* Pind. Nem. 8, 1: *Ὥρα πότνια - - Ἅτε παρθενήϊοις παίδων τ' ἐφίζουσα γλεφάροις.* Soph. Antig. 782. D.: *Ἔρως, - - Ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς Νεάνιδος ἐννυχεύεις.*

9 - 12. *Importunus*] «superbus et

Lentum sollicitas. Ille virentis et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.

Importunus enim transvolat aridas
Quercus et refugit te, quia luridi
Dentes, te quia rugae
Turpant et capitis nives.

Nec Coae referunt iam tibi purpurae
Nec clari lapides tempora, quae semel

10. *Frondes* unus Torrentii ex Carm. 1, 25, 19. — 14. *cari* bST, Blandin. antiquiss., βx,C et Bentleius (probante Paldamo *Rhein. Mus. N. F.* VI. p. 633.), *rari* superscr. in b. (Ut nos, Bd.)

saevus», ut saepe apud Cic. de tyrannis atque hominibus iracundis et crudelibus. Pro Rab. perd. r. 5: *ex illa crudeli, importuna, non tribunicia actione, sed regia.* — *aridas Quercus*] Sic Graeci homines senio confectos γεράνδρυα vocant. Item Od. 1, 25, 19. Lydiam cum *aridis frondibus* comparat. Et Pers. 5, 59: *veteris ramalia fagi.* — Alii minus apte distinguunt: *refugit te, quia luridi Dentes te, quia rugae* cet., alii, ut Iahn: *refugit, te quia luridi Dentes, te quia* cet. In nostra distinctione, quam praetulit Dillenburger pag. 99., particula *et*, ut ille notat, vim quandam habet consecutivam: «et propterea refugit te.» — *luridi*] «illuvie squalidi et crocei coloris.» — *capitis nives*] Antipater Thess. Anth. Pal. I. pag. 248. senem vocat πολιῷ γήραϊ νιφόμενον. Quintil. 8, 6, 17: *sunt et durae, id est, a longinqua similitudine ductae translationes, ut* capitis nives.

13-16. *Coae - purpurae*] sericae ex subtili bombycino filo contextae in Coo insula, in quam bombyces ex Oriente apportabantur, ac paene pellucidae, quibus tunc huius generis libertinae utebantur. Sat. 1, 2, 101: *Cois tibi paene videre est Ut nudam.* Tibull. 2, 3, 56: *Illa* (Nemesis) *gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitque vias.* 2, 4, 29: *et Coa puellis Vestis et e rubro lucida concha mari.* (Hom. Hymn. in Apoll. Del. 42: Κόως τε, πόλις Μερόπων ἀνθρώπων. Meleager in Anth. Pal. II. 466: Ὀλβίστη Μερόπων ἱερὰ πόλις.) — *clari lapides*] «uniones pellucidi ac resplendentes.» Sic *raram vestem* et *pelluciduli delicias lapidis* iungit Catull. 69, 3. Tibull. 1, 8, 39: *Non lapis* (unio) *hanc gemmaeque iuvent* cet. Lectio autem *clari* vel propter ἐνάργειαν oculos moventem praeferenda aliis *cari, rari.* Cic. Acc. in V. 4, 27: *pocula gemmis distincta clarissimis.* Atque recordare, qua cupiditate Corinna meretrix apud Lucian. Dial. mer. 6, 1. sibi optet ψήφους τινὰς πυρανγεῖς. Alibi utique *cari* aptissimum potest esse *lapidum ἐπίθετον*, ut cum Ovidius A. A. 3, 129. dicit: *Vos quoque non caris aures onerate lapillis.* — «Frustra iam»,

Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.

Quo fugit venus, heu, quove color? decens
Quo motus? quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi,

Felix post Cinaram, notaque et artium

17. *quoque* d. — 18. *color decens? Quo* T,LCt. — 19. *sperabat* T.

inquit, «te ornas Cois vestibus atque unionibus, quo iunior videaris. Neque enim propositum tuum attingis, cum *dies*, id est, tempus fugax condiderit semel *(ein für allemal)* et incluserit, id est, consignarit, in fastis, qui omnibus nimis noti sunt, annos tuos: siquidem omnes, quorum hoc scire interest, probe norunt, quibus consulibus nata sis quotque annos numeres.» *Condita* autem iungo cum v. *tempora*, non cum v. *dies*, quod suum habet ἐπίθετον *volucris*, nec duo recipit, dum v. *tempora* ex aliorum opinione tali careat. (Cfr. Hertzberg Comm. Prop. p. 355., qui hanc sequitur.) Noli cogitare cum nonnullis vel de simplicibus Kalendariis vel de Actis diurnis, sed de Fastis consularibus. — Minus recte autem quidam nuper *notos fastos* confudit cum *memoribus fastis* Od. 3, 17, 4. et 4, 14, 4.

17–20. *venus*] «pristina tua venustas et gratia.» — *decens*] Male olim cum v. *color* coniungebant. Quintil. 1, 10, 26: *Corporis decens et aptus motus, qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius.* — *illius, illius*] Ex sermone poëtico quasi confunduntur *illius Lyces* et *illius facies*. — *surpuerat*] surripuerat, ut Sat. 2, 3, 283: *surpite*, Lucret. 2, 343: *surpere*, ex usu sermonis quotidiani: «quae optimam mei partem furtim mihi ademerat.» Male quidam interpungunt: *mihi? Felix.*

21–24. *Felix post Cinaram*] «Felix, maxime propter laudes sinceras, quas post Cinaram (Od. 4, 1, 3 sq.) vita defunctam tibi impertiebam, et propterea omnibus nota atque accepta.» Multi tria constituunt *ἐπίθετα: facies felix notaque post Cinaram et* (facies) *gratarum artium:* sed malo construere cum Bentleio: *et nota* quoque *gratarum artium facies*, ab omnibus celebrata, ut Od. 2, 2, 6: *Notus in fratres animi paterni.* — *facies*] Donatus ad Terent. Eun. 2, 3, 5: *O faciem pulchram*] «faciem modo non partem corporis dicit, sed totam speciem, quae apparet et cernitur.» — *artium Gratarum*] «Quae motu oculorum, superciliorum, cervicis placet.» Schol. Codicis Blandin. apud P. Nannium Misc. 3, 17. Ac similiter Comm. Cruq.: «Quae oculis, nutu superciliorum, cervicis volubilitate, capitis gratia, totius denique corporis motu placet.» Videtur tamen amplecti non solum *εὐρυθμίαν* corporis, verum etiam artem psallendi canendique. Cfr. v. 7. In his enim ultimis vv. amicae facies et tota persona, ut ita dicam, confunditur. — *Servatura – parem*] «donec effecta sit par.»

Gratarum facies? Sed Cinarae breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulae temporibus Lycen,
Possent ut iuvenes visere fervidi
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

22. *brevis* B. — 28. *Delapsam* BbSd (non T, Blandin. vet., *βx*), *Delatam* *β*. — *cinerem* T (non BbScd).

25 - 28. *temporibus*] «aetati» *cornicis vetulae*. Hic indignabundus plebeio vocabulo consulto usus est poëta, nobili Od. 3, 17, 13: *Annosa cornix*. Hesiod. Fragm. 106. Goettl.: *Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λαχέρυζα κορώνη Ἀνδρῶν ἡβώντων*. Martial 10, 67, 5: vetula *lam cornicibus omnibus superstes*. — *iuvenes*] «qui te formosam nunquam viderunt, nunc ita consumptam, aridam, exsanguem vident, ut solet in cineres tandem dissolvi fax primum lucida.» Non est, cur ad «funeream facem» respici putemus. Tibull. 1, 6, 84: *Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervae Commemorant merito tot mala ferre senem*. — *Dilapsam*] «*Cineres facis*, dum paullatim ea consumitur, dilabuntur dispergunturque.» Gesner. «Nonnulli h. l. minus recte defendunt alteram lectionem *delapsam*. Vid. Bentleium. *Labi*, *collabi* et *dilabi* in cineres de aliis rebus dicitur, faces tantum *dilabuntur*. Ovid. Metam. 2, 628: *in cineres labi*. Valer. Max. 5, 3: *in cineres collabi passus non fuerat*. Lactant. 2, 4: *Tecta consumpta incendio dilabuntur in cineres*. Idem 13, 13: *viperam exustam in cineremque dilapsam*. Pro *in cineres* quidam Codd. hic habent *in cinerem* et Burm. ad Anthol. T. I. p. 89. putat singularem esse magis poëticum. Equidem hic nihil poëtici cerno, sive dicas *cinerem* sive *cineres*, nam utrumque Latinum est neque alterum utrum poëtis proprium. Hic quidem sonus omnino postulat *cineres*. Quare et Bentleius servavit.» Hofman Peerlkamp. Ovid. Her. 1, 24: *Versa est in cineres - - Troia*, at septem Heinsii *cinerem*.

CARMEN XIV.

Quae cura patrum quaeve Quiritium
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum

XIV. Inscr. volg. *Ad Augustum.* — *Laudes Augusti* bSc. — Om. T. — 2. *tuas* om. T.

XIV. Cum huius libri carmine IV. Drusi res in Alpibus gestas praedicasset, ab Augusto fortasse invitatus vel ipse fautoris voluntatem divinans, similiter alterum Augusti privignum, Ti. Claudium Neronem, propter victorias de Raetis a. u. c. 739. partas extollit; ita tamen et in carminis exordio et sub exitum in Augusti laudibus immoratur, ut, nisi omnia nos fallunt, ab indole ac moribus Drusum magis quam Tiberium huiuscemodi praeconia mereri ipse sensisse videatur, ideoque bellica dumtaxat huius virtute celebrata libentius ad Augustum se convertat, et quidem sic, ut, si cum Editore Leidensi velis habere merum *ἐγκώμιον* Augusti, carmen tamen certo fine atque consilio prorsus destitutum, secure recidas v. 9 - 40. Omnino, fateor, simillimum cum argumentum iamiam tractasset, minus spontaneus est impetus, quo fertur, ac diligentissima arte omnia sunt elaborata, ne in illo vis poëtica aliquatenus exhausta videretur. (De compositionis tempore vide supra p. 554.)

2 - 6. *Plenis*] «quae tuis meritis prorsus respondeant.» Etenim construe: *plenis muneribus honorum,* non vero cum aliis: *muneribus plenis honorum,* honorificentissimis, ut alii voluerunt. Dio 54, 25. (a. u. c. 741.): *ἥ τε γὰρ βουλὴ ἠθροίσθη καὶ ἔδοξε σφίσιν ἄλλα τε καὶ βωμὸν ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ὑπὲρ τῆς τοῦ Αὐγούστου ἐπανόδου ποιήσασθαι, τοῖς δὲ ἱκετεύσασιν αὐτὸν ἐντὸς τοῦ πωμηρίου ὄντα ἄδειαν εἶναι· οὐ μέντοι καὶ ἐδέξατο οὐδέτερον.* Sententia autem interrogationis haec est: «Nulla profecto cura senatus populique Romani iustos tibi honores conferre poterit.» — *Per titulos*] «inscriptiones arcuum aliorumque monumentorum publicorum.» — *memoresque fastos*] «qui rerum gestarum memoriam continent et propagant;» ut est in Fastis Praenest. ad Nonas Febr. Inscriptt. m. Latt. II. pag. 384. *CONCORDIAE IN ARCE FERIAE EX S. C. QVOD EO DIE IMPERATOR CAESAR PONTIFEX MAXIMVS TRIB. POT. XXI. COS. XIII. A S. P. Q. ROMANO PATER PATRIAE APPELLATUS.* (a. 752.) De duplici forma accusativi *fastus* et *fastos* vid. ad Od. 3, 17, 4. — *in aevum - - Aeternet*] pro simplici *aeternet* vel pro: *in aevum - - Extendat,* ut proposuit nonnemo, prosae orationis nimis

Per titulos memoresque fastos
Aeternet, o, qua sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum?
Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,

4. *fastos* Scd,LCtF: *fastus* BbT, Bentleius et M. Cfr. Carm. 3, 17, 4. (Ultimus est hic v. in B.) — 5. *Aeternae etqua* T. — 6. *horas m. principium* T. — 10. Habent *Genaunos* bSTcd. Corruptelas vide apud Ianium. — *inplacidum* T.

amator. Pleonasmus est eo minus vitiosus, quod vv. *in aevum* integro versiculo a v. *aeternet* divisa sunt. V. *aeternare* autem usurpavit iam Varro ap. Non. p. 75, 20. Similia vv. antiquiora in vitam revocavit Horatius; sic Od. 4, 3, 4: *clarare*, Od. 4, 4, 36: *indecorare*, Od. 4, 15, 20: *inimicare*. Od. 3, 2, 18: *intaminatus*. — Inscriptio nummi: *AETERNITATI AVGVSTI*. — *qua sol*] Similiter Cic. pro Mil. 35: *qua fines imperii populi Romani sunt*. Virg. Aen. 7, 99: *nepotes* (Aeneae, id est, Augustus) *Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens Aspicit Oceanum vertique regique videbunt*. — *habitabiles - oras*] ut ἡ οἰκουμένη pro orbe terrarum. — *maxime*] «qui summus, immo unus es princeps per totum orbem terrarum, potentissimus inter homines.» Utitur nomine honoris, quem per consuetudinem quotidianam sibi impertiri a Romanis voluerat Augustus. Tac. Ann. 1, 9: *non regno - neque dictatura, sed* principis *nomine constitutam rem publicam*. Noli explicare: «maxime inter ceteros terrae principes»; nam de comparatione Augusti cum Parthorum rege, vel quod etiam minus consentaneum fuisset, cum regulis imperio Romano obnoxiis, cogitare non potuit poëta.

7. 8. *legis expertes Latinae*] «antea imperio Romano non subiecti.» Od. 4, 15, 22: *Edicta - Iulia*. — *Vindelici*] Cfr. Excurs. ad Od. 4, 17 sqq. — *didicere*] «novere, sensere (Od. 4, 4, 25.) cum damno et clade sua». Sic Soph. Antig. 960. de Lycurgo punito: κεῖνος ἐπέγνω μανίαις Ψαύων τὸν θεόν. Ad constructionem *Quem - - didicere*, *Quid* cet. cfr. Terent. Eun. 3, 5, 18: *me - noris, quam elegans formarum spectator siem*. Ibid. 4, 3, 15: *ego illum nescio, qui fuerit*.

9 - 12. *Milite nam tuo*] Idem repetit v. 33: *Te copias* cet., ut summa victoriae gloria ad Augustum redundet. — *Drusus*] Dio 54, 22: ὁ Αὔγουστος πρῶτον τὸν Δροῦσον ἐπὶ τοὺς Ῥαιτοὺς ἔπεμψε. — *Genaunos*] incolas vallis Alpinae, quae hodie *Valle di Non* appellatur (non, ut volunt alii, *Val d'Anagna*). — *Breunosque*] *Brunecken* prope *Sterzingen*; alii eos collocant in *Val di Bregna*. Cfr. Wolffarth in *Ann. dell' Inst.* XIII. *Tav. d'Ad. B.* Vocantur etiam *Breones*. Cfr. Venantii Fortunati de vita S. Martini 4, 645. pag. 470. Ed. Luchi: *Qua vicina sedent Breonum loca, perge per Al-*

Breunosque veloces et arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici;
Maior Neronum mox grave proelium
Commisit immanesque Raetos

11. *Brennosque* bSTcd, *Brencosque* Lt. — 15. *Rhetos* bTc, *Rethos* d, *Rhaetos* pleraeque Edd.

pem, Ingrediens, rapido qua gurgite volvitur Oenus. Servavit Plinius H. N. 3, 20, 24. inscriptionem e tropaeo Alpium, quae talis est: *IMP. CAESARI DIVI F. AVG. PONTIFICI MAX. IMP. XIIII. TRIBVNITIAE POTESTATIS S. P. Q. R. QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQVE GENTES ALPINAE OMNES. QVAE A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT. SVB IMPERIVM POP. ROM. SVNT REDACTAE.* Omnes sunt XLIII., inter quas *BREVNI, GENAVNES, VINDELICORVM GENTES QVATTVOR.* (Augusti autem tropaeum statutum erat in oppido *Torbia* nunc appellato, X. M. P. a Nicaea *(Nizza)* distante. Cfr. Spitalieri *Notizia sul monumento dei trofei d'Augusto di Torbia. Torino* 1842.) — Strabo 4, 6, 8. ed. Kramer: *Οἱ δὲ Οὐινδολικοὶ* (sic) *καὶ Νωρικοὶ τὴν ἐκτὸς παρώρειαν κατέχουσι τὸ πλέον μετὰ Βρεύνων καὶ Γεναύνων, ἤδη τούτων Ἰλλυριῶν.* — *implacidum genus*] Strabo ibid.: *τῆς δὲ πρὸς τοὺς Ἰταλιώτας τῶν λῃστῶν τούτων χαλεπότητος λέγεταί τι τοιοῦτον, ὡς, ἐπειδὰν ἕλωσι κώμην ἢ πόλιν, οὐ μόνον ἡβηδὸν ἀνδροφονοῦντας, ἀλλὰ καὶ μέχρι τῶν νηπίων προϊόντας τῶν ἀῤῥένων, καὶ μηδ' ἐνταῦθα παυομένους, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐγκύους γυναῖκας κτείνοντας, ὅσας φαῖεν οἱ μάντεις ἀῤῥενοκυεῖν.* Vell. Pat. 2, 95. Dio 54, 2. — Amat v. *implacidus*, ante Horatium a nullo scriptore, qui supersit, usurpatum, imprimis Statius. Sic *implacatus* videtur esse dumtaxat apud Virg. Aen. 3, 420. et Ovid. Met. 8, 847. — *veloces*] «pernices, ut montani, et pugnam stationem detrectantes.» Sic apud Liv. 22, 18: *Hispanorum cohors - - assuetior montibus - - velocitate corporum - - campestrem hostem* (Romanos) - - *facile elusit.* — *arces*] «castella ab iis in Alpibus exstructa,» ut Epp. 2, 1, 252: *arces Montibus impositas.* Virg. Ge. 3, 474: *aërias Alpes et Norica - - Castella in tumulis.* — *tremendis*] propter altitudinem glaciemque perpetuam. Liv. 21, 32. Claudian. de IV. Cons. Hon. 442: *Aspera nubiferas qua Raetia porrigit Alpes.*

13. *Deiecit*] «velut e montium verticibus deturbavit»; refertur et ad populos debellatos et ad eorum castella: «Genaunos fudit fugavitque; castella capta excidit.» Stat. Theb. 1, 20: *coniurato deiectos vertice Dacos.* Tacit. Ann. 2, 17: *Cherusci collibus detrudebantur.* — *plus vice simplici*] Male olim explicabant: «plus quam semel, semel atque iterum;» quae significatio ultimae est Latinitatis. (Ausonii Paneg. Grat. Aug. 4. Pallad. 1, 3: *tribus per diem vicibus.*) Opponitur *pari vice, mutua vice, pariter*; et recte interpretantur iam Scholiastae: «Volt intelligi in vastandis his non

Auspiciis pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis;
Indomitas prope qualis undas

16. *reppulit* S, *redit* (sic) T. — 19. *fatigarat* b, pr. S, *βx*, *fatigarit* d et corr. S, uti volebat N. Heinsius. — 20. *Indomitus* T et Bentleius coniectura. (Ceteri mei *indomitas.)*

tantam solum illis cladem intulisse, quantam ipsi dederant, sed duplam, hoc est, eam non simplici reddentem.» Porphyr. «Quia plures hostium prostraverat, quam (suorum militum) perdiderat; Drusus enim laesus placari non poterat, nisi duplex illis inferret damnum.» Comm. Cruq. De rariore constructione *plus vice* pro *plus quam vice* cfr. Firnhaber in Zimmermanni *Zischr.* 1840. p. 1214.

14. *grave proelium*] Hunc num. sing. premens Fea contendit praecedentia exponenda esse: «non uno proelio, non uno conflictu Drusus debellavit Genaunos Breunosque, cum contra Tiberius uno gravi proelio devicerit Raetos, quos pluribus minoribus non potuerat Drusus quamvis acer.» Verum non memineral Dionis 54, 22., qui haec tradit de Neronibus: Ἐσβαλόντες οὖν ἐς τὴν χώραν (τῶν Ῥαιτῶν) πολλαχόθεν ἅμα ἀμφότεροι, αὐτοί τε καὶ διὰ τῶν ὑποστρατήγων, καὶ ὅ γε Τιβέριος καὶ διὰ τῆς λίμνης πλοίοις κομισθείς, ἀπό τε τούτου κατέπληξαν αὐτούς, ὡς ἑκάστοις σφίσι συμμιγνύντες, τούς τε ἀεὶ ἐς χεῖρας ἀφικνουμένους, οὐ χαλεπῶς, ἅτε διεσπασμέναις ταῖς δυνάμεσι χρωμένους, κατειργάσαντο κτλ. Atque omnino poëta h. l. numero plurali cum uti non posset, *proelium committere* pro *bellum gerere* usurpavit.

17-20. *Spectandus*] «dignus, qui spectaretur tunc, cum *fatigaret* eos, magnis cladibus frangeret atque ad desperationem redigeret.» Ceterum nota negligentiorem huius versus caesuram, quam tamen ne Bentleius quidem reprehendit. — *morti - liberae*] «exitio sese devoventes, ut saltem liberi atque animis invicti morerentur.» Quo Tiberii victoria maior difficiliorque appareat, egregias hostibus tribuit laudes. — *Indomitas*] «Furentes.» Schol. «Quae, dum eas *exercet*, (Sic γυμνάζειν. Charito pag. 169. Lips.: αὐτοὺς γυμνάσασα διὰ γῆς καὶ θαλάσσης.) violenter agitat, cum iis luctatur, Auster (Od. 1, 1, 15.), saeviunt.» Tibull. 2, 3, 48: *Claudit et indomitum moles mare. Indomitus* etsi potest dici etiam ventus, ut quaecunque furore feruntur (Ovid. Heroid. 15, 9: *Uror, ut indomitis ignem exercentibus Euris* cet.), nihilominus h. l. potius v. *undas* requirit ἐπίθετον quam *Auster* per se violentus. Ceterum memorabile est a Cod. Turicensi Sec. X. confirmari Bentleii coniecturam *Indomitus*. — *prope qualis*] «Non memini me apud bonum poëtam legere *prope* vel *fere* in comparatione. Hoc minuit gravitatem, adeo ut imagine minus afficiamur, moniti rem comparatam non plane tamen esse similem, sed prope accedere. Itaque prosae scriptores,

Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas et frementem
Mittere equum medios per ignes.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Apuli,
Cum saevit horrendamque cultis

24. *per enses* malebat Bentleius. — 26. *Qua* Bentleius coni. — *perfluit* L. (Ut nos, bSTcd.)

non amantes hyperbolas, sic loquuntur. Liv. 2, 23: *Turba prope in contionis modum circumfusa.* Horman Peerlkamp. Inest veri aliquid in hac reprehensione. Cfr. tamen Sat. 2, 3, 268: *tempestatis prope ritu.* Videlicet *prope* ut Graecorum σχεδὸν in talibus significat crebro id fieri, quo de agitur; in prosa oratione: «qualis undas solet excitare Auster.»

21 - 24. *Pleïadum*] Ἀτλαγενέων Hesiod. Ἔ. κ. Ἡ. 381. αἳ (Pleiades) δή τοι θέρεος καὶ χείματος ἄγγελοι εἰσίν, Moero apud Athen. 11. pag. 491.; Latine *Vergiliae* (Gell. 13, 9.); *Quae septem dici, sex tamen esse solent,* Ovid. Fast. 4, 170. Id. Trist. 1, 11, 14: *Saepe minax Steropes* (Pleiadis) *sidere pontus erat.* Propert. 3, 5, 36: *Pleiadum spisso cur coit imbre chorus.* Hygin. Astron. 2, 21: *Chorum ducere Pleiades existimantur stellis.* «Quando Vergiliae vel *exoriuntur* VI. *Id. Octobr.*, ubi *Favonius et interdum Africus cum pluvia* (Colum. 11, 2, 74.), vel *colantur* VIII. *Id. April.*, in sequens triduum *Austri et Africi tempestatem significantes.* (Id. ibid. §. 34.)» Est igitur: «Pleiadum choro imbres effundente e nubibus a vento scissis, ruptis,» sive ut Schol. «vento tempestuoso faciente pluviam.» Virg. Aen. 11, 548: *tantus se nubibus imber Ruperat,* his discissis. Alii explicant: «quando clarae ac manifestae in sudo caelo apparent;» verumtamen propter ipsam comparationis vim potius horridae tempestates significari videntur, quam serenus Vergiliarum aspectus. — *impiger - Vexare*] «acer et strenuus in hostibus urgendis ac persequendis.» Od. 3, 2, 3: *Parthos feroces Vexet eques metuendus hasta.* — *medios per ignes*] «per medium fervorem, ardorem, tumultum proelii;» «qua pugna est ferventissima, audacter equum per hostium catervas immisit.» De nocturnis excubiarum ignibus minus apposite alii interpretantur. Recte explicavit Silius 14, 175: *per medios ignes mediosque per enses*, et 15, 41: *Per medias volitare acies mediosque per ignes.* Ovid. Met. 8, 76: *ire per ignes, Per gladios ausim.* — Artissima autem est coniunctio inter rapidam, ut ita dicam, Austri imaginem et ea, quae praecedunt quaeque sequuntur: «qualis undas incessanter agitat Auster, impiger hostes vexavit Nero, quo ipso impetu ruinis eos fatigavit.»

25-28. *tauriformis*] taurino, cornuto capite, ut solebant fingi fluvii, imagine petita ab undarum mugitu atque impetu. Iliad. φ, 237. de Xantho: μεμυκώς, ἠΰτε

Diluviem meditatur agris,
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu
Primosque et extremos metendo
Stravit humum sine clade victor,
Te copias, te consilium et tuos

28. *minitatur* ST, «omnes praeter tres ex recentissimis» Bentleii, qui post Locherum et Aldum recepit. (Ut nos, bcd et S in marg. eadem manu; Pott. septem.) — 31. *et* om. T. — 32. *humi* Aldus, Glareanus.

ταῦρος, ubi Schol. Ven. significant Archilochum primum fuisse, qui tauriformem induxerit Acheloum cum Hercule luctantem. Eurip. Ion 1261: Ὦ ταυρόμορφον ὄμμα Κηφισοῦ πατρός. Virg. Ge. 4, 371: *Et gemina auratus taurino cornua vultu Eridanus.* Aen. 8, 77: *Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.* Sic in nummo Volturnus in Neumanni *Num. popul.* pag. 12. Contra Avellinus *Opusc.* I. p. 107. collatis pp. 140. 144: *Nelle medaglie i fiumi sono effigiati come uomini, e non come tori. Tale è la testa dell' Aufido sulle medaglie di Salapia, il quale benchè detto tauriforme da Orazio, pure dagli artisti non in forma di toro, ma di uomo vedesi effigiato.* — Ceterum hac comparatione usus est iam Homerus Il. ε, 87: *(Τυδείδης)* Θῦνε γὰρ ἅμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς Χειμάῤῥῳ, ὅστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας. Od. 4, 9, 2. *longe sonantem* vocat patrium fluvium. — *Dauni*] regis Apuliae mythici. Od. 3, 30, 11. — *praefluit*] ut Od. 4, 3, 10. et Plin. H. N. 3, 11: *Aufidus ex hirpinis montibus Canusium praefluens.* — *meditatur*] «iamiam paratus est ad inundandos agros.» Inest in h. v. mirabilis et longe audacior tralatio a re animata ad inanimam quam in altera lectione *minitatur*, quam e gloss. ortam habet iam Nonius p. 203. Merc. (Gerlach. tamen e Codd. *minatur.*) Virg. Ge. 1, 462: *quid cogitet humidus Auster.* (Nuper quidam rursus praetulit *minitatur*; sed alterum sine dubio longe ποιητικώτερον est, quia hominum tacita ac formidolosa diluviei exspectatio eo melius exprimitur.)

30-32. *Ferrata*] «loricis ferreis tecta.» — *diruit*] nove dictum de *agminibus*, ordinibus hostium, ut alibi de aedificiis, pro «disiecit, dispersit.» In prosa oratione: *obstantes cuneos gladiis diducere.* (Sen. Contr. 1, 3.) — *metendo*] ut ἀμᾶν apud Graecos. Virg. Aen. 10, 513: *Proxima quaeque metit gladio.* — *Stravit humum*] «eorum corporibus humum constravit.» Latinitati repugnat aliorum interpretatio: *primosque et extremos* (eos *metendo*) *stravit humum* pro *in humum, humi*, ut ex gloss. Aldus. — *sine clade*] suorum militum. Vell. 2, 95: (Nerones) *Raetos Vindelicosque - - gentes - - numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum eorum sanguine perdomuere.*

33-40. *Te copias* cet.] Augustus eiusque successores, ut auspicia, sic omnem rerum a ducibus suis legatisve gestarum honorem sibi ser-

Praebente divos. Nam tibi, quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,

Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

Te Cantaber non ante domabilis

35. *Alexandria* S,C, *alexandri* (sic) T. *(Alexandrea* superscr. *i* b.)

vabant. Hinc *ductus* et *auspicia* distinguuntur a Tacito Ann. 2, 41. (Ann. 3, 47: *Tiberius - - senatui scripsit - - fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse.)* Sueton. Octav. 21: *Domuit - partim ductu, partim auspiciis suis - - Raetiam et Vindelicos ac Salassos.* Ovid. Trist. 2, 171: (Victoria) *Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis - - Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas; Auspicium cui das grande deosque tuos.* — *quo die*] «Quia post quindecim annos quam Augustus Alexandriam cepit (a. u. c. 724.), Tiberius devicit Vindelicos.» (a. u. c. 739.) Acron Nannii. — *Portus*] Cfr. Strabo 17, 6. VI. p. 493. Tzsch. Alexandriam autem h. l. per *προσωποποιίαν* finge tibi figura muliebri, quemadmodum in nummis urbes solent exprimi, ut apud Rasche Lex. num. I. pag. 349. est Alexandria ipsa, mulier stans, veste succincta, exserta dextra mamma, capite elephantinam galeam gerens, in alio nummo eiusdem urbis ibid. pag. 323. est mulier humi desidens. — Vv. *quo die Portus* cet. non nimis accurate de uno eodemque die accipienda videntur; sed est: «eodem prope tempore recurrente.» Quodsi re vera idem fuit dies, est teste Kalendario Antiatino, Claudii tempore, ut videtur, confecto (Inscr. m. Lat. II. p. 397.) et Orosio 6, 19. Kal. Sextil., ut alii minus probabiliter tradunt, IV. Kal. Sept. (29. m. Augusti.) Cfr. Franke Fasti p. 214. Longe aliter hunc locum Scaliger de Emend. temp. V. p. 453. interpretatur: «Hic imperium Augusti orditur a caede Caesaris, anno secundo Iuliano. Itaque tertium lustrum absolutum, id est, quintus decimus annus a caede Caesaris annus receptae Alexandriae, hoc est, annus XVI. Iulianus. Recte igitur Horatius definivit tempus imperii Augusti ad receptam usque Alexandriam, annorum XV. solidorum.» Verum sic nulla intercedit ratio inter Alexandriam captam et Vindelicos debellatos. — *vacuam - aulam*] Antonius enim et Cleopatra, cum se in Mausoleum recepissent, mox mortem sibi consciverunt. — *reddidit*] «rursus praebuit.» — *peractis Imperiis*] «bellicis expeditionibus et tuis propriis et ducum tuorum tuo consilio ad felicissimum exitum perductis.» Monendum hoc erat propter eum, qui nuper mire interpretatus est: «perigere (soloece pro *peragere)* impe-

Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae.

Te, fontium qui celat origines, 45
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
Te beluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,

44. *domineque* T. — 46. *Hister* Tcd. — 47. *bellicosus* d. (Ceteri mei *beluosus*, non *belluosus*, ut Edd.)

ria *heisst hier so viel, als die Herrschaft über alle Völker ausbreiten.*» — *arrogavit*] «Rebus iam olim tuis auspiciis et tuo ductu gestis Fortuna devictis Raetis Vindelicisque novam iam laudem ac gloriam addidit.» Sic enim malo interpretari quam cum aliis: «Imperiis tuis, quae feliciter Tiberius exsecutus est, laudem decusque praebuit;» in qua explicatione non satis respicitur vis v. *arrogavit*.

41-44. *Cantaber*] Od. 2, 6, 2. Od. 3, 8, 22. — *Medusque et Indus*] Suet. Oct. 21: *Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam.* (Cfr. ad Carm. sec. 56.) *Parthi quoque et Armeniam vindicanti facile cesserunt, et signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.* — *profugus*] Od. 4, 35, 9. Od. 3, 24, 9. — *Miratur*] «potentiam ac gloriam tuam stupefactus reveretur.» — *tutela*] voc. propr. de geniis bonis. — *praesens* hac significatione Graecis est *ἐπιφανής*. Menander Fr. inc. 252: *Οὐκ ἔστι τόλμης ἐπιφανεστέρα θεά.* — *dominae*] orbis terrarum. Od. 4, 3, 13: *Romae principis urbium.*

45-48. *origines*] «cuius fontes adhuc ignoti sunt.» Tibull. 1, 7, 23: *Nile pater, quanam possim te dicere causa aut quibus in terris occuluisse caput?* Lucanus 10, 193 sq., ubi veterum de Nilo opiniones exponit, v. 294: Nili *Arcanum Natura caput non prodidit ulli.* — Nilus cornu copiae manu tenens cum filiabus Memphide et Anchirrhoe atque Etesiis est in sardonyche apud Millingen *Anc. Mon.* II. T. 17. — *Tigris* ob rapiditatem a Medis dictus, quia *tigris* eorum lingua *sagitta*. Varro LL. 5, 20. Est igitur: «Aegyptus, Dacia, Armenia te venerantur.» — *beluosus*] Od. 3, 27, 26: *scatentem Beluis pontum*. Sine causa HP. haesit in «hac voce dubiae auctoritatis, quae nusquam nisi apud Avienum (Or. mar. 204.) inveniatur;» nunc quidem, concedo, sed quot poëtae Latini perierunt! Est Homeri *μεγακήτης*. Theogn. 475: *ἐς βαθυκήτεα πόντον*. *Beluosum* autem dicit ex volgari fama, quam memorat Pausan. 1, 3, 5: Oceanus ille *παρέχεται θηρία οὐδὲν ἐοικότα τοῖς ἐν θαλάσσῃ τῇ λοιπῇ*. — *Obstrepit*] ut Od. 2, 18, 20: *Marisque Baiis obstrepentis*. — *Britannis*] Od. 1, 21, 15. Od. 1, 35, 30. Od. 3, 5, 3. Virgil. Ecl. 1, 67:

Te non paventis funera Galliae
Duraeque tellus audit Hiberiae,
Te caede gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.

49. *paventes* - - *Galliae* (nomin. plur.) «e recentioribus duobus, uno Collegii Regii *(ρ)*, et altero Episcopi Norvicensis» Bentleius. (Nostri *paventis.)* — 51. *Sygambri* bc, Bentl., FM: *Sycambri* d, h. l. J, *Sicambri* ST,LCt. (Cfr. Carm. 4, 2, 36.)

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

49–52. *non paventis funera*] Lucan. 1, 454. de Gallis: *quos ille timorum Maximus haud urget, leti metus: inde ruendi In ferrum mens prona viris animaeque capaces Mortis et ignavum redituraе parcere vitae.* Aelian. V. H. 12, 23: *Ἀνθρώπων ἐγὼ ἀκούω φιλοκινδυνοτάτους εἶναι τοὺς Κελτούς. Τῶν ἀσμάτων οὖν ὑποθέσεις ποιοῦνται τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἀποθανόντας ἐν τῷ πολέμῳ καλῶς.* — Mire novissimus interpres: *Gallien, das keine Leichen fürchtet, sondern immer nach seiner Besiegung sich wieder erhebt.* — *Duraeque*] «laborum bellicorum patientissimae.» — *audit*] «tibi paret». — *caede gaudentes*] Tac. Ann. 1, 44: *et gaudebat caedibus miles.* — *Sygambri*] Vid. ad Od. 4, 2, 36. Suet. Oct. 21: *Germanos - ultra Albim fluvium summovit; ex quibus Ubios et Sugambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit.* — *Compositis*] *Depositis* prosae fuisset orationis; *positis* vel *compositis* id praeterea significat, recondita esse ab iis arma et ab usu remota. Refertur huc locus Dionis 54, 20. ad a. u. 738.: *Οἱ βάρβαροι (Σύγαμβροί τε καὶ Οὐσιπέται τε καὶ Τέγκτηροι) τόν τε Λόλλιον παρασκευαζόμενον καὶ τὸν Αὔγουστον στρατεύοντα πυθόμενοι, ἔς τε τὴν ἑαυτῶν ἀνεχώρησαν καὶ σπονδὰς ἐποιήσαντο, ὁμήρους δόντες.* (Cfr. Clinton *F. H.* III. p. 247.)

CARMEN XV.

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbes increpuit lyra,
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas

XV. Inscr. volg. *Augusti laudes.* — *Ad divum Augustum* bSc. — Om. T. — 2. *increpuit, lyra, Ne* distinxit Torrentius. — 4. *daremus tua* T.

XV. Quartum carminum librum cum editurus esset, prope necessarium erat, ut post Drusi et Tiberii laudes epilogus contineret laudes Augusti tamquam pacis atque otii publici auctoris, utpote quo rei publicae principe, coërcita tandem morum corruptione, denuo efflorescerent bonae artes omnesque Romani vitae tranquillae commodis plena cum securitate gauderent. Massono auctore plerisque hoc carmen a. u. c. 744. compositum videbatur, sed Franke ad a. potius 744. post reditum Augusti referendum esse demonstravit, rationibus utique admodum probabilibus usus, nisi quod p. 229. subditicia inscriptione Emeritensi se decipi passus est. (Ad a. u. 745., Horatii ultimum, post Ianum tertio clausum, refert Grotef. Sed vid. ad v. 9.)

1-4. *proelia*] Augusti expeditiones militares; quas cum celebrare nunquam animum induxisset (cfr. iam Od. 1, 6.), ingeniose h. l. fingit hoc sibi ab Apolline ipso interdictum esse. — *increpuit lyra*] «lyrâ plectro tactâ hoc ne facerem vetuit.» Noli iungere *loqui lyra*; nam v. *increpuit* requirit ἐπίθετον, quo tota imago fiat poëtica: contra *loqui* et *dicere* per se significat «carmine celebrare». Similiter Apollo deterret ab incepto nimis difficili Virgilium Ecl. 6, 3: *Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem Vellit et admonuit*; item Propertium 3, 3, 13.; exhortatur ad perficiendum opus Ovidium A. A. 2, 493: *Haec ego cum canerem, subito manifestus Apollo Movit inauratae pollice fila lyrae: - - Is mihi, Lascivi, dixit, praeceptor amoris, Duc age discipulos ad mea templa tuos.* — *parva - - Vela*] Frequens navigationis cum libero poëticae facultatis quasi cursu comparatio. Virg. Ge. 2, 41: *pelagoque volans da vela patenti.* Ovid. Trist. 2, 328: *Non ideo debet pelago se credere, si qua Audet in exiguo ludere cymba lacu.* Sine imagine: «monuit, ne auderem res graves, meum ingenium excedentes, canere itaque *Magna modis tenuare parvis.* (Od. 3, 3, 72.) — *Tua, Caesar, aetas*] Aperta adulatione vitata Augusti aetati velut aureae tribuit, quae proprie ipsius erant. (Non est autem hic Apollinis cantus, ut nonnemo nuper opinatus est, sed Horatii ipsius, et sententiae sic se excipiunt: «Cum Apollo me proelia dicere vetuerit, canam otium ac felicitatem publicam, qua sub Augusto nunc fruimur.»)

Fruges et agris rettulit uberes
Et signa nostro restituit Iovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus et vacuum duellis

Ianum Quirini clausit et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
Iniecit emovitque culpas

7. *Direpta* omnes mei et Pottierii, item Iahn. (Ut nos, Cruquii duo.) — 9. *Ianum Quirinum* ex Passeratii et I. Fr. Gronovii coni. F. *(Quirini* omnes nostri, Bentleii, Pottierii.) — *clusit* Cod. γ Vanderburgii (nostrorum nullus). — 10. *et vaganti* Pottierii plerique. — 11. *dimovitque* T.

5–8. *rettulit uberes*] vel propterea, quod agri per bella civilia vastati pace restituta denuo colebantur. Od. 4, 5, 18: *Nutrit rura Ceres almaque Faustitas.* Cfr. imprimis Vellei. 2, 89: *Rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio* cet. — *nostro - Iovi*] Propert. 3, 11, 41: (Cleopatra) *Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim.* — *Derepta*] «magno cum studio ac laetitia detracta.» Silius 10, 599: *ite, ocius arma Deripite, o pubes, templis.* Necessarium esse *derepta* vidit iam Cortius ad Lucan. 1, 239: *iuventus Deripuit sacris adfixa penatibus* arma. — *Parthorum*] a. u. c. 734. Od. 3, 5, 5. Dio 54, 8. Ovid. Fast. 5, 585. Cfr. ad 4, 14, 42. — *Postibus*] Apud Parthos signa ista Crassi et Antonii in regiae atrio nonnulli arbitrantur affixa fuisse, etsi Epp. 1, 18, 56: *Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit.* Proprie Marti Ultori signa a Phraate recuperata consecravit Augustus; sed consulto poëta summo imperii Romani custodi ea restituta dicit. Interpr. Maii ad Virg. Aen. 7, 606: «Huius facti notae repraesentantur in arcu, qui est iuxta aedem D. Iulii.»

9. *Ianum Quirini*] Sic Codd. omnes, pro qua lectione recipi non debebat Passeratii coni. *Ianum Quirinum* ducta ex Macrob. Sat. 1, 9: *invocamus -- Ianum Quirinum -- quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant;* et Suet. Oct. 22: *Ianum Quirinum semel atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clusit.* Lucil. Gerl. p. 2, 3: *pater Mars, Ianu' Quirinu' pater* cet. Verum consulto a formularum sermone recessisse putandus est poëta, ut sit Ianus Quiritium. Ipse Augustus in Monum. Ancyrano Ed. Franzii p. 31: *Cumque ab Urbe condita ante me Ianum Quirinum bis omnino* (regnante Numa et post bellum Punicum primum a. u. c. 519. *clausum fuisse prodatur memoriae, ter me principe senatus claudendum esse censuit.* (a. u. c. 725. 729. Quando tertium id factum sit, non liquet. Massonum, qui a. 744. id tribuit, satis refutavit Franke, ac Norisii Cenot. Pis. 2, 10. sententiam de a. 748. praeferendam

Et veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires famaque et imperi
Porrecta maiestas ad ortus
Solis ab Hesperio cubili.

Custode rerum Caesare non furor
Civilis aut vis exiget otium,
Non ira, quae procudit enses

15. *Porrectaque* T. — *ortum* ST, pr. β, LCt, Bentl., F. *(ortus* bcd, «et omnes fere nostri» BENTL.) — 18. *eximet* bScd, Bentleii plerique, var. lect. $\gamma\iota$, Pottierii plerique, CtFJ, *existimet* corrupte T. *(exiget* $\gamma\iota$, Pottierii 1, 3, 9.) — 19. *iraque quae* T. — *producit* mg. S.

esse monstravit. Rem in medio relinquit Franzius.) Pro certo sane Horatius ad Ianum *tertium* clausum respicere non potuit, sed infinite significat duas priores huiuscemodi caerimonias. In nummis: IAN. CLVS. Ovid. Fast. 1, 129. Ianus de se: *modo namque Patulcius idem Et modo sacrifico Clusius ore vocor.* — *Clusit* Codicis Vanderb. multis placuit, sed altera scriptura Augustus ipse usus est in Mon. Ancyr. — Iani bifrontes, et imberbis et barbatus, sunt in Müller *Denkm.* V. N. 327. 328.

10-12. *frena*] Tragicus apud Cic. de Or. 3, 41: *exsultantem te et praefidentem tibi Repriment validae legum habenae atque imperi insistent iugo.* — *licentiae*] «Licentiam, quae per bella intestina mores legesque impune violarat, Augustus in ordinem coëgit exstirpavitque culpas, noxios severis suppliciis coërcens; honestam disciplinam restituit.» — *emovitque*] Sic Sat. 2, 3, 28: *Emovit veterem* (morbum) *mire novus.* — *veteres-artes*] «prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam.» SCHOL.

13-16. *imperi-maiestas*] Etiam divise: *imperium populi Romani maiestasque.* Cic. pro Rab. perd. r. 7. de Orat. 2, 39: *Si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit* cet. Quintil. 7, 3, 35: *Maiestas est in imperio atque in omni populi Romani dignitate.* — *Porrecta*] pros. or. «dilatata, propagata.» — *ad ortus*] Librarii facilius h. l. mutarunt num. plur. in singularem frequentiorem quam contra. Cfr. Od. 3, 27, 12. — *ab Hesperio cubili*] «ab occasu, quo Sol ab aethere velut in cubile descendit.» Mimnermus Bergk pag. 348: *Τὸν μὲν γὰρ (Ἥλιον) διὰ κῦμα φέρει πολυήρατος εὐνὴ Κωΐλη, Ἠφαίστου χερσὶν ἑληλαμένη Χρυσοῦ τιμήεντος κτλ.*

17-20. *Custode*] Od. 3, 14, 15. Od. 4, 5, 1: *optime Romulae Custos gentis.* — *exiget*] prima significatione: «expellet, exturbabit.» Quod cum non intelligerent, scripserunt *eximet*, quod tamen v. usurpatur potius de rebus ingratis, veluti *eximere curam, metum, aliquem e vinculis, servitute, crimine* cet. et praeterea prosae potius orationis foret. — *Non ira*] bellica. Tib. 1, 3, 47: *Non acies, non*

Et miseras inimicat urbes. 20

Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia, non Getae,
Non Seres infidive Persae,
Non Tanaïn prope flumen orti.

Nosque et profestis lucibus et sacris 25

23. *infidique* bc, *perfidique* d. (Ut nos, ST.)

ira fuit, non bella, nec ensem Immiti saevus duxerat arte faber. — inimicat] Ut Laberius *iniquare* pro *iniquum reddere* dixerat, sic Horatius, quod sciam, primus (v. Forcell. Ed. Germ.) hoc v. usurpavit pro: «inimicas inter se reddit, ad bella domestica excitat,» non: «hostium loco habet,» ut explicatur a Forcellino.

21-24. *qui - Danubium bibunt*] Vindelici, Pannonii. Cfr. Od. 2, 20, 20. «Non dubium est, quin victoriae respiciantur, quas Romani per annos 738. 39. 40. de Germaniae populis reportaverunt.» Franke. — *Edicta - Iulia*] «leges atque iussa Augusti, condiciones foederum pactorumque cum barbaris initorum.» Dio 54, 10: *τούς τε νόμους τοὺς γραφησομένους ὑπ' αὐτοῦ Αὐγούστου ἐκεῖθεν ἤδη προσηγόρευον.* (a. u. c. 735.) Ovid. Trist. 4, 2, 402: *Augusti publica iussa. — Getae*] Plin. H.N. 4, 12: *alias Getae, Daci Romanis dicti.* Contra Strabo 7, 3, 12. Kramer: *Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος τῆς χώρας μερισμός - - · τοὺς μὲν γὰρ Δακοὺς προσαγορεύουσι, τοὺς δὲ Γέτας. Γέτας μὲν τοὺς πρὸς τὸν Πόντον κεκλιμένους καὶ πρὸς τὴν ἕω· Δακοὺς δὲ τοὺς εἰς τἀναντία πρὸς τὴν Γερμανίαν καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγάς.* Vide ad Od. 3, 24, 11. — *Seres*] ultimi Orientis populus. Vid. ad Od. 3, 29, 27. — *Tanaïn p. fl. orti*] Scythae.

25-28. *lucibus*] «*Luces* et *soles* pro diebus poni solent.» Schol. Est igitur: «singulis diebus.» — *apprecati*] Primus sic, quod sciam, Horatius, deinde Apul. Met. 4. init.

29-32. *Virtute functos*] Dictum est, ut *vita functus* et Ovid. Met. 11, 558. *fato functa suo*, Ibid. 583. *functo morte*, atque apud Horatium ipsum Od. 2, 9, 13: *ter aevo functus*. «Qui in vita virtutes omnes pro virili parte et tamquam munus suum exercuerunt.» Cic. Tusc. 1, 45: *nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere. — more patrum*] Varro apud Nonium in *Assa voce* p. 76. Merc.: *In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, et assa voce et cum tibicine.* Cic. Tusc. 1, 2: *Est in Originibus* (Catonis) *solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* Cfr. Tusc. 4, 2. Perizon. Animadv. hist. C. 6. p. 212. De laudationibus funebribus haec minime interpretanda cum Fea, sed de iis carminibus popularibus, ex quibus paullatim orta est magna pars historiae Romanae antiquioris. Cfr. Munk de Atellanis p. 3. Corssen Origg. poësis Rom. Berolini 1846. p. 112. Differunt ab his etiam *incondita carmina militaria*, quibus teste Livio 40, 30. Q. Fabii victoria Publiique Decii praeclara mors ce-

Inter iocosi munera Liberi
Cum prole matronisque nostris,
Rite deos prius apprecati,

Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Troiamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.

lebrata est. — *Lydis*] Epod. 9, 5. Eurip. Bacch. 126: *Ἀνὰ δὲ βάκχια συντόνῳ Κέρασαν ἡδυβόᾳ Φρυγίων Αὐλῶν πνεύματι.* Plato Polit. 3. p. 398. E.: *Τίνες οὖν μαλακαί τε καὶ ξυμποτικαὶ τῶν ἁρμονιῶν; Ἴαστί, ἦ δ' ὅς, καὶ λυδιστί, αἵτινες χαλαραὶ καλοῦνται. Ταύταις οὖν, ὦ φίλε, ἐπὶ πολεμικῶν ἀνδρῶν ἔσθ' ὅ τι χρήσει; Οὐδαμῶς, ἔφη, ἀλλὰ κινδυνεύει σοι δωριστὶ λείπεσθαι καὶ φρυγιστί.* Arist. Polit. 7, 8, 7: *Δεῖ τῶν τοιούτων ἁρμονιῶν ἅπτεσθαι — ἔτι δὲ εἴ τίς ἐστι τοιαύτη τῶν ἁρμονιῶν, ἡ πρέπει τῇ τῶν παίδων ἡλικίᾳ διὰ τὸ δύνασθαι κόσμον τ' ἔχειν ἅμα καὶ παιδείαν, οἷον ἡ λυδιστὶ φαίνεται πεπονθέναι μάλιστα τῶν ἁρμονιῶν.* Lydiae harmoniae usus erat praesertim in supplicationibus. Pind. Olymp. 5, 19: *Ζεῦ, — Ἱκέτας σέθεν ἔρχομαι Λυδίοις ἀπύων ἐν αὐλοῖς.* Carmina tamen illa in laudem veterum ducum Romanorum Lydia harmonia canenda vix serio dixit, ut multis videtur; sed *Lydis* merum est *ἐπίθετον* poëticum. Poëta enim minime curabat, quo tandem quattuor harmoniarum Graecarum genere cantica ista citarentur. — *remixto*] A. P. 154: *sic veris falsa remiscet.* Hoc quoque v. tali significatione pro *permiscere* solus Horatius usus videtur. Seneca Ep. 74. usurpat pro *rursus miscere.* — *almae*] perpetuum Veneris *ἐπίθετον.* Lucret. 1, 2. — *Progeniem Veneris*] Aeneam ac totam gentem Iuliam a Iulo, Veneris nepote, ortam. — Venus Anchisen in Ida monte visens conspicitur in egregio opere caelato apud Millingen *Anc. Mon.* II. 12. Inghirami *Gall. Om.* I. T. 54. — Ceterum Augusti laudes ab Horatio propositas eleganter ita complexus est in nummo suo L. Mescinius Rufus III.Vir apud Riccio *M. F. R.* p. 145: *I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. S. IMP. CAE. QVOD. PER. EV. R. P. IN. AMP. ATQ. TRAN. S. E.* (*Iovi optimo maximo Senatus populusque Romanus, voto suscepto pro salute imperatoris Caesaris, quod per eum respublica in ampliore atque tranquillo statu est.*)

Q. HORATII FLACCI

CARMEN SECULARE.

PROLEGOMENA.

De origine ludorum secularium et de ritu, quo in Campo Martio celebrabantur, vide locos Commentatoris Cruquiani et Zosimi huic carmini praemissos, collato imprimis Censorino C. 17. — Augustus eos celebravit a. u. c. 737., cum primum decennium, in quod prorogandum sibi a senatu imperium curaverat a. u. c. 727. (quo anno etiam Augustus appellatus est), praeterisset; qua occasione oblata partim praeclarum felicitatis imperii Romani se principe monumentum posteris proponere, partim Romanis legem suam de maritandis ordinibus sensim commendare statuit. Finis igitur huius caerimoniae omnino erat *πολιτικώτατος*. Compacto autem rem cum Quindecimviris sacris faciundis ita egisse videtur, ut hi pro eius voluntate dicis causa consultis libris Sibyllinis et compositis fortasse illis ipsis versibus Sibyllinis, quos servarunt Phlegon Trallianus et Zosimus, pronuntiarent, ultimos ludos seculares celebratos esse a. u. c. 628., quo fortasse piaculum et lustrum aliquod sollemne populi Romani factum erat, cum re vera proxime superiores editi essent a. u. c. 605. vel 608., sequentibus (a. u. c. 705. vel 708.) per bellorum civilium turbas intermissis; seculum autem finiri annis CX., qua in re Etruscam doctrinam secuti esse videntur, cum consuetudo latina v. *seculum* pro centenis annis usurparet. Omnino autem tenendum ludos seculares ab Augusto institutos potius quam instauratos atque a sequentibus imperatoribus celebratos et forma et fine prorsus fuisse diversos ab iis, qui eodem nomine ante Augustum memorantur. Cfr. Petrum Taffinum de Romanorum anno seculari eiusque potissimum per ludos seculares celebritate eorumque chronologia in Graevii Thesauro VIII. pag. 466. atque ceteros scriptores a Mitscherlichio et Doeringio commemoratos, item Ideler *Chronologie* II. pag. 82 seqq., Hartung *Religion der Römer* II. pag. 92., et prae omnibus C. Fr. Hermannum *de loco Apollinis in carmine Horatii saeculari*, Gott. 1848.

Iam fuerunt, qui opinarentur esse carmen amoebaeum puerorum et virginum atque ita partes distribuerent: Stroph. 1. 2. pueri et puellae; Str. 3. pueri; Str. 4. 5. puellae; Str. 6. 7. 8. pueri et puellae; Str. 9. dimidia a pueris, dimidia a puellis cantata; Str. 10—13. uterque chorus; Str. 14. pueri; Str. 15. puellae; Str. 16. 17. pueri; Str. 18. puellae; Str. 19. uterque chorus, ut decem strophas uterque chorus una, quattuor strophas cum dimidia singuli chori cecinerint. Sed tamen huic sententiae multa repugnant, atque imprimis, quod stropha dimidiata non est simul totius carminis media. Ac similiter hac de re disputationes Ed. Schmelzkopfii (Lipsiae 1838.), G. Hermanni in Iahnii Annal. Vol. 23. p. 195. 1838., G. I. Grotefendii in Zimmermanni *Zeitschrift* 1841. N. 108. mihi saltem nimis incertae videntur, quam ut hic eas vel proponere vel diiudicare libeat. Schmelzkopfius quidem et Grotefend in eo potissimum a vero aberrant, quod contra clarum certumque Zosimi testimonium uterque, diversis quidem modis, virginibus puerisque chorum etiam XVvirorum Sac. Fac. immiscent. Contra nunc haud displicet ratio ab I. G. Steinero (Confluentiae 1841.) proposita, ex qua hoc schema prodit:

Str. 1 et 2 *proodus*
iuncti pueri et puellae

Str. 3 pueri — 4 puellae
5 pueri — 6 puellae
7 pueri — 8 puellae

Str. 9 *mesodus*
vv. 1 et 2 pueri
3 et 4 puellae

Str. 10 pueri — 11 puellae
12 pueri — 13 puellae
14 pueri — 15 puellae

Str. 16 — 19 *epodus*
iuncti pueri et puellae.

Nec minus diversa fuerunt criticorum iudicia de carminis indole poëtica. «Elaboratissimis Horatii carminibus hoc carmen seculare adnumerandam esse vel inde intelligi potest, quod ad hoc rite canendum singulari carmine Od. 4, 6. Apollinis opem imploravit et sibi expetiit. Nec mirum, si poëta in carmine publice in publica laetitia a puerorum puellarumque choro decantando omne studium posuerit et omnes ingenii vires nervosque intenderit.» Doering. «Vix ullum ego poëma legi, Augusteo quidem aevo compositum, in quo tanta inesset ieiunitas sententiarum, tanta compositionis inconcinnitas, quanta celebratissimum illud Horatii carmen seculare laborare mihi videtur. Causam arbitror in eo quaerendam esse, quod poëta ex pluribus carminibus Graecis suum consarcinavit.» Eichstadius. Hoc quidem verum esse nequit, propterea quod longe maxima carminis pars unice ad res Romanas atque ad Augustum spectat. Praeterea memores simus oportet ludos seculares requisisse gravitatem quandam severam, semper memorem, ut ita dicam, antiquae ac semel a pontificibus receptae poësis sacrae, longe igitur distantem ab omni impetu dithyrambico, magnam requi-

sisse insuper simplicitatem, ut et conveniret choris illis puerorum puellarumque et a populo ipso haud nimis difficulter intelligeretur; denique totum debuit esse πολιτικὸν et, quae res vincula quaedam poëtae necessario iniecit, aptum item ad sensum voluntatemque Augusti, cuius ex iussu ac sententia versus Sibyllini a Zosimo servati, a Graeculo aliquo, fortasse Parthenio, elaborati esse videntur, quos poëta presse sequi debebat. Verum igitur in medio positum esse arbitror.

I.

COMMENTATOR CRUQUIANUS.

«Ludi seculares ideo dicti sunt, quod per centum et decem annos celebrabantur trinoctio, id est, tribus diebus et tribus noctibus; seculares autem, quod a primo seculo, id est, ab origine Romanae gentis reperti et instituti sunt, scilicet a Numa Pompilio, a quo Romanis post centum et decem annos semper in usu fuere. Verrius autem Flaccus refert carmen seculare et sacrificium institutum intra annos CX. (*lege*: C.) Diti et Proserpinae primo bello Punico decem virorum responso, cum iussi essent libros Sibyllinos inspicere ob prodigium, quod eo bello accidit, nam pars murorum icta fulmine cecidit. Atque ita responderant bellum adversus Karthaginienses prospere geri posse, si Diti et Proserpinae triduo, id est, tribus diebus et tribus noctibus continuis, ludi fuissent celebrati et carmen cantatum inter sacrificia. Hoc autem accidit Appio Claudio Pulchro cos. (*a. u. c.* 490. *Referendus huc videtur locus Varronis apud Censorinum* C. 17: «Cum multa portenta fierent et murus ac turris, quae sunt intra portam Collinam et Esquilinam, de caelo essent tacta, et ideo libros Sibyllinos Xviri adissent, renuntiarunt, uti Diti patri et Proserpinae ludi Terentini in Campo Martio fierent et hostiae furvae immolarentur, utique ludi centesimo quoque anno fierent.»)

«Praeterea ludi seculares celebrati sunt, cum Roma pestilentia laboraret, quando ex libris Sibyllinis jussum est, ut Diti patri ad Terentum stipes mitteretur. Hoc etiam iidem libri iusserunt, ut nobilium liberi in Capitolio carmen decantarent trinoctio.»

Carmen, de quo loquitur Commentator, «conditum a Livio Andronico in Iunonem reginam, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum» vocat Livius 27, 37. ad annum u. c. 545.

Duplex autem enumeratio antiquorum ludorum secularium exstabat, apud Valerium Antiatem altera, altera in Commentariis XVvirorum teste Censorino C. 17.

VALERIUS ANTIAS.	COMMENTARII.
1) a. u. c. 245. ludi instituti a P. Valerio Publicola.	1) a. u. c. 298.
2) a. u. c. 305.	2) a. u. c. 408.
3) a. u. c. 505.	3) a. u. c. 548. Fast. Cap. Baiteri p. LVIII: *Ludi saeculares* (sic) *tert.*
4) a. u. c. 605. centenorum annorum *περιόδῳ* bis servata. (Testibus autem Pisone, Cn. Gellio et Hemina: a. u. c. 608.)	4) a. u. c. 628. centenorum undenorum annorum *περιόδῳ* ter servata et ea quidem congruente cum Augusti ludis secularibus.
	5) a. u. c. 737. Fast. Cap. Baiteri p. LVIII: *Ludi saeculares quinct.*

II.

ZOSIMUS LIB. II. C. V.

Τοιοῦτος δέ τις ὁ τρόπος ἀναγέγραπται τῆς ἑορτῆς. Περιιόντες οἱ κήρυκες εἰς τὴν ἑορτὴν συνιέναι πάντας ἐκέλευον ἐπὶ θέαν, ἣν οὔτε πρότερον εἶδον, οὔτε μετὰ ταῦτα θεάσονται. Κατὰ δὲ τὴν ὥραν τοῦ θέρους, πρὸ ἡμερῶν ὀλίγων τοῦ τὴν θεωρίαν ἀχθῆναι, ἐν τῷ Καπετωλίῳ καὶ ἐν τῷ νεῷ τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον οἱ δεκαπέντε ἄνδρες ἐπὶ βήματος καθήμενοι τῷ δήμῳ διανέμουσι τὰ καθάρσια· ταῦτα δέ ἐστι δᾷδες καὶ θεῖον καὶ ἄσφαλτος· δοῦλοι δὲ τούτων οὐ μετέχουσιν, ἀλλὰ ἐλεύθεροι μόνοι. Συνελθόντος δὲ τοῦ δήμου παντὸς ἔν τε τοῖς ῥηθεῖσι τόποις καὶ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος, ὃ ἐν τῷ Ἀουεντίνῳ λόφῳ καθίδρυται, σῖτον καὶ κριθὴν ἕκαστος φέρει καὶ κύαμον. (Cfr. Sibyll. v. 27.) *Καὶ ταῖς Μοίραις ἄγουσι παννυχίδας μετὰ σεμνότητος ἐν (ἐννέα* Heyne.*) νυξίν. Ἐνστάντος δὲ τοῦ χρόνου τῆς ἑορτῆς, ἣν ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐν τῷ τοῦ Ἄρεως ἐπιτελοῦσι πεδίῳ, καὶ ταῖς ἴσαις νυξί, καθιεροῦτο τὰ τελούμενα παρὰ τὴν ὄχθην τοῦ Θύμβριδος ἐν τῷ Τάραντι. Θύουσι δὲ θεοῖς, Διὶ καὶ Ἥρᾳ καὶ Ἀπόλλωνι καὶ Λητοῖ καὶ Ἀρτέμιδι, καὶ προσέτι γε Μοίραις καὶ Εἰλειθυίαις καὶ Δήμητρι καὶ Ἄιδῃ καὶ Περσεφόνῃ. Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν θεωριῶν νυκτὶ δευτέρας ὥρας ὁ αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὴν ὄχθην τοῦ ποταμοῦ τριῶν παρασκευασθέντων βωμῶν τρεῖς ἄρνας θύει μετὰ τῶν δεκαπέντε ἀνδρῶν καὶ τοὺς βωμοὺς καθαιμάξας ὁλοκαυτοῖ τὰ θύματα. Κατασκευασθείσης δὲ σκηνῆς δίκην θεάτρου φῶτα ἀνάπτεται καὶ πυρά, καὶ ὕμνος ᾄδεται νεωστὶ πεποιημένος, θεωρίαι τε ἱεροπρεπεῖς ἄγονται. Κομίζονται δὲ οἱ ταῦτα ποιοῦντες μισθὸν τὰς ἀπαρχὰς τῶν καρπῶν, σίτου καὶ κριθῆς καὶ κυάμων· αὗται γάρ, ὡς εἴρηταί μοι, καὶ τῷ δήμῳ παντὶ διανέμονται. Τῇ δὲ μετὰ ταύτην ἡμέρᾳ εἰς τὸ Καπετώλιον ἀναβάντες κἀνταῦθα τὰς νενομισμένας*

θυσίας προσαγαγόντες, ἐντεῦθέν τε ἐπὶ τὸ κατεσκευασμένον θέατρον ἐλθόντες τὰς θεωρίας ἐπιτελοῦσιν Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι. Τῇ δὲ μετὰ ταύτην ἡμέρᾳ γυναῖκες ἐπίσημοι κατὰ τὴν ὥραν, ἣν ὁ χρησμὸς ὑπηγόρευσεν, εἰς τὸ Καπετώλιον συνελθοῦσαι λιτανεύουσι τὸν θεὸν καὶ ὑμνοῦσιν ὡς θέμις. Ἡμέρᾳ δὲ τρίτῃ ἐν τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον Ἀπόλλωνος ἱερῷ τρὶς ἐννέα παῖδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων τοσούτων, οἳ πάντες ἀμφιθαλεῖς, ὅπερ ἐστίν, ἀμφοτέρους τοὺς γονεῖς ἔχοντες περιόντας, ὕμνους ᾄδουσι τῇ τε Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων φωνῇ καὶ παιᾶνας, δι' ὧν αἱ ὑπὸ Ῥωμαίοις σώζονται πόλεις· ἄλλα τε κατὰ τὸν ὑφηγημένον παρὰ τοῦ θείου τρόπον ἐπράττετο, ὧν ἐπιτελουμένων διέμεινεν ἡ ἀρχὴ Ῥωμαίων ἀλώβητος.

Ὡς ἂν δὲ καὶ ἐπὶ τῶν πραγμάτων ἀληθῆ ταῦτα εἶναι πιστεύσωμεν, αὐτὸν παραθήσομαι τὸν Σιβύλλης χρησμόν, ἤδη πρὸ ἡμῶν παρ' ἑτέρων ἀνενηγμένον·

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων,
Μέμνησ', ὦ Ῥωμαῖε, καὶ οὐ μάλα λήσεαι αὐτῶν
Μεμνῆσθαι τάδε πάντα. Θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι
Ῥέζειν ἐν Πεδίῳ παρὰ Θύμβριδος ἄπλετον ὕδωρ,
Ὄππῃ στεινότατον, Νὺξ ἡνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ,
Ἡελίου κρύψαντος ἐὸν φάος· ἔνθα σὺ ῥέζειν
Ἱερὰ ποντογόνοις Μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας.
Κυανέας δ' ἐπὶ ταῖσδ' Εἰλειθυίας ἀρέσασθαι
Παιδοτόκους θυέεσσιν, ὅπῃ θέμις. Αὖθι δὲ Γαίῃ
Πληθομένῃ χοῖρός τε καὶ ὗς ἱερεῖτο μέλαινα.
Ζάλευκοι ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων
Ἤματι, μηδ' ἐπὶ νυκτί· θεοῖσι γὰρ οὐρανίοισι
Ἡμέριος πέλεται θυέων τρόπος· ὡς δὲ καὶ αὖτως
Ἱρεύειν· δαμάλης δὲ βοὸς δέμας ἀγλαὸν Ἥρης
Δεξάσθω νηὸς παρὰ σεῦ. Καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ὅστε καὶ Ἥλιος κικλήσκεται, ἴσα δεδέχθω
Θύματα Λητοΐδης· καὶ ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι
Παιᾶνες κούροις κούρῃσί τε νηὸν ἔχοιεν
Ἀθανάτων· χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς, ἀλλὰ γονήων
Πάντων ζωόντων, οἷς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη.
Αἱ δὲ γάμου ζεύγλαισι δεδμημέναι ἤματι κείνῳ
Γνὺξ Ἥρης παρὰ βωμὸν ἀοίδιμον ἑδριόωσαι
Δαίμονα λισσέσθωσαν. Ἅπασι δὲ λύματα δοῦναι
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξί, μάλιστα δὲ θηλυτέρῃσι.
Πάντες δ' ἐξ οἴκοιο φερέσθων, ὅσσα κομίζειν
Ἐστὶ θέμις θνητοῖσιν ἀπαρχομένοις βιότοιο,
Δαίμοσι μειλιχίοισιν ἱλάσματα καὶ μακάρεσσιν
Οὐρανίδαις· τὰ δὲ πάντα τεθησαυρισμένα κείσθω,
Ὄφρα τε θηλυτέρῃσι καὶ ἀνδράσιν ἑδριόωσιν

Ἔνθεν ποροσύνῃς μεμνημένος. Ἥμασι δ' ἴστω
Νυξί τ' ἐπασσυτέρῃσι θεοπρέπτους κατὰ θώκους
Παμπληθὴς ἄγυρις· σπουδὴ δὲ γέλωτι μεμίχθω.
Ταῦτά τοι ἐν φρεσὶ σῇσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι, 35
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ καὶ πᾶσα Λατίνη
Λίην ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

CARMEN SECULARE.

Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date, quae precamur
Tempore sacro,

CARMEN SECULARE. Abest a Codd. meis S et d; deficit in v. 20. Cod. Turicensis. — Notabilis est inscriptio Codicis Gothani 2: *Incipit carmen seculare quod patri meo et matri meae cantaveram ad chorum puerorum puellarumque ad Apollinem et Dianam prosecutice tetracolos.*. Quibus in verbis etsi varie corruptis manifesto latent haec Zosimi: *παῖδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων -, οἳ πάντες ἀμφιθαλεῖς, ὅπερ ἐστίν, ἀμφοτέρους τοὺς γονεῖς ἔχοντες περιόντας* (patrimi et matrimi), *ὕμνους ᾄδουσι κτλ.* Conf. Berneys *Rhein. Mus. N. F.* VI. p. 438. et quae adnotavimus ad v. 6.

1 - 4. *Phoebe*] Ex Zosimi narratione constat hymnum hunc in aede Apollinis Palatini cantatum esse. Optimum autem factu fore videtur, ut ad explicandam hanc prae ceteris dis Apollinis et Dianae invocationem utrobique et in Sibyllinis libris et apud Horatium in Excursu cum lectore communicemus, quae Iahnius docte et accurate disseruit ad Virgilii Ecl. 4, 10: *Casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo*: hoc tantummodo addentes, Solem et Lunam cum aëris salubris atque agrorum fertilitatis datores, tum ad pestem aliaque mala averruncanda praesentissima esse ducta numina (cfr. Od. 1, 21.); praeterea Augustum non sine simulatione semper id affectasse, ut in praecipua Apollinis tutela esse videretur. — *silvarumque potens*] (Od. 1, 3,1: *potens Cypri.*) *ναπῶν μεδέουσα.* Virg. Aen. 9, 405: *Astrorum decus et nemorum Latonia custos.* Seneca Hippol. 440: *O magna silvas inter et lucos dea Clarumque caeli sidus et noctis decus. — Lucidum caeli decus*] num. sing. de duobus numinibus geminis, ut Od. 4, 8, 31: *Clarum Tyndaridae sidus. — o colendi Semper et culti*] Verba sunt velut ex formularum sermone, quae a nonnullis reprehensa Steiner recte vindicat collatis Ovid. Met. 8, 349: *Phoebe, ait Ampycides, si te coluique coloque —.* Od. 4, 2, 37: *Quo nihil maius meliusve terris Fata donavere bonique divi, Nec dabunt* cet. — *Tempore sacro*] *prisco* ex Porphyrione receperunt Baxterus et Gesnerus. Verum Porphyrion haec adnotat: «Non tempore prisco dicendum est, sed tempore, quo

Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas aliusque et idem

5. *quod* Bb et quattuor Blandin. (non Tc). — *lectas* b (non BTc).

prisca imitantur.» Ex qua satis confusa interpretatione hoc prodit, antiquiores Porphyrione interpretes ita ferme locum exposuisse: «*tempore sacro*] sacro ex prisco ritu, quoniam seculo redeunte tempus per se fit sacrum.»

5. 6. *Sibyllini versus* consulto memorantur, quia horum auctoritate utebatur Augustus in renovandis ludis secularibus. Virgines autem et pueri nunc, ut ita dicam, primum in scena comparentes de se ipsi eo magis verba facere debebant, ut, cum ex primariis familiis lecti essent, inter hos ipsos versus ab iis cantatos *tacitum pertentaret gaudium* parentum *pectora*. Haec dicta sint contra HP., qui hanc strophen obelo notavit. *(SIBVLLAE* (sic) effigies cum librorum Sibyllinorum urceo super tripodem collocato est in *L.* (Marcii) *TORQVAT. III. VIR.* nummo apud Riccio *M. F. R.* p. 135.) — Qui iam seculo octavo v. 5. legerunt *Quod*, sic videntur construxisse: *date quae precamur carmine, quod Sibyllini monuere versus virgines - - dis dicere.* — *Virgines* cet.] *τρὶς ἐννέα* Zosimi sunt ter novenae virgines, terque noveni pueri, sex totius chori veluti partes; ex more Romano. Liv. 27, 37: *Decrevere - pontifices, ut virgines ter novenae per urbem euntes carmen canerent.* 34, 12: *Decemviri ex libris* (Sibyllinis) - - *carmen - ab ter novenis virginibus cani per urbem iusserunt.* — *lectas - castos*] Haec duo *ἐπίθετα* aeque ad utrumque sexum pertinent. Esse enim debebant ex confarreatis parentibus geniti, patriciae, certe senatoriae stirpis, ac simul *ἀμφιθαλεῖς*, patrimi et matrimi. Cfr. Acta Fratr. Arv. T. 32. v. 17: *PVERIS. PATRIMIS. ET. MATRIMIS. SENATORVM. FILIIS.* item vv. Sibyll. 21.

9–12. *Alme Sol*] Cfr. formulam iuris iurandi Philippi cos. apud Diod. Fragment. Dind. pag. 128: *Ὄμνυμι τὸν Δία τὸν Καπετώλιον καὶ τὴν Ἑστίαν τῆς Ῥώμης καὶ τὸν πατρῷον αὐτῆς Ἄρην καὶ τὸν γέναρχον Ἥλιον καὶ τὴν εὐεργέτιν ζώων τε καὶ φυτῶν Γῆν* (C. S. v. 29.), *ἔτι δὲ τοὺς κτίστας γεγενημένους τῆς Ῥώμης ἡμιθέους καὶ τοὺς συναυξήσαντας τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἥρωας* κτλ. — A poëtis mature Apollinis et Solis numen in unum coniunctum est. Sic Scythinus Teius apud Plut. de Pythiae orac. T. 2. p. 402: *Ζηνὸς εὐειδὴς Ἀπόλλων, πᾶσαν ἀρχὴν καὶ τέλος Συλλαβών, ἔχει δὲ λαμπρὸν πλῆκτρον ἡλίου φάος.* Notandum Martis neque in verss. Sibyllinis neque apud Horatium ullam mentionem fieri, ideo quod pacificatoris munere fungi volebat Augustus. — *Promis*] Dionysius Hymn. in Apoll. ed. Bellermann p. 26: *Ποταμοὶ δὲ σέθεν πυρὸς ἀμβρότου Τίκτουσιν ἐπήρατον*

Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere maius.

Rite maturos aperire partus
Lenis, Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari
Seu Genitalis.

16. *Genetyllis* Bentleius coni.

ἀμέραν. — *celas*] «condis occidens.» — *aliusque et idem*] «quotidie renovato splendore eodemque vigore exoriens, adeo ut mortalibus novus videare, cum tamen idem sis ac die proxime superiore.» Lucret. 5, 659: *semina - - ardoris - - Quae faciunt solis nova semper lumina gigni.* — *Visere maius*] Virg. Aen. 7, 602: *maxima rerum Roma.*

13 - 16. *Rite*] «bene ac recte, uti fas est nos sperare de te, dea propitia, cuius proprium est munus, ut benigne ac molliter partus in lucem proferas.» Male Schol. Cruq. v. *rite* iungit cum v. *maturos*, cum pertineat ad v. *aperire*. — *aperire partus Lenis*] Graeca constructione: «Quae lenem te praebes in partubus maturis in lucem proferendis.» Cf. Od. 1, 24, 17: *Non lenis* (Mercurius) *precibus fata recludere*. — *Πολυωνυμία* numinibus divinis exoptatissima est gloria, quam a Iove postulat Diana apud Callim. Hymn. 3, 6: *Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν Καὶ πολυωνυμίην*. Eodem igitur antiquorum more usus, quo Sat. 2, 6, 20: *Matutine pater seu Iane libentius audis*. Aeschyl. Agamemn. 147: *Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ, Τοῦτό νιν προσεννέπω*. Plato Cratyl. p. 400. E: *ὥσπερ ἐν ταῖς εὐχαῖς νόμος ἐστὶν ἡμῖν εὔχεσθαι, οἵτινές τε καὶ ὁπόθεν χαίρουσιν ὀνομαζόμενοι (οἱ θεοί)*. Phileb. pag. 12. C: *νῦν τὴν μὲν Ἀφροδίτην, ὅπῃ ἐκείνῃ φίλον, ταύτῃ προσαγορεύω*. Catull. 32. (al. 34), 21. de Diana: *Sis quocunque tibi placet Sancta nomine*, h. l. deae optionem dat, utrum nomen ei acceptius sit, Graecumne illud *Εἰλειθυίας* (quae ad parturientes venit opem latura) an Latinum vel *Lucinae* (quae aliis eadem est cum Iunone, ut Ter. Andr. 3, 1, 15: *Iuno Lucina, fer opem.*) vel *Genitalis, Γενεθλίας*, gignendi praesidis, alia utique significatione atque apud Ennium Ann. 1: *Romulus in caelo cum dis genitalibus aevom Degit*, ubi sunt XII. di maiores s. consentes. Diversa etiam Tibulli 4, 6, 1. *Natalis Iuno*, genius (muliebris) Sulpiciae. Hofman Peerlkamp mavolt *Genialis*. Poterat afferre Festum in v. *Geniales deos*; sed ex nummis Crispinae Commodi procedunt DI GENITALES. Bentleii autem *Genetyllis* Latinis inauditum et Graecis turpiculum fere Venerisque potius quam Dianae *ἐπίθετον*. Plures *Γενετυλλίδας*, a Phocensibus *Γενναΐδας* appellatas, Athenis cultas memorat Paus. 1, 1, 5. Lucian. Amor. 42. De *Ilithyia* autem Plutarch. Symp. 3, 10, 3: *οἶμαι καὶ τὴν Ἄρτεμιν Λοχείαν καὶ Εἰλειθυιαν οὐκ οὖσαν ἑτέραν ἢ τὴν Σελήνην ὠνομάσθαι. Τιμόθεος δ' ἄντικρύς φησι, Διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων, Διά τ' ὠκυτόκοιο Σελά-*

Diva, producas subolem patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis prolisque novae feraci
Lege marita,
Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos
Ter die claro totiesque grata

21. 22. *ut denos - - Orbis et* Codd. aliq. Lambini. — 23. *totidemque* B.

νας. Pausan. 9, 27, 2: *Ἥλην ἐν Εἰλειθυίας ὕμνῳ μητέρα Ἔρωτος τὴν Εἰλείθυιάν φησιν εἶναι.* Cfr. Pind. Nem. 7, 1. Pausan. 7, 23, 5. imaginem Ilithyiae altera manu facem gestantem, «quod in lucem fetus profert», describit. Ilithyiae duae (ut Iliad. λ, 270. *μογοστόκοι Εἰλείθυιαι*) in Minervae ortu porrectis manibus Iovi opitulantur apud Gerhard *Vaseng.* I. T. II. — Memorabilis est inscriptio: *HERAE. LVCINAE. SACRVM. PRO. SALVTE. MARCIANAE. SORORIS. OCCIVS. AVG. LIB. PROC.* in Calabriae promontorio *la Colonna*. *Allg. Zeitg.* 1845. N. 234.

17-20. *producas subolem*] «Serves atque ad adultam aetatem feliciter pervenire iubeas, utpote quae sis *κουροτρόφος*.» Etenim hic Lucina eadem est cum Diana, ut apud Catull. 32 (alii 34.), 13: *Tu* (Diana) *Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis*. Cfr. Od. 2, 13, 3: *Produxit* (te), *arbos*, «curavit, ut cresceres atque adolesceres.» — Alii explicant: «Profer subolem in lucem eiusque numerum auge»; appellantes Plaut. Capt. 3, 5, 105: *Quasi in orbitatem liberos produxerim* (genuerim). Silius 1, 111: *partusque recusent Te surgente, puer, Latiae producere matres* (itaque abortus faciant).» Sed sic satis languide repeteretur sententia strophae quartae. — *super iugandis*] Lex Iulia de maritandis ordinibus, quam manifesto Horatius respicit, ab Augusto, ut minueretur caelibum numerus ac mores corrigerentur, proximo ante ludos seculares celebratos anno lata est. Dio Cass. 54, 16: *Ὁ δ' οὖν Αὔγουστος - - τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε* (a. u. 736.) *καὶ ἔμπαλιν τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα ἔθηκεν.* Anno autem u. 762. lex Iulia paulum immutata nomen Papiae Poppaeae a consulibus suffectis illius anni accepit. (Dio 56, 10.) Paneg. Maxim. et Const. 2: *Leges hae, quae multa caelibes notaverunt, parentes praemiis honorarunt, vere dicuntur esse fundamenta rei publicae, quia seminarium iuventutis et quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt.* — *Lege marita*] breviter ac nove dictum, *Ehegesetz*. Similiter Prop. 4, 11, 33. *faces maritae* pro nuptialibus.

21-24. *Certus - - Orbis ut cantus* cet.] «ut, votis fortunantibus prolem Romanam, post *orbem*, *κύκλον*, *περίοδον*, CX. annorum decursum iidem ludi vestri seculares rursus celebrari possint, quo ritu imperium Romanum, nova semper stirpe fultum, aeternitatem suam pie agnoscat atque testetur.» — *Ter* cet.] «ternis

Nocte frequentes.

Vosque veraces cecinisse, Parcae, 25
Quod semel dictum est stabilisque rerum
Terminus servat, bona iam peractis

26. *dictum stabilis per aevum Terminus servet* Bentleius coni., *dictum stabilisque* e Codd. F. (Ut nos, Bbc, Codd. Bentl., Pottierii 1, 3, 7, 8, 22., cuius aliquot non numerati omittunt *est*.) — 27. *servat* ν, corr. λ, Aldus, F: *servet* Bbc, Cruquii quinque, ceteri Bentleii, omnes Pottierii, LCt, Bentl., MJ.

diebus totidemque noctibus.» — *grata Nocte*] propter lumina ac rogos ubique accensos (Zosim. 2,5.) propterque hymnos, caerimonias augustas et laetitiam universalem. — *frequentes*] «ab innumerabili civium multitudine celebratos.»

25–28. *veraces cecinisse*] Graeca constructione: *Wahrheit singende Mächte*. Voss. *Veridicos canius* Parcis tribuit etiam Catullus 64, 306. Hic quidem significantur carmina Sibyllina, quae quasi Parcarum ipsarum vaticinia continebant; uti in Vopisci Aureliano 19. Ulpius Silanus in senatu inter alia haec verba facit: *Veteranis manibus libros evolvite; fata rei publicae, quae sunt aeterna, perquirite*. Servius ad Aen. 2, 777: *ut - Statius dicit: fata sunt, quae divi fantur*. — *Parcae*] Plato Polit. 10. pag. 617. C.: *δευτέρας τῆς Ἀνάγκης, Μοίρας*. Invocandae autem erant ut Ilithyia ex carminis Sibyllini praecepto v. 8. Earum imaginem videsis in Millin *Voyage* T. 65, 1. atque cfr. imprimis de earum imaginibus Avellino *Bull.* III. p. 17. — *semel*] *ein für allemal*. Cic. ad Att. 14, 13: Antonius *semel induxit animum sibi licere quod vellet*. — «Veraces in canendo id, quod ita a vobis *dictum* (decretum) est, ut in perpetuum valeat, quodque propter hoc ipsum *rerum* (fatorum) *stabilis terminus* (certus eventus) *servat*, stabilit.» Cf. Virg. Ecl. 4,47: *Concordes stabili fatorum numine Parcae*. — *dictum est stabilisque* etsi durum pronuntiatu, hoc tamen loco, ubi firmitatis notio etiam sono exprimenda erat, ab Horatio consulto molliori *dictum stabilisque* praelatum videtur. — *Terminus* autem non est huius nominis deus, sed prorsus similis est sententia Accianae illi in Hecuba apud Priscian. 6. p. 716. P.: *Veter fatorum terminus sic iusserat*. Lucret. 1, 74: *atque alte terminus haerens*. Virg. Aen. 4, 614: *Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret*. Eurip. Suppl. 646: *θεοὶ - Ἁπάντων τέρμ' ἔχοντες*. — *servat*] Tametsi fatendum est *servet* commendari auctoritate trium Scholiastarum, Servii ad Ecl. 4, 47., meorum ac Pott. Codd. omnium, item Oberlini B. Sec. X., tamen poëta longe rectius pro certo affirmare videtur, in sempiternum servari a Parcis fatorum imperii terminum. Qui praeferunt *servet*, *παρένθεσιν* statuere debent: *dictum est - stabilisque* (utinam) *rerum Terminus servet! - bona* cet., quae admodum languida mihi videtur; nec tollunt difficultatem, quae oritur ex eo, quod pron. *Quod* ponitur et casu primo et quarto pro: *quodque stabilis*

Iungite fata.

Fertilis frugum pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant fetus et aquae salubres
Et Iovis aurae.

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas:

Roma si vestrum est opus, Iliaeque

cet. — Allis, ut nuper Steinero, placuit constructio praelata a Lambino, qui in Commentario servavit indicativum *servat*: «Iungite bona fata fatis iam peractis, quod quidem semel iam a vobis dictum est et stabilis rerum terminus id servat neque id ullo pacto potest immutari. Quidnam semel dictum est? Vos iuncturas bona praeteritis fatis.» Verum sic vv. *veraces cecinisse* nimis abrupta sunt et prope manca; quid tandem, quaeso, *cecinisse*? — *iam peractis*] «quibus adhuc feliciter usi sumus.»

29–32. *Fertilis* cet.] «Veteres in precationum formulis haec tria felicitatis momenta, frugum ubertatem, feturam gregum, matronarum fecunditatem, plerumque coniungunt. Aeschyl. Eum. 905. Sophocl. Oed. Tyr. 171. Aristoph. Pac. 1320. Herod. 3, 68.» Huschkius ad Tib. 2, 5, 91. — *Fertilis - pecoris* per zeugma pro *fecunda*; contra *fecundus* pro *fertilis* de arboribus Od. 3, 23, 6. — *Tellus*] Conf. versus Sibyll. 10 sq., ius iurandum Philippi ad v. 9. — «Sit frugum ubertas et prospera pecudum fetura.» Schol. Hanc sententiam venusta imagine sic exornat, ut Tellus dea, ipsa laeta sua fertilitate, eo munere fungatur, quo grati coloni, cum Cererem spiceis coronis ornant, ut comparet etiam in antiquitatis monumentis. Tibull. 1, 1, 15: *Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona Spicea.* — *fetus*] H. l. agrorum fruges. Cic. de Or. 2, 30: *quo meliores ager fetus possit et grandiores edere.* — *Iovis aurae*] Ex antiquo sermonis usu, quo tempora et varia caeli temperies et pluvia Iovi tribuebantur. Epod. 2, 29: *tonantis annus hibernus Iovis.* Iliad. ε, 91: Διὸς ὄμβρος. Soph. Antig. 607: ἀκάματοι θεῶν Μῆνες. Apollon. Rhod. 2, 525: ἐτήσιοι ἐκ Διὸς αὖραι. Eumen. Paneg. Const. 13: *Iuppiter moderator aurarum.* Itaque et adiectivum *salubres* et genitivus *Iovis* et ad *aquas* et ad *auras* referenda sunt.

33–36. *Condito – – telo*] «Omnem pestem a populo Romano avertens.» Magna cum arte revertitur ad Apollinem, Augusti custodem et quasi geniun tutelarem, et ad Dianam. quorum numina initio invocarat. — *mitis placidusque*] Duplex ἐπίθετον,

Litus Etruscum tenuere turmae,
Iussa pars mutare Lares et urbem
Sospite cursu,
Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Aeneas patriae superstes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis:
Di, probos mores docili iuventae,
Di, senectuti placidae quietem,

39. *urbes* Bc (non b). — 45. *docilis* cum pr. Battel. *(ω)* Bentleius. — 46. *senectutis βιx* «et duo alii inferioris notae», duo item Bersm., duo Pottierii, Bentleius. — *placidam ω* (cum var. lect. *placidae*), Hofman Peerlkamp. (Ut nos, Bbc.)

a nonnullis reprehensum, videtur referre sermonem formularum. Certe etiam Ovid. Met. 4, 31: *Pacatus mitisque, rogant Ismenides, adsis.* — *Luna*] Lunae deae imaginem cum antiquissima inscr. Latina *LOSNA* vide in Gerhard *Etrusk. Spiegel* N. CLXXI. — *puellas:*] Cum quid supplicare debeant chori seqq. versibus exponatur, hic colon ponendum erat, non cum aliis maior distinctio, qua dissecarentur sententiae.

37–40. *si – est*] «si est, ut est reapse.» In precibus modestior particula quam *quoniam*. Etenim sic procedunt sententiae: «Quoniam Roma vestrum est opus, etiam in posterum ei quocunque modo ut faveatis, precamur.» — *vestrum – opus*] quatenus Apollo (cui, ut solet, iungitur soror) Aeneam Italiam petere iusserat. Virg. Aen. 4, 345: *Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo, Italiam Lyciae iussere capessere sortes.* Cfr. etiam Od. 4, 6, 24 sqq. — *pars*] quotquot Aeneam comitati sunt. — *Sospite cursu*] «ita iussi, ut salvi in Italiam pervenirent.» Alii minus poëtice iungunt: *tenuere sospite cursu litus Etruscum*, Lavinia litora.

41–44. *sine fraude*] «sine damno aut pernicie Aeneae omniumque eius comitum»; ut Od. 2, 19, 19: *Nodo coërces viperino Bistonidum sine fraude crines.* (Male Servius ad Aen. 1, 242. *sine fraude* interpretatur «sine proditione,» quam poëtae, vel si purgaturus esset, h. l. commemorare haudquaquam decorum fuisset.) — *Castus*] «pius, cui propterea favebatis.» Sic *incestus*, impius, Od. 3, 2, 30. Virg. Aen. 6, 661: *Quique sacerdotes casti.* — *Plura*] «conditurus per posteros suos imperium Troiano potentius.» — Antiquissima, quae nunc exstet, mentio *τῆς ἀποικίας Φρυγῶν* duce Aenea reperitur in Sophoclis Laocoontis Fr. 342. Dind.

45–48. *Di*] proxime refertur ad Apollinem et Dianam. — *senectuti placidae quietem*] «tranquillitatem, quam unice optant, senibus date, ut placide, sine ulla molestia ac miseria, ad vitae finem perveniant.» Pind. Ol. 5, 22: *φέρειν γῆρας εὔθυμον ἐς τελευτάν. Placida* egregie dicitur *senectus*, quae sibi *placet*,

Romulae genti date remque prolemque
Et decus omne!

Quaeque vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisae Venerisque sanguis, 50
Impetret, bellante prior, iacentem
Lenis in hostem!

49. *Quique* Pott. 9, 15, 22., LtF. (Ut nos, Bbc, β, pr. $\varkappa$ «et alii duo», C, Bentl., MJ.) — *bubus* b. — 51. *Imperet* Pott. plures, LtF (non Bbc). Ex $\mu\omega$, pr. $\varkappa$ et ν post Cruquium correxit Bentleius. — 52. *Laetus* B.

prorsus contenta est vita et ante acta et ea, quae etiamnunc ipsi concessa est.» Monendum erat propter perversas lectiones *senectutis placidae* et *placidam quietem*. — V. 1. igitur huius strophae ad iuventutem refertur, v. 2. ad senes, quibus hae ipsae preces egregie placere debebant; v. 3 et 4. universum populum Romanum complectuntur; qua distributione magna cum arte usus est poëta. — *Romulae*] pro *Romuleae*, ut Od. 4, 5, 1. — *remque*] «opum affluentiam.» — *prolemque*] *que* colliquescit cum v. seq. Cf. Od. 4, 2, 22. 23.

49–52. *Quaeque*] «Et quae, boves albas (Verss. Sibyll. 12.) vobis immolans, vos precatur Augustus, ea consequatur.» Caesaris quidem nomen, ipso sine dubio sic volente, per totum carmen tacetur. — Longe vero pulchrior est ipsa quoque sententia verae huius lectionis (etiam Cod. Franeq.) quam interpolatae: *Quique* - - *Imperet*; nam in illa hoc inest: «quae vota ille suscipit pro salute imperii Romani proque prosperitate suorum civium, ea rata fiant;» in hac simplex rei divinae faciundae mentio; *imperet* autem explicant: «dominetur toti terrarum orbi», ut Od. 3, 6, 5. Interpolationem vero ortam esse apparet ex ignoratione constructionis *venerari aliquem aliquid* (ut *precari, poscere, postulare, rogare* cet.), quae ex antiquiore Latinitate retenta est etiam ab A. Caecina apud Cic. ad Fam. 6, 7: *qui multa deos venerati sunt contra eius salutem*; sicque Sat. 2, 2, 124: *Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto*. Sat. 2, 6, 8: *Si veneror* (precor) *stultus nihil horum*. — *Anchisae*] Pulchram Anchisae ab Aenea in humeris portati imaginem vide in Gerhard *Vasenq.* III. T. CCXVII. — *bellante prior, - Lenis*] «itaque dis faventibus semper victor hostium evadat, clementer autem, ut decet virum fortem pariter ac generosum, domitis parcat.» Virg. Aen. 6, 854: *Parcere subiectis et debellare superbos*. Prop. 3, 19, 28: (Minos) *Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit*.

54–56. *Medus*] Parthus. Nota quam caute totum per carmen omnem bellorum civilium, quae imperium laceraverant, vel occultissimam mentionem devitet ac de exteris dumtaxat nationibus ab Augusto domitis loquatur, tum v. 57. de fide ac pace ab eodem restituta. — *Albanas*] «Romanorum ex Alba Longa ortorum.» — *responsa*] «*edicta* illa *Iulia* (Od. 4, 15, 22.), quomodo seditiones intestinas compo-

Iam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures,
Iam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.

Iam Fides et Pax et Honos Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.

53. *manum potentem* Bentl. coni. — 57. *Honor* Bb,LCt (non c).

nere, quid Romanis praestare debeant.» — *superbi*] iunge cum v. *Scythae*. Suet. Oct. 21. Dio 54, 9. Ovid. Trist. 2, 227: *Nunc petit Armenius pacem; nunc porrigit arcus Parthus eques timida captaque signa manu.* — *Indi*] Augustus ipse in Monum. Ancyr. ed. Franz p. 108: *Πρὸς ἐμὲ ἐξ Ἰνδίας βασιλέων πρεσβεῖαι πολλάκις ἀπεστάλησαν, οὐδέποτε πρὸ τούτου τοῦ χρόνου ὀφθεῖσαι παρὰ Ῥωμαίων ἡγεμόνι.* De Indorum autem legationibus ad Augustum missis docte disputavit Unger V. R. p. 355. (Cf. A. W. Schlegel *Berliner-Kalender* 1829. p. 48. C. Ritter *Geogr. von Asien* IV. 1. p. 488 seqq. Benfey in Erschii et Gruberi Encycl. s. v. *Indien*, p. 89.)

57-60. *Fides*] Theognis 1137: *Πίστις, μεγάλη θεός.* — *Pax*] Eurip. Orest. 1682: *τὴν καλλίστην Θεῶν Εἰρήνην.* Eius ara erat Athenis. Vid. Corn. Nep. in Timoth. 2. et quae adnotavit Nipperdey. — *Honos*, qui a Romanis colebatur, proprie est *Honos Virtutis*, qui virtutem consequitur; sed iam a M. Marcello bello Gallico ad Clastidium aedes HONORI ET VIRTUTI vota est. Liv. 27, 25. — *Pudor*] Apud Eurip, Hipp. 77: *ἀκήρατον - λειμῶνα - - Αἰδὼς - ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.* — *Priscus*] Virg. Aen. 6, 879: *heu prisca fides!* — *redire*] in terras, quas cum a mortalibus coli desita esset, maesta reliquerat; id quod Graeci de Astraea, *Δίκη*, narrabant; item Hesiodus *Ἔργ.* 198. Goettl.: *Λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν Ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτον προλιπόντ' ἀνθρώπους Αἰδὼς καὶ Νέμεσις.* — *apparetque*] Splendidam hic numinis *ἐπιφάνειαν* significat. — *Copia*] abundantiae dea; cuius imagine praecipue delectatus esse Augustus videtur. Od. 1, 17, 14 sqq. Epp. 1, 12, 28 sq. Cfr. Müller *Denkm.* V. N. 377. Genium Augusti cum copiae cornu monstrat Visconti *Museo Pio-Clem.* 3. Tab. 2. — *cornu*] Graeci simile habent *Ἀμαλθείας κέρας.* Apud Senecam Med. 65. Paci ipsi tribuitur cornu copiae: *Et cornu retinet divite copiam.* Recentior *μῦθος* videtur apud Ovid. Met. 9, 87. Achelous de cornu sibi ab Hercule truncato: *Naïdes hoc, pomis et odoro flore repletum, Sacrarunt; divesque meo bona Copia cornu est.* — «Pacatum autem et quietum iam esse terrarum orbem cum verbis tum numeris lenioribus egregie declaravit poëta, ut qui in strophis 14 et 15. quinquies molli caesura trochaica usus sit.» STEINER.

Augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,

Si Palatinas videt aequus arces, 65
Remque Romanam Latiumque felix
Alterum in lustrum meliusque semper

65. *arces* Bbc, Bentleii ac Pottierii plerique, Lt et Bentleius: *aras* in c superscr., *ιλ*, var. lect. *βω*, Pott. 7, 9, CFM. (Nos secutus est J.) — Ceterum Bentl. et Fea distinguunt: *(Si Palatinas -- Latiumque) felix Alterum* cet. — 66. *felix* adscr. «vel *laetum*» B.

61 - 64. Vide, quo studio iam tertium in Apolline, Augusti, ut ita dicam, exemplari, praedicando immoretur poëta. «In proodo chorus cecinit: Date quae precamur, Phoebe et Diana. In mesodo eandem sententiam iteravit: Audite nostras preces, Apollo et Luna. Denique in epodo Str. 46-49. universus chorus hanc sententiam ita repetit, ut non iam numina ipsa alloquatur, sed ad populum, ni fallor, conversus, tertia persona dicat: Phoebus et Diana cum XVvirorum pias preces, quas illi in sacrificando pro imperii incolumitate susceperunt (Zosimus 2, 45.), tum nostra quae modo nuncupavimus vota benigne curent. Postremo certam chori spem id fore exprimit.» STEINER. — *Augur*] Vid. ad Od. 1, 2, 32. — *fulgente*] Apollo poëtis modo *χρυσότοξος*, modo *ἀργυρότοξος*, ut Il. *α*, 37. — *acceptus*] Eurip. Med. 426: *Φοῖβος, ἀγήτωρ μελέων*. Orph. Hymn. 34, 6. est *Μουσαγέτης*, ut alibi Hercules. — *levat - fessos - artus*] «medetur aegris», ut Celsus 1. Praef.: *levatum magis eorum morbum esse*. Tibull. 4, 4, 10. ad Apollinem: *Sancte veni tecumque feras quicumque sapores, Quicumque et cantus corpora fessa levant*. Utrobique v. *fessus* significat languidum ex morbo.

65-67. *Si Palatinas -- arces*] «Has ipsas, ubi cantu eum veneramur.» (Vide Zosimi locum.) «Si propitius respicit, ut re vera respicit, aedem suam in monte Palatino ab Augusto ante hoc decennium magnificentissime exstructam.» Virg. Ge. 2, 535: (Roma) *Septemque una sibi muro circumdedit arces*; et de ipso Palatio Ovid. Trist. 1, 1, 69: *Forsitan exspectes, an in alta Palatia missum Scandere te iubeam Caesareamque domum, (Ignoscant augusta mihi loca dique locorum:) Venit in hoc illa fulmen ab arce caput*. Consolat. ad Liviam 61. de Augusto: *Ille vigil, summa sacer ipse locatus in arce, Res hominum ex tuto cernere dignus erat*. Altera lectio *aras* nimis tenuis videtur et ex ignoratione significationis v. *arces* orta. — *Remque Romanam Latiumque - Prorogat*] Memor fuisse videtur versiculi Enniani Ann. 1: *Audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere voltis*. — V. *felix* iunge cum v. *lustrum*, ne careat *ἐπιθέτῳ*. *Lustrum* autem, Romanis *χερσίοδος*

Proroget aevum.

Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet et votis puerorum amicas
Applicet aures.

68. *Proroget* b, et duobus exceptis omnes Pottierii, item LCt: *Prorogat* B, quattuor Bland., unus Bersm., γ, pr. $\varkappa$, Pott. duo, C, Bentl., FM. — 71. *Curet* b et duo Pottierii, Lt; *Curat* B et praeter Codd. a Bentleio ad v. *Prorogat* memoratos, $\beta\lambda\chi$, tres Bersm., var. lect. ω, C, Bentl., FM. — 72. *Applicet* b et Pottierii 8, 9, 22: *Applicat* B, Codd. a Bentl. ad v. *Curat* memorati, C, Bentl. FM. De Cod. c nunc mihi non constat. (Nos secutus est Jahn.) — *auris* B.

religiosa, proprie, non infinite (ut aliis placuit) accipiendum, ideo potissimum, quod anno praecedente 736. Augustus *πέντε τῆς προστασίας ἔτη, ἐπειδήπερ ὁ δεκέτης χρόνος ἐξήκων ἦν, προσέθετο*. Dio 54, 12. Hoc *lustrum* principe Augusto felix fore sibi spondet poëta; *alterum* autem «proximum»; iam sequitur tempus infinitum *meliusque semper - aevum*; *semper* ex formula, ut Tib. 1, 7, 63: *At tu, Natalis, multos celebrande per annos, Candidior semper candidiorque veni.* Ovid. Fast. 1, 87. de Kal. Ianuariis: *Salve, laeta dies, meliorque revertere semper.* Nonnullâ poëtae, longe maiore interpretum culpâ factum est, ut alii iungerent *Latium felix, melius aevum*, alii *Latium felix meliusque*, alii denique *felix* ad Apollinem referrent, appellantes Virg. Ecl. 5, 65: *Sis bonus o felixque tuis.*

68. *Proroget - Curet - Applicet*] Per se manifestum est, carminis fini rursus unice convenire precationes vere religiosas, non nimiam illam indicativorum confidentiam, quae et scriptoribus librariis et criticis quibusdam, adeoque ipsi Bentleio, placuit. Quae quidem ratio tunc saltem tolerabilis est, si plene distinguas post vv. 68 et 72.; prorsus inepta, si per zeugma part. *si* referas a v. *videt* ad tria reliqua verba et a v. 73. apodosin incipias, ut sit: «Si Apollo rem publicam prorogat, sique Diana votis applicat aures, spem reporto cet.

69-72. *Quaeque*] Ut Apollinem per aedem Palatinam, sic Dianam obtestatur chorus per religiones et Romae et in Latio, in monte Algido (Od. 1, 21, 6.) illi institutas, ut, si propitia sit imperio Romano, hoc fortunare velit. Zosim. 2, 5: *ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος, ὃ ἐν τῷ Ἀουεντίνῳ λόφῳ καθίδρυται κτλ.* — *Quindecim - - virorum*] Cum hi ludi seculares ex librorum Sibyllinorum responso celebrarentur, quos solis Quindecimviris Sac. Fac. adire licebat, consentaneum erat, ut hoc sacerdotum collegium diserte memoraretur. Tacit. Ann. 11, 11: *collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura* (ludorum secularium), *et magistratus potissimum exsequebantur officia caerimoniarum.* — *puerorum*] utriusque sexus. Paulus de Verb. Signif. ed Cramer. p. 78. 163, 1: *Pueri appellatione etiam puella significatur.* — *amicas Applicet*] «propitias praebeat.» Schol.

Haec Iovem sentire deosque cunctos
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.

73. *Hoc* Iahn etiam in tertia Ed.; videtur error typograph. — 75. *Phoebo* Cod. (?) Barthii Adverss. 38, 18.

73–76. *Haec*] «quae precati sumus quaeque ut exaudiantur a dis immortalibus, ex animi nostri sententia optamus.» — *sentire*] «hanc eandem voluntatem esse deorum adeoque fore, ut nostras preces benigne exaudiant.» — *deosque cunctos*] Religiosa hac formula eos etiam complectitur, qui per carmen ipsum non erant implorati, ut Iuno, Minerva, Neptunus, Mars. Possis comparare iam Homericum illud Od. ι, 479: τῷ σε Ζεὺς τίσατο καὶ θεοὶ ἄλλοι. — *Doctus*] «edoctus a poëta.» Od. 4, 6, 43: (chorus) *docilis modorum Vatis Horati*. — *Phoebi - et Dianae Dicere laudes*] Recte se habent genitivi. Virg. Ecl. 6, 6: *qui dicere laudes, Vare, tuas cupiant*. Dativus est apud Tibull. 4, 3, 34: *Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia*.

EXCURSUS

Ad v. 1.

«Fuit apud Graecos volgata (?) atque a philosophis Platonicis Stoicisque maxime exculta opinio de magno anno mundano, tum demum impleto, cum omnia sidera in ortus suos redirent et omnium rerum ἀνακύκλωσις et ἀποκατάστασις futura esset. (Macrob. in Somn. Scip. 2, 17.) Eadem fama etiam inter Etruscos et Romanos fuit, ubi in libris ritualibus Etruscorum et Romanorum libris Sibyllinis ille annus in decem menses magnos sive secula divisus, neque tamen eorum mensium longitudo et exitus certis finibus circumscriptus erat, sed portentis divinitus missis indici credebatur. (Servius et Voss ad Virg. Ecl. 4, 4. Censorin. de die nat. 17. et 18.) Unde etiam ludi seculares apud Romanos diversis intervallis instituti sunt. (Censor. l. l.) In libris Sibyllinis praeterea scriptum erat, quis quoque mense imperaret deus. Primo mensi Saturnus praeerat, ultimus Soli sive Apollini tribuebatur. (Nigidius apud Serv. ad Ecl. 4, 10.) Apollinem praecessisse videtur Diana, cui etiam in civili anno mensis November sacer erat. Quamobrem in Horatii carmine seculari Apollo et Diana prae ceteris dis celebrati sunt. Romani vero hoc ipso tempore seculo decimo se vivere putaverunt. Etenim cum post mortem C. Iulii Caesaris stella crinita apparuisset, Volcatius haruspex hunc cometam significare exitum seculi noni et ingressum decimi in contione dixit. (Serv. ad Ecl. 9, 47.)» Iahn ad Virg. Ecl. 4, 10.

Q. HORATII FLACCI

EPODON

LIBER.

PROLEGOMENA.

«Quantum ex iis, quae ad nos pervenerunt, reliquiis iudicari potest, antiquissima Graecorum carmina ex versibus unius generis, iisque non nexis constiterunt. Sed cum poësis ex epici carminis magnitudine et gravitate ad breviora et tenuiora argumenta transferretur, numeros quoque apta aliqua complexione concludi oportebat. Ita inventi sunt epodi, quorum antiquissimum genus versui heroico subiectum habuit pentametrum ex duabus heroici partibus factum; eaque consociatio nomen nacta est carminis elegiaci. Excoluit hanc epodorum rationem maxime Archilochus, nunc duos simplices versus consocians, ut: *Πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε; Τίς σὰς παρήειρε φρένας*; nunc priorem ponens asynartetum, ut: *Τοῖος γὰρ φιλότητος ἵμερος ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς Πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευεν*, nunc posteriorem, ut est in hoc Horatii (Epod. 13.): *Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres Nivesque deducunt Iovem; nunc mare nunc siluae*, nunc utrumque, si quidem id iam Archilochus, et non alii post eum instituerunt. Ita in hoc Simonidis: *Πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμαντίδος ἐν χοροῖσιν Ὧραι Ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις*. Et ut minor versus praecederet, qui proodi potius vocantur, Epod. 11: *Petti, nihil me sicut antea iuvat Scribere versiculos, amore percussum gravi.*» HERMANNUS Elem. doctr. metr. p. 670.

Maxima pars horum Epodorum referri debet ad genus illud, de quo ipse dixit Epp. 1, 19, 23: *Parios ego primus iambos Ostendi Latio numeros animosque secutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.* Compositi autem sunt inde ab a. u. c. 713. (Epod 16.) usque ad a. u. c. 724. (Ep. 2. 17. Franke p. 234.) Ex verbis Epp. 1, 19, 23. patet has eclogas satis mature ab ipso poëta editas, non demum post eius mortem a grammatico aliquo collectas esse, ut quidam rati sunt; nam quod dicunt nonnulla carmina liberioris spiritus (Ep. 7. et 16.) ac vel ipsum Carmen 9. propter nimiam M. Antonii vituperationem (cfr. ad Od. 1, 37.) displicere debuisse Augusto et Maecenati, non est profecto cur

praeferamus expresso poëtae testimonio, nec tam angusti ac pusilli animi fuit Augustus, qui carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum sapienter tolerabat (Tacit. Ann. 4, 34.), ut propter tria liberiora carmina totum hunc librum, sat multas ipsius laudes continentem, celatum cuperet, cum id fieri omnino nequiret; quicunque enim volebat, exempla Epodon a poëta ipso atque tot eius amicis parare sibi facili opera poterat.

CARMEN I.

Ibis Liburnis inter alta navium,

I. Inscr. volg. *Ad Maecenatem*, et sic BT. — Om. omnes inscriptiones S, item b, excepto Epodo 17. — Huius carminis octo tantum vv. in B leguntur.

I. Sane cum hoc carmen composuit, constitutum erat, ut Maecenas Octavianum in bellum adversus M. Antonium comitaretur, quod tamen consilium postea mutatum esse Maecenatemque Romae mansisse, ut urbanis negotiis praeesset ac seditiones fortasse orituras mature opprimeret, sat idoneis argumentis demonstravit Massonus in Vita Hor. pag. 143. (Tempore belli Actiaci Romae et Italiae praepositus *absentis partibus Caesaris* functus est, ut ait Seneca Ep. 114, 6. et Dio 54, 3: *Μαικήνου, ᾧ καὶ τότε ἥ τε Ῥώμη καὶ ἡ λοιπὴ Ἰταλία προσετέταχτο.* Exigua autem aut nulla est in hac re auctoritas Scriptoris Eleg. in ob. Maec. 45: *Cum freta Niliacae texerunt lata carinae, Fortis erat circum, fortis et ante ducem.* Nam facile tali exaggeratione uti poterat, qui diu post Maecenatis obitum (a. u. 746.) scripsit. Maecenatem Liburnis praefuisse et Horatium illo agente ab Octaviano obtinuisse militiae vacationem item Scholiastarum sunt mera somnia. «Cum Caesar et milites omnes et vero etiam senatores et *equestris* dignitatis viros Brundisium evocasset, *τοὺς μέν, ὅπως τι συμπράξωσιν αὐτῷ, τοὺς δ', ὅπως μηδὲν μονωθέντες νεοχμώσωσι, τό τε μέγιστον, ὅπως ἐνδείξηται τοῖς ἀνθρώποις, ὅτι καὶ τὸ πλεῖστον καὶ τὸ κράτιστον τῶν Ῥωμαίων ὁμογνωμονοῦν ἔχοι* (Dio 50, 11.). etiam Maecenas (per aliquod tempus) eo se contulisse videtur.» Franke. (a. u. c. 723., quo anno pugna Actiaca pugnata est IV. Non. Sept. Vid. Kal. Amit. Inscr. m. L. II. p. 398. Cfr. Frandsen *Maecenas* p. 37.)

1-4. *Ibis*] Tota propositio, ut et v. 11. *Feremus - - pectore*, non est interrogatio (ut in Edd. nonnullis), sed affirmatio. «Caesaris navibus Liburnis (Od. 1, 37, 30.), quae celerrimae quidem, sed triremibus multo humiliores sunt, ibis inter ingentes illas triremes Antonii, cum hoc depugnaturus.» (Minus recte nuper quidam *alta - - propugnacula* de Caesaris classe rursus cum antiquioribus aliquot interpretibus exposuit.) — Actiaco proelio Liburnarum auxilio praecipue victus est Antonius. Veget. de Re mil. 5, 3. Ed. Bip. — *propugnacula*] Plin. H. N. 32, 1: *Armatae classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur velut e muris.* Τελλίνους πύργους Antonii naves ha-

Amice, propugnacula,
Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo.
Quid nos, quibus te vita si superstite
Iucunda, si contra, gravis?
Utrumne iussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul,
An hunc laborem mente laturi, decet

3. *Caesari* - - *tuo* Bothe et HP. — 4. *tui* Wakefield. (Firmant *tuo* BbSTcd.) — 5. *vita* (om. *si*) bSc, *vita sit* Aldus, LCt. *(vita si* BT, *βγξω*, pr. *κλ*, novem Pottierii. In d a pr. manu incertum, utrum *vita si*, an *vita sit*; a sec. verbum inter *vita* et *superstite* erasum est.) — 6. *Iocunda* Td.

bebant teste Plut. in Ant. 66. et Dione 50, 23. De iisdem Virg. Aen. 8, 694: *pelago credas innare revolsas Cycladas aut montes concurrere montibus altos; Tanta mole viri turritis puppibus instant.* Dio 50, 18. Antonius ad milites: *Ὁρᾶτε γάρ που καὶ αὐτοὶ καὶ τὸ μέγεθος καὶ τὸ πάχος τῶν ἡμετέρων σκαφῶν.* Flor. 4, 11, 5: Augusto *quadringentae amplius naves, ducentae non minus* Antonii; *sed numerum magnitudo pensabat, quippe a senis in novenos remorum ordinibus* (immo *δεκήρους* memorant Plut. Ant. 64. Dio 50, 23.), *ad hoc turribus atque tabulatis allevatae castellorum et urbium specie non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur*; sed utroque scriptore teste ipsa illa navium moles exitio deinde fuit Antonio, Octaviani contra naves «*μικρότεραι καὶ ταχύτεραι.*» Dio 50, 32. — *Subire*] «excipere cum tuo periculo.» — *tuo*] Wakefield proposuit *tui*, ut Propert. ad Maecenatem 2, 1, 25: *Bellaque resque tui memorarem Caesaris* cet. Sed lectionem *tuo* firmat etiam Mar. Victorinus p. 188. Gaisf.

5. 6. *Quid nos*] capiemus consilii? — *te vita si superstite*] Propter sequens *si* duplicem constructionem miscuit: «si superstes mihi eris» et: «te superstite.» Sic enim malim expedire quam cum aliis: «si te superstite (vita) sit s. vivatur.» (Audiatur tamen etiam Herbst, qui lectionem *vita sit* amplectitur, *Lectt. Venus.* I. p. 20: «Altera lectio *(vita si)* unde nata sit, dubium esse non potest. Non videbant librarii *te superstite* idem esse ac si legeretur: *si sis superstes*, quumque semel *sit* in *si*, quod sequentia vv. *si contra* postulare viderentur, mutassent, non sane mirum est criticis tam perplexam orationem potuisse probari, quippe qui, ut quaeque lectio maxime a simplicitate recedit, ita eam arripere soleant cupidissime.») — *si contra*] Particula *sin* nusquam usus est Horatius. Ad sententiam confer Od. 2, 17, 5–9. Teneros huiusmodi amicos vocabant *συναποθνήσκοντας*, *commorientes*.

7–13. *Utrumne*] Cfr. Hand Turs. IV. p. 80. — *iussi*] «Utrum ego, quem tu remanere in Italia iubes, cessabo in otio (quod alioqui poëtae gratissimum est), an huńc militiae laborem feram ea mente, qua virum fortem decet?» — *persequemur*] Sic Cic. Off. 3, 1: *otium persequimur*. — *laturi*] Eadem ellipsi v. substantivi, qua Ennius in

Qua ferre non molles viros? 10
Feremus et te vel per Alpium iuga
Inhospitalem et Caucasum
Vel Occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuvem meo, 15
Imbellis ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet;

10. *Quem* bcd et plerique Pottierii, item Aldus. *(Qua* BST et Pottierii 1, 3, 7.) — 12. *et* om. d. — 15. *laborem* T et Pottierii omnes. — 16. *Imbellis* T. — 17. *sim* auctore N. Heinsio Bentleius. — 18. *absentis* S. — Deficit in v. 18. Cod. Turic. usque ad Epod. 9, 37.

Andromacha apud Cic. Tusc. 1, 44: *Vidi, videre quod me passa aegerrume.* — *Inhospitalem - Caucasum*] ut Od. 1, 22, 6. Seneca Thyest. 1049: *inhospitalis Caucasi rupem asperam — sinum*] Oceani, ad Hispaniae oram ultimam. Schol. Cfr. Od. 2, 6, 1: *Septimi Gades aditure mecum.* Virgil. Ge. 2, 123: *Extremi sinus orbis.*

15-18. *Roges*] «Ex me quaeres fortasse.» — *Imbellis*] Od. 2, 6, 7: *lasso maris et viarum Militiaeque.* — *firmus parum*] ad valetudinem pertinet, qua non optima utebatur. — *minore sum*] Certo atque obfirmato animo respondet superiori, quam exspectat, interrogationi, quocirca indicativo utitur, non Heinsii coniunctivo. — *habet*] «tenet, occupat.»

19-22. *Ut assidens*] Aeschyl. Sept. adv. Theb. 291. D.: *Δράκοντας ὥς τις τέκνων Ὑπερδέδοικεν λεχαίων δυσευνάτορας Πάντροφος πελειάς.* Atque de palumbo hic cogitare licet, ut gratior fiat imago. Alii de hirundine exposuerunt, haud memores has in tectis, turribus, rupibus praeruptis nidificare solere, quos in locos serpentes allabi vix possunt. Ad totam autem imaginem cfr. Moschi Id. δ, 21 sq. praesertim v. 25: *(ἡ ὄρνις) Οὐδ' ἄρ' ἔχει τέκνοισιν ἐπαρκέσαι.* — «Ut avis eo tempore, quo fovet implumes pullos, his relictis, id est, cum eos escae petendae causa reliquit, magis timet serpentium impetus in nidum suum.» Statim autem sequitur comparatio v. *magis* significata; nimirum volgaris ratio cum fuisset: «timet magis pullis relictis quam cum praesens est in nido»; hanc praetulit: «etsi, licet adsit, non plus auxilii illis est latura», pro quo pronomine non sine vi posuit *praesentibus*, «qui circa eam versantur»: qua ratione mutua caritas matris et pullorum optime exprimitur. Ac similia, quos pleonasmos olim vocabant, habebat consuetudo Latina: Plaut. Pseud. 4, 7, 43: *te ipsus coram praesens praesentem videt.* Terent. Adelph. 3, 3, 39: *Nos quia ades praesens, dico hoc.* Ib. 4, 5, 34: *Cum hanc sibi videbit*

Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet
Magis relictis, non, ut adsit, auxili
Latura plus praesentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae,
Non ut iuvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea,

21. *ut adsit, auxili* BSd, Bland. tres, Pott. 1, 3, 7, 9, 7., Aldus, LCtF: *ut sit* (superscr. *as*) b, *ut sit* c, Pott. plerique, *uti sit auxili* Blandin. vetustiss., unus Pulmanni, aliquot Lamb., Bentleius, *uti sit, auxili* M. (Ut nos, J.) — 26. *meis* Bbcd, Bentleii plerique, LCtJ. (Ut nos, S, χ, var. lect. ω, Pottierii 13, 16.)

praesens praesenti eripi. — allapsus] *lapsus* serpentum est Virg. Aen. 2, 225. Optime παραφράζει Silius 12, 56: *tacito si ad culmina nisu Evasit serpens.* — *ut adsit*] «licet praesens sit;» uti omissis vv. *ut adsit* haec sententia exprimi poterat: *non a. l. pl. praesens praesentibus.* Non vero, ut alii: «quamvis parata sit ad ferendam opem.» Codd. autem auctoritas satis firmat lect. *ut adsit*, cum vitiosum sit aliorum *ut sit*, cuius correctio parum felix videtur *uti sit*; peior etiam interpretatio: «non quasi optet adesse pullis, ut plus auxilii eis ferat.» Video etiam distingui: *uti sit, auxili Latura*, cum Bentleius coniunxisset: *uti sit latura plus auxili.* Illi ergo volebant: *ut sit praesens in nido*; verum ut ita explicemus, haec quidem verba per se non concedunt, sed requiritur *ut adsit.*

23-26. *Libenter*] «Totius huius belli laborem adibo, nullo abs te praemio exspectato, sed tuae erga me benevolentiae spe ac studio ductus.» — *militabitur Bellum*] «a me»; nove dictum, Schol. — *Non ut* cet.] «Non ut plus quam ante agri possideam.» «Errant, qui ista munificentiae Maecenatianae faciunt, quae Augusti essent.» Mitsch. Certe tamen per Maecenatem ea militiae praemia ab Octaviano accepisset. — *nitantur*] «incumbant in terram proscindendam in arvo gravi et pingui, adeoque fertili.» Aratris nisus poëtice tribuitur, qui proprie boum est. — *pluribus*] Varro R. R. 1, 19: *Si Saserna dicit verum, ad centum iugera iugum opus est, si Cato, ad octogena.* — *mea*] Melius sic legitur cum Cod. Sangall. sec. X., ut v. *aratra* habeat hoc attributum. Alteram lectionem *iuvencis - pluribus - - meis* Bentleius «pravam et luxatam collocationem verborum» merito vocat. Nuper quidem Regel et Monich *meis* defendere conati sunt, non tamen ut mihi hoc melius esse persuaserint; nam *iuvenci plures - mei* inconditi atque inconcinni nescio quid habet, et v. *aratra* sine ullo ἐπιθέτῳ languet. Quamquam pro hac lectione afferri posset Ep. 2, 3: *Paterna rura bobus exercet suis.*

Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascuis,
Neque ut superni villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia. 30

28. *pascula* B, *pascua* d, *βλω*, Pott. duo, LCt. (Ut nos, bSc, omnes Blandinii, *βx* «cum aliis quinque.») — 29. *Nec* bd,LCtF. — *supini* Bentl. coni. ab ipso recepta, *superbi* Markland.

27. 28. *Pecusve Calabris* cet.] «ut numerosi mihi sint greges variisque in regionibus ampla pascua, ita ut, quemadmodum faciunt divites, aestate oves meae e Calabria in Lucaniam minus aestuosam agantur. Varro R. R. 2, 1, 16: *greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium aestivatum.* Ibid. 2, 2, 9: *mihi greges in Apulia hibernabant, qui in Reatinis montibus aestivabant.* (Cfr. etiam Epist. 2, 2, 177: *Calabris Saltibus adiecti Lucani.)* Pulchre de beatis his Italiae tractibus Rehfues *Neue Medea* II. S. 264: *Die fettesten Weidetriften laufen an den mäandrischen Bächen hin und bedecken die offenen Höhen zwischen den Urforsten. Die üppigste Vegetation lacht über Berg und Thal und wuchert selbst an den gewaltigen Felsmassen empor, auf die sich jene Triften häufig abschneiden. — ante sidus fervidum*] «ante Caniculae ortum.» — De constructione v. *mutare* cfr. Od. 1, 17, 2. et Sat. 2, 7, 110. — *pascuis*] Haec lectio non solum firmatur a multis et praestantibus Codd., sed facilius etiam nomen accommodari poterat ad propinquius adiect. *Lucana* quam contra. «Nos ideo *pascuis* praeferimus, ne in tribus continuis epodis eadem exeat terminatio.» Bentl.

29. 30. *superni*] Vetus Tusculum (anno Chr. 1191. a Romanis dirutum) in monte supremo conditum erat, hodiernum sive *Frascati* in clivo leniter assurgente. (Antiquum Tusculum situm erat, ubi nunc *la villa della Rufinella.* Raoul Rochette *Journal des savants* 1848. p. 19.) — Utique Od. 3, 4, 23. est *Tibur supinum*; verum propterea non idem *ἐπίδοτον* hic quoque poëtae erat obtrudendum. Tusculum autem *supernum* est pars superior clivi Tusculani propius oppidum. Cic. de Legg. 3, 13: L. Lucullus, *obiecta magnificentia villae Tusculanae,* respondit *duo se habere vicinos, superiorem, equitem Romanum, inferiorem, libertinum* cet. — *Tusculi Circaea - moenia*] Tusculum a Telegono Ulixis ex Circa filio conditum ferebant; unde Od. 3, 29, 8: *Telegoni iuga parricidae,* ubi vide adnot. Construe: *Non, ut villa candens tangat moenia Circaea Tusculi superni,* id est: «non opto, ut villa mihi obtingat marmorea et magnifice exstructa prope ipsum Tusculum.» Videlicet longe pretiosiores magisque appetitae erant villae amoenum illud oppidum proxime attingentes quam remotiores. Sic minime eandem sententiam (v. 25.) repetit, «non opto, ut mihi donetur praedium quam amplissimum et fertilissimum»; sed adiungit: «nec vero villae amoenae cupidus sum.» Loquitur ergo de villa, ut ita dicam, ficta, quam *φαντασίᾳ* concipit: neque vero se non optare dicit, «ut Sabinum suum XV. mil. pass. a Tusculo distans, villâ a novo e marmore constructâ» (Inscr. m. Lat. N. 13. et 1303.), «usque ad huius muros extendatur praediis

Satis superque me benignitas tua
Ditavit: haud paravero,
Quod aut avarus ut Chremes terra premam,
Discinctus aut perdam nepos.

34. *perdam ut nepos* bScd,LCt, Bentleius, F.

intermediis eidem adiectis», quod optatum profecto nimis absurdum fuisset; minus etiam loquitur «de Luculli Tusculano aut de villa inde a Tusculo usque ad Circeios, Latii oppidum, continuo tractu pertinente»; quae aliorum interpretum sunt opiniones. Tres igitur res primarias inter locupletium possessiones enumerat, latifundia agri, pascua, villam amoeno situ magnifice exstructam. — *tangat*] Inscriptio a Fea ex Grut. 879, 4. adscripta subditicia est.

31. 32. *Satis superque*] Epod. 17, 19: *Dedi satis superque poenarum tibi.* Ad sententiam cf. Od. 2, 18, 12: *nec potentem amicum Largiora flagito, Satis beatus unicis Sabinis.* Od. 3, 16, 38: *Nec si plura velim, tu dare deneges.* (Sat. 2, 6, 1.) — *Verba animi*, ut Iuvenalis ait, *profert* simplicissima et ad pedestrem orationem prope accedentia. Sic gratum animum verissime demonstrat nec tamen ad vilem adulationem descendit. Moneo, quia Gargallus festive subiecit: *Antoni gladios potuit contemnere, sic si Omnia dixisset.*

33. 34. *avarus ut Chremes*] Veteres Horatii interpretes non de Menandri, sed de Terentii Chremete verba faciunt, unde corrigendus Meineke ad Menandri Fr. p. 80. Ed. pr., ceteroqui probabiliter docens h. l. non cogitare Horatium de Menandri Thesauro, in quo senex thesaurum quidem in monumento occultarat, sed non avaritiae causa, verum ut filio prodigo patrimonii partem servaret. Contra in alia aliqua Menandri fabula δανειστὴς Χρέμης, πρεσβύτης φιλοκερδής (Alciphr. Epp. 3, 3.), avaritia impulsus thesaurum videtur defodisse. — *Discinctus*] «soluta, laxa veste indutus», ut solebant prodire homines molles ac luxu dissoluti. (Sat. 1, 2, 25.) Sic Sulla optimates saepius admonuit, ut Iulium Caesarem *male praecinctum puerum caverent.* Sueton. Iul. 45. — *perdam nepos*] Amplector lectionem Codicis antiquissimi B. Nam *ut* ab iis intrusum videtur, qui hic quoque, quemadmodum in praecedd. *ut Chremes*, comparationis particulam requirerent. Est autem potius: «*perdam, ἄσωτος ὤν.*» Ac similiter Epod. 2, 5. haud pauci Codd. ex gloss. exhibent: *Neque excitatur classico* ut *miles truci.* — *nepos*] *Muttersohn.* Voss. «NEPOS luxuriosus a Tuscis dicitur; vel NEPOTES sunt luxuriosae vitae homines appellati, quod non magis his res sua familiaris curae est, quam iis, quibus pater avusque vivunt.» FESTUS Mülleri pag. 165. Cfr. Müller *Etrusker* I. p. 277.

CARMEN II.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fenore,

II. Inscr. volg. *Alfius* vel *Oratio Alfii.* — *Vitam agricolarum summa tranquillitate rerum exornatam persequitur* B. — *Laudatio vitae rusticae* c. — 3. *bubus* Sd,L.

II. Inducit Alfium, feneratorem ditissimum (cuius mentionem facit etiam Columella 1, 7, 2: *Vel optima nomina non appellando fieri mala fenerator Alfius dixisse verissime fertur.*), optima fide praedicantem innumerabilia vitae rusticae gaudia ac delicias; optima, inquam, fide; nam in singulis quidem sententiis nulla inest εἰρωνεία, ut ratus est nonnemo partim propter v. 48., partim propter frugalitatis laudes vv. 49. usque ad v. 60., quas feneratori minus convenientes rebatur. (Id unum fortasse concedi poterat, blandam sane feneratori *ditis domus* v. 65. imaginem haud omnino εἰρωνείᾳ destitutam esse, etsi hoc quoque opulentiores quique rustici Romani libere ac sine avaritiae suspicione pronuntiare poterant.) Verum εἰρωνεία quattuor demum ultimis versiculis festive admodum et παρὰ προσδοκίαν prorumpit nosque docet in eo uno elaborasse Horatium, ut hominem vel etiamtunc viventem vel ex recentis memoriae recordatione omnibus satis notum ridiculum redderet. Etenim, cum iamiam in eo esset, ut tot tantasque voluptates facili opera sibi pararet, velut invitus, sed necessitudine quadam indolis suae coactus, illico ad pristinam lucri cupiditatem redit fenerator. «*Naturam expellas furca, tamen usque recurret.*» Audivi aliquando, qui epilogum illum a poëta additum aegre ferret, miro utique iudicio; nam eo resecto non haberemus nisi laudum vitae rusticae amplificationem rhetoricam, sine consilio ac fine decantatam, Vanierio ac Gessnero sane quam Horatio digniorem. — Imitatus esse hoc carmen videtur Martialis 3, 58. (Scriptum putat Grotefend a. u. 719., Franke a. u. c. 724. Lachmanni sententiam excerpsi in Excursu I.)

1–4. *negotiis*] «cunctis vitae urbanae molestiis», quibuscum comparatum gratissimum exsistit omne opus rusticum. — *prisca gens*] aurea illa aetas. — *Paterna rura*] «quae non emptionibus aucta sunt, sed a patre et maioribus hereditate *beato* illi tradita.» Sic apud Columellam Praef. 1, 13: Cincinnatus *ad quattuor iugerum avitum herediolum* (ex dictatura) rediit. — *exercet*] «subigit, arat, propriis tamen bobus, non aliunde conductis.» Virg. Ge. 1, 99: *Exercetque frequens tellurem atque imperat arvis.* Ib. 2, 356: *presso exer-*

Neque excitatur classico miles truci,
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium

5. *Nec* t. — 6. *Nec* bcd,t et Bentleius. — 9. *adultae v. propagini* Bothe. — Vv. 10, 13, 14. 11, 12, 15 cet. G. Fabricius 1571., H. Stephanus 1577., Cod. Altorf. (?), Mitscherlich, Doering. Sed librorum ordinem restituit Regel.

cere solum sub vomere. — *Solutus*] «qui neque dat neque accipit fenori.»

5-8. *Neque*] «Neque militat nec mercaturam exercet nec tamquam petitor, reus, advocatus, accusator forensia habet negotia, nec cum nullius sit cliens, mane patronum superbum salutare necesse habet.» — *excitatur*] «e somno ad pugnam, tubae *terribili sonitu.*» (Ennius.) Tibull. 1, 1, 4: *Martia cui somnos classica pulsa fugent.* — Ad totum locum cfr. Virg. Georg. 2, 493 sqq. Columella Praef. §. 7.

9. 10. *Ergo*] «Igitur, cum ab eiusmodi tricis liber sit, *maritat* arbores vitibus,» quod verbum rusticorum proprium est. Cf. Colum. 11, 2, 79. — Vitam rusticorum Italorum egregie describit Ovid. Fast. 4, 694 sqq. — *propagine*] vitis ramusculis in terram curvatis ac defixis; unde cum radicibus actis convaluissent, tertio anno *adultis* arbores maritabantur. — *Altas - populos*] Varro RR. 1, 8: *Ubi - natura humida, ibi altius vitis tollenda, quod in partu et alimonio vinum non ut in calice quaerit aquam, sed solem*; unde iam Cato praeceptum dedit: *Quam altissimam vineam facito. Albas*, quod aliis placet, vel propterea reliciendum, quod populus nigra minus densa folio, palmiti pluribus indurato annis, quem *draconem* vocabant, maritabatur. Plin. H. N. 17, 23, 35. «Populus *alta* pariter dicitur a Tibullo 1, 4, 30., *celsa* a Phaedro 3, 17, 4., *procerissima* Cic. de Legg. 1, 5.» Fea. Columella 5, 6, 4: *Vitem maxime populus videtur alere, deinde ulmus.*

11-14. Post Fabricium et Stephanum multi Edd., etiam Mitsch. et Doering, versuum ordinem contra Codd. ita inverterunt, ut est in Varr. Lect., quo vitium maritationem continuo exciperet insitionis simile opus. Sed non sine arte primum memorat vitium culturam, deinde otium domini suos greges per sinuosam convallem sparsos cum laetitia contemplantis, tum rursus gratum putationis et insitionis opus, quod quidem in mensem Martium incidebat, cum maritatio fieret mense Octobri; sic naturam ipsam secutus perpetuam ac propter hoc ipsum iucundam vitae rusticae varietatem pingit. «In verbis autem *Aut in reducta* nihil diutini operis est, sed brevis tantum intermissio et voluptas, prospectus armentorum pascentium, qui non modo inter maritationem et insitionem, sed etiam

Prospectat errantes greges,
Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores inserit,
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves;
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Auctumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pira,

13. *Inutilisque* B, *Inutilisve* Bentl. coni. — 18. *arvis* b, Pott. quattuor, LCt (non BScd, Bland. quattuor, *βγκ*). — 19. *Aut* d. — *pira* B aliique Codd.: pleraeque Edd. *pyra*.

in ipsis intervenire potest et solet.» BENTLEY. — *reducta valle*] Idem *ἐπίδεπον* Od. 1, 17, 17; fere ut nos *die anmuthige Windung des Thales*. — *falx (Hippe)* frondatorum, putatorum, non minus quam messorum *(secula, Sichel)*. — *Feliciores*] Fronto ad amic. 2, 6. p. 304. Rom.: *Leges pleraeque poena sanciunt, ne quis felicem arborem succidat. Quaenam est arboris felicitas? Rami fecundi et frugiferi, bacis et pomis onusti.*

15 - 20. *pressa*] mellatio; mel ex favis in saligneum qualum congestis expressum, eliquatum. Virg. Ge. 4, 140: *spumantia cogere pressis Mella favis*. Colum. 9, 15, 13: *Ubi liquatum mel* (e favis) *in subiectum alveum defluxit, transfertur in vasa fictilia*. Pallad. Iun. 7: *Mense Iunio alvearia castrabuntur - - matura ad mellis reditum*. — *infirmas*] «imbecillas.» Voss: *Bald übt er zarter Schäfchen Schur*. Ovid. Ib. 43: *Pax erit haec nobis, donec mihi vita manebit, Cum pecore infirmo quae solet esse lupis*. V. Exc. II. — *Vel cum*] Sic Epod. 12, 13: *Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis*. Sat. 2, 7, 95: *Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella*. Virg. Aen. 11, 406., ubi Turnus Drancae alia cum obiecisset, ita pergit: *Vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit Artificis scelus*, ad quem locum Wagner recte: «*Vel* sic usurpatum eam habet potestatem, ut transitum paret ad alia, *cum* respicit ad praegressa.» Haud recte Monich *vel* iunxit cum v. *libet* v. 23. — *Auctumnus*] quasi deus, ut Graecorum *ΟΠΩΡΑ*. Avellino *Bull*. III. p. 116. — *agris*] Aptius hoc quam aliorum *arvis*, cum *arvum* proprie sit, quod cuiusvis generis frumentum fert, *ager* contra locus in rure, qui qualicunque modo colitur, etiam arboribus et vitibus consitus, ut hic et Virg. Ge. 2, 4: *pater o Lenaee, - - tibi pampineo gravidus auctumno Floret ager*. De crebra utriusque voc. confusione cfr. Drakenb. ad Sil. Ital. 5, 260. — *gaudet - - decerpens*] ut Graeci, *ἥδεται δρέπων*. — *insitiva*] «ab ipso inserta.» — *Certantem - - purpurae*] «quae colore aemulatur purpuram.» Proprium vitium genus *purpureae* dicuntur Virg. Ge. 2, 95: *Purpureae preciaeque* cet., unde fluxit Scholion haud nimis appositum Comment. Cruq. ad h. l.: «Eae, quae preciae dicuntur.» Sed h. l. *γενικῶς* uvae cuiuslibet colorem comparat purpurae. Cfr. Od. 2, 5, 10 sqq.

Certantem et uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium!
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in silvis aves,

20. *purpura* Bland. quattuor. (Ut nos, nostri, Bentleii et Pottierii Codd.) — 21. *Quis* auctore Cuninghamio F. — 25. *rivis* Blandin. antiquiss., «Codd. nonnulli etiam antiquissimi» Bentleii, Pottierii undecim, Fea. *(Ripis* firmant quinque mei.)

et Ovid. Met. 8, 676: *Et de purpureis collectae vitibus uvae.* Cornelius Severus in libello de gen. nom. ed. Haupt pag. 94: . . . . *purpureis gemmavit pampinus uvis.* Nostro loco Codd. aliq. *purpura*; sed cfr. Od. 2, 6, 15. Ep. 11, 18. Sat. 2, 5, 19.

21-24. *Qua*] Magis poëtica ratio videtur, ut pron. relativum forma sua exteriore ad proximum tantum nomen referatur, quam ut amplectamur supervacaneam coniecturam *quis*. — *Priape*] Priap. 82, 4: *Assiduus custos ruris ut esse velis.* Priapus in Meyeri Anthol. L. N. 1698: *Mihi corolla picta vere ponitur, Mihi rubens arista sole fervido, Mihi virentę dulcis uva pampino, Mihi glauca duro oliva cocta frigore.* — *pater*] commune deorum ἐπίθετον. — *Silvane*] Virg. Aen. 8, 601: (Silvano) *Arvorum pecorisque deo*; h. l., ut alibi Terminus, est *tutor finium.* Vet. Auct. de Limit. p. 294. Goes.: *Omnis possessio tres Silvanos habet; unus dicitur domesticus, possessioni consecratus; alter dicitur agrestis, pastionibus consecratus; tertius dicitur orientalis, cui est in confinio lucus positus.* Inscriptt. m. Lat. 4643: *Silvane sacra semicluse fraxino Et huius alti summe custos hortuli.* — *antiqua*] et propterea patula atque umbrosa. — *tenaci*] «*im Boden festhaltend*»; «gramen adeo densum ac spissum, ut vix e solo evelli possit, ac propter hoc ipsum homini in eo iacenti mollius gratiusque cubile praebeat quam gramen rarum.» Aliter Dillenburger: «quod euntibus impedimentum est procedendi, quod pedes quasi tenet.» Miram Torrentii interpretationem: «quod recubantem virore suo oblectat et retinet;» optimam vocat Mohrus p. 36.

25. 26. *interim*] «dum stratus est in herba.» — *altis - ripis*] *Altae*, excelsae, ripae propter flores et virgulta, quibus vestitae sunt, etiam propter rupes prominentes nescio quid habent grati ad sensum amoenitatis; nihil contra tristius aspectu ripis fluminum marginibusque rivorum depressis, ulvosis ac paludosis. Et quam contorta praeterea est altera lectio *altis* (profundis) *rivis labuntur aquae*! — Exempla autem a Fea allata non probant, quod ille probatum ivit, *altos rivos* pro *rivis ab altis montibus defluentibus* dici posse. Codd. item auctoritas nostrae lect. favet. — *Queruntur*] Sic μύρεσθαι, μινυρίζειν, de avibus: «ita canunt, ut queri videantur, imprimis

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hibernus Iovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas,

27. *Frondesque* Markland. — 28. *invitat* C. — 29. *hiberni* B. — 31. *acris* BSc. — 32. *obstantis* BS.

lusciniae.» Cfr. Ovid. Am. 3, 1, 4: *Et latere ex omni dulce queruntur aves.* Virg. Ecl. 1, 59: *Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.*

27. 28. *Fontes lymphis manantibus* (ablat. instrum.) *obstrepunt* ibi iacenti. Ovid. ex Ponto 3, 1, 21: *Non avis obloquitur* (audituro). Alii explicant: «obstrepunt avibus;» sed haec quoque imago Italorum fortasse ac Propertii *φαντασίας* potius refert quam Horatianas. (Cfr. Tasso *Gerusalemme* 16, 12.) Marklandus denique ingeniose nec tamen probabiliter coniiciens *Frondesque* (nemorum) *obstrepunt lymphis manantibus* (dativ.) rivorum (v. 25.), eandem imaginem exhibet atque Propert. 4, 4, 4: *Multaque nativis obstrepit arbor aquis*; et Quintil. 10, 3, 24: *silvarum amoenitas et praeterlabentia flumina et inspirantes ramis arborum aurae volucrumque cantus*; constructio eadem Od. 4, 14, 48: *Obstrepit Oceanus Britannis.* — Hic igitur rivi *labuntur* celeri cursu, illic leniter scaturiunt murmurantque fontes. — *quod*] «id quod», «qui gratus susurrus (Virg. Culex 104: *susurrantis - - vada lymphae.*), quod murmur cet.» — *leves*] «securos ac suaves», ut Od. 2, 16, 15. Totum locum sic imitatus est Seneca Hippol. 509: - - *Hic aves querulae fremunt, Ramique ventis lene percussi tremunt Veteresque fagi. Iuvit aut amnis vagi Pressisse ripas, caespite aut nudo leves Duxisse somnos, sive fons largus citas Defundit undas, sive per flores novos Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.*

29-36. *tonantis*] Videtur *ἐπίθετον* ornans, ut *Tonans* et *Altitonans* apud Ovidium aliquoties absolute pro Iove; non ut tonitrua in transitu auctumni ad hiemem significet, ut est apud Aristoph. Fragm. 142. Dind. poët. scen. p. 136: *Καὶ ξυννένοφε καὶ χειμέρια βροντᾷ μάλ' εὖ.* — *annus hibernus Iovis*] «tempus anni hibernum ab Iove adductum.» Sic Virgil. Eclog. 3, 57: *formosissimus annus*, ver. Aen. 6, 311: *frigidus annus*, hiems. — *trudit*] vehementius aliquanto v. quam: «agit». — *multa cane*] In canibus venaticis poëtae amant genus femininum. Lucret. 1, 405: *canes ut montivagae.* Virg. Aen. 7, 493: *rabidae venantis Iuli - - canes.* — Ad usum v. *multus* cfr. Virg. Aen. 1, 334: *Multa tibi - - cadet hostia.* — *obstantes*] «ei loco, ubi transcursuri sunt apri, oppositas.» — *amite*] «furcula seu pertica aucupali.» Festus. *(Gabel.) Ancones* eosdem vocat Gratius 87. — *levi*] «levigato». Schol. — *rara*] Sic Virg. Aen. 4, 131: *Retia rara, plagae.* *Rara* propter maculas *(maglie, Maschen)* largiores quam sunt in reti-

Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,
Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
Iucunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?

35. *Pavidumve* Bentleius coni. — 36. Hic v. in B ultimus est. — 37. *malorum* pr. b, item Aldinae, Bothe. (Ut nos, BScd et corr. b.)

bus piscatoriis. Plagis autem et cassibus utebantur in aprorum, caprearum, cervorum venatione, retibus in avibus et piscibus capiendis. Martial. 3, 58, 28: *Aut impeditam cassibus refert damam.* — *dolos*] manifesto est appositio ad tensa *retia*, nec significat *escas*. Turdi *(tordi, e beccafichi)* etiamnunc sine ulla esca ab Italis huius aucupii perquam studiosis capiuntur illicibus *(civette)*, formidine *(logoro)*, retibus, laqueis. *Edaces* autem vocantur, quia semina atque imprimis iuniperi bacas continuo rostris appetunt. Martial. l. l. 26: *Sed tendit avidis rete subdolum turdis.* Palladius Decembri 6: *Tempore hoc per humiles silvas et bacis fecunda virgulta ad turdos et ceteras aves capiendas laqueos expedire conveniet. Hoc usque in Martium mensem tendetur aucupium.* — *advenam*] «e genere adventicio.» Varro R. R. 3, 5, 7. Plin. H. N. 10, 23, 30: *Cornelius Nepos - - cum scriberet turdos paullo ante coeptos saginari, addidit ciconias magis placere quam grues, cum haec nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse* (nunc Itali neutram attingunt). Ibid. 34: *E longinquo venire* (ciconias) *non dubium, eodem quo grues modo, illas hiemis, has aestatis advenas.* — Anapaesti duo *pavidumve - laqueo* et tribrachys *que lepo* ad celerem leporis cursum et volatum gruis imitandum consulto delecti videntur.

37. 38. *Quis non* cet.] «Quis non *malarum*, molestarum curarum ac sollicitudinum, quae feminarum amores comitantur, rus colens obliviscitur?» Inter amoris remedia vitam rusticam et venationem laudat etiam Ovidius R. A. vv. 169 sqq. Nulla prorsus inest difficultas neque in constructionis attractione *(τίς οὐ κακίστων, ἃς ἔρως ἀνίας ἔχει, λανθάνεται;* Sat. 1, 10, 16: *Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est.* Virgil. Aen. 8, 169.), neque in verbis ipsis. Illud potius concedi potest, hanc in feneratoris ore amorum mentionem ridiculi aliquid continere, etsi ipsis, quibus utitur vitae rusticae imaginibus Alfius virum robustum sese esse clare significat. Aldinam lectionem *malorum*, quae tamen antiquitus iam fautores habuisse videtur teste Cod. b. a pr. m., nisi tamen in hoc fuit error casu commissus matureque a correctore emendatus, nostris rursus temporibus patronum invenisse vix credibile videtur. Videlicet ita construxit: *quis inter haec non obliviscitur curas, quas amor malorum habet?* comparato Ovid. Met. 1, 140: *opes irritamenta malorum.* Sed *amorem malorum* hoc sensu dicere nunquam poterat Horatius. — *Haec inter*]

Quodsi pudica mulier in partem iuvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli,
Sacrum vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus laetum pecus
Distenta siccet ubera,

43. *Sacrum et vetustis* Cod. «Silvius» apud Cruq., sex Codd. ficti Valartii, Muretus, ex cuius Ed. Veneta apud Paulum Manutium 1559. recepere Zeune, Mitsch., Doering. (*et* eiecit huius nepos); *Sacrumque vetustis* Lambinus coni.

«inter haec venationis operisque rustici studia.»

39–42. Iam ab libertinarum amore, quem detestatur, transit ad coniugium sibi optandum. — *in partem*] «eam curarum domesticarum, quae ad strenuam mulierem proprie pertinent: *ἐν μέρει*.» Eurip. El. 74. Electra ad *αὐτουργόν*, cui in matrimonium data erat: *Δεῖ δή με κἀκέλευστον εἰς ὅσον σθένω Μόχθου 'πικουφίζουσαν, ὡς ῥᾷον φέρῃς, Συνεκκομίζειν σοὶ πόνους· ἄλις δ' ἔχεις Τἄξωθεν ἔργα· τἀν δόμοις δ' ἡμᾶς χρεὼν Ἐξευτρεπίζειν· εἰσιόντι δ' ἐργάτῃ Θύραθεν ἡδὺ τἄνδον εὑρίσκειν καλῶς.* — *Sabina*] «quales esse solent Sabinae severae (Od. 3, 6, 39.) et laborum quam maxime tolerantes aut similes his Apulae *ἡλιόκαυστοι*.» Duram antiquarum Sabinarum vitam describit Ovid. Med. Fac. 44. Stat. Silv. 5, 1, 122: *Velut Apula coniux Agricolae parci vel sole infecta Sabino, Quae videt emeriti iam prospectantibus astris Tempus adesse viri, propere mensasque torosque Instruit exspectatque sonum redeuntis aratri.* — *Pernicis*] pr. «qui facile per montes enititur, agilis, impiger.»

43. 44. *Sacrum vetustis*] Nonnulli de Mureti coni., Valart, ut ait homo intestabilis, e sex Codd.: *Sacrum et vetustis*; sed cum veris Codd. retinendum *ἀσύνδετον* idcirco, quod hic et in seqq. singillatim iam dicit, quomodo strenua coniux maritum iuvare soleat. — Simili modo erravit Lambinus *Sacrumque vetustis* edens, Turnebus v. 39. *iwans* proponens. — Super foco Laribus *sacro* arida ligna large reponit et cibis apparandis et siccando sudori, quemadmodum aestate faciunt Itali, et balneo faciendo (Tibull. 1, 10, 42: *Et calidam fesso comparat uxor aquam.*) paullo ante viri adventum. — *Lassi*] Lysias apud Rutil. Lup. 1, 21: *Rure rediens, iudices, homo maior natu, magno calore, vix sufferens viae molestiam, tamen his verbis egomet me consolor: Fer fortiter domum laborem; iam brevi domum venies exspectatus; excipiet te defatigatum diligens atque amans uxor; ea sedulo ac blande praeministrando detrahet languorem, et simul seniles nutriendo reparabit vires. Haec me in itinere recogitatio prope confectum confirmabat. Postea vero cum domum veni, nihil earum rerum inveni, sed po-*

Et horna dulci vina promens dolio
  Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuverint conchylia
  Magisve rhombus aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
  Hiems ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
  Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
  Oliva ramis arborum

52. *verrat* N. Heinsius. — 54. *Ionius* F.

tius bellum intestinum ab uxore contra me comparatum.

45-48. *cratibus*] σηκοῖς, e viminibus nexis; *caulas* quoque et *saepta* vocabant. Apul. Met. 4, 6: *Insurgit - - turris ardua, caulae firma solidis cratibus, ovili stabulatione commoda. — Distenta*] «*Und melkt die straffen Euter leer.*» Voss et Garve. — *horna*] «Ad vitae rusticae simplicitatem pertinet hornotinum vinum bibere.» Schol. — *dolio*] vinum doliare nondum in cados diffusum. Proculus ICtus 1, 15. de tritico, vino et oleo leg.: *In dolia vina ea mente coniicimus, ut ex his postea* (cum defaecata sint) *in amphoras et cados defundamus. — inemptas*] ut senex ille Virgilianus Ge. 4, 132: *seraque revertens Nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.*

49-52. *Lucrina*] optimi saporis (Plin. H. N. 9, 54.) ostrea e lacu Lucrino prope Baias Romam apportata. Martial. 13, 82: *Ostrea. Ebria Baiano veni modo concha Lucrino. — rhombus*] *turbot, Butte.* Sat. 1, 2, 116. 2, 8, 30. — *scarus*] «*sarget, Brasse.*» Sat. 2, 2, 22. — Ennius in Phageticis apud Apul. Apol. p. 489. Oud.: *Scarum praeterii, cerebrum prope Iovi' supremi.* Petron. 93: *Ultimis ab oris Attractus scarus. — intonata*] Sciebat post procellas plures capi solere scaros (Salust. Fragm. apud Schol. Iuven. 4, 4: *itaque tempestate vis piscium Ponto erupit.*); iam hoc poëtice ita expressit: «si tempestas procellosa cum tonitru in mare Ionicum et Orientale (*Eois fluctibus*, Syriae praesertim) immissa scaros ad hoc mare Tyrrhenum compellat.» Formam *intonata* ut singularem memorat Priscianus 9, 7. T. I. p. 455. Kr.

53-56. *Afra avis*] gallina Numidica, *Perlhuhn.* Columella R. R. 8, 2, 2: *Africana* (gallina) *est, quam plerique Numidicam dicunt, meleagridi similis.* Varro R. R. 3, 9, 18: *Gallinae Africanae sunt grandes, variae, gibberae, quas μελεαγρίδας appellant Graeci. - - Veneunt propter penuriam magno. — attagen*] *francolino, Birkhuhn* vel *Auerhahn* (Voss.), ut alii accuratius, *das rothe gehaubte Haselhuhn*, Graecis nostrae aetatis ταγενάρι. Noverat iam Hipponax Fr. 17. Schneidew.: *Οὐκ ἀτταγᾶς τε καὶ λαγὼς κατα-βρύχων.* Martial. 13, 64: *Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum. — pinguissimis*]

Aut herba lapathi prata amantis et gravi
Malvae salubres corpori,
Vel agna festis caesa Terminalibus
Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas ut iuvat pastas oves
Videre properantes domum,
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido,

Rami, quatenus bacas pingues ferunt, ipsi *pingues* dicuntur.

57-63. *lapathi*] λάπαθον, *Sauerampfer, rumex* Latinis dicitur. Lucilius apud Cic. de Finn. 2, 8, 24: *O lapathe, ut iactare necesse est, cognitu' quoi sis!* Sat. 2, 4, 29. — *gravi*] «aegro ex alvo adstricta.» — *Malvae*] Od. 1, 31, 16: *leves malvae.* — *salubres*] quia alvum molliunt. Celsus 2, 29: *alvum movent - - malvae, lapathum.* Martial. 10, 48, 7: *Exoneraturas ventrem mihi villica malvas Attulit.* — *Terminalibus*] VII. Kal. Mart. (23. Febr.) Ovid. Fast. 2, 655: *Spargitur et caesa communis Terminus agna, Nec queritur lactens cum sibi porca datur.* — *haedus ereptus*] Martial. 10, 48, 14. in frugalis coenae apparatu: *Haedus inhumani raptus ab ore lupi.* Sic de lucro quodammodo coenat, cum homines minus attenti ad rem haedos a lupis iam admorsos abiicere soleant. Quamquam opinio erat τὰ λυκόβρωτα πρόβατα τὸ κρέας γλυκύτατον παρέχειν. Plut. Sympos. 2, 9. — *vomerem inversum*] Virg. Ecl. 2, 66: *Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci.* Ovid. Fast. 5, 497: *Tempus erat, quo versa iugo referuntur aratra.* Proverbium erat: βοῒ λυθέντι ἔργον ἐπιτίθεται ὁ ζυγὸς καὶ τὰ σκεύη τῷ δυνατωτάτῳ. Eustath. in Od. λ, p. 1676.

65. 66. *Positos*] «discumbentes ad coenam.» — *ditis*] Tibull. 2, 1, 23: *Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni.* — *examen*] Orator de Harusp. resp. 12: *servorum examina,* imagine ab apibus repetita. — *Circum* cet.] quia focus in medio situs erat, non ad parietem. Colum. R. R. 11, 1, 19: *Consuescat (villicus) rusticos circa Larem domini focumque familiarem semper epulari.* Silius 7, 175: *et ritu pauperis aevi Ante focos mensae.* Plin. Hist. Nat. 28, 20: *focus Larium, quo familia convenit.* — *renidentes*] non «ab igne refulgentes», sed: «qui tersi sunt ac politi,» *reingebohnte* Voss. Ad vernas, ut volebat Rutgersius, v. *renidentes* vel propter positionem referri nequit. — Imitatus est nostrum locum Martialis 3, 58, 22: *Cinguni serenum lactei focum vernae Et larga festos lucet ad Lares silva.*

67 - 70. «Haec ubi secum locutus erat Alfius, debitoribus appellatis, ad Idus solvendam sibi curat omnem pecuniam fenori datam, qua iamiam emat praedia, sed rursus stimulatus avaritia, quaerit Kalendis proximis eandem fenori dare; adeo inconstans, ut post paucos dies consilium agriculturae in posterum exercendae prorsus abiiciat.» — *Alfius*] Apud Ciceronem est *C. Alfius,* et apud Sene-

Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!
Haec ubi locutus fenerator Alfius,
Iam iam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere.

67. *Alphius* bc,LCtF. *(Alfius* ceteri mei.) — 69. *relegit* bcd, Pott. quinque, Lt (non S, Bland. omnes, *βγκν)*. — 70. *Kalendis* scripsi cum bSc.

cam Controv. 1, 7. omnes scribunt *Alfius Flavus*, qui rhetor fuit; non, ut in Horatio plerique, *Alphius*, hybrida forma. — *redegit*] *redigere pecuniam* est recipere ad se pecuniam qualicunque modo licito vel ex rebus venditis (Cic. Divinat. 17: *deinde bona vendit, pecuniam redigit.)*, vel, ut hic et apud Cic. pro Rabir. Post. 13: pecunia *non redigeretur*, a debitoribus. Gronov. Obss. 1, 20. *Redegit* autem *Idibus* cum dicit, intelligamus necesse est prius appellatos esse debitores, ut eam ad diem solverent pecuniam mutuo sumptam. Ex compluribus vero locis merito colligimus, nisi forte in chirographo certa dies solvendae pecuniae constituta esset, in usu fuisse, ut pro feneratoris commoditate secundum debitorum appellationem pecuniae et Kalendis et Nonis et Idibus ab eo redigerentur. Cic. Verr. 1, 57: *Nemo Rabonio molestus est, neque Kal. Decembribus neque Nonis neque Idibus.* ad Att. 10, 5: Scripsit *diem pecuniae Idus Novembres esse.* ad Att. 14, 20: *Iam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus.* in Catil. 1, 6: *Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus sentio.* Sat. 1, 3, 87: *Qui nisi, cum tristes misero venere Kalendae, Mercedem aut nummos unde unde extricat* cet. Ovid. Rem. Am. 564. Martial. 8, 44, 11: *Centum explicentur paginae Kalendarum.* Plutarch. de vit. aer. al. 2: *(ἡ αὐτάρκεια) οὐδ' ἀναμνήσει τῶν καλανδῶν καὶ τῆς νουμηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν οὖσαν ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταὶ καὶ στύγιον.* — *Quaerit*] «circumspicit, apud quem denuo possit collocare nummos.» — *Kalendis*] «sequentibus». Schol. — *ponere*] Sic *τιθέναι* et *καταβάλλειν τὸ κεφάλαιον*, ut A. P. 421: *dives positis in fenore nummis.* Cic. Verr. 3, 70: *cum posita esset* pecunia *apud eas societates, unde erat attributa, binis centesimis feneratus est.* — Missas faciamus et falsas interpretationes, velut: «edixit debitoribus, cum Idus essent, pecuniam s. sortem cum usuris proximis Kalendis pernumerandam; eandem tamen, cum eae advenissent, iterum ponit fenori;» et lect. *relegit*, defensam quidem ab Heinsio Advers. p. 235. (qui exponit «recollegit», id quod repugnat consuetudini Latinae) et ab Oudendorpio ad Apul. Met. 6. p. 432.

EXCURSUS I.

AD EPOD. II.

EX

CAROLI LACHMANNI

AD C. FRANKIUM EPISTOLA.

«De epodo secundo videbaris mihi (p. 27. 124.) nescio qua sive iuvenili coniectandi intemperantia sive pravarum observationum contagione nimis subtiliter ignorabilia rimatus esse, ut postremo non quidem quid Iuppiter Iunoni in aurem, sed tamen quid inter se illi «consortes studii, pia turba poëtae» (Horatius, Virgilius, Tibullus) egissent, tibi videreris intelligere. Certe ego hebetior Virgilianorum carminum (Georg. 2, 458 seqq.) in illo epodo nullam litteram agnosco. Immo mihi nuper Gruppius in libro, quem de elegia Romana scripsit, (p. 392.) Tibulli quosdam versus cum Horatio comparavisse vel aptius ad persuadendum videtur; cum tamen certum sit Horatium in epodis ad Tibulli carmina respicere non potuisse, nisi in Tibullo meas, in Horatio tuas temporum rationes repudiemus. Ego hoc unum video, Horatio iambum Archilochi ante oculos fuisse, ad cuius exemplum hunc suum componeret. Illum, inquam, in quo Charonem fabrum loquentem induxit, cuius initium fuit *Οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει οὐδ' εἶλέ πώ με ζῆλος*. Sed nobis, quam bella quamve iocosa fuerit imitatio, vix suspicari licet, cum ne exitum quidem Archilochii carminis, cuius modi fuerit, divinare possimus. In hoc, si Aristotelem recte intelligo (Rhetor. 3, 17.), fuit *ψόγος ἄνευ ἀγροικίας*. Horatius suavitatem quaesivit et ridiculum; hoc quidem summe, cum feneratori adscribit haec, *quis non malarum, quas amor curas habet, haec inter obliviscitur?* sed sub risu iocoque latere amici (Virgilii) irrisionem cur suspicer?» — Marius Victorinus p. 188. Gaisf.: *Ex trimetro versu iambico epodum octosyllabum Archilochus commentus est: ut* Beatus ille, qui procul negotiis.

Amicissimus Halmius indicavit mihi locum utique persimilem ex Aristophanis *Νήσοις* Fr. 344. Dindorf P. Sc. pag. 146. (Comic. Frgm. Vol. II. p. 1108.), quem exscribere iuvat: *Ὦ μῶρε μῶρε, ταῦτα πάντ' ἐν τῇδ' ἔνι, Οἰκεῖν μὲν ἐν ἀγρῷ τοῦτον ἐν τῷ γηδίῳ Ἀπαλλαγέντα τῶν κατ' ἀγορὰν πραγμάτων, Κεκτημένον ζευγάριον οἰκεῖον βοοῖν Ἔπειτ' ἀκούειν προβατίων βληχωμένων, Τρυγός τε φωνὴν εἰς λεκάνην ὠθουμένης, Ὑψῳ δὲ Χρῆσθαι σπινιδίοις τε καὶ κίχλαις, Καὶ μὴ περιμένειν ἐξ ἀγορᾶς ἰχθύδια Τριταῖα πολυτίμητα βεβασανισμένα Ἐπ' ἰχθυοπώλου χειρὶ παρανομωτάτῃ*. Vix tamen adducor, ut vel Archilochi, quemadmodum ratus est Lachmannus, vel Comici imitationem consulto quaesitam in hoc Epodo agnoscam.

EXCURSUS II.

AD V. 16.

Acron: «*tondet*] quae in aestu velleribus premantur, aut relictas taedio.» Hinc Dillenburger interpretari mavolt: «*quae in aestu velleribus premuntur*», addens: «easque puto oves infirmas, quae vellerum longitudine et copia ne pedibus libere possint uti prohibentur»; quae quidem notio quomodo in simplici v. *infirmas* inesse possit, non satis perspicio. Mihi vero Acron hoc potius dicere voluisse videtur, quales oves Alfius tondendas sibi proponat, incredibile cum videretur, a domino ipso totum gregem tonderi. Ergo adiicit: oves (aliquot), quae in aestu velleribus (nimis) premantur, aut relictas (per casum qualemcunque) *lanitondio* (sic enim emendo corruptum v. *taedio*; utitur illa voce Comm. Cruq.) tondet (animi potius quam necessitatis causa). Explicat igitur Scholiasta potius v. *tondet oves* quam ἐπίθετον generale *infirmas*. — Ceterum vv. *aut relictas taedio* om. Ed. Veneta 1481.

CARMEN III.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis? 5

III. Inscr. volg. *Ad Maecenatem*, et sic Bc, addentes *Exsecratur allium.* — 3. *Edit* superscr. *a* b, *Edat* d et complures alii, etiam Pott., Aldus. (Ut nos, BSc, Bland. quattuor, Pott. septem.) — *alium* B. Vid. Schneider *Lat. Gr.* I. p. 408. Wagner *Orthogr. Vergil.* p. 446.

III. Iocosa exsecratio allii, quod ei inscienti Maecenas in olere incoctum apposuerat. Miros enim tunc cibos (Italorum *erbolati*) ex talibus conficiebant. Cic. ad. Fam. 7, 26: *fungos, helvellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius.* Alii cogitarunt de moreto, sed *priscus* is erat *cibus*, rusticorum imprimis. Vide Ovid. Fast. 4, 367 seqq. et quod Virgilio tribuitur *Moretum.* (Compositum videtur carmen, antequam Terentia Maecenati nupserat, a. u. c. 719. aut 720.)

1-5. *olim*] Cfr. Od. 4, 4, 5. — *guttur*] Od. 2, 13, 6. usurpavit volgatius *frangere cervicem* pro *strangulare.* — «*Edit* potius dicendum quam *edat.* Antiqui enim dicebant *edim, edis, edit* cet.» Acron Nannii. Sicque est etiam Sat. 2, 8, 90. Cic. ad Fam. 9, 20: *ne - - comedim*; et constanter apud Plautum. (V. Aulul. 3, 2, 16. Trinumm. 1, 2, 65. Ibid. 2, 4, 72. cet.) Perfectum esse nequit, cum sensus manifesto hic sit: «Hoc summum supplicium patiatur, ut allium esse debeat;» neutiquam vero: «Ideo quia edit allium eoque in furorem actus est, patrem iugulavit.» Simili exsecratione usus est Naevius apud Prisc. 6, 2. p. 225. Kr.: *Ut illum dii ferant, qui primum olitor cepam protulit!* — *messorum ilia*] «quae ferre possint tam dirum venenum.» Cfr. Virgilii Moretum et Ecl. 2, 10: *Thestylis et rapido fessis messoribus aestu Allia serpyllumque herbas contundit olentes.* Galenus Therap. 12, 8. allium vocat *τῶν ἀγροίκων θηριακήν.* — *praecordiis*] pro «intestinis». Cfr. Sat. 2, 4, 26. Seneca Ep. 95, 25: *garum - - non credis urere salsa tabe praecordia?*

6-8. *viperinus cruor*] praesens venenum, ut Od. 1, 8, 9. — *incoctus*] Sic Medea apud Ovid. Met. 7, 265: *Seminaque floresque et sucos incoquit acres.* — *malas*] Virg. Aen. 2, 471: *coluber mala* (venenosa) *gramina pastus.* — *Canidia*] saga, Horatii inimica. Cfr. Epod. 5. et 17. — *tractavit*] «apparavit et miscuit.» Sic Od. 2, 13, 8: *venena Colcha - - Tractavit.*

9-12. Insignem vim comicam in huiuscemodi carmine habent exempla ab heroibus repetita. — *Ut* cet.] «Posteaquam Medea Iasonis ceteris omnibus Argonautis pulchrioris for-

Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum iuga
Perunxit hoc Iasonem;
Hoc delibutis ulta donis pellicem
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor

6. *Non* b. — 8. *tentavit* unus Torrentii. (Ultimus huius carm. v. in B.)

ma capta est»; etenim sic construe, non vero: Iasonem *candidum mirata est praeter omnes Argonautas*. Sic Magnetes mirantur eum apud Pind. Pyth. 4, 87: *Οὔτι νου οὗτος Ἀπόλλων, οὐδὲ μὰν χαλκάρματός ἐστι πόσις Ἀφροδίτας* κτλ. Vide *Museo Gregoriano* T. LXXXII. — *ducem*] Plane singularis est fabula in vase picto *Mon. Inst. archeol.* II. T. 35., ubi Iason iamiam a dracone devoratus Minervae ope ex illius ventre extractus servatur, ut monstrum vincat. — *Ignota*] «iuga antea insueta tauris illis impositurum tali veneno perunxit, ne flammis, quas spirabant, laederetur taeterque allii odor monstra averteret.» Hoc cum dicit, iocabundus generatim significat, tantam vim magicam in allio inesse, ut nihil ei resistat, ne flammae quidem illae portentosae. Nequaquam autem distinguendum cum editore Leidensi: «*Ut - - mirata est ducem Ignota tauris illigaturum iuga; Perunxit hoc Iasonem*, ut pari amore flagraret, quo ipsa flagrabat.» — *Perunxit*] Quapropter postea ab Iasone prodita apud Ennium haec ei probra obiectat, servata a Charisio 4. p. 168. Lind., a Bothio praetermissa, haud improbabiliter sic restituta a Lindemanno: *Non commemoro, quod draconis taetri oppressi impetum; Non, quod domui vim taurorum et segetis armatae manus.*

13. 14. *Hoc delibutis - donis*] «palla et corona huiuscemodi medicamine perunctis.» — *pellicem*] «Glaucen, (alii Creusam appellant), Creontis, regis Corinthii, filiam, quam Iason in matrimonium ducturus erat, aeque acri veneno perdidit, atque est hoc, quod in intestinis meis saevire sentio.» Erat autem naphthas. Plin. H. N. 2, 105: *Ita fertur a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta.* — *Serpente*] «curru draconibus alatis iuncto, quem habuit ab avo Sole, per aërem avecta Athenas aufugit.» Cfr. Ep. 5, 63. — *alite*] ut Od. 4, 11, 26: *ales Pegasus*. Frequenter autem in vasis pictis conspiciuntur tales serpentes alati.

15-18. *siderum* cet.] «calor oppressit aridam Apuliam.» Virg. Ge. 2, 353: *hiulca siti findit Canis aestifer arva.* — *insedit*] «incubuit,» ut Seneca

Siticulosae Apuliae,
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At si quid unquam tale concupiveris,
Iocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

19. *quod si* S (non bcd). — 20. *Iocosa* Markland in Eur. Suppl. p. 258. — 21. *savio* superscr. *u* d, *suavio* LCt. (Ut nos, bSc.)

Oedip. 47: *Sed gravis et ater incubat terris vapor.* — *Siticulosae*] ut πολυδίψιον Ἄργος. — *munus*] vestis Nessi Centauri cruore tincta, a Deïanira Herculi coniugi Ioles amore capto funesto dono missa. Ovid. Met. 9, 130. — *humeris - Inarsit*] «humeris ardens inhaesit.» — *efficacis*] «difficillimis laboribus defuncti, δραστηρίου, thatkräftig.» Apul. Apol. p. 442: *Hercules lustrator orbis, purgator ferarum, gentium domitor.* Sic Maximus Tyr. D. 3, 7. Herculem vocat τὸν τῶν πολλῶν καὶ θαυμαστῶν πόνων ὁμιλητὴν καὶ ἀγωνιστὴν καὶ ἐθάδα, et similius etiam Diss. 21, 6. καθορθωτὴν ἔργων. Iulianus ad Themistium p. 264. ex Odyss. φ, 26: μεγάλων ἐπίστορα ἔργων, «αὐτουργότατον ἁπάντων γενόμενον.» Ad consuetudinem Latinam cfr. Caelium ad Cic. Fam. 8, 10, 3: *Nosti* Marcellum, *quam tardus et parum efficax sit.*

19-22. *concupiveris*] «Si tam detestabilis cibus unquam tibi rursus placuerit.» — *Iocose*] quatenus allio clam oblato amicum ludibundus deceperat. Hoc autem longe aptius toti carmini quam otiosum illud puellae ἐπίθετον *iocosa.* — *savio*] «amoris osculo». Schol. *savium, φίλημα ἑταιρικόν.* Philox. Rectior autem haec est scriptura quam altera *suavio.* Non enim deducitur a v. *suavis*, sed *savium* proprie est *labellum*, ut bis terve apud Plautum. Cfr. Iahn ad h. l. — *sponda cubet*] De venere a puella negata accipio, ut est apud Tibull. 1, 9, 56. in simili imprecatione: *Tecum interposita languida veste cubet.* Alii: «sese quam longissime a te removeat in lecti convivalis sponda.» Sane *cubare* etiam de convivis usurpatur. Cic. de Or. 2, 86: *quo eorum loco quisque cubuisset.* — Falso autem Acron *puellam* explicat de Terentia Maecenatis, id quod prope indecenter dictum foret de tam splendida matrona Romana, prius a Caesare Octaviano amata. (Sueton. Octav. 69.) Immo manifesto loquitur de ἑταίρᾳ, quacum consueverit potens amicus ante nuptias cum Terentia celebratas. Cfr. Franke F. H. p. 125.

CARMEN IV.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,

IV. Inscr. volg. *In Cnaeum Pompeium Menam* vel *In Menam libertum Pompeii Magni.* — *In Sextum Pompeium libertum* d. Ego inscripseram *In Vedium Rufum.* Vide Adnotatt.

IV. In Codicibus duobus Bern. B et c, in Bambergensi uno atque Oberlini B unoque item Feae, vel confusae sunt duae diversae inscriptiones vel ante syllabam *Ve* excidit *vel*: 1) *ad Sextum Menam, Pompeii libertum*; 2) *Vedium Rufum ex servitute miratur usurpasse equestrem dignitatem usque ad tribunatum militarem. (C. Vedius Rufus* est apud Murat. 2076, 10. Ergo hoc re vera Vediorum alicuius familiae fuit cognomen.) Mature sane interpretes cogitasse videntur alii de *Sex. Mena* (id est, Menodoro, ut *Apollos*, Apollodorus, *Lucas*, Lucanus), Sex. Pompeii liberto (Od. 3, 16, 15. Comment. Cruquii ad h. l.), alii de *Vedio* quodam *Rufo*, aliunde quidem haud noto, verum quae persona fingi omnino non potuit, atque vel idcirco verior videtur, quam Sex. Menas. Et hoc rectum puto, quo simul illa amovetur difficultas, quomodo *Menas*, dux classium Pompeianarum, v. 20. vocari potuerit *tribunus militum*. Atque haec videtur antiquissima *παράδοσις* primorum Horatii interpretum. (Acriter pro *Sex. Mena* pugnat Franke pag. 426., quem non sine fructu consules, ac fatendum est sane, v. *eques* v. 15. quadrare in istum Pompeii libertum, utpote quem Octavianus *ἐν τιμῇ μεγάλῃ ἤγαγε δακτυλίοις τε χρυσοῖς ἐκόσμησε καὶ ἐς τὸ τῶν ἱππέων τέλος ἐσέγραψεν.* Dio Cass. 48, 45. De tribunatu militum autem dubitare licet. Nunquam vero huiusmodi carmen in fictam personam scribi potuit, id quod nuper quidam contendere ausus est.) Compositum esse videtur a. u. 716. — Similem autem indignationem spirat Anacreontis illud Fragm. 19. Bergk. Schneidew. Del. 72. pag. 365: *Ξανθῇ δέ γ' Εὐρυπύλῃ μέλει Ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων - - Κιβδηλον εὑρίσκων βίον· Πολλὰ μὲν ἐν δουρὶ τιθεὶς αὐχένα, πολλὰ δ' ἐν τροχῷ, Πολλά δὲ νῶτον σκυτίνῃ μάστιγι θωμιχθείς, κόμην Πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος. Νῦν δ' ἐπιβαίνει σατινέων, χρύσεα φορέων καθέρματα Πάϊς Κύκης καὶ σκιαδίσκην ἐλεφαντίνην φορέει Γνναιξὶν αὖτως.*

1-4. *Lupis et agnis*] Est hoc fere proverbii loco iam apud Homerum. Iliad. χ, 263: *Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν, Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.* — *sortito*] «sorte sive lege atque instinctu naturae.» — *Hibericis*] e sparto *(Pfriemgras)* tortis, cuius magna est in Hispania copia. (Quintil. Inst. orat. 8, 2, 2: *ille, qui in actione Ibericas herbas se solo nequidquam intelligente dicebat, nisi irridens hanc vanitatem Cassius Severus spartum eum dicere velle indicasset.)* Ex hoc

Hibericis peruste funibus latus
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam
Cum bis trium ulnarum toga,

6. *mutet* superscr. *at* d. — 8. *bis trium* de coni. Barthii (Advv. 54, 26.) Bentleius, Meineke, Iahn: *bis ter* bSd cum Codd. antea notis, LCtF; verum in Codd. B et c est sic: *bis t. ulnarum.*

autem sparto, herba tenacissima, conficiebantur rudentes ac funes, quibus uti poterant ad castigandos classiarios, ut vitibus centuriones caedebant milites. — Lorarium, qui inibi est, ut funibus CONNEXIS verberet servum comicum, habes in *Mus. Borbon.* IV. T. 24. — *peruste*] de doloribus acribus flagellationis et compedum notisque lividis inde remanentibus. Epp. 1, 16, 47: *loris non ureris, aio.* Catull. 25, 11: *inusta - - flagella.* Nos alia metaphora *gerben*, Graeci *δέρειν*. — *dura*] Eodem *ἐπιθέτῳ* utitur Tibullus 1, 7, 42: *Crura licet dura compede pulsa sonent.* — «Qui habuisti crura excruciata compede» adnotans Comm. Cruq. recte dissolvit zeugma. — (De usu poëtico num. singularis *compedis, compedem, compede* v. Köne *Röm. Epiker* p. 140.)

5-8. *ambules*] de incessu superbo, ut Ep. 8, 14. Claud. in Eutr. 1, 306: *erecto pectore dives Ambulat.* Epod. 15, 18: *meo - Superbus incedis malo.* Lucian. Catapl. 16: *καὶ σεμνῶς προβαίνων καὶ ἑαυτὸν ἐξυπτιάζων.* — *genus*] h. l. sordes serviles. — *Sacram - - viam*] quae ad Capitolium ducit, otiosorum turba celeberrima. — *bis trium*] Cum inauditum sit et consuetudini Latinae prorsus contrarium *bis ter* pro *bis tres*, post Bentleium et Meinekium recepi Barthii coniecturam *bis trium*. Vitium inde ortum esse videtur, quod scribebant *bis III.*; per notam certe scriptum est in Codd. meis B et c: *bis. t.* cum lineola. Similes numerorum *παραφράσεις* poëticas *bis sex, ter quinquaginta, ter denos* cet. diligenter collegit Dillenburger p. 108. Verum nuper quidam, vel propter imperitiam vel per iocum, ita explicavit: «*bis ulnarum* significat latitudinem, *ter ulnarum* longitudinem.» Quod autem Porphyrion ad h. l., Schol. Persii 5, 14., Isidorus Origg. 19, 24, 4. uno ore tradunt mensuram togae iustae sex ulnarum fuisse, vide ne ex hoc ipso Horatii loco parum intellecto repetitum sit, cum manifesto hic designetur toga insolitae mensurae, quae propter longitudinem ad imos talos demissa *metiatur* viam, id est, eam semper tangat et radat. Ovid. Met. 9, 448. Lucan. 5, 556: *Instabili gressu metitur litora cornix.* — Solita autem ista fatuorum iactantia. Lucian. Demon. 44: *ἰδών τέ τινα τῶν εὐπαφύφων ἐπὶ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας μέγα φρονοῦντα κτλ.* Ceterum togae explicatae formam optime exhibet Dobrezy *Rome* I. p. 484. Tales homines in Catilinaria 2, 10. *velis amicti, non togis* vocantur.

9-12. *huc et huc*] «Poëtarum est, non prosae orationis.» HAND Turs. III. p. 106. — «Oculos avertunt (deiorquent) huc et illuc praetereun-

Ut ora vertat huc et huc euntium
  Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumviralibus
  Praeconis ad fastidium
Arat Falerni mille fundi iugera
  Et Appiam mannis terit,
Sedilibusque magnus in primis eques

tes, ne te immerito superbientem videant.» Sic Scholiastae. Minus apposite contrariam rationem alii sequuntur: «Omnes in te convertunt oculos ac liberrima cum indignatione in tuum fastum invehuntur.» — *Sectus - - militum?*] Verba sunt haec, in quae prorumpit populi liberrima indignatio. — *Sectus flagellis*] «caesus.» Tibull. 1, 9, 22: *intorto verbere terga seca.* Iuven. 10, 316: *secat ille cruentis Verberibus.* — *triumviralibus*] Triumviri capitales (Sallustio in Cat. 55: *vindices rerum capitalium*; quorum praecipuum munus sic definit Cicero de Legg. 3, 3: *VINCLA SONTIUM SERVANTO: CAPITALIA VINDICANTO.*) de delictis meretricum, maleficiis servorum aliorumque hominum humiliorum, imprimis peregrinorum, cognoscebant, noxiosque aut capite plectebant aut flagellari iubebant ad columnam Maeniam, ut certe narrat Pseudasconius p. 421. Ed. Bait. Sic sine dubio triumviri capitales executi sunt ea omnia, quae Cicero tradit de P. Dolabella Philipp. 1, 2. et ad Att. 14, 15. item Tacit. Ann. 2, 32. de mathematicis saxo deiectis. Cfr. Plaut. Asin. 1, 2, 5: *iam ex hoc loco Ibo ego ad Trisviros vostraque ibi nomina Faxo erunt: capitis te perdam ego et filiam.* — *Praeconis ad fastidium*] «usque ad satietatem praeconis, qui, dum a lictore flagellatur homo damnatus, altissima voce delictum eius rationemque poenae solebat proclamare.» Sic *Turinum, fumi venditorem* (hominem fallacem), Alexander Severus *fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necavit, praecone dicente: «Fumo punitur, qui vendidit fumum.»* Lamprid. Alex. Sev. 36. Plato Legg. 11. p. 917. D.: (fraudator) κατὰ δραχμὴν ἑκάστην τῇ μάστιγι τυπτέσθω πληγὰς ὑπὸ κήρυκος ἐν τῇ ἀγορᾷ κηρύξαντος ὧν ἕνεκα μέλλει τύπτεσθαι. Manifesto autem loquitur de tempore, quo homo iste, in quem invehitur, servitutem serviebat.

13–16. *Arat*] possidet. «Haec referenda sunt ad Italiae situm, ubi ligatis ad arbores vitibus omnes arantur vineae.» Schol. — *Falerni*] adeoque propter vina generosa optimi. — *Appiam*] «Crebro iter facit per viam Appiam ad inspectanda sua praedia.» — De *mannis* vide Od. 3, 27, 7. Lucr. 3, 1076: *Currit agens mannos ad villam hic praecipitanter*; velocissimus enim est eorum cursus. — *terit*] Voss.: *zermalmt.* Est potius: «frequentat». Virg. Ge. 1, 380: *Angustum formica terens iter.* Sic τρίβειν. Arat. 250: *Μεσσόθι δὲ τρίβει μέγαν οὐρανόν*, quod Cicero Arat. 2. vertit: *caeli mediam partem terit.* — *eques*] Nam inde a Caesaris tem-

Othone contempto sedet!
Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum
Hoc, hoc tribuno militum? 20

17. *ora*] *aera* malebat Bentleius.

poribus tribuni militum angusticlavii in ordinem equestrem adscribebantur. Cfr. Interpretes ad Iuven. 7, 89. Sueton. Oth. 10. Itaque hoc aeque valere poterat et de Vedio Rufo et de Mena. — *Othone contempto*] L. Roscius Otho trib. pl. a. u. c. 687. legem tulit, ne quis in quattuordecim gradibus orchestrae, in qua senatores sedebant, proximis sederet, nisi qui eques et equestri censu esset. Hoc ergo dicit: «Vedius per facinora sua adeo iam dives factus est, ut facile possit Othonem eiusque legem *contemnere*, id est, minime curare nec metuere, ne cognitione de suis fortunis instituta minus quam CCCC. milia H. S. possidere reperiatur.» «Contemnit sua cum lege Othonem, qui nihil contra illam admisit. Iuven. 10, 123. de Cicerone: *Antoni gladios potuit contemnere, si sic Omnia dixisset.* Tacit. Ann. 2, 34: *nec - Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone* (nihil eum curans) *vecta.*» Gesnerus. Aliam etiam eamque simpliciorem interpretationem verba *Othone contempto* admittunt, «*trotz dem Gesetz des Otho*», ubi (Iuvenale contempto 3, 152-159.) statueris, lege Roscia id quoque cautum fuisse, «ne in XIV. sederet, qui neque ingenuus neque civis esset Romanus, qui iudicio publico damnatus esset, cui apud exercitum ignominiae causa ordo ademptus esset, qui corpore quaestum lenociniumve quive lanistarum artemve ludicram faceret;» quae verba sunt Marquardtii *Hist. Equit. Rom.* p. 58. Cfr. Zumpt *über die Röm. Ritter. Berl. Abhandl.* 1839. pag. 95.

17-20. *ora - - Rostrata*] «rostra in navium proris.» Etsi sine exemplo dictum videtur, non tamen propterea mutandum cum Sanadono in *rostra - - Aerata* vel cum Bentleio in volgare illud *aera*: nec vero sine causa Bosius pag. 47. dubitat, num *aera rostrata* satis Latine dici possint, propterea quod *aes* pro ipso rostro ponatur, ut Aen. 1, 39: *spumas salis aere ruebant.* Cfr. Diod. Sic. 13, 80: τοῖς στόμασι τῶν ἐμβόλων. — *gravi - - pondere*] ob ipsam navium magnitudinem. — *latrones*] «Quid prodest armari classem ab Octaviano contra fugitivos, quos armavit Sex. Pompeius, si Vedius, olim servus ac latro, tribunus nunc factus est militum et classis praefectus?» Schol. Florus 4, 8, 2: (Sex. Pompeius) *O quam diversus a patre! Ille Cilicas exstinxerat: hic secum piratas navales agitabat.* Ac de eodem Lucan. 1, 43: *servilia bella sub Aetna.*

CARMEN V.

At, o deorum quidquid in caelo regit

V. Inscr. volg. *In Canidiam veneficam. — Puerum praetextatum defossum inducit a Canidia quo necato Alpho* (sic) *Varo daret potionem delinimentorum* b. — *In Gratidiam. Puerum - - necato Aleio* (sic; lege *Alfio* ex Oberlini B) *Varo daret potionem* c. — 1. *quidquid - - regis* bd, γχ, pr. βν, plures Pottierii, *quisquis - - regis* Diomedes p. 527. P., Prisciahus p. 1105. P., Aldus. (Ut nos, BSc, Blandinii omnes, Pottierii septem.)

V. Scena haec est: Immane scelus patraturae sagae puerum ingenuum, quem vel blanditiis a domo paterna seduxerant vel vi rapuerant, vivum in scrobe defodiunt, ut eius medulla et iecinore utantur ad philtra praeparanda. Ridiculum autem, quod senem tam perdite amat Canidia, ut horribile facinus ad eum sibi conciliandum facere non recuset. Eiusdemmodi sagae ac veneficae memorantur apud Tacitum *Locusta* et *Martina*, egregieque totum hoc feminarum genus descripsit Ovid. Am. 1, 8. Dipsadem quandam sagam nobis ante oculos ponens. Quid, quod idem crimen haeserat iam in Vatinio? Cic. Vat. 6: *cum inaudita ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis deos manes mactare soleas* cet. Singulari autem arte Horatius praestigias hasce magicas expressit et hic et Epod. 17. et Sat. 1, 8, 14 sqq., adeo ut recordemur Apuleiani illius in Apol. p. 504. Oud.: *Magia ista - - res est legibus delegata. - - Igitur et occulta non minus quam tetra et horribilis, plerumque noctibus vigilata et tenebris abstrusa et arbitris solitaria et carminibus murmurata.* — Propter v. 43. sceleris scenam Neapoli collocat Porphyrio; sed obstare videntur v. 58. *Suburanae canes.* — Ceterum praeter Theocriti et Virgilii φαρμακευτρίας cfr. etiam Luciani Dial. mer. 4., item de μαγγανείαις, καταδέσεσι, κηρίνοις μιμήμασι Plat. de Legg. XI. p. 933. Atque prorsus similis puero hic mactato est in Inscriptt. m. Lat. N. 2486. et Meyeri Anthol. Lat. N. 1253: *Iucundus Liviae Drusi Caesaris F. Gryphi et Vitalis: In quartum surgens comprensus deprimor annum, Cum possem matri dulcis et esse patri. Eripuit me saga manus crudelis ubique, Cum manet in terris et nocet arte sua. Vos vestros natos concustodite parentes, Ne dolor in toto pectore fixus eat*; unde colliges toti huic Epodo mirifice convenire cum superstitiosis seculi Augustei opinionibus. — Quae autem Mitscherlich in prooemio affert, exiguam habent veri speciem; etenim animi potius causa famosam magam exagitavit poëta, quam amicae olim superbae fastidia tum, cum vetula facta esset, ultum ivit. Cfr. ad Od. 1, 16. — Tametsi fuit re vera *Canidia* gens plebeia (cfr. nummum aevi Aug. apud Eckhel D. N. 5. p. 464. et Vell. Pat. 2, 85. ad Actium *in terra locatum exercitum Antonii regebat Canidius.*), Scholiastae ta-

Terras et humanum genus,
Quid iste fert tumultus? aut quid omnium
Voltus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris affuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
Per improbaturum haec Iovem,
Quid ut noverca me intueris aut uti

3. *aut quid* BSd, Oberlini B, Pottierii 1, 3, 11, 22., Aldinae: *et quid* bc, Bland. quattuor, LCt, Bentleius, FMJ.

men uno ore affirmant Canidiam hanc vero nomine fuisse Gratidiam Neapolitanam unguentariam (? cfr. vv. 59. 60.) et veneficam, a *canitie* sic ioci gratia appellatam. — («Hic epodus chorum ducit eorum carminum, in quibus Canidia sive Gratidia diffamata est. Cfr. Buttmann Mythol. I. p. 332.» FRANKE. Eidem scriptus videtur a. 717. vel 718., Grotefendio a. 714.

1. *At*] Hoc loco *at* abundare dicit Priscian. 17, 23., ad ornatum solum pertinere Servius ad Aen. 7, 363. Verum, ubi *at* sic orditur orationem, exprimit animi commoti impetum ac trepidationem, cum qui loquitur se subito in alio quam antea statu collocatum videt, atque dolorem et iram significat. Cfr. Hand Tursell. I. pag. 419. et 441. Sic etiam Graeci. Tyrtaeus 8. Schneidewin: Ἀλλ' Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ. Theognis 344: Ἀλλά, Ζεῦ, τέλεσόν μοι - - εὐχήν. — *quidquid*] Ovid. Met. 10, 18: *quidquid mortale creamur*. Hor. Sat. 1, 6, 1: *Lydorum quidquid Etruscos Incoluit fines*. Etiam in pedestri or. Liv. 2, 5: *quidquid deorum - - esset*. 23, 9. *iurantes per quidquid deorum est*. Diomedes p. 527. et Priscianus p. 1105. P. habent *quisquis - - regis*, Codd. etiam Horatii multi *quidquid - - regis*. Sed recte Bentleius: «*Regit* ab Horatio profectum est. Non enim puer ille deos hic precatur, sed Canidiam et socias alloquitur, neque vero invocatio deorum est, sed exclamatio dumtaxat, qualis ista *di boni, pro Iuppiter, di vestram fidem* cet.» Est simpliciter: «o di caelestes, rectores terrarum cet.»

3–5. *fert*] «novi affert, sibi volt; quorsum sic tumultuamini?» — *aut quid*] Haec lectio antiquissimorum Codd. BS auctoritate firmata melius exprimit turbatum pueri animum quam altera *et quid*. Sic prorsus Epod. 7, 1., ubi sine causa Cuninghamius voluit *et cur*. — *truces*] «quattuor sagarum voltus minitantur in me conversi.» — *te*] lam ad Canidiam, sagarum principem, sese confert.

6–10. *Lucina*] Cfr. Carm. sec. 15. Egregie iocatur in re atrocissima verbis ambiguis usus, quae in anxii pueri ore innocentissima videntur: «si reapse Lucina tuos partus iuvit, ut procul dubio iuvit;» ex poëtae sensu mordacissima sunt: «si unquam vere peperisti;» quo ipso significat Canidiam falsos sibi supposuisse partus. (Cfr. Epod. 17, 50.) — *purpurae decus*] togam praetextam,

Petita ferro belua?
Ut haec trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora,
Canidia, brevibus implicata viperis
Crines et incomptum caput,
Iubet sepulcris caprificos erutas,

11. *tremente* Bentl. (Ut nos, nostri et Pottierii omnes.) — 13. *posset*] *solet* B. — 15. *illigata* BS (non bcd).

quae tueri atque inviolabilem reddere debebat puerum Romanum. Quintil. Decl. 340: *Ego vobis allego etiam ipsum illud sacrum praetextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus; quo infirmitatem puritiae sacram facimus. ac venerabilem.* — *Inane* autem, «quatenus me non tutatur.» — *improbaturum*] Mollissimo verbo consulto utitur experturus, an sagae istae misericordia tangi queant, pro: «vindicaturum, puniturum.» — *noverca*] Seneca Excerpt. Controv. 4, 6: *Hic tuus est: quid alterum novercalibus odiis intueris?* Tac. Ann. 12, 2: coniunx *novercalibus odiis visura Britannicum et Octaviam.* — *Petita*] «iam telo confixa, saucia.»

11–14. *Insignibus raptis*] praetexta et bulla, de qua Cic. Verr. Accus. 1, 58: *Quod ornamentum pueritiae pater dederat, indicium atque insigne fortunae.* — *Impube corpus*] Est appositio v. *puer*: «cum nudus destitueretur a sagis, eumque nondum ad pubertatem pervenisse appareret (qui aspectus mollire posset immanes quoque barbaros), Canidia cet.» Nemo pro certo nunc non agnoscet protasin esse *Ut haec - - Thracum pectora*, apodosin autem *Canidia* cet., qua de re olim ambigebant.

15–18. *brevibus*] Eodem ἐπιθέτῳ utitur Ovid. A. A. 2, 376: *Nec brevis ignaro vipera laesa pede*, id est, *brevis* quidem, parva, sed eadem *venenata et pestifera*, quemadmodum eam vocat Orator de Harusp. resp. 24. — *implicata viperis Crines*] instar Furiarum, ut has magas vocat Sat. 1, 8, 45. Sic Erichtho illa Lucani 6, 654: *Discolor et vario furialis cultus amictu Induitur voltusque aperitur crine remoto Et coma vipereis substringitur horrida sertis.* — Memorabilis sane est lectio BS *illigata*, quam neque Gesnerus nec Fea memorat, neque in suis repperere Oberlinus et Pottierius. Est tamen e gloss. — *caprificos*] Caprificus nasci solet inter saxa et muros. Iuven. 10, 143: *laudis titulique cupido Haesuri saxis cinerum custodibus, ad quae Discutienda valent sterilis mala robora ficus.* Martial. 10, 2, 9: *Marmora Messalae findit caprificus.* H. l. caprifici natae in sepulchrorum parietibus imprimis efficaces sunt ad incantationes, quas praeparat saga. Sic Theocr. 5, 121: *Σκίλλας ἰὼν γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλοις.* — *erutas*] «multo cum labore effossas ex lapidibus, quibus firmiter retinebantur earum radices.» —

Iubet cupressus funebres
Et uncta turpis ova ranae sanguine
Plumamque nocturnae strigis
Herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunae canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas
Horret capillis ut marinus asperis
Echinus aut currens aper.

18. *cupressos* BbSc,t (non d). — *funebris* B. — 21. *atque*] *aut* BS (non bcd). — 26. *expedita* S (non Bbcd). — 26. *avernalis* BS. — 28. *currens*] *Laurens* auctore N. Heinsio Bentleius.

cupressus] quas *invisas* dicit Od. 2, 14, 23., *atras* Virg. Aen. 3, 64., *ferales* Aen. 6, 216. Claud. R. Pros. 2, 108: *tumulos tectura cupressus.*

19. 20. *Et uncta*] Construe: *et ova nocturnae strigis uncta* (intincta, sparsa) *sanguine turpis ranae, eiusdemque avis plumam.* — *turpis*] «foedae, omnibus exosae.» — *ranae*] De rubeta sive bufone loquitur. Prop. 3, 6, 27: *Illum turgentis ranae portenta rubetae Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt.* Iuven. 1, 69: *matrona potens, quae molle Calenum Porrectura viro miscet sitiente rubetam.* — *Strigem* describit Ovid. Fast. 6, 133: *Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinae; Canities pennis, unguibus hamus inest.* Avis est nocturna mali ominis. Plin. H. N. 11, 39: *Esse in maledictis iam antiquis strigem convenit, sed quae sit avium, constare non arbitror.* (*Uhu* Voss.)

21-24. *Herbasque*] Usque ad ultima imperii Romani propagatam esse hanc superstitionem monstrat Cod. Theod. IX. 38, 6: *noxiis quaesita graminibus et diris immurmurata secretis venena.* — *Iolcos*] Ἰωλκός, oppidum Thessaliae. Mulieres autem Thessalae pro veneficis et magis habebantur. Aristoph. Nub. 749: *Γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος Θετταλήν κτλ.* Perperam Aldus, Dan. Heinsius, aliae vett. Edd. *et Colchos.* Cfr. N. Heins. ad Ovid. Met. 7, 158. — *Hiberia*] regio Ponti inter Armeniam et Colchidem, venenatis herbis abundans. Virg. Ecl. 8, 95: *Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena.* — *ossa*] erepta cani famelicae et propterea avidae atque iratae, eius sanie madida. Sic et Apul. Met. 1. inter alia ad philtra apta memorat *extorta ferarum dentibus trunca calvaria.* — *Colchicis*] «qualibus philtra et venena parabat Medea Colchis.» Haec omnia iubet *aduri*, flammis imponi, coqui, quibus ultimo loco medulla et iecur infelicis pueri addenda erant ad summam rem perficiendam, ut Varus ad Canidiam revocaretur.

25. 26. *expedita*] «succincta, ne defluentes vestes impedimento es-

Abacta nulla Veia conscientia
  Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
  Quo posset infossus puer
Longo die bis terque mutatae dapis
  Inemori spectaculo,
Cum promineret ore, quantum exstant aqua
  Suspensa mento corpora;
Exsucta uti medulla et aridum iecur

33. *terve* LCt (non BbScd). — 37. *Exsucta* cd (hic superscr. *execta*), Cod. Divaei, Bersm. unus, Lambini aliq., Pottierii octavus, var. lect. ω, Lt: *Exu.ta* (una litt. erasa) δ, *Exuta* Bersm. unus, *Exsucca* Cod. Reg. 7977. Sec. XII. et Fea, *Exsecta* vel *Execta* β, *Exectati medulla* B, *Exerta* var. lect. χ, Ed. Locheri, Aldinae; «*Exesa* vel *Exesta* N. Heinsius in ora sui exemplaris» Bentley, qui recepit *Exesa*, contra Meineke *Exesta*, quemadmodum est in N. Heinsii Adverss.

sent.» Schol. Sat. 1, 8, 23: *Vidi egomet nigra succinctam vadere palla Canidiam.* — *Sagana*] Hanc veneficam, Canidiae sociam, memorat etiam Sat. 1, 8, 25. — *per totam domum*] ubi philtra coquebantur. — *Avernales*] «aquam lustralem ex malefico Averni lacu haustam.» Virg. Aen. 4, 512: *Sparserat et latices simulatos fontis Averni*; id quod ad complendum ritum magicum pertinebat. (Cfr. imprimis Max. Tyr. 14, 2: *Ἦν δέ που τῆς Ἰταλίας κατὰ τὴν μεγάλην Ἑλλάδα περὶ λίμνην Ἄορνον οὕτω καλουμένην μαντεῖον ἄντρον, καὶ θεραπευτῆρες τοῦ ἄντρου ἄνδρες ψυχαγωγοὶ κτλ.*)

27–32. *Horret capillis asperis, ut echinus marinus (Meerigel, oursin)* spinis, *aper* setis. — *currens*] *ἐπίθετον* imprimis aptum propter comparationem cum Sagana itidem domum percurrente. Virg. Aen. 4, 324: *spumantis apri cursum clamore prementem.* Ovid. Halieut. 60. H.: *Actus aper setis iram denuntiat hirtis Et ruit oppositi nitens in volnera ferri.* — Nihil opus Praedikowii *certans* nec HP. *ruens*, nec denique Heinsii et Bentleii *Laurens*, etsi hoc Latinis admodum frequens est apri *ἐπίθετον*. Exempla collegit Heinsius ad Ovid. Fast. 2, 234. — *Abacta* cet.] «Nulla conscientia eius, quod ius fasque est, nulla cogitatio, quantum scelus esset commissura, tertiam istam sagam a proposito deterrere poterat.» — *humum Exhauriebat*] «in domus impluvio scrobem faciebat, in quem puerum defoderet.» — *ingemens*] «anhelans propter laborem.» Sic Tac. Germ. 46: *ingemere agris.*

33–36. *Longo*] lunge *longo die*, «qui propter ipsa haec saeva tormenta longus puero videri debebat»; non, ut alii: *longo spectaculo.* — *bis terque*] «cibi novi saepius per diem appositi identidemque sublati, quo acueretur pueri fame enecti aviditas.» «*Bis terque* significat saepius, *bis terve* (Ald.) raro.» Bentl. — *Inemori*] Nobis nunc *ἅπαξ λεγόμενον* pro *immori.* — *Suspensa mento*] «quemadmodum nantes inde a mento exstant aquae superficie.»

37. 38. *Exsucta*] Ex omnibus

Amoris esset poculum,
Interminato cum semel fixae cibo
Intabuissent pupulae.
Non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam
Et otiosa credidit Neapolis
Et omne vicinum oppidum,
Quae sidera excantata voce Thessala
Lunamque caelo deripit.
Hic irresectum saeva dente livido

p. 560. (Ut nos, Iahn.) — 47. *Hic* superscr. «vel *hinc*» d.

huius v. lectionibus maxime placet *exsucta*, verbum iam a Varrone usurpatum et propagatum certe usque ad Ammian. Marc. 30, 4: *adusque ipsas medullas exsuctus*; «suco exhausta, exsiccata propter longa mortis tormenta.» (Adde Iuven 8, 90: *Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.) Exesta* pro *exesa* auctoritate caret et ipsum quidem v. minus aptum est propterea, quod non significatur, qua ratione *exesa* sit medulla, ut contra apud Catull. 66, 23: *Cum penitus maestas exedit cura medullas. Exsecta* autem ideo otiosum, quod medulla et iecinore aliter quam e cadavere *exsectis* omnino uti saga non poterat. Aliquot Codices *exusta*; proxime ad nostrum v. accedit *exsucca* s. *exsuca*, quo v. usus est Quintilianus, habetque aliquam auctoritatem a Codd. — *Amoris - - poculum*] ut Epod. 17, 80: *Desiderique temperare pocula, φίλτρον*. Huiuscemodi autem potiones sagae conficiebant plerumque ex mandragora, qui vino vel aceto diluebatur. Schol. Plat. Ed. nostrae p. 931. B.

39–44. *Interminato*] a v. *minari*, «interdicto, vetito.» Terent. Andr. 3, 2, 16: *Interminatus sum, ne faceres*. In consuetudine autem communi Augusti temporibus hoc v. fuisse demonstrat Rutilius Lupus 1, 7: *ego quaestoribus interminatus sum, ne* cet. — *cum semel* cet.] «Statim cum *pupulae*, *κόραι*, id est, oculi defixi in cibo, aviditate contabefacti in morte defecissent.» Equidem iungo *cum semel intabuissent*, non cum aliis *semel defixae*. — *masculae libidinis*] *τριβάδα*, feminarum amore ardentem. — *Ariminum*, Umbriae oppidum. — *otiosa*] ut erant Graeculi; eoque cupidi talium sermonum, *περιόντες αὐτῶν κυνδαίνεσθαι (εἰωθότες) «λέγεταί τι καινόν;»* (Demosth. Philipp. 1, 10. p. 43. R.) «Etiam *fabulosa* dicta est Neapolis, quod a rebus gravibus vacaret et fabulis indulgeret.» Schol. Livius 8, 22. Palaepolitanos vocat *gentem lingua magis strenuam quam factis*. Ovid. Met. 15, 711: *in otia natam Parthenopen*. Silius 12, 34. item de Neapoli: *Nunc molles urbi ritus at que hospita Musis Otia et exemptum curis gravioribus aevum.* — *omne vicinum*] Neapoli, ut Puteoli, Capua, Cumae, Surrentum.

45–49. *excantata*] «cantu magico e sedibus suis mota.» XII. Tab. p. 734. Dirks.: *QVI. FRVGES. EXCAN-*

Canidia rodens pollicem
Quid dixit aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitrae,
Nox et Diana, quae silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra,
Nunc, nunc adeste, nunc in hostiles domos
Iram atque numen vertite!
Formidolosis dum latent silvis ferae

53. *hostilis* B. — 55. *Formidolosae* bScd, Bentleii plerique, LCtFJ. (Ut nos B, Blandinii veteres, γκ, var. lect. ω, Pottierii 1, 2, 3, 6, 8. Aldus, Bentleius.) — *dum*] *cum* BbSc.

TASSIT. Epod. 17, 4 sq. Virg. Ecl. 8, 69: *Carmina vel caelo possunt deducere lunam.* Tibull. 1, 2, 44: *Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi*; et ex antiquissima quidem opinione significata iam ab Aristophane (v. ad v. 21.) et Platone in Gorgia p. 513. A.: τὰς τὴν σελήνην καθαιρούσας, τὰς Θετταλίδας. Suidas in Ἐπὶ σαυτῷ τὴν σελήνην καθέλκεις. — *deripit*] Tibull. 1, 10, 60: *e caelo deripit ille deos.* — *irresectum*] «non resectum pollicis unguem rodit,» rabiei signum. «Petronius, ut monstraret furentem, *pollice*, ait, *usque ad periculum roso.*» Schol. Martial. 4, 27, 5: *Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.* — *Quid dixit* cet.] Epp. 1, 7, 72: *dicenda tacenda locutus.* Similiter h. l. «incredibilia dixit.»

50 - 54. *Non inf. arbitrae*] «fidelissimae testes, consciae et praesentes.» Schol. Apul. de mag. 31. p. 467: *solebat ad magorum caerimonias advocari Mercurius carminum vector et illex animi Venus et Luna noctium conscia et manium potens Trivia.* — *quae silentium regis*] «quae silentio praees idque praestas magicis sacris.» Virg. Aen. 2, 255: *tacitae per amica silentia Lunae.* 3, 112: *fida silentia sacris.* Ovid. Met. 7, 194. Medea: «*Tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris Adiutrixque venis.*» — *Nunc, nunc*] Cfr. Hand Turs. IV. pag. 343. — *adeste* cet.] «Mihi propitiae sitis, ira vestra in hostes meos ablegata.» — *hostiles*] eas, quae Canidiae exosae erant, veluti Vari amicarum. — *Iram*] Satis mire *Arcum* Cod. Brodaei. Est tamen ortum ex v. 52: *Arcana.*

55. 56. *Formidolosis*] «quae formidinem incutiunt horrore suo ac tenebris.» Virg. Ge. 4, 468: *Et caligantem nigra formidine lucum.* Lucan. 3, 441: *Arboribus suus horror inest.* Altera lectio *formidolosae* idcirco reiicienda, quod statim sequitur alterum ferarum ἐπίθετον *languidae*; praeterea ambiguum fuisset etiam Romanis ipsis, utrum *formidolosae ferae* essent «timidae», an «feroces.» Qui tamen hanc lectionem praefert, utique explicare debebit priore modo, ut re vera fecit Regel. Od. 2, 13, 40: *timidos - lyncas.* Ceterum, dum dormiunt, neutro sane sensu sunt *formidolosae.* Atque nobiscum Voss: *im schauerhaften Forst.* — *dum*] «per totam igitur noctem.» Efficacius hoc videtur quam *cum*, quod sane per-

Dulci sopore languidae,
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meae laborarint manus. —
Quid accidit? Cur dira barbarae minus
Venena Medeae valent?

Post v. 57. deficit Codex d usque ad Epod. 8, 2. — 59. *non*] *nec* L. — 60. *laborarint* bSc, Bland. antiquiss., Bentl., FJ: *laborarunt* B,LCtM.

bonas habet auctoritates et praefertur a Bernhardyo.

57. 58. Totus locus cum Bothio sic explicandus: «Principio venefica optat, ut senem noctu properantem ad amicam aliquam Suburanam allatrent absterreantque a foribus canes eius vici, quo facto ad se ipsam rediturum eum sperat cupidine abreptum. Sed tacent canes. Ibi mulier v. 61: «Quid accidit? cur non venit Varus; quomodo mei non meminit, quae cubile eius eo medicamento magico unxerim, quod meretricum omnium, quotquot sunt, oblivionem inducere videretur? Dormit tamen, non surgit, neque Suburam nec me petit.» Haec dum dicit, propinqua aliqua domo, ut coniicere licet, exeuntem conspicit senem et ad scorta se conferentem cane latrante nullo. Quod sentiens exclamat v. 71. *Ah, ah* cet. «Video», inquit maga, «vi mea solutus abit, quam irritam suo carmine reddidit alia quaedam scientior me venefica. Festinat ad amores. Sed ad me recurres, Varę; insolitas neque vincendas potiones parabo, quibus totus amore incenderis menteque alienabere.» (Regelii interpretationem vide in Excursu I.) — *Senem - - Latrent*] ut Epp. 1, 2, 65: *venaticus - - pellem latravit - - catulus*. Plaut. Poenul. 5, 4, 64: *Etiam me meae latrant canes*. — *Suburanae*] Subura vicus urbis Romae, ubi habitabant prostibula. Pers. Sat. 5, 32. Martial. 6, 66: *Famae non nimium bonae puellam, Quales in media sedent Subura* cet. — Veram scripturam *Subura* praebent Inscriptt.; volgo *Suburra*, ut re vera est in Sexti Rufi Descript. urbis Romae apud Canina *Roma antica* p. 34. Erat autem sita in Urbis regionum tertiae et quartae confinio. Ibid. p. 77.

59. 60. *Nardo*] «unguento nardino,» de cuius mistura vid. Plin. H. N. 13, 1. — *perunctum*] ut Stalino comicus senex in Plauti Casin. 2, 3, 9: *postquam amo Casinam magis initio munditiis Munditiam antideo; Myropolas omnes sollicito; ubicunque unguentum est lepidum, ungor, Ut illi placeam.* — *quale non perfectius*] Eadem constructione Sat. 1, 5, 41: *animae, quales neque candidiores Terra tulit* cet. — *laborarint*] «quo, si vel maxime vellem, odoratius et efficacius aliud praeparare non possem.» Haec lectio praeferenda videbatur alteri *laborarunt*: «perfectius omnibus, quae unquam praeparavi.» — Canidia deridet senem vanum atque

Quibus superbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit.
Atqui nec herba nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum. —

63. *superba* Bc, γκ. (Ut nos, bS, Codd. Blandinii.) — *paelicem* B. — 65. *infectum* B meus, B Oberlini et unus Bersm. — 70. *paelicum* B.

inanem, qui illo unguento usus, quod ipsa ad canes in eum incitandas temperaverat, meretricibus Suburanis placiturum se speret. Ex his potissimum vv. Scholiastae collegisse videntur, Canidiam propalam fuisse unguentariam, intra domesticos parietes sagam. Verum tota res est satis incerta: philtra quidem quae miscet mulier, consentaneum est, ut etiam unguenta praeparare possit; utrum hanc artem re vera exerceat necne, nihil attinet.

61-64. *Cur dira*] «Cur ipsa mea venena, non minus profecto potentia quam ea, quibus usa Medea Creusam s. Glaucen et totam Creontis regiam incendio consumpsit, nihil nunc mihi prosunt neque ullam vim in Varum exercent?» Sic enim malo explicare quam cum aliis: «Cur dira mea venena minus valent venenis Medeae?» Theocrit. 2, 14. ed. Ameis: *Χαῖρ' Ἑκάτα δασπλῆτι, καὶ ἐς τέλος ἄμμιν ὀπάδει, Φάρμακα ταῦτ' ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκας Μήτε τι Μηδείας μήτε ξανθᾶς Περιμήδας.* Tib. 1, 2, 51: *Sola tenere malas Medeae dicitur herbas* sq. *superbam*] ut omnis aemula, praelatam ac feliciorem se reputans, ei, cuius amores laedit, iniqua et arrogans videtur. Longe hoc significantius quam altera lectio *superba*. — *fugit*] «Athenas, curru draconibus iuncto per aërem avecta.»

65-68. *palla*] Misit Glaucae *λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον*. Eurip. Med. 786. — *tabum*, pr. sanguis corruptus, h. l. pro veneno, lue, ut Virg. Ge. 3, 481: *infecit pabula tabo*; ex quo loco fluxisse videtur antiquissima et notabilis lectio *infectum*, quod manifestum est glossema. — Naphtham et sulfur fuisse tradunt venenum, quo aemulam perdiderit Medea. Cfr. Epod. 3, 13. — *in asperis - - locis*] Sic aconita *nascuntur dura vivacia caute*, Ovid. Met. 7, 418.

69 - 72. *Indormit* cet.] Pergit in enarrandis suis artibus, nec vero, ut volunt alii, se ab alia saga aemula victam fatetur. Immo hoc quoque inter ritus magicos, quibus ante usa sit, memorat, inunxisse se Vari ipsius lectulum magico suco, cuius ea vis fuerit, ut ille oblivisceretur omnium aliarum amicarum praeter ipsam. Sed neque hoc aemularum *μισηθρον*, ut contraria *φίλτροις* vocabant, tunc eam iuverat. — Minus rectae sunt aliae interpretationes: 1) «Indormit cubilibus omnium mearum aemularum unctis oblivione mei;» vel,

Ah ah! solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,
O multa fleturum caput,
Ad me recurres, nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus:
Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum,
Priusque caelum sidet inferius mari,

74. *Aha!* Bentleius, *Ha ha!* Fea. (om. B.)

ut alii, detracta imagine: «Detinetur aliarum feminarum amoribus districtus, mei prorsus immemor.» 2) «Dormit in incantato cubili alicuius meae aemulae, quae artibus suis effecit, ut omnium aliarum feminarum oblivisceretur.» 3) «Non solum mei amoris oblitus in utramque aurem dormit, sed etiam amore omnium mearum aemularum solutus.» — *solutus*] ut Od. 1, 27, 21.

73-76. *Vare*] Mira fuit Iahnii opinio hunc Varum hic tam acerbe irrisum eundem esse atque carum Horatii sodalem, ad quem est Carm. 1, 18. Immo retinenda est antiqua illa παράδοσις, fuisse hunc *Alfium* quendam *Varum*, hominem ceteroquin ignotum. Cfr. Carminis veteres Inscriptiones apud nos et apud Vanderburgium. Estré Hor. Pr. p. 202. — *potionibus*] V. *potio* frequens de philtris ac venenis, unde apud Suet. Calig. 50. *potionatus*, et Gallorum *poison*. — *fleturum*] «doliturum propter insaniam et furorem, quibus te afficiam.» Cfr. Sat. 2, 1, 45: *Qui me commorit*, - - *Flebit* cet. — *vocata mens*] Amplector nunc interpretationem Ringwoodii in Ed. Theocriti p. 108., benigne mecum a Crawfurdio communicatam: «nec solitis atque quotidianis incantationibus Marsicis, sed longe efficacioribus tua mens tacta ad me redibit; nam maius cet.» Sic mente repetitur praeced. *ad me*, et v. *maius* opponitur utrique membro *non usitatis* cet. et *nec vocata* cet. Atque similiter iam Adr. Turnebus (*Advers.* 14, 9.): «Non te Marsa naenia nec cantione ad me revocabo, nec mens tua mihi restituetur magico carmine; sed maius quiddam parabo et ex humanis extis amatorio temperato non usitata potione te insanum amore mei reddam.» In volgari ratione ex vv. *ad me* satis pro arbitratu eliciunt *ad te*, et ante v. *maius* plene distinguunt, interpretantes: «nec mens tua meis venenis semel alienata mihique obnoxia facta, incantationibus Marsis revocata, unquam ad te, id est, ad sanitatem libertatemque redibit.» Alii: «nec te semel mihi advocatum ac potione obligatum alia saga iterum a me avocare carmine suo poterit»; vel, ut verbis utar Porphyrionis, qui tamen etiam volgarem interpretationem habet: «mens tua a me incantata nunquam redibit, etiamsi Marsis vocibus revocetur.» — *Marsis*] Epod. 17, 29: *Marsa* - - *naenia*. Lucilius 20, 5. pag. 46. ed.

Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres uti
Bitumen atris ignibus. —
Sub haec puer iam non ut ante mollibus
Lenire verbis impias,
Sed dubius unde rumperet silentium
Misit Thyesteas preces:
Venena magnum fas nefasque non valent

84. *mei* (cum Glareano) Bentleius. — 87. *Venena! magnum fas, nefasque, non* F. *(Venena magica fas nefasque non valent, Non vertere humanam vicem* malebat Bentleius.)

Gerl.: *ut Marsu' colubras Disrumpit cantu.* Silius 8, 495: *at* (novit) *Marsica pubes Et bellare manu et chelydris cantare soporem Vipereumque herbis hebetare et carmine dentem.* Gell. 16, 11: *Marsis hominibus - - vi quadam genitali datum est, ut serpentium virulentorum domitores sint et incentionibus herbarumque sucis faciant medelarum miracula.*

77-82. *infundam*] Cic. Philipp. 11, 6. de Domitio: *At hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit.* — *Fastidienti*] «me aspernanti», non, ut alii volunt: «qui propter nauseam priora philtra non potavit.» — *caelum sidet*] «priusque cuncta rerum natura invertetur, ita ut caelum mari subsidat terrâ mari superiectâ.» — *Bitumen*] ad augendam vim flammae magicae, ut Virg. Ecl. 8, 82: *fragiles incende bitumine laurus.* — *atris*] Bitumen ipsum *nigrum* (Virg. Ge. 3, 451.) ardens spissum fumum exhalat. Non loquitur hic de ignibus rogorum, ut Od. 4, 12, 26.

83-86. *Sub haec*] «Statim postquam Canidia haec verba fecit.» — *lenire*] «non iam lenire tentabat sagas, quippe cui desperatio adderet dicendi libertatem.» — *dubius*] «ob horrorem ac furorem dubius, unde loquendi exordium sumeret.» Ita Drusus exspes vitae meditatas compositasque diras imprecatur Tiberio apud Tacit. Ann. 6, 24. — *Thyesteas preces*] «prorupit in diras, quales Thyestae fuerant in exsecrando Atreo, qui fratri filios trucidatos in frusta dissectos et coctos apposuerat.» Cic. Tusc. 1, 44: *Exsecratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes, primum ut naufragio pereat Atreus.* - - deinde: *Ipse summis saxis fixus asperis, evisceratus, Latere pendens, saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro.* (Cfr. Cic. in Pis. 19, 43. Halm.) *Preces* autem in pedestri quoque oratione pro exsecrationibus. Caesar B. G. 6, 31.

87-90. *Venena*] Vera constructio haec est: *Magnum fas nefasque humanam vicem non valent convertere venena*; id est', «leges divinae, quibus distinguitur fas et nefas, more modoque hominum (humanis sensibus) non valent *convertere* (in contrariam, id est h. l. meliorem, partem flectere ac lenire) veneficia, qualia vos immani modo exercetis: ergo meris sensibus humanis mollibusque precibus relictis, quibus vos mitigare iam despero, ad religiones recurram dirisque vos exa-

Convertere humanam vicem;
Diris agam vos; dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire iussus exspiravero,
Nocturnus occurram Furor
Petamque voltus umbra curvis unguibus,
Quae vis deorum est manium,
Et inquietis assidens praecordiis

gitabo.» Ceterum novem alias interpretationes exponemus in Exc. II.

Iam videamus singula. *Fas nefasque* ex consuetudine Latina in illis *sacra et profana, divina et humana, fanda nefanda, honesta inhonesta, dicenda tacenda (ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα)*, significat «omnino omnia, quae lex divina statuit aut licita esse aut nefaria;» ut Sophoclis verbis utar in Oed. Tyr. 864: *(λόγοι ἔργα τε πάντα) ὧν νόμοι πρόκειν-ται Ὑψίποδες, οὐρανίαν Δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος Πατὴρ μόνος·* collatis Antig. vv. 454 seqq. *Magnum* autem *fas*, quia divinum atque aeternum est discrimen inter fas atque nefas. — *humanam vicem*] «quomodo hominibus *δυνατόν*, concessum est»; «hominum more», *auf menschliche Weise*; nam «tuam vicem doleo, anxius sum, irascor», hoc significat: «eodem modo doleo ac mihi certum est te dolere debere.» Hoc ergo dicit: «alias solent homines miseratione et precibus mollire inimicorum hostiumque saevitiam eorumque iram placare, sed hoc mihi nunc adversus vos, quae humanos sensus iamdudum exuistis, negatum est.» — *Venena*] Adde: «et quae haec miscent, sagae consceleratae.»

89. *Diris agam vos*] Tac. Ann. 6, 24: *Tiberio - - diras imprecabatur* (Drusus). — *dira detestatio* cet.] «Vim religiosae imprecationis nemo effugere potest;» et hoc quidem ex communi veterum persuasione. Recordare modo diris devotum ab Ateio trib. pl. Crassum, quem nulla caerimonia potuit ab exitio servare. Similiter cum diras nautae minata esset naufragi umbra Od. 1, 28, 34. addit: *Teque piacula nulla resolvent.* Plin. H. N. 28, 2. s. 4: *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.* Sueton. Claud. 42: *quasi parricidam diris exsecrationibus incessere.*

92. 93. *Nocturnus - Furor*] lemur, larva. *(Furor* pro *Furia*, sed *Furorem* dixit, cum de puero agatur. Gloss.) Aeschyl. Choëph. 288: *Καὶ λύσσα καὶ μάταιος ἐκ νυκτῶν φόβος.* Ibid. 524: *ἐκ - - νυκτιπλάγκτων δειμάτων —.* Virg. Aen. 4, 386: *Omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, poenas.* Ovid. in Ibide v. 143: *Tum quoque factorum veniam memor Umbra tuorum: Insequar et voltus ossea larva tuos. — curvis unguibus*] Cogita Furias, quae praelongos habent ungues incurvos. (Böttiger *Furienmaske* in fine.)

94-98. *manium*] «ut lege divina concessum est umbris ius in sicarios ac veneficos saeviendi eosque ulciscendi.» Val. Flacc. 3, 386. de necatis: *patet ollis ianua leti Atque iterum remeare licet; comes una sororum Additur et pariter terras atque aequora lustrant. Quisque suos*

Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
Contundet obscoenas anus;
Post insepulta membra different lupi
Et Esquilinae alites;
Neque hoc parentes heu mihi superstites
Effugerit spectaculum.

98. *Contundat obscenas* B. — 100. *Exquilinae* F. — 102. *Effugerint* Bb (non Sc).

sontes inimicaque pectora poenis Implicat et varia meritos formidine pulsant. — inquietis assidens] «terrore palpitantibus inhaerens eaque assidue vexans, ut Incubus.» — *vicatim*] «per omnes urbis vicos insecuta lapidibus vos obruet.» Lapidationum in foro haud raro mentio fit apud Ciceronem. — *hinc et hinc*] Cfr. Hand Turs. III. p. 87., qui demonstrat usitatius apud poëtas fuisse *hinc atque hinc*; *hinc et hinc* affert ex Martiale 10, 83. — *obscoenas*] «abominandas propter illicitas artes magicas, quas exercetis»; simulque cogitandum de foedo harum vetularum ore atque habitu. Sic Furiae tribuitur *frons obscoena* apud Virg. Aen. 7, 417.

99–102. *different*] «dilacerabunt, discerpent ac dissipabunt.» Cfr. Epod. 10, 6: *Fractosque remos differat*. Iam Ennius in Andromeda pag. 37. Bothe P. Scen.: *Alia fluctus differt, dissupat Visceratim membra*. Plaut. Curc. 4, 4, 20: *iam ego Te faciam, ut hic formicae frustillatim differant!* — *Esquilinae*] In Fastis Verrii Flacci p. 21. scribitur IN EXQUILIIS. Contra nostra scriptura est in Fastis Capitol. ed. Baiter p. CCXLI. Ceterum nota hiatum, collato Bentleio ad Od. 3, 14, 11. In nomine proprio minus licenter neglexit elisionem quam Od. 1, 28, 24. in vv. *capiti inhumato*. (Rationem elisionum Horatianarum optime explicavit L. Jeep in libello scholastico Guelpherb. 1844.) — *alites*] «accipitres, voltures, milvi, qui ibi servorum et maleficorum supplicio affectorum cadavera semisepulta devorant.» Cfr. Sat. 1, 8, 8 sqq. — *heu*] Iunge *heu superstites mihi*, non, ut volt Hand. Turs. III. p. 69., *heu mihi*. — *Effugerit spectaculum*] «hoc saltem solatio luctum suum lenient atque allevabunt.» — Summa cum arte incertos nos dimittere videtur poëta, utrum diffugerint sagae post pueri diras, an crudeliter necatus sit; verumtamen hoc ipsum satis clare significat. Descriptio autem necis ipsius nimis ingrata ac foeda fuisset, ut si *pueros coram populo Medea trucidaret*: atque comicum totius carminis colorem obscurasset.

EXCURSUS I.

Ad v 1.

Perquam memorabile est in poësi Gallo-Brittanica mediae aetatis Abaelardi Heloisam transformatam esse alteram in Canidiam. Cfr. *Barzaz-Breis, par M. Th. Hersart de la Villemarqué*, Ed. III. Paris 1845. in *Journal des Savants* 1847. p. 268: *Je sais une chanson qui fait fendre les cieux, tressaillir la grande mer et trembler la terre. Je sais tout ce qu'on peut savoir en ce monde, tout ce qui sera. La première drogue que je fis avec mon clerc (Abailard) fut faite avec l'oeil gauche d'un corbeau et le coeur d'un crapaud* etc.

EXCURSUS II.

Ad v. 57.

«Haec vera esse videtur explicatio, ut statuamus ipsam Canidiam in vico Subura habitare eamque precari a diis, ut senex (quod ridiculum omnibus videatur, sed ipsius tamen effectum est artibus) amore flagrans *ad se* media nocte *in Suburam veniat*, eiusque adventus per silentium noctis canum latratu significetur. (Cfr. Virg. Ecl. 8, 107: *Hylax in limine latrat.)* Sperat autem, eum ad se adductum iri vi venenatarum, quas summa arte ei paraverit, herbarum, eoque sensu addit verba *Nardo - - manus*. Similiter infra v. 69. *uncta* dicit Vari *cubilia oblivione omnium pellicum.*» Regel. — Verum huic interpretationi ex meo quidem sensu non satis conveniunt vv. *quod omnes rideant*, quoniam ita non magis derisus esset Varus quam saga ipsa, neque in *nardo* v. 58. sic simpliciter posito quidquam venenati sive magici inesse potest.

EXCURSUS III.

Ad v. 87.

Quotquot vidi interpretes excepto Viscontio et Fea, qui *venena* putant esse vocativum (id quod mihi secus videtur, etsi comparari possunt similia, *scelus, propudium, probrum)*, et Gargallo, qui quidem *fas nefasque* nominativos esse ratus est, sed falsam sententiam poëtae obstruit: *Nè innocenza, nè colpa, o Venefiche, Può de l'uomo in sorte cangiar:* v. *venena* habent pro subiecto, pro obiecto *magnum fas nefasque*, quod contra est. Hinc ortae variae explicationes: 1) «Ex vitae humanae condicione a dis semel constituta veneficia non valent evertere leges aeternas, quibus fas nefasque distinguitur.» («Talionem vitae humanae, videlicet ut fas praemium, nefas poenam exspectet, venena magica mutare non valent neque efficere, ut nefas inultum maneat.» Marcil.) 2) «Veneficia non valent pervertere fas nefasque,

hanc vicem *(Wechselfall)* hominum, ex qua hoc iustum, illud iniustum est.» 3) «Veneficia multum quidem valent, sed non possunt pro hominibus efficere, ut natura aequi et iniqui, ut fas et nefas, ut ius et iniuria mutentur.» 4) «Veneficia non possunt more modoque hominum (ut homines interdum conantur) permiscere fas et nefas.» 5) «Veneficia multum quidem valent, adeo ut confundant interdum fas et nefas (ut fere Seneca Controv. 1, 7: *Magnis sceleribus iura naturae intereunt)*; at non possunt condicionem mortalium mutare et efficere, quo minus veneficae talionis iure, pari vindicta, poenas dent.» Quam quidem Lambini interpretationem nunc omnes fere sequuntur, etsi dura est constructio: *valent convertere, non valent convertere;* distinguunt autem: *Venena, magnum fas nefasque, non valent* cet. Eleganter hanc Lambini rationem ita expressit Pallavicinus: *L'arte vostra infernal ben può le lecite E le vietate cose in un confondere, A giustizia non già sue veci togliere.* Verum in ea non satis respicitur v. *humanam*, et in hac iracunda et concitatissima pueri infelicis oratione mihi semper nimis languida visa est. 6) Nonnemo distinxit: *V. m. f. n. n. v. convertere: humanam vicem Diris agam vos:* «more modoque hominum vos diris devovebo; ego faciam id, quod hominibus et concessum et solitum est.» 7) «*Venena magnum* (valent, *φάρμακα μέγα τι δύνανται*), *fas nefasque convertere non valent,* (convertere) *vicem humanam,* mutare poenas scelestis statutas.» Bosius. 8) «Ergo», ait puer, «veneficae scelestae! ergo neque infantilis innocentia mea, neque scelus immane vestrum ullo modo superos movere valent, ut instantia haec mihi fata mutent? At quandoquidem nemo hominum iure vel iniuria summa fata superare potest et mihi pereundum est vestris veneficiis, quo modo potero, ulciscar vos: diris vos exagitabo» cet. Fea. 9) Latinitati repugnat, quod nuper Interpres quidam opinatus est, vv. *fas nefasque* meram esse exclamationem.

Ad vv. *fas nefasque* similia nonnulla hic colligere iuvat. Verum sensum optime aperit Andocides de Mysteriis 1: *τὴν προθυμίαν τῶν ἐχθρῶν τῶν ἐμῶν, ὥστ' ἐμὲ κακῶς ποιεῖν ἐκ παντὸς τρόπου καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως.* Pindar. Ol. 2, 15: *τῶν δὲ πεπραγμένων Ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν.* Aeschyl. Choëph. 78: *Δίκαια καὶ μὴ δίκαια.* Soph. Oed. Tyr. 300: *Ὦ πάντα νωμῶν, Τειρεσία, διδακτά τε Ἀρρήτά τ' οὐράνιά τε καὶ χθονοστιβῆ.* Aristoph. Eq. 256: *καὶ δίκαια κἀδίκα.* Plut. 233: *καὶ δικαίως κἀδίκως.* Eurip. Inus Fr. 13: *Σύμμικτα μὴ δίκαια καὶ δίκαι' ὁμοῦ.* Virg. Georg. 1, 505: *ubi fas versum atque nefas.* Aen. 9, 595: *digna atque indigna relatu.* 12, 844: *Digna indigna pati.* Livius 29, 18: *ille omni divino humanoque liberetur scelere.* Ovid. Met. 6, 585: *fasque nefasque Confusura ruit.* Tacit. Ann. 4, 67: *aperta secreta.* 15, 37: *per licita atque inlicita foedatus.* Hist. 2, 56: *in omne fas nefasque avidi aut venales non sacro, non profano abstinebant.*

CARMEN VI.

Quid immerentes hospites vexas canis
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?

VI. Inscr. volg. *In Cassium Severum*, et sic c, Bland. tres, Oberlini B. — *Maledicum poëtam in se irritat minaturque si solita rabie fuerit elatus* B meus. — 2. *adversos* B, *adversus* S (non bc). — 3. *verte* corr. B, Bland. antiquiss., Cod. Divaei, complures Pottierii, C. — 4. *petes* b, *pete* plerique Pottierii, C.

VI. In quem invehatur, incertum est. Plerique cum Acrone, Comm. Cruq. et Codd. aliq. referunt ad Cassium Severum oratorem sane maledicum, qui tamen cum a. u.c.786. senex mortuus sit in exsilio, circiter a. u. c. 720., quo hoc carmen compositum videtur, puer etiamtunc fuit vel adolescentulus summum XX. annorum. Alii cogitarunt de Maevio, malo poëta, in quem est Epod. 10. Vid. Kirchner Quaestt. Horat. p. 22. Grotefend, de Bavio, aeque malo poëta, interpretatus, refert ad a. 716. Cfr. Estré Hor. Pr. p. 179.

1. 2. *hospites*] «peregrinos, qui, etsi innoxii sunt neque ulla te iniuria lacessiverunt, te civem Romanum timentes non audent acriter resistere minis tuis.» — *canis*] «homo impudens, simul timidus, ubi in quempiam incurris, qui tibi viribus superior est, ut lupus cani ignavo.»

3. 4. *si potes*] «si audes». Imperativi *verte* et *pete*, a Fabricio (prudenter tamen metri causa sic transponente: *verte, si potes, minas*) et Cruquio recepti, nuper a Peerlkampio probati, utique librariis tribuendi sunt, qui hunc usum part. *quin* cum indicativo parum nossent. Certe in Augusteae aetatis scriptoribus tolerari non potest *quin verte*, quamquam antiquiores utrumque loquendi modum, imperativum et *quin* cum indic., sic contrahebant, ut Terentius Andr. 1, 1, 18: *quin tu uno verbo dic.* Andr. 2, 2, 9: *quin tu hoc audi.* Sed solitae constructionis exempla sunt apud Livium 1, 57: *Quin - - conscendimus equos!* Ovid. Am. 2, 19, 59: *Quin alium - - quaeris!* ubi item Codd. aliq. *quaere.* 3, 7, 69: *Quin istic pudibunda iaces - -!*

5. 6. *Molossos*, magnos canes Epiroticos et *Laconicos* coniungit etiam Virg. Ge. 3, 405: *Veloces Spartae catulos acremque Molossum Pasce sero pingui. Nunquam custodibus illis Nocturnum stabulis furem incursusque luporum Aut impacatos a tergo horrebis Iberos. — amica vis*] Qui, quia praesidio et custodiae sunt gregibus, cari sunt pastoribus. Lucret. 6, 1220: *fida canum vis.* Virgil. Aen. 4, 132: *odora canum vis.*

7. 8. *aure sublata*] «arrectis auribus alacer agitabo.» — *praecedet*] «a me e lustro excitata et in fu-

Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
  Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
  Quaecunque praecedet fera:
Tu, cum timenda voce complesti nemus,
  Proiectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque in malos asperrimus
  Parata tollo cornua,
Qualis Lycambae spretus infido gener
  Aut acer hostis Bupalo.

5. *Laco* B. — 8. *praecedat* Codd. apud Feam, *procedet* e Codd. eiusdem Bothe. (Ut nos, BbSc.)

gam coniecta.» Qui autem fugit, *praecedit* insequentem. Et propter hoc et propter Codd. meliorum auctoritatem reiiciendum *procedet*, «obviam ibit, mecum pugnatura», ut volunt. Saltem explicandum erat: «prodibit e lustro suo.» De constructione *Agam - - quaecunque p. fera* conf. Epod. 2, 37.

9. 10. *Tu*] «Tu contra, canis ignave, cum diu multumque inaniter latrasti formidabilem in modum, tamen cibo tibi obiecto statim cupidas nares admoves atque obmutescis;» dempta imagine: «lingua perquam promptus es ad alios contumeliis lacerandos, sed munere oblato illico taces.» Bellum est illud Catonis Censorii de M. Caelio apud Gell. 1, 15: *Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.* — *Proiectum*] hic prima significatione, «ita iactum, ut ante pedes tibi cadat.» Magis solitum esset *obiectum*, ut Virg. Aen. 6, 422: offam *Corripit obiectam*. Liv. 4, 15: *ciboque obiiciendo - victorem - - in servitutem pellici posse*. Phaedr. 1, 23, 3: *cani - - Obiecto cibo*. Et *obiectum* malebat H. P., sed hoc nunquam in rarius illud mutatum foret.

12. 13. *tollo cornua*] Alia imago tauri ad pugnam cum rivali se parantis. — *gener*] «Qualis Archilochus, qui Lycamben socerum propterea, quod ille Neobulen filiam poëtae iam desponsam mutata voluntate se daturum negarat, tam maledicis versibus insectatus est, ut illum aegritudini animi remedium suspendio quaerere coëgerit atque ad idem mortis genus sponsam quoque suam induxerit.» V. Excursum.

14-16. *Bupalo*] Plin. H. N. 36, 5: *Bupalus et Athenis* (olim *Anthermus*) *clarissimi in ea* (sculpendi) *scientia fuere, Hipponactis poëtae aetate, quem certum est LX. Olympiade fuisse. - - Hipponacti notabilis foeditas vultus erat, quamobrem imaginem eius lascivia iocorum ii proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum destrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse, quod falsum est.* Hipponax *ἐν τῷ κατὰ Βουπάλου πρώτῳ ἰάμβῳ* apud Schneidew. Eustath. p. 49. et Del. p. 208. Bergk p. 511: *Ἐβῶσε Μαίας παῖδα, Κυλλήνης πάλμυν (βασι-*

An, si quis atro dente me petiverit, 15
Inultus ut flebo puer?

λέα)· Ἑρμῇ κυνάγχα, Μηονιστὶ Κανδαύλα, Φωρῶν ἑταῖρε, δεῦρό μοι σκαπαρδεῦσαι (συμμαχῆσαι glossa apud Bergk., melius quam Hesychii λοιδορῆσαι). — *atro dente*] contumeliis ac minis.» Martial. 5, 28, 7: *Rubiginosis cuncta dentibus rodit.* — *puer*] «Ego, non me ulciscens, flebo, ut puer?» (qui adversus adultum ac robustiorem defendere se nequit.) Alii minus recte construunt: *flebo, ut puer inultus?*

EXCURSUS

Ad v. 13.

Tractarunt notas hasce de Archilocho et Hipponacte narratiunculas etiam Epigrammatographi; veluti de illo Lentulus Gaetulicus Anth. Pal. I. p. 327:

Σῆμα τόδ' Ἀρχιλόχου παραπόντιον, ὅς ποτε πικρὴν
μοῦσαν ἐχιδναίῳ πρῶτος ἔβαψε χόλῳ
αἱμάξας Ἑλικῶνα τὸν ἥμερον. Οἶδε Λυκάμβης,
μυρόμενος τρισσῶν ἄμματα θυγατέρων.
ἠρέμα δὴ παράμειψον, ὁδοιπόρε, μή ποτε τοῦδε
κινήσῃς τύμβῳ σφῆκας ἐφεζομένους.

Ipsos Archilochi versiculos huc pertinentes vide apud Bergk pag. 472. Fr. 23 seqq. (Οἵην Λυκάμβεω παῖδα τὴν ὑπερτέρην, unde duas tantum fuisse colligas.)

De Hipponacte Philippus Anth. Pal. I. p. 425:

Ὦ ξεῖνε, φεῦγε τὸν χαλαζεπῆ τάφον,
τὸν φρικτόν, Ἱππώνακτος, οὗ τε καὶ τέφρα
ἰαμβιάζει Βουπάλειον ἐς στύγος,
μή πως ἐγείρῃς σφῆκα τὸν κοιμώμενον,
ὃς οὐδ' ἐν Ἅιδῃ νῦν κεκοίμικεν χόλον,
σκάζουσι μέτροις ὀρθὰ τοξεύσας ἔπη.

De confuso Acronis Scholio consule Estré Hor. Pr. p. 20.

CARMEN VII.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
  Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
  Fusum est Latini sanguinis,
Non, ut superbas invidae Karthaginis
  Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet

VII. Inscr. volg. *Ad Romanos* vel *Ad populum Romanum. — Primo civili bello finito ut ab alio bello abstineant deprecatur* B, item c, sed: *monet.* — 5. *Karthaginis* scripsi cum antiquiss. B. — 6. *verteret* Ed. Ven. 1484.

VII. Referri videtur hoc carmen ad initium belli Perusini a. u. c. 713. Vide ad Epod. 16. Dillenburger scriptum esse censet a. 716. Alii referunt ad initium secundi belli, quod Octavianus cum M. Antonio gessit a. u. c. 722. Sic autem contineret haud nimis occultam reprehensionem ipsius etiam Octaviani, quam illo tempore vix conveniente vel prudentem iudicasset poëta. Praeterea totius carminis color et sermo nescio quid habet iuvenile. — Graviter suos cives increpat propter arma civilia denuo sumpta.

1-3. *aut cur*] Cuninghamius malebat *et cur*, quod esset prosae orationis quam sedatissimae; impetuosam suo iure praetulit poëta. Nemo tamen illi obtemperavit, cum contra Epod. 5, 3. plerique receperint *et quid* pro *aut quid*, etsi ibi quoque oratio est turbatior. — *scelesti*] *ἐναγεῖς*. Od. 1, 2, 29: *Cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter?* Od. 1, 35, 35. Od. 2, 1, 5. — *Aptantur*] «cur gladii denuo destringuntur?» Proprie: «ita in manus sumuntur, ut ad ictus inferendos habiles sint.» Seneca Hippol. 534: *Non arma saeva miles aptabat manu.* — *conditi*] «vaginis inclusi.» Acron. (post proelium Philippense a. u. c. 712.) — *Neptunus* frequenter a poëtis pro mari et pro quavis aqua ponitur.

5. 6. *Non*] «Et quidem non fusus est sanguis ille, ut cet.» Noli unam periodum continuare a v. 1-10. — *invidae*] Sal. Cat. 10: *Karthago aemula imperi Romani.* — *arces ureret*] «ut factum est ante hos CV. annos.»

7. 8. *Intactus*] «armis Romanis, id est, nondum perdomitus.» Od. 3, 24, 1: *Intactis - Thesauris Arabum.* — *descenderet*] Cic. ad Att. 4, 3: *cum Sacra via descenderem, insecutus est me.* — «Cum e regione amphitheatri Flavii, inter templum Pacis ac templum Veneris et Romae, ubi nunc est templum S. Mariae novae, quis ingrediebatur Sacram viam, leniter *descendebat* usque ad templum Antonii et Faustinae; inde leniter rursus ascendebat usque ad arcum Septimii Severi. Ex porta Triumphali per Campum Martium, Velabrum, Circum maximum et qua nunc est arcus

Sacra catenatus via,
Sed ut secundum vota Parthorum sua
Urbs haec periret dextera? 10
Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
Unquam nisi in dispar feris.
Furorne caecus, an rapit vis acrior?

12. *Unquam* BbSc et omnes Pottierii, Aldus, LCtF: *Nunquam* ex Ed. Ven. 1490. Bentleius et M. (Ut nos, J.) — *feris*] *genus* «cum compluribus», ut ait, «libris manu scriptis» Lamb. (Videtur glossa ad v. *dispar.*) — *ni in dispares feras* Pelisserius apud eundem. — 13. *caecus* BbSc, LCtF: *caecos* λ, duo Torrentii, (Oberlini B,) Bentl., M.

Constantini, qui triumphabant inde per hanc viam procedebant usque ad locum arcus Septimii Severi, unde captivi dimittebantur ad dexteram in proximum carcerem Tullianum; triumphantes per clivum Capitolinum ad laevam ascendebant ad Capitolium.» Fea. Cic. Verr. Lib. 5, 30: *qui triumphant, eoque diutius vivos hostium duces reservant, - - tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent; idemque dies et victoribus imperii et victis vitae finem facit. — Sacra via*, (cuius incolae *Sacravienses* dicebantur,) quia ibi foedus ictum erat inter Romulum et Tatium.

9. 10. *secundum*] eodem usu, quo Cic. ad Att. 16, 16 E: *quae consules decreverunt secundum Caesaris decreta et responsa.* pr. *in Folge des Wunsches. — sua - - dextera*] Differt aliquantum, quod solent afferre, Epod. 16, 2: *Suis et ipsa Roma viribus ruit*, quod significat «nimia imperii mole;» h. l. «armis intestinis.»

11. 12. *Unquam*] Sic Codd. noti et Ed. Ven. 1481. *Nunquam* Ed. Ven. 1490. merus est operarum error, a Criticis nimis cupide arreptus. Construe: *Neque hic mos unquam fuit feris lupis nec leonibus nisi in dispar* (genus). V. *feris* quidem hac ratione propter ipsam positionem aliquanto otiosius adiectum videtur, sed excusationem habet a poëtae aetate iuvenili. (Quinetiam Hossio et Dillenburgero v. *feris* magno cum pondere sententiam videtur claudere, ut prope idem efficiat ac si scriptum sit: *qui tamen feri sunt.*) Bentleius sic construxit: *neque hic mos fuit lupis neque leonibus, nunquam feris nisi in dispar*; ubi sentis pro perfecto requiri praesens tempus, id quod ille occultavit sic enarrans: «ne lupis quidem et leonibus hic mos est, qui nunquam feri et saevi sunt nisi in (animal) dispar.» — *in dispar*] Conf. Od. 3, 12, 10: *per apertum.* — Locus autem hic communis haud raro ab antiquis tractatus est. Plin. H. N. 7. Praef. extr.: *Leonum feritas inter se non dimicat, serpentium morsus non petit serpentes, ne maris quidem beluae ac pisces nisi in diversa genera saeviunt. At hercule homini plurima ex homine sunt mala.* Seneca Controv. 2, 9: *neque feris inter se bella sunt.* Idem Ep. 95, 31: *Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, bella gerere gerendaque liberis tradere, cum inter se etiam mutis ac feris pax sit?* Accedunt nunc ex Hymno Andriano in Isim, quem nuper edidit Sauppius meus, vv. 46 seqq., ubi Isis dicit se sustulisse ex hominibus mutuam ipsorum devora-

An culpa? Responsum date! —
Tacent et albus ora pallor inficit
Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

15. *et ora pallor albus* bSc, LCt (non B, κλ).

tionem: *Ἐχθομέναν βρώμαν, ἂν φωλάδες ἔστυγον ἄρκτοι, Τὰν λύκος ὠρυκτάς, λιμῷ τεθοωμένος ἀλκάν.* — Sententia autem ita continuanda: «Quanto magis vero cives a civibus, quibus unum idemque est bonum publicum, abstinere debent armaque potius in hostes exteros convertere!»

13. *Furorne caecus*] dicitur ut Od. 1, 18, 14: *caecus amor sui.* Atque melius videtur, ut huic v. addatur *ἐπίθετον*, quam ut nudum maneat. Pro altera lectione a Codd. minus munita *caecos* afferre possis Sat. 2, 3, 43: *quemcunque inscitia veri Caecum agit.* Virg. Aen. 2, 244: *caecique furore.* Ib. 356: *quos improba ventris Exegit caecos rabies.* — *vis acrior*] «fati ipsius, fatalis necessitas.» Gaius in Digest. 19, 11, 25, 6: *vis maior, quam Graeci θεοῦ βίαν, id est, vim divinam appellant, non debet conductori damnosa esse.*

15–20. *Tacent*] Silet aliquantisper poëta quasi Romanorum responsum exspectans; quod cum propter pudorem stuporemque non dent, in liberam indignationem prorumpit; quae tota orationis conformatio arte poëtica minime caret. — V. *albus* melius praemittitur ex auctoritate Cod. antiquiss. B; sic minus manet otiosum meliusque vim suam exserit, quam positum post v. *pallor*. Significat enim «summum pallorem», quem nos dicimus *Todesblässe*. Ausus est imitari Tasso Gerus. 8, 14: *al fero avviso Tingon di bianca pallidezza il viso.* — *perculsae*] quia consciae sunt et culpae et tristis necessitatis. *Perculsae* hic in summo stupore significando suum locum tuetur, et ex paucissimis dumtaxat Codd., velut E. Pulmanni et Batteliano, affertur *peroussae*. Cfr. Epod. 11, 2. — *agunt*] «persequuntur, ut pernicie sua luant scelus» cet. — *Ut*] «ex quo», ut Od. 4, 4, 42. — *Sacer*] «ut piaculum luendus, quia a fratre profusus est, *ἐναγής*.» *ein Fluch den Enkeln. Sacer* Livio 3, 55. est scelestus, cuius caput Iovi (alibi dis inferis) devotum est per populi iudicium, ut is impune a quovis occideretur. Seneca Thyest. 1, 93. item de fratricidio: *ne sacrâ manus Violate caede.* Nimis artificiose Gesnerus in Thes. «*Sacer - - cruor* est, qui tamquam venenum aliquod inficit, urit, in furorem concitat posteros, velut illa tunica, Nessi centauri sanguine infecta, Herculem. Sic *voces sacrae* Epod. 17, 6. sunt carmina magica veneficae.» — De re Lucan. 1, 95: *Fraterno primi maduerunt sanguine muri* (urbis Romae).

CARMEN VIII.

Rogare longo putidam te seculo,
Vires quid enervet meas?
Cum sit tibi dens ater et rugis vetus
Frontem senectus exaret,
Hietque turpis inter aridas nates 5

VIII. Inscr. volg. *In anum libidinosam.* — *Prostitutam putidam anum sectatur* (immo *insectatur*) *vilia corporis eius proscribens* B, ac similiter c. — 2. *quod* BS,C (non bc). — *enerves* b, *enervat* S.

VIII. Hoc quoque carmen ut Epod. 12. in Inscriptionibus Codicum aliquot in Gratidiam compositum esse dicitur, parum utique probabiliter. In neutro enim ullam mentionem facit artium magicarum, quibus illa ipsum persecuta erat atque in se irritaverat. Hic autem Archilochio modo invehitur in mulierem divitem ac nobilem, sed vetulam, libidinosam et, quod peius erat, simul philosopham. Quidam totam vetulae personam fictam opinantur, id quod mihi in poëta iuvene secus videtur. (Ad a. u. c. 714. refert Franke, Grotefend ad a. 715.)

1-6. *Rogare*] infinitivus indignationis. Cic. Phil. 14, 5: *Quemquamne fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret?* Ter. Eun. 2, 1; 3: *satne hoc mandatumst tibi?* P. *ah Rogitare* cet. Sat. 2, 4, 83: *Ten lapides varios lutulenta radere palma? — longo putidam - seculo*] «effetam senio.» *Seculum* idem fortasse vocabulum atque ἡλικία, simili transpositione ac μορφή, *forma*. Similiter anum describit Od. 4, 13, 9 sqq. — *dens ater*] pro plurali *(dentes atri* Epp. 1, 8, 7.), neque interpretandum cum aliis, unum dentem nigrum ei remansisse, ceteros eam exspuisse. Cf. Epod. 6, 15. — *vetus - senectus*] Terent. Eun. 4, 4, 21: *Hic est vetus, vietus, veternosus senex.* Tibull. 1, 8, 50: *veteres -- senes*, flaccidos atque imbellicos. — *exaret*] «ita ut in fronte habeas veluti sulcos rugarum.» Virg. Aen. 7, 417: *frontem obscoenam rugis arat.* De Cercopibus a Iove in simias mutatis Ovid. Met. 14, 96: *rugis peraravit anilibus ora.* — *crudae*] «quae cibum non concoquit ideoque nec continet.»

7-10. *Sed incitat*] «Sed fortasse putabis incitari me ad amorem» cet. — *putres*] «pendulae et laxae.» — *tumentibus*] aqua intercute propter exactam aetatem. — *additum*] «quasi additamenti loco superimpositum.» «Nihil autem tam de-

Podex velut crudae bovis.
Sed incitat me pectus et mammae putres,
Equina quales ubera,
Venterque mollis et femur tumentibus
Exile suris additum!
Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum,
Nec sit marita, quae rotundioribus
Onusta bacis ambulet.
Quid, quod libelli Stoici inter sericos
Iacere pulvillos amant?
Illiterati num minus nervi rigent,

17. *Illiteratis* et *Magisve* cum Guieto ad Terent. Andr. 4, 1. malebat Bentleius.

forme quam crassiores pedes infra genua esse quam super.» Porphyr.

11 - 14. *Esto beata*] Concessio: «Esto quamvis dives ac nobilis, atque funus tuum praecedant imagines maiorum tuorum, qui triumphos egerunt.» Imagines enim illae etiam in matronarum nobilium funeribus ducebantur. Cic. de Or. 2, 55, 225. Verum amarissima est funeris tam aperta mentio (ut Od. 3, 15, 4. Chloris *maturo propior funeri.)*, qua monetur intempestivos iam esse eius amores. — *Ducant*] Cfr. Senecae Controv. 1, 6: *Pompeium si hereditariae extulissent imagines, nemo Magnum dixisset.* Vid. Becker *Gallus* (Ed. alt.) III. p. 281. — *marita*] «matrona.» Cfr. Catull. 67, 6: *Postquam est porrecto facta marita sene.* Ovid. Fast. 2, 139: *hic* (Caesar) *castas duce se iubet esse maritas.* Praeterea reperitur subst. in aliquot Inscriptt. tertii vel quarti post Chr. seculi. — *bacis*] Rotunditas uniones commendat, ut et candor et magnitudo et levor et pondus, ut scribit Plinius H. N. 9, 35. «Bacae sunt uniones seu *perruli*» (i. e. *βήρυλλοι*, hinc *perle, Perlen).* Comm. Cruq. — *ambulet*] «superba incedat per plateas ac vicos.» Epod. 4, 5: *Licet superbus ambules pecunia.*

15-20. *libelli Stoici* cet.] «Solita erat haec libros philosophorum etiam in lectis repositos habere, ut adveniente amatore simularet se philosophiae studere, non libidini.» Comm. Cruq. «In lectis scribere librosque legere solebant litterati. Lecticulam lucubratoriam Augusti memorat Suet. Octav. 78.» Gesner. Acerba autem irrisione *Stoicos* praecipue libellos in tanta luxurie ab ea evolvi dicit. Deficiente scilicet formae elegantia talibus studiis certe simulatis huiusmodi anus adolescentes allicere conatae esse interdum videntur. Sententia igitur est: «Etiamsi, quemadmodum Caerellia illa, Ciceronis amica, philosophiae

Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
Ore allaborandum est tibi.

20. *adlaborandum* B.

studium affectas atque severa Stoicorum scripta reponere soles in pulvillis tuis sericis, credisne propter hanc litterarum simulationem me tui amore exarsurum esse? De temet ipsa quaero, num putes propterea minus *rigere* (frigere, torpere) nervos meos, qui philosophiam, quam tu ostentas, nequaquam curant?» Dubitationes de h. l. natae ex eo videntur, quod v. *rigere* acceperunt pro *arrigere naturam*, cum *languere* significet. — *Minusve*] alii *minusque*, ut ubique in his particc. variatur. Illud firmat Marius Plotius p. 278. Gaisf. — *superbo*] «fastidiente, minus obsequioso.» Schol. — *Ore*] «lingendo.»

CARMEN IX.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes
Victore laetus Caesare
Tecum sub alta — sic Iovi gratum — domo,
Beate Maecenas, bibam
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis barbarum?

IX. Inscr. volg. *Ad Maecenatem*, et sic c. — *Bello adversus Antonium et Cleopatram. Designat votis victoriam Caesaris* B. — 1. *Quando o repostum* auctore Nic. Heinsio Bentl. — 3. *domu* F. — 5. *mixtis* e duobus Lambini Codd. Bentl. (Ut nos, omnes nostri et Pottierii.)

IX. Ultimum hoc Epodon carmen statim post acceptum primum victoriae Actiacae (IV. Non. Septembr. a. u. c. 723.) nuntium domi suae potantem se componere fingens optat, ut mox sibi concedatur apud Maecenatem Caesaris reditum ac triumphum celebrare laeto convivio. Posterius hoc carmen Epodo 1. proxime praecedit Od. 1, 37.

1–4. *repostum*] «vinum interioris notae reservatumque ad dies festos.» — *Caecubum*] Plin. H. N. 14, 6: *Caecubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis sinu Amyclano.* Cf. Strab. 5. p. 231 d. 234 a. — *sub alta*] in turri *(Thurmpalast* Voss.), quam dicebant, Maecenatiana, sita in hortis Esquilinis. Od. 3, 29, 10. (Maecenatis domus saluberrimum habebat situm. Suet. Oct. 72: Augustus *aeger - in domo Maecenatis cubabat.* Cfr. Frandsen *Maecenas* p. 110 sq.) — *sic Iovi gratum*] «Eidem Iovi, qui Caesari victoriam concessit, acceptum est, ut eam debito modo celebremus.» — *Beate*] «opulente, cuique omnia ex voto cedunt», ut Od. 1, 4, 14. Cic. de Or. 2. §. 144: *istam - - sapientiam Scaevolarum et ceterorum beatorum otio concedamus.* — «Quando M. Antonio et Cleopatra, quibus iam pugna Actiaca tam improspere cessit, prorsus oppressis reversoque Caesare Romam in eius triumphi honorem potare inter nos poterimus?» Nec vero ex hoc carmine colligi potest Maecenatem cum Augusto et Agrippa adfuisse in acie Actiaca.

5. 6. *Sonante*] Symphoniam *(carmen)* dicit ex artis musicae praeceptis alternatim sese excipiente atque rite composita harmonia Phrygia *(tibiis* duabus) et Dorica *(lyra)*, cuiusmodi symphonia feminae lyram dextra plectro foris, sinistra digitis intus percutientis, tibicinis cum tibiis paribus dextris et sinistris, et cantricis cum notis musicis expressa est in tabula Herculanensi Musei Borbonici Vol. I. Tab. XXXI. Cfr. Od. 4, 15, 30. 4, 1, 23 sq. — *Hac Dorium*] Pind. Ol. 1, 17: *ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου λάμβαν'. (Τὴν Δωριστὶ ἁρμονίαν) πολεμικοῖς ἀνδράσι - - ἁρμόζουσαν* vocat Plutarch. de Mus. c. 17. p. 1136. c. — *barbarum*]

Ut nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu, — posteri negabitis —
Emancipatus feminae
Fert vallum et arma miles et spadonibus
Servire rugosis potest,

11. *heu heu* F. — 12. Ultimus huius carminis v. in B.

Athen. 1, 28: *(Ὅμηρος) τοῖς - βαρβάροις ἀποδίδωσι τοὺς αὐλούς.* Est *ἡ Φρυγιστί*, quae compotationi est accommodatissima. Od. 3, 19, 18 sq. Cfr. Catull. 64, 264: *Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.* (*Barbarum* pro Phrygio; vide Stanl. ad Aesch. Pers. 187. Halm.) Alii quidem, ut puto, minus recte v. *barbarum* de Lydia harmonia explicant. — Hanc autem *αὐλῶν πρὸς λύραν κοινωνίαν* Ephippus *μεγίστην τέρψιν* vocat ap. Athen. 14, 9., et usitata erat iam inde a temporibus Homericis Il. σ, 495: *Αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον.*

7-10. *Ut nuper*] «Quemadmodum abhinc sexennio (a. u. c. 718.) fecimus, ut sollemne convivium ageremus propter Sex. Pompeium devictum ab Octaviano et Agrippa prope Messanam et *actum (διωχθέντα*, fugatum) ex freto Siculo (posteaque in Asia interfectum ab Antonianis). Oppressum autem Sex. Pompeium tamquam praeludium atque omen victoriae de Antonio reportandae memorat. — *Neptunius Dux*] In Sex. Pompeii nummo est Neptunus aplustre manu gestans et addita prora. (Müller *Denkm.* I. N. 342.) «Sex. Pompeius se filium dicebat esse Neptuni, ut ait Livius, elatus rerum mari gestarum felicitate, quare in habitu Neptuni, veste nimirum cyanea, contra hostes pugnabat.» Comm. Cruq. Similia tradunt Dio 48, 19. Aurel. Victor. C. 84: *Cum mari feliciter uteretur, Neptuni se filium confessus est, eumque bubus auratis et equo placavit.* — *ustis navibus*] Dio 49, 10: *πάντα τὰ σκάφη (Σέξτου) τά τε ἐς τὸ τεναγῶδες ὀκέλλοντα (ὁ Καῖσαρ) κατεπίμπρη.* — *Minatus Urbi vincla*] semper tamen, vel per nummos, patris vindicem sese ferens. — *Servis*] Dio 48, 19: *τό τε ἐκείνου* (Sexti) *ναυτικὸν καὶ τὸ τῶν δούλων τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας ἀφικνουμένων πλῆθος προσλαβὼν πάμπολυ ηὐξήθη. Τοσοῦτοι γὰρ δὴ ηὐτομόλουν, ὥστε καὶ τὰς ἀειπαρθένους καθ' ἱερῶν ἔνξασθαι ἐπισχεθῆναι σφῶν τὰς αὐτομολίας.* Oros. 6, 18: *Continuo, cum contra pactum Pompeius fugitivos adlegeret, ut hostis habitus est.* Cfr. Epod. 4, 19. Vellei. 2, 73.

11-14. *Romanus - - Emancipatus*] *Emancipare se alicui* est «se veluti in eius mancipium transferre, totum se alteri tradere.» (*«einer Frau Leibeigener.»* Voss.) Plaut. Bacchid. 1, 1, 59: *Nunc, mulier, tibi me emancupo; Tuus sum, tibi operam do.* Cic. Phil. 2, 24: *tum iste venditum atque emancipatum tribunatum consiliis vestris opposuit.* Iam proprie quidem unus Antonius se

Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopium.
At hoc frementes verterunt bis mille equos

15. *turpe! militaria* t. — 16. *conopeum* bScd, Pott. omnes praeter primum, LCt. — 17. *At hoc* Fea coni.: *At huc* «Cruquiani aliquot cum duobus Pulm. et δψ,» duo Pottierii, Cruquius, *Ad hunc* bc, βx «cum sex aliis», Pottierii aliquot, LtJ, *Adhuc* S, pr. γ, χ, Codd. Bamberg., item Pottierii 3, 14, Ed. Ven. 1481., Meineke, *Ad hoc* meus d, et Bentleius coni., *Ad haec* altera eius suspicio, *Ab hoc* N. Heinsius, Hofman Peerlkamp, *At hinc* Cuningh., *At hunc* ex uno Vanderburgii Cod. Regel. (Ut nos, Dillenburger.)

emanciparat Cleopatrae; sed quatenus ipsius milites in eius verba iurarant, hi quoque Cleopatrae mancipia recte appellari poterant; indignitasque totius rei in eo vel maxime cernebatur, quod, cum in ceteris Romanam disciplinam servarent, *vallum* etiam, palum muniendis castris destinatum, ferrent (Cic. Tusc. 2, 16.), tamen reginae eiusque eunuchis ignominiosam servitutem servirent. Caesar in oratione ante pugnam Actiacam habita apud Dion. 50, 25: *Τίς μὲν γὰρ οὐκ ἂν ὀδύραιτο ὁρῶν στρατιώτας Ῥωμαίους δορυφοροῦντας τὴν βασιλίδα αὐτῶν;* — Male alii de Antonio ipso interpretantur vallum et arma ferente gregarii militis instar, ut risum moveret amicae reginae. Omnino autem, quemadmodum ubique, sic etiam hic quam maxime potuit pepercit ipsi Antonio. — *spadonibus*] Cleopatrae familiaribus ac necessariis. Od. 4, 37, 9. Plutarch. Ant. 60: *προσεῖπε Καῖσαρ, ὡς Ἀντώνιος μὲν ὑπὸ φαρμάκων οὐδ' ἑαυτοῦ κρατοίη, πολεμοῦσι δ' αὐτοῖς Μαρδίων ὁ εὐνοῦχος καὶ Ποθεινὸς καὶ Εἰρὰς ἡ Κλεοπάτρας κουρεύτρια καὶ Χάρμιον, ὑφ' ὧν τὰ μέγιστα διοικεῖται τῆς ἡγεμονίας.* Dio Cass. 50, 5: *ὁ Ἀντώνιος αὐτοποδὶ αὐτῇ μετὰ τῶν εὐνούχων ἠκολούθει.* — *rugosis*] Ter. Eun. 4, 4, 21. de eunucho: *Hic est vetus, vietus, veternosus senex, Colore mustelino.* — *potest*] H. l. *posse*, ut *τλῆναι*, *sustinere*: «ab se impetrat, ut serviat.»

15. 16. *turpe*] adiect. v. *conopium*, non magis est exclamatio, ut cum parte antiquorum Interpretum volt Torrentius et Vossius, quam Od. 2, 7, 12. — *Sol adspicit*] «*ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει*, tunc tam indigno spectaculo offensus.» — Scripturam *conopium* penultima brevi praebet Codex Reg. 7900. Sec. X., nostri *conopeum*. Est autem velum lineum tenuissimis maculis distinctum, Latine *culicare* (Schol. Iuven. 6, 80., ubi tamen est *testudineo - - conopeo*), ad culices, *κώνωπας (zanzare)*, a lectis arcendos, de quo mollitiei instrumento indignatur etiam Propert. 3, 14, 15., *Foedaque Tarpeio conopia tendere saxo* Cleopatram minatam esse memorans. Laudes contra conopii cecinit Paulus Silent. Anthol. Pal. II. p. 258. N. 764: *Εἰς κωνωπεῶνα. Ὕπνον δ' ἀστυφέλικτον ἄγω χάριν.* Id. ib. 765. et Agathias 766. (Etiamnunc conopia in usu sunt apud Italos molliores et vocantur *zanzarieri*.)

17. 18. *At hoc*] Recepi nunc ex Feae emendatione, non tamen ut

Galli, canentes Caesarem,
Hostiliumque navium portu latent

ille casu sexto: «hac de re» (quod prosam orationem redoleret), sed quarto, ut est in Taciti loco a Regelio indicato Ann. 13, 13: *Agrippina libertam aemulam -- aliaque eundem in modum muliebriter fremere.* «At hoc imprimis spectaculum indignissimum, conopium inter signa militaria (quae *ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ ἐνομίζοντο,* Dion. Hal. 6, 45.), «detestantes cet.» — Quod Regelius ex uno Cod. Vand. recepit «*At hunc* tam degenerem Romanum aspernantes», vix locum habet post interpositam integram clausulam *Interque -- conopium. Adhuc*, quod optimas habet auctoritates exteriores mihique olim post Meinekium placuit, video nunc nullo modo explicari posse «illico, statim», neque satis convenit huic loco tale *ἀσύνδετον.* Proximam a Codd. habet auctoritatem lectio *At huc*, commendata a Comm. Cruq.: «*At Galli*», inquit, «*verterunt huc*, id est, ad nos transtulerunt bis mille equos frementes.» Quod etsi dictum fere est, ut Velleii illud 2, 84., quod mox exscribemus, *Hinc ad Antonium* cet., habet tamen nescio quid *ἀχύρον* et obscuri nec satis cohaeret cum seqq. *Hostiliumque.* Tertia lectio, quam plerique sequuntur, *Ad hunc*, nititur auctoritate Codd. haud paucorum, Porphyrionis et Acronis, qui sequente ex parte Iahnio («adversus Romanum sic degenerem») explicant: «Equos adversus Antonium cum sistro converterunt.» (Ceterum vide ne *sistrum* illud non ex historia, ut volt Gesnerus, sed precario assumptum sit ex Aen. 8, 696: *Regina -- patrio vocat agmina sistro*, nisi forte corruptum est ex *sibilo.*) Verum recte Bentleius: «Neque *hunc* de Antonio accipere possis, qui nusquam antea sic nominatur aut describitur; neque *Ad hunc verterunt equos* perinde est atque *adversus hunc.*» Bentleii autem coni. *Ad hoc* pro prosae orat. *ob hoc* propter ambiguitatem minus commendabilis est, cum *ad hoc* plerumque significet «praeterea, insuper.» — V. *frementes* Comm. Cruq. et Lamb. referunt ad *equos*, de quibus sane crebro usurpantur vv. *fremere* et *fremitus* (*Schnauben, φρυαιόωντας* Iliad. *δ*, 227.) sed h. l. *ἐπίδετον* esset otiosum: rectiusque refertur ad summam Gallorum iram atque indignationem. — *verterunt*] penult. brevi. Cf. Sat. 1, 10, 45. — *Galli*] sunt Gallograeci s. Galatae Deiotari minoris. Plut. Ant. 63. ante pugnam: *ἐγένοντο δὲ καὶ βασιλέων ἀποστάσεις Ἀμύντου καὶ Δηϊοτάρου πρὸς Καίσαρα.* Vell. 2, 84: *Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Caesarem cotidie aliqui transfugiebant.* «Gallos ideo commemorat, ut pudore pulset animos Romanorum, qui passi sunt servitute se subiici spadonibus, id quod Galli sunt dedignati.» Comm. Cruq. — *canentes*] «laeta cum acclamatione identidem Caesarem salutantes, *Salve Caesar!* clamantes, ut qui in eius verba iuraturi essent. Virg. Aen. 7, 698: *Ibant aequati numero regemque canebant.*

19. 20. *Hostiliumque*] Cum haec particulâ *que* artissime iungantur cum Gallorum defectione nec verbo quidem panicus ille reginae terror significetur, illud ante omnia tenendum est, non de praecipiti

Puppes sinistrorsum citae.
Io Triumphe, tu moraris aureos

20. *sitae* Codd. duo Cruquii, «quae tamen scriptura», inquit, «non carebat litura.» *(citae* bScd.)

eius fuga verba facere poëtam, de qua Plutarch. Ant. 66: *αἰφνίδιον αἱ Κλεοπάτρας ἑξήκοντα νῆες ὤφθησαν αἰρόμεναι πρὸς ἀπόπλουν τὰ ἱστία καὶ διὰ μέσου φεύγουσαι τῶνμαχομένων· -- Οἱ δ' ἐναντίοι θαυμάζοντες ἐθεῶντο τῷ πνεύματι χρωμένας ὁρῶντες ἐπεχούσας πρὸς τὴν Πελοπόννησον.* Sed si verba per se spectaverimus, hoc videbimus dici: «partem quoque sociorum Antonii navalium simili pudore vel etiam infelicis exitus metu perculsam ignave latuisse in portu aliquo ab Actio Orientem versus sito;» sive verus eius rei nuntius Romam pervenerat sive suo iure id finxit, ut equitatui Gallico in eo pudoris vel etiam timoris affectu classis quoque hostilis pars consociaretur. Nolim huc referre verba Plutarchi Anton. 63: *Οὐ μὴν ἀλλ' ἐξενίκησε Κλεοπάτρα διὰ τῶν νεῶν κριθῆναι τὸν πόλεμον ἤδη πρὸς φυγὴν ὁρῶσα καὶ τιθεμένη τὰ καθ' ἑαυτήν, οὐχ ὅπου πρὸς τὸ νικᾶν ἔσται χρήσιμος, ἀλλ' ὅθεν ἄπεισι ῥᾷστα τῶν πραγμάτων ἀπολλυμένων.* Hoc enim, cum carmen hoc compositum est, Romae sciri vix poterat, si vel maxime verum fuit neque ex *πραγματικῷ* illo historiae scribendae genere fluxit, quo post Polybium saepe abusi sunt Graeci. Neque vero cum Interpretibus huc trahi possunt vv. Plut. Ant. eod. cap. praecedentia: *Τὸ δὲ ναυτικὸν ἐν παντὶ δυσπραγοῦν καὶ πρὸς ἅπασαν ὑστερίζον βοήθειαν αὐθις ἠνάγκαζε τῷ πεζῷ προσέχειν τὸν Ἀντώνιον.* — *citae*] partic. «citatae», ut Lucan. 8, 455: *Cyproque citatas Immisere rates*; «celeriter actae;» *puppes ciere*, in prosa or. (retro) inhibere remis, *πρύμναν ἀνακρούεσθαι. Sinistrorsum* autem, quoniam ei, qui a Septentrione contuebatur Actium, sinistram versus omnes regiones orientales sitae erant, primum Peloponnesus, tum Asia minor, ipsa Aegyptus; haec saltem intra Orientem et Meridiem, *Süd-Ost*. Simplicius etiam Gronovius Obss. 4. p. 545. Frotsch. (locus dignus, qui totus legatur) haec adnotat: «Tabulae situs pingentium docent ab Actio petentibus Aegyptum ad laevam esse navigandum. Livius illustret 28, 5. extr. in aliis locis similiter loquens: *Orum-, quae ab Demetriaco sinu Chalcidem et Euripum petenti ad laevam prima urbium Euboeae posita est.*» *(Sinistrorsum* pro *sinistre, in deterius, citae*, ut quidam interpretatus est, consuetudini Latinae prorsus repugnat.) Vide Excursum.

21. 22. *Io Triumphe -- boves?*] Cfr. Od. 4, 2, 49. Est autem interrogatio, non exclamatio, ut plerique distinguunt: *Io Triumphe -- boves!* vel peius etiam: *Io Triumphe -- boves: Io Triumphe.* «Currus ipsi triumphales parati sunt: cur tu, Triumphe, eis in mora es?» Sine imagine: «Quando tandem Caesar triumphabit?» (In nummo L. Papii Celsi apud Riccio *M. F. R.* p. 162. Triumphi est effigies iuvenilis, laureata cum tropaeo. Scribitur *TRIVMPVS.*) — *aureos*] «fulgentes ebore et laminis aureis.» Flor. 1, 5, 6: *Inde, quod aureo curru quattuor equis triumphatur.* Philostr. Vit. Soph. 1, 7: Traianus Dionem *ἀναθέμενος αὐτὸν -- ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ'*

Currus et intactas boves?
Io Triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africanum, cui super Karthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus hostis punico

22. *boves!* LCt. — 25. *Africano* Sd, pr. b, item LCtF. (Ut nos, c, corr. b, Codd. Bentleii, Oberlini B et sex Pottierii, Bentleius.) — *cui*] *quo* malebat Bentleius. — 27. *Punico* J.

ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσιν. — *intactas*] «nondum sub iugum missas.» Virg. Ge. 4, 540: *intacta totidem cervice iuvencas. Iniuges hostias* vocat Macrob. Sat. 3, 5. «A triumphantibus bos alba et indomita in Capitolio immolari solebat.» Comm. Cruq.

23 - 26. *Iugurthino*] «Non tanta gloria triumphavit Marius; non par fuit Caesari nostro Marius nec Scipio Africanus minor.» — *reportasti ducem*] «victorem Marium et antea Africanum minorem; quibus Caesar nunc antecellit.» Mire nuper quidam exposuit: «reportasti ducem captivum ac triumpho ducendum, ex Aegypto Cleopatram, ex Karthagine — quem? quaeso: «Nullum», inquit ipse, «praeter Karthaginem ipsam.» — Lect. *Africano* (bello) nimis refert pedestrem orationem et praeterea ἄχυρον est pro *Punico*. Quid multa? Prava est accommodatio ad v. *Iugurthino*. — *cui*] Fabellae Acronis et Comm. Cruq. de monumento Africano maiori oraculi iussu in portu Ostiensi condito et Karthaginem respiciente praeter Walckenaerium I. p. 360. recentiorum nemo iam fidem tribuit. — *super Karthaginem*] «super solum, ubi steterat illa.» — *Virtus*] «Virtus dea voluit, ut Karthaginis parietinae sempiternum essent Scipionis minoris monumentum.» Vell. Pat. 1, 12: *eam - urbem magis invidia imperii, quam ullius eius temporis noxiae invisam Romano nomini funditus sustulit fecitque suae virtutis monumentum, quod fuerat avi eius clementiae.* Id. 2, 40. de Pompeio: *quot partes terrarum orbis sunt, totidem* (fecit) *monumenta victoriae suae.* — Qui legunt *Africano*, ineptam sententiam continuare coacti sunt: *cui bello Africano super Karthaginem* cet.

27. 28. *Terra*] Copiae Antonii terrestres, cum per septem dies eum exspectassent, *ὡς αὐτίκα ποθὲν ἐκφανησόμενον, - - τέλος - τοῦ στρατηγοῦ Κανιδίου νύκτωρ ἀποδράντος - - γενόμενοι πάντων ἔρημοι - - τῷ κρατοῦντι προσεχώρησαν.* Plut. Ant. 68. — *punico*] «purpureo s. coccineo paludamento imperatoris deposito gregale (pullum) sagum sumpsit, quod squaloris et luctus signum esset.» Altera forma *puniceus*, quae frequentior est in prosa oratione (cfr. Muetzell ad Curtium 3, 7., ubi ipse *puniceis*, Zumpt *punicis*.), utitur Od. 4, 10, 4. (Martial. 6, 11: *Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?*) Florus 4, 11, 3. de Antonio: *Aureum in manu baculum; ad latus acinaces; purpurea vestis ingentibus ob-*

Lugubre mutavit sagum.
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis, iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos
Et Chia vina aut Lesbia.

33. 34. *scyphos; Aut Chia* ξ, Codd. Torrentii, Bentl. *(Aut ut Chia* (sic) d. Voc. *Aut* superscr. *et.)*

stricta gemmis; diadema aderat. — Similia autem de Pompeio narrat Plutarchus Caes. c. 45: ἀπεδύσατο τὴν - - στρατηγικὴν ἐσθῆτα, φεύγοντι δὲ πρέπουσαν μεταβαλὼν ὑπεξῆλθεν. — De constructione verbi *mutare* vid. Od. 1, 17, 1 sq.

29–32. *centum - - urbibus*] ἑκατόμπολιν. Od. 3, 27, 33. — Naturalis constructio est: *Aut ille petit Cretam aut Syrtes*; neutiquam vero: *mutavit iturus Cretam.* — *non suis*] «non propitiis, adversis;» *mit nicht gewognem Wind.* Voss. Pseudotib. 3, 3, 28: *Audiat aversa non meus aure deus.* Ovid. Trist. 3, 5, 4: *Nave mea vento forsan eunte suo*; quin etiam in prosa or. Sal. Iug. 64: *Iugurtham - - suo loco pugnam facere.* Seneca Ep. 71, 3: *Ignoranti, quem portum petat, nullus suus ventus est.* Liv. 9, 19: *nunquam aequis, utique nunquam nostris locis laboravimus.* — *Exercitatas*] «συρομένας, hinc illinc iactatas a Noto;» *aufgewühlt.* Voss. — *Syrtes*] Cf. Od. 1, 22, 5. 2, 6, 3. — *incerto mari*] «Animo clade, quam perpessus est, penitus perturbato dubius, quam regionem versus naviget atque ubinam terrarum appellat.»

33–38. *Capaciores*] «In laetitiam effusi largius iam potemus.» Seneca de ira 3, 14, 3: *Bibit deinde liberalius quam alias capacioribus scyphis.* — *affer*] Simile est illud Catulli 27: *Minister vetuli puer Falerni, Inger mi calices amariores.* — *Chia - - Lesbia*] vina Graeca dulcia, quae opponuntur Caecubo austero. Saepe illa consociantur, ut a Callimacho Anth. Pal. II. p. 535: Ἔρχεται πολὺς μὲν Αἰγαῖον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου Ἀμφορεύς, πολὺς δὲ Λεσβίης ἄωτον νέκταρ οἰνάνθης ἄγων. Ceterum vv. *Et Chia* pendent a v. *affer*, non, ut ratus est Bentleius, «a v. *Metire*, sive *Aut Chia* legatur sive *Et Chia.*» — *fluentem*] «potu nimio profluentem.» Scholl. De vomitu loquitur, non, ut satis mire volunt recentiores Interpretes, de alvo per nauseam soluta. Imago nobis quidem minus grata, ac propterea ita mitigata a Vossio: *der schlaffen Ekel bändiget*; cum Gargallus propius ad verba Latina accedere potuerit: *O a noi mescete il caecubo Alto fra tutt' i vini A raffrenar la nausea Che al gozzo s'avvicini.* Quid quaeris? Rem in Romanorum conviviis admodum solitam neque apud illos pudendam quantum potest urbane significat. (Nuper nonnemo mire interpretatus est: *die verschwindende Sorge, den schwindenden Ueberdruss der Kleopatra wegen,* (coërceat) *ganz zu bewälligen!*) —

Vel, quod fluentem nauseam coërceat, 35
Metire nobis Caecubum:
Curam metumque Caesaris rerum iuvat
Dulci Lyaeo solvere.

coërceat] ideo quod Caecubum erat austerum atque *εὐστόμαχον*, Athenaeo 1, 48: *πληκτικὸν καὶ εὔτονον*. — *Metire*] quia in miscendo certa quadam, etsi ad lubitum convivarum varia, cyathorum meri et aquae mensura utebantur. Cfr. Od. 3, 19, 11. — *metumque*] «qui sollicitos nos habuerat ante hunc laetissimum victoriae nuntium, vino pellamus.»

EXCURSUS

Ad v. 20.

Addamus hic Boettigeri interpretationem: *Erklär. Anmerk. zu Horaz. Braunschw.* 1793. II. p. 322: «Puppes hostilium navium sinistrorsum citae *muss man von einem Theile der Flotte verstehen, die während des Treffens in den Hafen zurückging und vielleicht durch ihr Ausreissen die schändliche Flucht der Kleopatra veranlasste, von der Plutarch im Anton.* pag. 496. E. *und Dio* 50, 33. *erzählen. Es führt zwar diesen Umstand keiner der noch vorhandenen Geschichtschreiber an. Es scheint aber doch der Gegensatz von der Desertion der Landtruppen im Vorhergehenden diese Erklärung nothwendig zu fordern.* Puppem ciere *ist, was die Griechen πρύμναν ἀναχρούεσθαι, die Römer* remis inhibere *nennen, wenn man, um den Schein der Flucht zu vermeiden, das Schiff nicht umkehrt, sondern nur rückwärts rudernd weicht.*» — Prorsus autem ridicula, quam vel caesura vetat, iunctura est Monichii: *latent sinistrorsum.*

BIBLIOTHECA MONACENSIS

CARMEN X.

Mala soluta navis exit alite,
  Ferens olentem Maevium:
Ut horridis utrumque verberes latus,
  Auster, memento fluctibus!
Niger rudentes Eurus inverso mari
  Fractosque remos differat;
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus

X. Inscr. volg. *In Maevium poëtam*, et sic c. — *Invisum sibi Maevium devovet ut horrendis prematur tempestatibus* B. — Om. T. — 1. *Malo* Victorinus p. 1252. P. — 4. *flatibus* Cod. unus (?) Valartii, item Burmannus ad Valer. Flacc. 1, 639. — 5. *rudentis* Bc.

X. Diris naufragium imprecatur Maevio. «Maevius poëta fuit inimicus Horatii, obtrectator omnium virorum doctorum, ipse sectator vocum antiquarum.» Comm. Cruq. *Marcum Maevium* vocat Glossa Cod. A Vanderb. «Triumphos Caesaris male descripsit.» Glossa Cod. H Vanderb. Virg. Ecl. 3, 90: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi.* Cfr. Weichert Poëtt. Lat. p. 342. Estré Hor. Pr. p. 104. Ridicule de Maevio Pseudoscholiasta Ibidis Ovidiani, aeque impudenter mendax atque Apuleius Osanni, Scriptor de origine gentis Romanae ac similes, ad v. 544. haec narrat: *Maevius poëta, quia male descripserat Atheniensium gesta, ab iis in carcerem positus est, ubi eum fame mori fecerunt et libros eius deleverunt.* Attuli, quia Franke p. 134. fidem huic mendacio tribuisse videtur, ut ne quis alius decipiatur. Inaudiverat fortasse homo nequam aliquid de Naevio a nobilibus Romanis in carcerem coniecto et in exsilium acto, nisi prorsus de suo ementitus est. — Tempus, quo hoc carmen compositum sit, definiri nequit. Anno 716. assignat Grotefend.

1–6. *Mala – – alite*] Od. 1, 15, 5: *Mala ducis avi domum.* — *Utrumque latus* ut *verberet* Auster, oportet navem a procella circumagi. Val. Flacc. 1, 639: *Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus.* — *Niger*] «nubes cogens.» Od. 1, 5, 6: *aspera Nigris aequora ventis.* Opponuntur *Notus albus* Od. 1, 7, 15. et *candidi Favonii* Od. 3, 7, 1. Ceterum ventos omnes adversos in Graeciam naviganti enumerat, non secundos, Notum atque imprimis Lăpyga. (Od. 1, 3, 4.) — *inverso*] «commoto ac perturbato.» Virgil. Aen. 1, 43: *evertitque aequora ventis.* — *differat*] «disiiciat.» Epod. 5, 99: *membra different lupi.*

Frangit trementes ilices;
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur aequore,
Quam Graia victorum manus,
Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem!
O quantus instat navitis sudor tuis
Tibique pallor luteus

8. *Fregit* Plotius p. 1647. P, *Vertit* vel *Sternit* dubitanter proposuit Bentleius, *Plangit* auctore Wakefieldo Bothe. (Ut nos, BbSTcd cum ceteris Codd. notis.) — Vv. 14. 18-20. in B desunt.

8-10. *Frangit*] Cum vi repetit v. *frangere*, quod longe significantius est improbabili illa coniectura *Plangit*. — *trementes*] «commotas ab Aquilone et conquassatas.» — *Nec sidus - - amicum*] «salutare, ut Castor et Pollux, ex ea caeli regione ei *appareat*, ubi occidit *tristis*, perniciem afferens, *nautis infestus* (Ep. 15, 7.) *Orion*.» Virg. Aen. 1, 535: *nimbosus Orion*. Porphyrion quidem explicat *qua nocte*; sed praestare videtur altera ratio.

13. 14. *Cum P. - - iram ab Ilio*] Minerva, prius Troianis irata propter Paridis iudicium, eadem ira persecuta est Graecos in patriam revertentes, propterea quod Aiax minor Cassandram deae supplicem in eius templo violarat. Odyss. δ, 502 sq. Virg. Aen. 1, 39: *Pallasne exurere classem Argivum atque ipsos potuit submergere ponto Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?* Propert. 3, 7, 39: *Saxa triumphales fregere Capharea puppes, Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est*. De Aiacis facinore haud raro ab artificibus antiquis in anaglyphis, vasibus ac gemmis expresso cfr. Gerhard *Vaseng*. III. p. 147. Aiax Cassandram rapiens est in Gerhard *ant. Bildw*. T. XXVII. 1. Ceterum manifesto mera est comparatio, et precario Scholasticus quidam nuper contendit festivitatem totius carminis in eo potissimum contineri, quod Pallas ulcisci debeat Maevium, qui malos in ipsam versus composuerit.

16-18. *luteus*] a v. *lutum*, herba, cuius succo pannorum infectores utuntur. *(Wau, Gilbkraut.)* Est igitur color croceus, gilvus, qualis solet esse arquatorum. Cels. 3, 24. Accipiendum autem de summi terroris colore, non de morbosis faciei maculis, mortis naturalis interdum praenuntiis, ut voluit Cruquius. De faciei colore etiam Tibull. 1, 8, 52: *nimius luto corpora tingit amor*. — *illa*] «in quam tu, homo meticulose, prorumpere soles; illa tam pudenda.» — *non virilis*] Cic. Tusc. 2. §. 54: *Eiulatus ne mulieribus quidem concessus est*. Formâ *eiulatio* utitur iam Plaut. Capt. 2, 1, 7. — *aversum*] «qui a precibus aures avertit.» Aliquanto lenius est quam *adversus*. Cfr. Interpretes ad Ovid. Her. 7, 4.

19-24. *Ionius - - sinus*] ut Od. 1, 33, 16: *Calabros sinus*. Od. 3, 27,

Et illa non virilis eiulatio,
  Preces et aversum ad Iovem,
Ionius udo cum remugiens sinus
  Noto carinam ruperit!
Opima quodsi praeda curvo litore
  Porrecta mergos iuveris,
Libidinosus immolabitur caper
  Et agna Tempestatibus.

18. *adversum Iovem* (sic) d. — 19. 20. *sinu Notus* c et aliquot Torrentii ac Pottierii. (Ut nos, BbSTd.) — 22. *Proiecta* meus d, Bentleius coni. — *iuverit* BbSTcd, Bentleii omnes, Franek., omnes (praeter 9 et 13.) Pottierii, qui recepit.

18: *ater Hadriae - sinus.* — *udo*] «pluvias afferente.» Virg. Ge. 1, 462: *quid cogitet humidus Auster.* — *remugiens*] de rauco fluctuum sono, ut Od. 3, 10, 5: *Audis, quo strepitu - - nemus - - remugiat? — Porrecta*] de cadavere extento, ut Catull. 67, 6: *Postquam est porrecto facta marita sene.* Cfr. de Bentleii coni. *proiecta* ad Od.3, 10, 3. — *mergos*] *αἴθυια*, fulica mergus. Mergi quidem cadavera non attingunt, sed ponuntur h. l. pro aliis avibus marinis, ut haliaeetis. Pers. 6, 30: *iamque obvia mergis Costa ratis lacerae.* — *iuveris*] «paveris.» Schol. Nostrum *laben.* Stat. Silv. 4, 9, 54. *Aut cum me dape iuveris opima.* Quintil. Decl. 9, 15: *si - - hominem cibo forte iuvissem.* — *Tempestatibus*] L. Scipio consul a. u. c. 494. Inscriptt. Lat. N. 522: DEDET (sic) TEMPESTATIBVS AIDE MERITO. Ovid. Fast. 6, 193: *Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur, Cum paene est Corsis obruta classis aquis.* Virg. Aen. 5, 772: *Tempestatibus agnam Caedere deinde iubet*; et quidem nigram. Virg. Aen. 3, 120: *Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.* Aristoph. Ran. 847: *Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε· Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.* «Iocose sane pro inimici interitu se rem divinam facturum dicit, quae alioqui fit pro salute navigantium». Gloss.

CARMEN XI.

Petti, nihil me sicut antea iuvat
Scribere versiculos amore percussum gravi.
Amore, qui me praeter omnes expetit
Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti 5

XI. Inscr. volg. *Ad Pettium* vel *Pectium*, et sic c. — *Pectio amico suo invisam sibi poëlicen esse in cubitus* (sic) *suos irrumpentem* B. — 1. *Pecti* BSTd,F (non bc). — 2. *perculsum* λμ, Aldus, LCtF. (Ut nos, BbSTcd, Pott. 1, 15.) — 4. *aut pueris* malebat Bentleius. — 5. *decembris* d.

XI. Lycisci, pueri amati, arrogantia ac superbia summopere commotus, dolenter Pettio, sodali suo, fatetur miseram suam sortem, quae ipsum discussis sanioribus consiliis atque obiurgationibus amicorum continuo amoris, et eius quidem parum prosperi, laqueis irretiat. Ex MITSCH. Adversus quem ipsum interpretem nobis liceat affirmare, omnia hic tam iuvenilia, praefracta, vere Romana esse, atque ad unius Horatii personam ita referri, ut metro excepto nulla in toto carmine insit imitatio Graeci alicuius carminis. Scriptus videtur epodus anno 720. vel 721. Cfr. Franke. Kirchner rettulit ad a. 717.

1. 2. *Petti*] Sic nomen scribitur etiam in Inscriptt. ac firmatur a Mario Victorino p. 235. Gaisf. et Atilio Fortunatiano p. 362. ibid. Alii *Pecti*, ut *Vectius, Vectienus* pro: *Vettius* cet. Ceterum ignotus est hic Horatii sodalis. — *Scribere versiculos*] Non sine taedio de priore suo studio loquitur. — *percussum*] πληγέντα, tamquam flagro vel stimulo. Archiloch. in Epod. Fr. 77. Bergk p. 484: *Δύστηνος ἔγκειμαι πόθῳ, Ἄψυχος, χαλεπῇσι θεῶν ὀδύνῃσιν ἔχητι Πεπαρμένος δι' ὀστέων.* Virgil. Ge. 2, 476: *ingenti percussus amore.* Aen. 9, 497: *magno laudum percussus amore*, certam auctoritatem praestante Lucret. 1, 922: *acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor, Et simul incussit suavem mi in pectus amorem Musarum.* Nimium h. l. foret *perculsum* Cod. Guelph. et Atilii l. l. (cfr. Lucret. 6, 344.), quod dicitur de vehementi ictu, velut est electricus, qui intimos vel corporis vel animi nervos penetrat tamque acriter commovet, ut prope attonitos nos reddat. Cfr. Epod. 7, 16. (*Percussum* exhibet cum nostris Cod. Franeq. et Marius Victorinus l. l. Cfr. omnino Ellendt ad Cic. de Or. 2, 70, 285. et Haase in Diario Halensi 1842. p. 774.)

3. 4. *praeter omnes*] «ultra alios omnes.» SCHOL. Cicero frequenter:

Inachia furere, silvis honorem decutit.
Heu me, per Urbem — nam pudet tanti mali —
Fabula quanta fui! Conviviorum et poenitet,
In quis amantem languor et silentium
Arguit et latere petitus imo spiritus.
Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium? querebar applorans tibi,
Simul calentis inverecundus deus

6. *Inachiam* Cod. Laurent. *(Inachaia* T.) — 8. *ut poenitet* Bentl. coni. (Habent *et* mei et Pottierii omnes.) — 9. *amantem languor* BbSTcd, omnes Pottierii, Ven. 1481. et L: *amantem et languor* Aldinae, Ct, Bentleius, FM. (Ut nos, J.) — 11. *Contraque* cum Codd. aliq. Aldinae, Lt. (Ut nos, nostri omnes.) — *nihil* T. — Post hunc vers. deficit Cod. d usque ad Artis poëticae, quae in eo Epodos excipit, vers. 179. — 12. Ultimus v. in B.

praeter ceteros. — me - - expetit - - urere] «me ante omnes petit, eligit, quem urat.» Quemadmodum forma passiva Ovid. Met. 7, 22: *Quid in hospite regia virgo Ureris?* sic h. l. *urere in pueris*; sicque *ardere, suspirare in aliqua*, et Propert. 1, 13, 7: *Perditus in quadam tardis pallescere curis* cet. Cfr. Bach ad Ovid. Met. 4, 234. Hand Turs. I. p. 536.

5 - 8. *tertius December*] mensis pro anno. Similiter Virg. Aen. 5, 626: *Septima - - aestas.* — *Inachia*] Eandem memorat Epod. 12, 14. 15. Cur autem hoc nomine ab Inacho, prisco Argorum rege, ducto usus sit quidve eo significare voluerit, nos ignorare fateri satius est quam frustra divinare. — *honorem*] «frondes.» Virg. Ge. 2, 404: *Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem*; sic *ruris honores*, «flores, fruges,» Od. 1, 17, 16. — *nam pudet*] «invitus nec sine indignatione dico me derisui hominibus fuisse; *nam pudet* tantae ignominiae.» Sine causa igitur Brouckh. *iam pudet.* — *Fabula* haud raro de sinistro rumore. Tib. 1, 4, 83: *Parce puer, quaeso, ne turpis fabula fiam.* Ovid. Am. 3, 1, 21: *Fabula, nec sentis, tota iactaris in Urbe.*

9 - 14. *languor*] «torpor et cruciatus animi.» Acron. — *Arguit*] «Est perfecti temporis.» Idem. — *spiritus*] «suspiria ex imo pectore petita.» Plaut. Cist. 1, 1, 58: *Hoc sis vide, ut petivit Suspirium alte!* Virg. Aen. 1, 371: *Suspirans imoque trahens a pectore vocem.* Ovid. Met. 2, 774: *voltumque ima ad suspiria duxit.* — *Contrane*] Triplex h. l. constructio contracta 1) ex interrogatione: *Contrane lucrum nil valet ingenium?* 2) ex indignationis exclamatione: *Contra lucrum nil valere ingenium!* 3) *Querebar nil valere ingenium. Nil valere* autem apud Inachiam contra rivalium munera largiora simplex ac sincerum ingenium suum lamentatur. — *applorans tibi*] «cum lacrimis meos amores tibi confessus.» V. *applorare*, προσολοφύρεσθαί τινι, vix alibi reperitur quam hic et apud Senecam Quaestt. nat. 4, 2, 6. — *inverecundus*] «quo liberalius sumpto

Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quodsi meis inaestuet praecordiis
Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta volnus nil malum levantia,
Desinet imparibus certare summotus pudor.
Ubi haec severus te palam laudaveram,

14. *Fervidiora* Aldinae. — 15. *inaestuat* bc. — 16. *ventus* Codd. aliq., *Venus* Pott. 1, 3, 22. (Ut nos, nostri.) — 17. *allevantia* cum Codd. aliq. Glareanus. — *inparibus* T.

omnis verecundia elabitur.» Contrarium suo loco est Od. 1, 27, 3: *verecundumque Bacchum.* — *loco*] «ex intimo animo, ubi mei amoris arcana condita erant.»

15-18. *inaestuet*] «incandescat, commota fuerit.» Schol. — *Libera bilis*] Epod. 4, 10: *Liberrima indignatio.* — «Hoc tibi tunc dicere solebam: Quodsi aliquando tam libera indignatione atque iracundia exarsero, ut exsecrari ipse possim vanas spes et querelas, quibus veluti fomentis gravi amoris infelicis volneri mederi frustra adhuc conatus sum, itaque eas, utpote nihil me iuvantes, in ventos dispergam, qui eas secum auferant, sic Inachiae superbiam detestatus eam amare tandem desinam.» — *ingrata*] «quorum, quia frustra admota sunt, me iam taedet pigetque.» Non tam: «nihil gratiae apud Inachiam habentia», ut volt Schol., quam: «nihil me iuvantia, inania, supervacanea, ἀχάριστα.» Callim. Cer. 90: τὰ δ' ἐς βυθὸν οἷα θαλάσσης Ἄλεμμάτως ἀχάριστα κατέῤῥεεν. Plaut. Asin. 1, 2, 10: *Ingrata atque irrita esse omnia intelligo.* — *ventis dividat*] «in auras dispergat, nihili pendat.» Comm. Cr. Od. 1, 26, 1: *tristitiam - Tradam - Portare ventis.* Ovid. Met. 8, 134: *an inania venti Verba ferunt* cet. Her. 15, 208: *et Zephyri verba caduca ferunt?* — *Fomenta*] Proprie hoc medicorum vocabulo *(Verband, Umschläge)* usus est Epp. 1, 2, 52: *fomenta podagram,* figurate rursus Epp. 1, 3, 26: *curarum fomenta*, «remedia et solatia.» Doering: «*haec fomenta*, intellige spem, quae eius in Inachiam amorem adhuc nutriverat; speraverat enim fore, ut Inachia candidum pauperis ingenium ditiorum muneribus praeferret.» Longe pinguius HP.: «*Fomenta* sunt ipsa convivia, solatium, quod ex conviviis petebat, quae ad amorem pellendum celebrabat.» Verum quomodo compotationes *ventis dividat* aliquis? Immo sunt lamentationes de Inachiae crudelitate, quibus iam renuntiaturum se profitetur poëta. — *Desinet* cet.] «Iam», inquit, «desinam certare cum rivalibus, qui mihi ingenio certe (v. 12.) *impares*, inferiores quam ego sunt (ut dicitur *genere impar, nicht ebenbürtig*, quibus ingenio et χάρισι longe superior sum), iisque Inachiam, quae me aspernata est, ultro concedam.» *Certare alicui* haud raro apud poëtas invenitur. Sat. 2, 5, 49: *certans - melioribus.* Vid. ad Epod. 2, 20. Reiiciendae autem ceterae interpretationes: 1) «cum rivalibus meis,

Iussus abire domum ferebar incerto pede
Ad non amicos heu mihi postes et heu
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitie amor Lycisci me tenet,
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia nec contumeliae graves,

24. *mollitia* bSTc, LCtFJ. (Ut nos, δ, pr. β, Bentleius, M.)

quibus in muneribus largiendis impar sum et inferior.» Schol. 2) «cum amore haud mutuo.» Iam etsi *pares* sunt «amore inter se iuncti» (Epod. 15, 14.), quid h. l. esset «certare cum amore haud consociatis», nemo dixit nec dicere potuit. 3) V. *imparibus* habito pro ablat. instrum. neutr. plur.: «imparibus armis; id est, muneribus ceterisque modis, quibus vinci solent mulierculae.» — *summotus pudor*] Achilles Tatius pag. 28. Iacobs: *Ἔρως καὶ Διόνυσος, δύο βίαιοι θεοί, ψυχὴν κατασχόντες, ἐκμαίνουσιν εἰς ἀναισχυντίαν.*

19-22. *severus*] «Ubi talia, quemadmodum mihi certe videbar, memet ipso contentus, satis constanti et praefracto animo iactaveram, a te admonitus, ut ex convivio recta domum meam redirem nec deflecterem ad amicae ianuam, rursus tamen vix mihi conscius ac prope invitus ad hanc trahebar.» — *te palam*] Ovid. Trist. 5, 10, 39: *Meque palam de me tuto mala saepe loquuntur.* Liv. 6, 14: *inde rem creditori palam populo solvit.* — *incerto pede*] «primum resistente, deinde semper maiore cum vi clanculum ad Inachiam me perducente.» Tibull. 2, 6, 11: *Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto Excutiunt clausae fortia verba fores. Iuravi quoties rediturum ad limina nunquam! Cum bene iuravi, pes tamen ipse redit.* Etiam in prosa or. Cic. ad Att. 15, 16: *Itaque me referunt pedes in Tusculanum.* Male nonnulli interpretantur de temulenti poëtae titubante incessu. — *non amicos* cet.] «iniquam ianuam, cuius limen transgredi mihi non concedebatur.» Od. 3, 10, 2: *asperas Porrectum ante fores.* — *infregi latus*] «ibi porrectus latus defatigavi.»

23-28. *gloriantis*] «qui eo superbit, quod formâ delicatâ omnem mulierculam antecedat.» — *mollitie*] «Recipimus, ut evitetur vastus ille et inconditus sonus *A A*; sic et alibi S. 2, 2, 87. *mollitiem* dixit, non *mollitiam*.» Bentl. — *contumeliae*] sodalium graves obiurgationes et amara irrisio. «*Nicht strenger Vorwurf oder Hohn.*» Voss. «*o fier rimprocci.*» Gargallo. Male plerique ad Lycisci superbiam hoc referunt. — *teretis*] Sic Itali *tornito garzone* (Gargallo.), *schlank gerundet.* — *renodantis*] «eleganter in nodum colligentis, religantis, puellae instar.» «Alebant enim comam formosi pueri et delicati, ut compositi amatoribus magis placerent.» Schol. Cfr. Senecam in Epp. 119, 15: *si pertinere ad te iudicas, quam crinitus*

Sed alius ardor aut puellae candidae
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

27. *arbor* T. — 28. *redonantis* T.

puer et quam perlucidum tibi poculum porrigat, non sitis. Contraria significatione Valerius Flaccus 5, 380. Dianam *renodatam pharetris ac pace fruentem* vocat, quae solvit et deposuit humero pharetram. Nec tamen propterea cum aliis hic explicem: «solventis comam;» utpote qui naturalis comae situs sit, quem commemorare nihil attinebat, cum qualemcunque ornatum significare longe praestaret. Praeterea repugnat analogia v. *religare crines.* (Od. 1, 5, 4. 2, 11, 24. 4, 11, 5.) Alia res est Od. 4, 10, 3., ubi de comis, *quae nunc involitant humeris*, praedicit fore, ut aliquando resecentur.

CARMEN XII.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
Munera quid mihi quidve tabellas
Mittis nec firmo iuveni neque naris obesae?

XII. Inscr. volg. *In anum libidinosam.* — *Summae mulierem libidinis repellit. Dignam esse ait elephantis* Bb. — *In Gratidiam converso nomine* c. — Om. T. — 2. *cur mihi* bSTc, LCtFJ. (Ut nos, B, κλν et unus Canteri.) — 3. *Mittes* B. — *iuveni firmo* bSc,J (non BT). — *nec naris* B.

XII. Anum quandam (Canidiam haud nimis probabiliter prae se fert C1d. Blandin. et c. Cfr. Epod. 8.), pudendae ab ea mollitiei accusatus, poëta hoc carmine proscindit, in summamque cum foedissimae turpitudinis, tum flagitiosae libidinis infamiam Archilochio modo adducere laborat. Est ex genere priscae illius *Fescenninae licentiae*, in qua *iam saevus apertam In rabiem coepit verti iocus* (Epp. 2, 1, 148.); nec ficta scena videtur, quoniam nihil impedit, quo minus statuamus anum quandam libidinosam molestiam aliquando creasse verbis lascivis donisque ingratis adolescenti Horatio, cum inviti amplexus appeteret, poëtamque hoc carmine virulento sese ultum isse. Tempus compositionis incertum est. Fluctuant inter annos 715 - 719. Biennio saltem praecedentem hic epodus antecessit. Vid. v. 14 sq. coll. Epod. 11, 5 sq.

1-6. *Quid tibi vis*] Pr. «quodnam tuum est consilium?» tum idem fere ac: «quid insanis? satin sana es? Nihil profecto proficies, fatua!» ut Prop. 1, 5, 3: *Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?* Archil. Fr. 81. Schn.: *Τίς σὰς παρήειρε φρένας;* — *barris*] «Apud Indos - elephantus a voce *barro* vocatur; -- vox eius *barritus.*» Isidor. Origg. 12, 2, 14., vix recte. Dignam igitur dicit, quae rem habeat potius cum elephantis, *forma trucibus, odore gravibus, mole terribilibus* (Oros. 4, 1.), quam cum adolescente formoso. Alii precario de simiis, alii magis etiam ridicule de Barro, noto moecho (Sat. 1, 6, 30.), interpretati sunt. — *quid mihi* firmat Marius Victorinus p. 235. Gaisf. Contra glossam *cur mihi curve* habet iam Atilius Fortunatianus p. 362. ibid., cuius prior pars in multos Codd. irrepsit, sed ingratam h. l. efficit variationem inter *cur* et *quid.* — *tabellas*] «pugillaria, epistolas amatorias.» Vide ad v. 17. — *firmo*] «non satis valido ad libidinem tuam explendam.» Hoc per iocum, cum tantum propter vetulae turpitudinem minus sit firmus. — *neque naris obesae*] atque ideo obtusae. Hoc igitur dicit: «At ego eius naris sum, quae malos odores facillime persentiscat atque summopere horreat.» (Ceterum de partt. *nec-neque* cfr. Hand Tursell. IV. p. 128.) —

Namque sagacius unus odoror,
Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor vietis et quam malus undique membris
Crescit odor, cum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare; neque illi
Iam manet humida creta colorque
Stercore fucatus crocodili, iamque subando
Tenta cubilia tectaque rumpit!
Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:

7. *Quis* nostri Codd., LCtJ. (Ut nos, *βγκ* «cum tribus aliis praeter sex Torrentii» Bentl., FM.) — 8. *Crescat* c, ξ, pr. *β*, quattuor Pott. — 9. *nec* LCtF. (Lectiones v. 9 seqq., quas Bothe tribuit Glareano: *properant - - nec illis - - rumpis - - agitas*, certe non reperiuntur in eius Ed. Friburg. 1533.)

unus] ante omnes. «*Unus* saepe superlativis, raro comparativis adiungitur.» WAGNER ad Aen. 1, 15. — ***Polypus***] Eadem quantitate Sat. 1, 3, 40. propter litteram liquidam *l*, ut *melos* in Persii Prol. v. ult. atque in eiusdem Sat. 1, 4: *Ne mihi Polydamas* cet. Alii scribunt *Pulypus*, sine auctoritate. Ceterum cfr. Cels. 6, 8, 2. Ibid. §. 4: *ulcera naris odorem foedum habent, quod genus Graeci ὄζαιναν appellant.* — ***hircus***] molestus odor hircinus sub alis. Epp. 1, 5, 29: *olidae - caprae.* — *cubet*] «velut ibi lateat.»

7-12. *vietis*] «senio iam flaccidis, marcidis.« H. l. bisyllabum. Cfr. Lucret. 3, 386: *cecidisse vietam Vestam.* — *pene soluto*] «delassato.» SCHOL. «Cum coitu peracto vir iam languet, illa nondum satiata magis etiam restingui cupit libidinem suam effrenatam ac rabiosam.» — *neque - - manet*] «omnes iam fuci, quibus utitur, propter sudorem diffluunt.» — *creta*] Creta ut cerussa pro fuco utebantur. Martial. 6, 93, 9. de tali muliere fucata: *acida latet oblita creta.* — *fucatus*] «fuco faciei inductus.» — *crocodili*] Clemens Paedagog. 3, 2, 7: *Τρὶς γάρ, οὐχ ἅπαξ ἀπολωλέναι δίκαιαι κροκοδείλων ἀποπάτους χρώμεναι καὶ σηπεδόνων ἀφροῖς ἐγχριόμεναι.* Plin. H. N. 28, 8, 28: Crocodili *intestina diligenter exquiruntur iucundo nidore referta.* - - Crocodilea *illita ex oleo cyprino molestias in facie enascentes tollit* cet. — *subando*] «supra virum se agitando.» SCHOL. — *rumpit*] «lectus intortis funibus s. loris ac fasciolis subtentus eiusque *tecta*, id est, aulaeum, *Baldachin*, ut corruant, facit vehementer se agitando.» *(Tecta* alii minus recte integumenta s. stragula lecti interpretantur.)

13-16. *Vel mea* cet.] Nova sententia cum abruptius inferatur, indignationem poëtae egregie exprimit. «Rursus quam importuna et abominanda est, cum fastidium, quo eam repello, saevis opprobriis exagitat!» Ex vv. 7 sqq. *Qui sudor* cet.

Inachia langues minus ac me;
Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
Mollis opus. Pereat male, quae te
Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem,
Cum mihi Cous adesset Amyntas,
Cuius in indomito constantior inguine nervus
Quam nova collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
Cui properabantur? Tibi nempe,
Ne foret aequales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier sua quam te.

15. *potens* T. — Inter v. 22. et 23. hunc inseruit T: *Cetera mitte loqui. deus haec fortasse benigna,* infra (Epod. 13, 7.) omissum. — 23. *aequalis* BT.

elice: «quam item foeda est, cum me obiurgat!» — *Vel - cum*] Vide ad Epod. 2, 17. — *Inachia*] Cf. Epod. 11, 6. — *langues minus*] «longe fortiorem te praebes in Inachia ter interdum una nocte subagitanda.» — *potes*] Eadem hac reticentia utitur Virgil. Ecl. 3, 8. Martial. 3, 33, 1. Theocr. 1, 105. ed. Ameis: *οὐ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βωκόλος;* Luc. Dial. Deor. 15: *Ἐγὼ δὲ ἤδη ποτὲ τὴν Ἀφροδίτην - ἀλλ' οὐ χρὴ αὐχεῖν.* Strato in Anth. Pal. II. p. 452: *Ἐχθὲς ἔχων ἀνὰ νύκτα Φιλόστρατον οὐκ ἐδυνήθην.* — *Mollis*] «nimis flaccidus vel ad unum coitum.» — *quae te Lesbia* cet.] De constructione cf. Epod. 6, 7 sq.

17-20. *Lesbia*] ancilla, vel potius lena. Tibull. 2, 6, 45: *Lena necat miserum Phryne, furtimque tabellas Occulto portans itque reditque sinu.* — *taurum*] «cum virum quaererem fortem ac validum, nimis frigidum illa ad me perduxit.» — *Cous*] Damoxenus apud Athen. 1, 26: *Νεανίας - - Ἐτῶν ἴσως ἑπταχαίδεκα, Κῶος· θεοὺς γὰρ φαίνεθ' ἡ νῆσος φέρειν.* De his *ἐπιθέτοις* a patria petitis cfr. ad Od. 1, 9, 16. — *indomito*] «nunquam lasso, sed semper ad venerem prompto.» — *nervus*] «Cuius ab inguine erigitur penis firmior, quam arbor novella et vegeta radicibus terrae inhaeret.» Mire haesit in hoc v. *nova* «ideoque robusta» summus Scaliger coniiciens: *Quam non.*

21-26. *Muricibus Tyriis*] «Vestis illa purpurea dibapha cui magno cum studio parabatur mittebaturque dono nisi tibi, ingrate? Ne scilicet inter sodales tuos quisquam esset, qui pretiosius amoris pignus ab amica sua acceptum ostentare eoque se iactare posset.» — *iteratae*] Sic Stat. Silv. 3, 2, 140. *iteratam purpuram* dixit. Od. 2, 16, 35: *bis Afro Murice tinctae - lanae.* Ovid. A. A. 3, 170: *quae bis Tyrio murice lana rubes.* — *nempe*] cum leni irrisione. Hand Turs. IV. p. 162. — *mulier*] pro amica, ut Catull. 70, 1: *Nulli se dicit mulier mea nubere malle Quam*

O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos capreaeque leones!

25. *O ego infelix* «Codd. quidam tam aliorum quam nostri, sed ii non ultimae vetustatis.» Bentl. Grammaticus Eichenfeld. p. 412. et Charisius p. 134. P. pag. 94. L. (Ut nos, omnes nostri et Pott.) — *acris* BST. — 26. *lupus* T.

mihi. — *quam te*] «quam tua te.» — *O ego non felix*] Firmatur haec lectio a Codd. nostris, neque ulla aderat necessitas, cur licentiam admitteret vocalis non elisae. Sic Consol. Liv. Aug. v. 145: *Iamne ego non felix? iam pars mihi rapta Neronum?* Silius 3, 334: *Armiger Eoi non felix Memnonis Astyr*. Similiter idem 3, 192: *non aequas* (inaequales) — — *Arctos*. — *lupos*] Theocr. 11, 24: *Φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα*. — *capreae*] Il. λ, 383: *Οὔτε σε πεφρίκασι, λέοντ' ὣς μηκάδες αἶγες*.

CARMEN XIII.

Horrida tempestas caelum contraxit et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc siluae
Threïcio Aquilone sonant: rapiamus, amici,

XIII. Inscr. volg. *Ad amicos.* — *Amicos hortatur ut vim tempestatis de die discumbendo vitent et dum sit impedimento senectus voluptatibus vacent* B. — *Ad amicos comicos* c. — Om. T. — 1. *constrinxit* superscr. *contraxit* c. — 3. *amici* BbSTc ceterique noti: *amice* Bentl. coni. et M.

XIII. Die hiberno et procelloso sodales exhortatur, ut genio indulgeant, et, ut saepe, laetiorem vitae usum propter mortem brevi tempore instantem iis commendat, exemplo desumpto a praeceptis, quae Chiron, sapientissimus Centaurus, olim alumno Achilli dederit. (Tempus compositionis incertum est; referunt ad a. 721. vel 722. vel 723. Alii, ut Dillenburger p. 38., minus probabiliter contendunt, haud ita multo post pugnam Philippensem scriptum esse.) In Codd. aliq. inscribitur: *Ad amicos comicos,* id est, *Ad amicos, κωμικῶς.*

1 - 4. *Horrida tempestas*] *Φρίσσοντας ὄμβρους* dixit Pind. Pyth. 4, 84. Anacreon Frgm. 7. Bergk.: *Μεὶς μὲν δὴ Ποσιδηῶν' Εστηκεν, νεφέλαι δ' ὕδατι Βαρύνονται, ἰδ' ἄγριοι χειμῶνες παταγοῦσιν·* quibus similis *γνώμη* de vita laete degenda subiuncta fuisse a poëta videtur. — *contraxit*] «spatium caeli, quantum alias oculis videtur, coartavit nubibus obductis.» Interpolationem *constrinxit* habet etiam Cod. Franeq. — *deducunt Iovem*] Ex antiquissima Latinorum sententia Iuppiter ipse in Terram per imbres descendit, id est, principium generans in illud, quod concipit. Lucret. 1, 251: *Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Aether In gremium matris Terrai praecipitavit: At nitidae surgunt fruges* cet. H. l. omissa fecundandi notione imaginem ita invertit, ut imbres Iovem in terram deducant. Cfr. Virg. Ecl. 7, 60. Ge. 2, 325 sq. Ennius apud Varr. L. L. 5, §. 65: *Istic est is Iuppiter quem dico, quem Graeci vocant Ἀέρα, qui ventus est et nubes, imber postea, Atque ex imbre frigus, ventus post fit, aër denuo.* Aristid. *εἰς Δία* p. 9. Dind.: *ἡ οὐρανοῦ καὶ ὄμβρου συνουσία Διός.* — *siluae*] Vid. ad Od. 1, 23, 4. — *Threïcio Aquilone*] De hiatu vide ad Od. 2, 20, 13. — *rapiamus*] Similis sententia Od. 3, 8, 27: *Dona praesentis cape laetus horae.* «Arripiamus occasionem nos exhilarandi eadem celeritate, qua dies hodiernus illam offert, crastino minime confisi, de quo quidem, ubi venerit, idem valebit.» Ovid. Heroid. 19, 74: *nec tibi rapta via est?* «nec rapide eam cepisti?» Minus apte alii explicant: «rapiamus ab hac ipsa caeli intemperie occasionem cet.» «Qui cum Porphyrione tempestiva convivia intelligentes interpretati sunt *primo mane,* vehementer errant. Sufficit consumendi notio.» Hand Turs II. p. 206. — *amici*] Sic Od. 1, 27, 7. et Od. 1, 37, 4. *sodales* (et

Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move consule pressa meo.
Cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea

7. Vid. ad Epod. 12, 22. — 8. *Achaemenia* Aldus, LCt. (Ut nos, omnes nostri ac Bentleii.)

Sat. 2, 2, 1: *Quae virtus et quanta, BONI, sit vivere parvo*, cet.) alloquitur; v. autem 6., propter quem Bentleius coniecit *amice* (vocat., non adverb.), se convertit ad *συμποσίαρχον*, qui vinum praebebat. Fuerunt, qui *amici* minus recte pro nominat. haberent. — *virent*] Solita apud Latinos imagine, ut Od. 1, 9, 17: *Donec virenti canities abest Morosa.* Ovid. Fast. 5, 274: *cum iuvenilibus annis Luxuriant animi corporaque ipsa virent.* Virg. Aen. 6, 304: *cruda deo viridisque senectus. Genua* frequenter pro roboris propria sede. Plin. H. N. 11, 45, 103: *inest* (genibus) *vitalitas.* Theocr. 14, 70: *ποιῆν τι δεῖ, ἅς γόνυ χλωρόν.* Theognis 977: *Ταῦτ' ἐσορῶν κραδίην εὖ πείσομαι, ὄφρα τ' ἐλαφρὰ Γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρεμέως προφέρω.*

5. 6. *obducta*] «curis et tristitia quasi nubila.» Sic etiam Iuven. Sat. 9, 2: *fronte obducta*, et *συννεφὴς* Creon apud Eur. Phoen. 1307. D. Hippol. 173: *Στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος.* — *senectus*] «morositas, taedium», qua significatione *senium* saepius usurpatur. — *Tu*] «convivator», non «pincerna», ut volunt Schol. — *move*] Od. 3, 21, 6: *(testa) moveri digna bono die.* Od. 3, 28, 7. Est igitur: «proferri iube ex apotheca.» «Misce», ut volunt Schol., significare nequit. — *Torquato - consule - meo*] L. Manlio Torquato cos. a. u. c. 689., Horatii natali. Od. 3, 21, 1.

7-10. *Cetera*] «quae sollicitos nos habent, omitte nunc.» Quae autem haec fuerint poëtae ingrata, utrum re vera aeger animi fuerit, fortasse de rei publicae temporibus, an *ἀντιθέσεως* ad convivii laetitiam gratia finxerit has curas, nos ignoramus. (Similiter Od. 1, 9, 9: *Permitte divis cetera* cet.) — *Reducet in sedem*] «deus grata vicissitudine reddet statum certum ac firmum iis, quae nunc labant.» Sic Augustus apud Suet. Oct. 28: *Ita mihi salvam ac sospitem rem publicam sistere in sua sede liceat.* — *Achaemenio*] Cfr. Od. 2, 11, 16. 2, 12, 21. 3, 1, 44. Genus neutrum firmant etiam mei Codd., ut Epod. 5, 59. — *fide Cyllenea*] «lyra inventa a Mercurio, nato in Cyllene, Arcadiae monte.» Epicus poëta apud Schol. Pind. ad Nem. 2, 16: (Maia) *Κυλλήνης ἐν ὄρεσσι θεῶν κήρυκα τέκ' Ἑρμῆν.* Virg. Aen. 8, 138. Silius 3, 203: Mercurius *gelidis almae Cyllenes editus antris.* — *diris*] «crudeliter nos excruciantibus ac propterea detestabilibus;» longe efficacius h. v. hic, ubi summe contendit, ut omni aegrimonia se liberet, quam *duris*, quamquam alibi hoc praetulerunt poëtae, ut Virg. Aen. 4, 488: *ast aliis duras immittere curas.*

11. 12. *grandi*] ut erant heroum formae maiores volgo. De Achille Odyss. ω, 40: *Κεῖσο μέγας μεγαλωστί.* Obscurant imaginem, qui

Levare diris pectora sollicitudinibus;
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi

10. *duris* ex ξ et Ed. Locheri 1498. Bentleius. (Nostri et Pottierii omnes *diris.)* — 11. *cecinit grandi* B, *graui cecinit* T. — 12. *Invicte mortalis*, *dea* distinguunt FJ. — 13. *parvi*] *proni* malebat Bentleius, *puri* Hofman Peerlkamp, *tardi* Meineke *Philol.* II. pag. 462. *(paui* T.)

exponunt: «grandi animo s. indole;» vel etiam: «adulto», ut est sane, sed ridiculi causa, apud Iuven. 7, 210: *Metuens virgae iam grandis Achilles Cantabat patriis in montibus.* Proclus in Plat. Alcib. V. I. p. 98. Creuzer: *Λέγει οὖν καὶ ὁ Ἀντισθένους Ἡρακλῆς περί τινος νεανίσκου παρὰ τῷ Χείρωνι τρεφομένου· μέγας γάρ φησι καὶ καλὸς καὶ ὡραῖος, οὐκ ἂν αὐτοῦ ἠράσθη δειλὸς ἐραστής.* — *Centaurus*] Chiron, qui in Pelii montis antro Aesculapium, Iasonem huiusque filium Medum, item Achillem educavit. Pind. Nem. 3, 53. Ap. Eurip. Iphig. in Aul. 709. educavit eum *Χείρων, ἵν' ἦθη μὴ μάθοι κακῶν βροτῶν.* Iliad. λ, 832: *δικαιότατος Κενταύρων.* Pind. Pyth. 3, 63: *σώφρων.* Loci praecipui sunt etiam in Orphei Argon. 379. Ovid. Fast. 5, 379. Philostr. Imagg. 2, 2. Liban. Enc. Achil. Ed. Reiske IV. p. 1044. Chironis imago est in Gerh. *Vaseng.* III. T. CCXXVII. Iam Hesiodo tribuebantur *παραινέσεις ἐπὶ διδασκαλίᾳ τῇ Ἀχιλλέως.* Pausan. 9, 31, 5. Schol. ad Pind. Pyth. 6, 21. Schultz in Museo Rhen. 5, 4. p. 600. Etiam Marckscheffel Hesiodi Fr. p. 479: «Ad Hesiodeas Chironis *ὑποθήκας* fortasse Horatius h. l. respexit.» Nisi vero respexit potius ad Antisthenis Herculem. Vide supra et Winckelmann Antisth. p. 15. Scriptor Titanomach. apud Clem. Alex. Str. 1, 15, 73: *(πρῶτος οὗτος) Εἷς τε δικαιοσύνην θνητῶν γένος ἤγαγε δείξας Ὅρκους καὶ θυσίας ἱλαρὰς καὶ σχήματ' Ὀλύμπου.* Cfr. Gregor. Nazianz. Epitaph. Basilii. Ed. Paris. 1778. p. 779. et egregiam tabulam in *Museo Borbon.* Vol. I. T. VII. Etenim saepe artifices antiqui Achillis apud Chironem educationem expresserunt, velut cum Peleus magistro filium tradit vel cum parvulus coram Centauro ludit *θυμολέων* ille. *Annal. dell' Instit.* III. pag. 153. Gerhard *Vaseng.* III. T. CLXXXVIII. Vide Excursum. — *Invicte*] Construe v. *Invicte* per se posito (ut est Virg. Aen. 6, 365. et 8, 293.): *Invicte, puer nate mortalis dea,* potius quam: *Invicte puer, nate mortalis dea*; «qui, quamvis filius deae marinae, morti obnoxius es.» Alii denique distinguunt: *Invicte mortalis! dea nate puer Thetide*; qua in ratione minus clare apparet oppositio inter mortalem et deam, nec credo antiquis placituram fuisse hanc allocutionem: *Invicte mortalis!*

13. 14. *Te manet*] «Fatale tibi est ad Troiam proficisci.» — *Assaracus,* Trois filius, Anchisae avus. Iliad. υ, 234 sqq. — *frigida*] Homer. Iliad. χ, 151. de altero Scamandri fonte: *Ἡ δ' ἑτέρη θέρεϊ προρέει εἰκυῖα χαλάζῃ Ἢ χιόνι ψυχρῇ.* Mein. — *parvi - Scamandri*] Contra Iliad. υ, 73: *μέγας ποταμὸς βαθυδίνης, Ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοί, ἄνδρες*

Findunt Scamandri flumina lubricus et Simoïs,
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
Rupere, nec mater domum caerula te revehet.

15. *curto* malebat Bentleius. (Nostri *certo.*)

δὲ Σκάμανδρον. Verum progrediente tempore vel ex parte erat exsiccatus vel hominibus longe minor famâ Homericâ videbatur, unde Lucan. 9, 972. rhetorice: *Inscius in sicco serpentem pulvere rivum Transierat, qui Xanthus erat.* Atque omnino in talibus epithetis locorum praesertim a scribentis patria remotorum libertatem fingendi sibi indulserunt poëtae; unde reiicienda est HP. coniectura *puri.* Cfr. Iacob Quaestt. ep. pag. 161. In Meinekii autem coni. haud magnopere placet *ἀντίθεσις* mere Ovidiana *tardi - - lubricus,* quae ab Horatii indole abhorrere videtur. (*Allgemeine Zeitung* 1843. pag. 309: *Der* Simois, *jetzt* Bunárbaschi, *das ist, das Haupt der Quellen, ist ein Zufluss des* Scamander, *jetzt* Menderé. — Ceterum de oppositis interdum eorundem fluviorum cet. *ἐπιθέτοις* apud poëtas consule Iahn ad Virg. Aen. 1, 347. Ed. alt. Exemplis adde Virg. Aen. 3, 76: *Mycono e celsa.* Ovid. Met. 7, 463: *humilem Myconon.*) — *Findunt*] «perfluunt». — *flumina*] de uno flumine, ut saepe apud Homer. *καλὰ ῥέεθρα.* — *lubricus*] Accipe potius de celeri quam de tortuoso Simoëntis cursu, ut apparet etiam e seqq. exemplis. Ceterum *lubricus,* in quo v. nuper nescio qui Scholasticus magnum quaesivit mysterium, tralaticium est fluviorum *ἐπίθετον.* Ovid. Amor. 3, 6, 84: *Supposuisse manus ad pectora lubricus amnis Dicitur.* Fast. 4, 337: *lubricus - Almo.* 6, 238: *lubrice Tibri.*

15. 16. *reditum*] De Achillis post obitum in Leuce insula vita beatissima cfr. egregium Maximi Tyrii locum Diss. 15. extr. p. 59. ed. Paris. — *certo*] «immutabili, inevitabili». *Subtemen* etiam apud Catull. 64, 327. de Parcarum filis. Virg. Aen. 10, 814: *Extremaque Lauso Parcae fila legunt.* Iam usus frequentissima imagine fili Parcarum secti nihil aliud dicit quam hoc; «certo fato *abscindunt tibi reditum* (Ep. 16, 35.), redire te vetant Parcae;» nec construi potest *Parcae certo subtemine,* «quae certum filum cuique nere solent»; neque legendum *curto,* quod voc. semper mutilationis significationem retinet nec substitui potest v. *brevis.* — *caerula*] pr. «maris colorem habens, marina», ut Od. 1, 17, 20. Circen *vitream* dicit. Propert. 2, 9, 15. de Achille occiso: *Cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater.* «Nec ipsa tua mater, dea maris, veluti praesens comes iter tuum in patriam fortunabit.» Minime vero, ut aliis placuit, ipsum mare intellexit, cum *matrem caerulam* memoravit; ut iam desciscens a naturali orationis et sententiarum pulchritudine Val. Flacc. 5, 200: *Adnue, diva maris* (Helle), *- - Quando egomet rursus per te vehar?* — Ceterum egregiam Thetidis grypocampo per mare vectae filioque novum scutum apportantis imaginem habes in *Museo Borbon.* X. T. 19.

17. 18. *vino*] Cfr. Simon. Schneidew. p. 15: *Πῖνε, κἄν' ἐνὶ συμφοραῖς Οἶνον, ἀμύντορα δυσφροσυνάων.* Meleager in Anth. Pal. II. p. 463: *Ζωροπότει, καὶ κλῆρες*

Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

18. *aegrimoniae et dulcibus* corr. c. et Pottierii 4, 5.; *aegrimoniae ac dulcibus* malebat Bentleius. (Ut nos, BbST, pr. c, omnes Bentleii, ceteri Pottierii.)

ἀφυσσάμενος σκύφος οἴνας Ἐκχρυσον στυγερὰν ἐκ κραδίας ὀδύνας. — *cantuque*] Iliad. *ι*, 186: *Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ, -- ἄεισε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.* Achilles lyram pulsans est in tabula picta Pompeiana *Mus. Borb.* XIII. T. XXXVII. — *Deformis*] «quae deformes reddit, deturpat sollicitos.» Sic Ovid. A. A. 3, 373: *Ira - deforme malum.* Construe autem: *vino cantuque, dulcibus alloquiis*, id est, quae dulcia sunt *παραμύθια*, solatia, *deformis aegritudinis*. Non vero cum aliis: *omne malum deformis aegrimoniae levato vino cantuque, dulcibus* hominum *alloquiis*. *Alloqui* autem saepe de consolatione. Varro L. L. 6, §. 57: *adlocutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad aliquam locutum consolandi causa.* Catull. 38, 5: *quem -- Qua solatus es allocutione?* Ovid. Trist. 1, 8, 17: *Quid fuit ingenti prostratum mole sodalem Visere et alloquii parte levare tui?* Seneca Cons. ad Marc. 1, 6: *Fatigatae allocutiones amicorum* cet.

EXCURSUS

Ad v. 11.

Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno] Fabulam sic ampliavit Sidonius Apoll. Carm. 9, 129: (Achilles) *Peliaco putatur antro Venatu, fidibus, palaestra et herbis Sub Saturnigena sene institutus, Dum nunc lustra terens puer ferarum Passim per Pholoën iacet nivosam, Nunc praesepibus accubans amatis, Dormit mollius in iuba magistri.* — Antiquissimum autem huius fabulae monumentum exstabat in Bathyclis (Olymp. L. — LX.) throno Apollinis Amyclaei. Pausan. 3, 18, 7: *Παραδίδωσι δὲ καὶ Πηλεὺς Ἀχιλλέα τραφησόμενον παρὰ Χείρωνος, ὃς καὶ διδάξαι λέγεται.*

CARMEN XIV.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,

XIV. Inscr. volg. *Ad Maecenatem.* — *Maecenati accusat desidiam suam* B ac similiter c. — Om. T. — 3. *uti si ducentia* ξ, *uti ducentia* bc,β, Pottierii quinque, *veluti ducentia* νω et aliquot Pottierii.

XIV. Maecenati, qui instantius, quemadmodum videtur, Epodon συλλογὴν ut ederet ab eo petierat, se excusat, propterea quod Phrynes amore captus inertiae se dediderit; quam satis validam causam esse minime latere ne ipsum quidem amicum pariter amori obnoxium dicit. Compositionem referunt ad annos u. c. 720. 721. 722. Vid. Franke p. 133.

1-4. *imis - sensibus*] ut alibi *imo corde, imo pectore*, sicque Virg. Ecl. 3, 54: *Sensibus haec imis (res est non parva) reponas.* — *Oblivionem*] carminis tibi promissi. — *ducentia somnos*] Sic *soporem ducere* pro *obducere* etiam Tib. 1, 2, 79. — *traxerim*] Cfr. 1, 17, 21. et 4, 12, 14. *ducere pocula, Liberum.* Eurip. Cycl. 417: πῶμα - - Ἑδέξατ' ἔσπασέν τ' ἄμυστιν ἑλκύσας.

5-8. *Candide*] «vere mihi amice semperque sincere.» — *occidis*] «toties me rogas, ut crucies me et eneces; nam quid aliud tandem respondere possum quam deum, id est, Amorem, me impedire?» Poëta apud Athen. 10, 64: Ἀπολεῖς μ' ἐρωτῶν. — *olim*] «iamdudum, ut scis, tibi promissum librum iamborum,» ut a maiore parte eum vocat. — «De hoc toto libro accipe, qui nunc Epodon inscribitur; - - et significat magnam fuisse hominum de his Epodis exspectationem.» Bentl. — *promissum*] A. P. 45: *promissi carminis auctor.* Aliquot saltem huius libri carmina hoc posteriora sunt. — *Ad umbilicum adducere*] id est, «absolvere.» «Extremitas chartae papyraceae vel membranae, ex quibus conficiebantur volumina, agglutinabatur bacillo, cui circumvolvebatur totum volumen. Illius capita ex osse aut ligno facta *umbilici* vocabantur, quia in media parte libri erant. Martial. 4, 91, 4: *Ohe iam satis est, ohe libelle, Iam pervenimus usque ad umbilicos.*» Fea.

9-12. *Bathyllo*] Antip. Sid. Anth. Pal. I. p. 345. in Anacreontis tumulo: Ἀκμὴν οἱ λυρόεν τι μελίζεται ἀμφὶ Βαθύλλῳ, Ἵμερα κτλ. Maxim. Tyr. 24. p. 481. R.: (Anacreon) πάντων ἐρᾷ τῶν καλῶν καὶ ἐπαινεῖ πάντας· μεστὰ δὲ αὐτοῦ τὰ ᾄσματα τῆς Σμέρδιος κόμης καὶ τῶν Κλεοβούλου ὀφθαλμῶν καὶ τῆς Βαθύλλου ὥρας. Idem scriptor Diss. 37. II. p. 209. R. cum ab Anacreonte dicat celebratos esse αὐλοὺς Βαθύλλου, Bergk proba-

Candide Maecenas, occidis saepe rogando:
Deus, deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teïum,
Qui persaepe cava testudine flevit amorem
Non elaboratum ad pĕdem.
Ureris ipse miser: quodsi non pulchrior ignis

13. *miser do q' non* B. *(Quid, si* HP., *quo* (igne tuo) *si* Axt.)

biliter ad hunc adolescentulum rettulit Fr. 18. p. 106: *Τίς ἐρασμίην Τρέψας θυμὸν ἐς ἥβην τερένων ἡμιόπων ὑπ' αὐλῶν Ὀρχεῖται;* De eodem est inter Pseudanacreontica Carm. 29. Eius statuam a Polycrate tyranno dicatam copiose describit Apuleius Florid. 2, 15. p. 51. Oud. Sam. Birch in *Archaeologia Brit.* T. XXXI. pag. 257. descripsit vas. Anacreontis, ut videtur, et Bathylli imagines exhibens. *Ztschrift für Alterthumswissenschaft* 1845. *Suppl.* 2. N. 22. pag. 176. — *Anacreonta*] Eius statuam Athenis vidit Pausanias 1, 25, 1: *καί οἱ τὸ σχῆμά ἐστιν, οἷον ᾄδοντος ἄν τι ἐν μέθῃ γένοιτο ἀνθρώπου.* — *Non elaboratum*] Anacreontis *ἀφέλειαν*, naturale et simplex scribendi genus, longe diversum a poëtarum Alexandrinorum indole potius significat, quam ut negligentius, quod ad numeros attineat, eum versus composuisse reprehendat. «Bathylli amorem scripsit non ita perfecto et elaborato pede quam dulcibus modulis.» Schol. Critias Bergk p. 441: *Τὸν δὲ γυναικείων μελέων πλέξαντα πότ' ᾠδὰς Ἥδὺν Ἀνακρείοντα Τέως εἰς Ἑλλάδ' ἀνῆγεν, Συμποσίων ἐρέθισμα, γυναικῶν ἠπερόπευμα, Αὐλῶν ἀντίπαλον, φιλοβάρβιτον, ἡδύν, ἄλυπον.*

13-16. *Ureris*] «Quam vim exerceat amor, ipse probe nosti; etenim tu quoque amas feminam pulcherrimam.» De Terentia, Maecenatis uxore, explicant plerique praeeuntibus tribus Scholiastis, eo quod mox libertina opponatur ingenuae. «Ac re vera vv. *Gaude sorte tua* de legitima tantum uxore sponsave intelligi possunt.» Franke. Eadem verba insuper satis demonstrant minus apte nuper vv. *Ureris* cet. explicata esse de Bathyllo, liberto Maecenatis et pantomimo, de quo Tacit. Ann. 1, 54: Maecenas effusus *in amorem Bathylli*; ac propterea memoratum esse illum Anacreontis Bathyllum. «Blanda et Terentiae cum Helena comparatio, cum illa esset pulcherrima et Maecenatis animum vehementi erga se amore accendisset.» Weichert. Atque omnino ineptissima foret pueri delicati cum Helena compositio. — *miser*] «*Miserum esse, misere deperire puellam,* de amore etiam felicissimo adeo pervolgatum est, ut exempla afferre necesse non sit.» Bosscha, refutans mirificam HP. coniecturam: «Horatius»: *Ureris*

Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua; me libertina neque uno
Contenta Phryne macerat.

15. *nec* Bc.

ipse miser. «Maecenas»: *Quid, si non pulchrior ignis Accendit obsessam Ilion? — quodsi*] «Certe ipsa illa Helena, quae Paridem amore incendit, quaeque Troiae excidii causa exstitit, non fuit tua puella formosior; tuo igitur te bono oblecta ac fruere.» — Ceterum admodum placet lectio Cod. antiquiss. B *quando* (nihil enim aliud latere in eius corruptela potest) pro *quoniam*, ut Sat. 2, 5, 9: *Quando pauperiem missis ambagibus horres.* Sic amovetur languidius illud *quodsi*, simulque ex ipsa illa menda satis perspicitur, quomodo factum sit, ut recentiores Codd. notos omnes occuparit correctio, quae quamvis tolerabilis sit, non tamen ipsius poëtae manum videtur praestare. — *pulchrior ignis*] «amor pulchrioris feminae.» Od. 1, 27, 14: *Quae te cunque domat Venus, Non erubescendis adurit Ignibus ingenuoque semper Amore peccas.* Ibid. v. 20: *Digne puer meliore flamma.* Od. 4, 9, 10: *spirat adhuc amor Vivuntque commissi calores Aeoliae fidibus puellae.* — *macerat*] Cfr. ad Od. 1, 13, 8: *quam lentis penitus macerer ignibus.* Plaut. Poen. Prol. 98: *Ita eum leno macerat*, negando consuetudinem cum puella. Calpurn. Ecl. 6, 9: *Petale, qua nunc ego maceror una.*

CARMEN XV.

Nox erat et caelo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera,
Cum tu magnorum numen laesura deorum
In verba iurabas mea,
Artius atque hedera procera adstringitur ilex,
Lentis adhaerens brachiis:

XV. Inscr. volg. *Ad Neaeram.* — *Neaeram amicam alloquitur* B. — *In Neaeram amicam* c. — Om. T. — 5. *astringitur* B.

XV. Neaerae, quae amatorem divitem Horatio praeferebat, perfidiam graviter incusat, iniectaque iuris iurandi, quo suam quondam amoris fidem sanctissime alligarit, religione ac neglecti eiusdem divina vindicta minatusque se discidium, ubi semel perdoluerit, bene ac fortiter laturum, ad saniora eam consilia revocare annititur. Tum ad rivalem suum conversus, suo ipsum exemplo edocet monetque, quam fallax aura ista sit, quam iam experiatur tam secundam. MITSCH. Compositionis tempus prorsus incertum est. Kirchner et Franke referunt ad a. u. c. 721., Weber *Horaz* p. 83. ad a. 712. vel 713., Grotefend ad a. 716.

2–4. *minora sidera*] Cfr. Od. 1, 12, 47. et ad totam scenam Meleagri Ep. 71. Anth. Pal. I. p. 85: *Νὺξ ἱερὴ καὶ λύχνε, συνίστορας οὔτινας ἄλλους Ὅρκοις, ἀλλ' ὑμέας εἱλόμεθ' ἀμφότεροι. Χὠ μὲν ἐμὲ στέρξειν, κεῖνον δ' ἐγὼ οὔ ποτε λείψειν Ὠμόσαμεν· κοινὴν δ' εἶχετε μαρτυρίην. Νῦν δ' ὁ μὲν ὅρκια φησὶν ἐν ὕδατι κεῖνα φέρεσθαι, Λύχνε, σὺ δ' ἐν κόλποις αὐτὸν ὁρᾷς ἑτέρων.* — *laesura*] Tibull. 1, 9, 1: *Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores, Foedera per divos, clam violanda, dabas?* «Ovid. Her. 2, 43. de laesis a Demophoonte per periuria numinibus: *Si de tot laesis sua numina quisque deorum Vindicet, in poenas non satis unus eris.*» DOER. — *In verba*] Formulam, qua milites duci se dicto audientes fore iurabant, hic ad amores transfert, ut ad philosophiam Epp. 1, 1, 14: *Nullius addictus iurare in verba magistri.*

5–10. *Artius atque*] De hoc particulae usu Hand Turs. I. p. 472: «Oratores hac dictione nunquam aut rarissime utuntur, frequentius poëtae. Et veteribus (Plauto ac Terentio) ea iam cognita erat; recentioribus elegantiae causa magnopere placuit.» — *hedera*] Od. 1, 36, 20. Catull. 64, 33: *Mentem amore revinciens, Ut tenax hedera huc et huc Arborem implicat errans.* «Adhaerens lentis tuis brachiis artius quam procera *(hochragend)* ilex circumplicatur ab hedera.» — *Lentis*] «flexibilibus ac tenacibus.» *(mit zähen Armen angeschmiegt.* Voss et Garve.) Sic Virg. Ecl. 3, 38: *Lenta quibus* (poculis) *torno facili super-*

Dum pecori lupus et nautis infestus Orion
  Turbaret hibernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
  Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute Neaera!
  Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
  Et quaeret iratus parem,
Nec semel offensae cedet constantia formae,

8. *Turbaret* BbSTc, LCt: *Turbarit* e χ, altero Cod. Barthii Adv. 37, 15. (Pottierii 4, 9, 15.) et Ed. Locheri Bentleius, FM. (Ut nos, J.) — 9. *agitaret* BbSc, LCt: *agitarit* T, e Codd. modo memoratis Bentleius, FM. — 12. *uirium est* T. — 14. *quaerit* B. — 15. *offensi* Bentl. et ante eum Gogavius, *iratae* e gloss. Cod. Pottierii quartus.

addita vitis. — *pecori lupus*] «infestus foret.» Similibus asseverationibus utitur Virg. Ecl. 5, 76 sqq. Aen. 1, 607 sqq. — *Turbaret* et *agitaret* requiritur a vv. *Nox erat* et *iurabas*, atque cogitatio utrobique vertitur in tempore imperfecto. Qui *turbarit - agitarit*, coniunctivos perfecti pro coniunctivis futuri exacti, praeferunt, unice respiciunt v. *fore*. — *Orion*] Od. 1, 28, 21. 3, 27, 18. Epod. 10, 10. — *Intonsos*] Od. 1, 21, 2. — *agitaret*] Cogita de Apollinis capillis longis et passis, suaviter ab aura motis *(durchwallt, durchfächelt)*, ut est in nonnullis picturis antiquis. — Non sine arte imaginibus ex rerum natura petitis tertiam adiungit mythologicam. Cunctae autem manifesto significant: «iurabas te in perpetuum mihi fore fidelem:» neutiquam vero, ut quidam opinatus est, duabus prioribus hoc dumtaxat dici: «iurabas te in perpetuum tam aversam fore rivalibus meis, quam lupus insidiaretur pecori, et Orion nautis infestus esset;» tertia demum poëtae fidem ab amica sponderi.

11-14. *O dolitura*] «Ubi videbis me prorsus renuntiasse tuo amori.» Catull. 8, 14: *At tu dolebis, cum rogaberis nulla, Scelesta, nocte.* — *mea virtute*] est simpliciter, «quantum in me est.» Sic Plaut. Bacch. 4, 4, 23: *occasio - - Mea virtute parta.* Mil. Glor. 3, 1, 142: *tua te ex virtute et mea Meae domi accipiam.* «Omnes, inquit, vires meas in id intendam, ut perfidiae tuae te vehementer poeniteat.» — *Neaera*] Eodem Neaerae nomine usus est cum Horatius Od. 3, 14, 21., tum Pseudotibullus (libro III.). — *Nam si*] «Nam si re vera in me aliquid virtutis et constantiae est, non feram te semper gratificari rivali meo, qui apud te *potior* est (Od. 3, 9, 2.), sed quaeram aliam puellam mihi *parem*, unanimam, fidam meliusque amori meo responsuram.» — *viri*] Ter. Eun. 1, 2, 74: *Eu noster, laudo, tandem perdoluit; vir es.* — *parem*] eadem significatione, qua Propert. 1, 1, 32: *Sitis et in tuto semper amore pares*, «bene consociati», ac rursus 1, 5, 2.

15. 16. *Nec*] «Nec si aliquando certo ac vero dolore affectus ero,

Si certus intrarit dolor.
Et tu, quicunque es felicior atque meo nunc
Superbus incedis malo,
Sis pecore et multa dives tellure licebit
Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
Formaque vincas Nirea,
Eheu translatos alio maerebis amores:
Ast ego vicissim risero.

17. *Et tu* BbSTc, omnes Bentleii «praeter unum ex recentioribus», C et Bentleius: *At tu* Pott. 9, 13, 14., Aldus, LtFM. (Ut nos, J.) — 22. *nerea* BT. — 23. *Heu heu* bST,F, *Eheu eheu* B.

constantia mea, id est, firmum meum propositum te relinquendi, cedet tuae pulchritudini *semel offensae*, id est, quae semel mihi invisa facta erit.» («Nec si aliquando dolore motus certum firmumque cepero consilium, constantia mea vincetur formae tuae, in qua semel offenderim, venustate.» REGEL.) — *offensae*] «in qua propter perfidiam tuam *semel (ein für allemal, una volta per sempre,* in perpetuum) offenderim.» Cic. pro Cluent. 58: *etiamsi is invidiosus aut multis offensus videatur.* pro Sest. 58: *cui nos offensi invisique fuerimus.* (Bentleii speciosam sed haud necessariam coniecturam *offensi* doctissime defendit Axtius.) — *Si certus intrarit dolor*] «si indignatio certa me penetrarit penitusque in omni sensu implicata insederit; nam nunc quidem res in eo est, ut rursus ignoscere tibi meque tecum reconciliare possim.» Mire alii explicant: «etsi certus dolor, sincera poenitentia te penetrarit.» Sed *si* non significat *etsi*.

17-24. *Et tu*] «Tu quoque rivalis.» Sic Codd. Epod. 17, 45. *At* reiiciendum propter v. 24. *Ast*; contra recte Catull. 8, 14. (vide ad v. 14.) Tib. 1, 2, 88: *At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto Mox tibi: non unus saeviet usque deus.* Id. 1, 5, 69: *At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto.* — *Sis - - licebit*] Sic Sat. 2, 2, 59: *licebit Ille repotia - - celebret.* Prosae or. scriptores tempore praesenti utuntur, *licet.* — *Pactolus*] Lydiae fluvius aurifer, ut Tagus, Hebrus, Padus, Ganges. Plin. H.N. 33, 4. — «Sis licet alter Croesus.» — *arcana*] «fidis ac probatis tantum discipulis, τοῖς ἔσω, tradita.» — *renati*] Significat μετεμψύχωσιν. Cf. Od. 1, 28, 10. — *Nirea*] Iliad. β, 673: *Νιρεύς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.* Vid. Od. 3, 20, 15. — *vicissim*] «ut tu, felicior rivalis, me nunc derides.»

CARMEN XVI.

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,

XVI. Inscr. volg. *Ad populum Romanum.* — *Rei publicae deflet fortunam* Bc. — Om. T.

XVI. Videtur hoc carmen compositum sub initium belli Perusini a. u. c. 713., cum contentione civili inter L. Antonium cos. et Caesarem Octavianum paucis mensibus post funestam illam aciem Philippensem sub ipsis Urbis moenibus erumpente rerum Romanarum condicio cum in Urbe tum in tota fere Italia deploranda ac desperatissima esset. Cfr. Kirchner Quaest. Horat. p. 22. Certe huiusmodi consilium patrium solum relinquendi tali cum libertatis sensu melioribus civibus dare vix poterat, postquam Maecenatis et Octaviani amicitiae sese applicavit. Male igitur alii referunt ad initium ultimi inter Octavianum et Antonium belli a. u. c. 722., quam falsissimam opinionem nuper a quodam recoctam optimis argumentis usus refutavit Franke. Liberrima autem indignatione accensus vehementer, ne dicam iuveniliter, in bellorum intestinorum scelera invehitur eorumque calamitates deplorat. Magnopere vero fallitur Monich, cui nescio quae amara εἰρωνεία per totum carmen dominari visa est. Quod autem in hoc carmine civibus libertatis amantibus consilium impertit, eius exemplar fortasse habuit M. Sertorii propositum. Plutarch. Sert. 9: *(ὁ Σερτώριος) ἔρωτα θαυμαστὸν ἔσχεν οἰκῆσαι τὰς (Μακάρων) νήσους καὶ ζῆν ἐν ἡσυχίᾳ τυραννίδος ἀπαλλαγείς καὶ πολέμων ἁπάντων.* Acron ad v. 42: *Ad insulas fortunatas Salustius in Historia dicit victum voluisse ire Sertorium.* (a. u. c. 673., quo C. Annius Luscus proscriptos et in iis Sertorium Hispania expulit.) Servius ad Aen. 5, 735: *quas(μακάρων νήσους) ait Salustius inclitas esse Homeri carminibus.* (Od. δ, 563 sqq. Hes. Ἔ. κ. Ἡ. 170 sq.)

1. 2. *Altera*] «Altera iam aetas inde a Sulla (a. u. c. 666.) agitur inter bella domestica.» Noli explicare cum Vossio: *Schon das zweite Geschlecht wird verheert durch Bürgerbefehdung*; cum v. *terere* addita temporis significatione molestae aut frustra consumptae diuturnitatis dumtaxat notionem habeat, non vastationis atque excidii. — *Suis*] Propert. 2, 15, 45: *Nec totiens propriis circum oppugnata triumphis Lassa foret crines solvere Roma suos.* 3, 13, 60: *Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.* Manil. 1, 910: *Imperiumque suis conflixit viribus ipsum.* Id. 4, 43: *Romamque suismet Pugnantem membris.* Liv. in Praef.: *Res — — ut iam magnitudine laboret sua.* Similem Senecae locum excerpsit Lactant. Inst. 7, 15, 14. Augustinus de C. D. 18, 15: *Roma late orbi terrarum imperans tamquam se ipsam ferre non valens, sua se quodammodo magnitudine fregerat.* — Noli explicare cum Baxtero: «*Et ipsa* posuit ad emphasin; si-

Suis et ipsa Roma viribus ruit:
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer
Novisque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera caerulea domuit Germania pube

2. *perit* Pottierii 4, 13. — 4. *porsennae* B. — 6. *Novisve* Bentl. coni.

gnificat enim nil praeter ipsam Romam stare;» cum simpliciter sit: «atque Roma suis ipsius viribus intemperanter usa ad interitum vergit.»

3-6. *Marsi*] Bellum dicit Marsicum s. sociale gestum a. u. c. 663–666. — *Porsenae*] regis Clusini, qui a. u. c. 246. Romam obsidione pressit, ad deditionem adegit atque agrorum parte tertia adempta infirmam neque tamen regibus subiectam civitatem reliquit. (De fabuloso illo apud Clusium monumento Porsenae, de quo Varronis narrationem excerpsit Plinius H. N. 36, 13, 4., optime disputavit Letronne in *Annal. dell' Instit. arch.* 1829. p. 394.) — (*Porsena* una *n* etiam Silius 8, 389. 478. 10, 483.; duplici Virg. Aen. 8, 646.) — *Capua, altera* illa *Roma* (Cic. Phil. 12, 3.), cum post stragem Cannensem (a. u. c. 538.) *luxurians longa felicitate atque indulgentia fortunae* (Liv. 23, 2.) imperium totius Italiae affectasset (Liv. 23, 6.), ad praefecturae Romanae formam redacta est a. u. c. 543. — Cic. de lege agr. 2, 32: Maiores *tres solum urbes in terris omnibus, Karthaginem, Corinthum, Capuam statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere.* (Campanorum ipsorum cum nullae partes fuerint in bello Spartacio, satis imperite nonnemo Spartacum propter Capuam, Capuam propter Spartacum memorari et utrumque nomen artissime iungendum esse contendit.) — *Spartacus*] gladiator Thrax, fugitivorum dux, acerrimum cum Romanis bellum gessit a. u. c. 681–683. — Quae de *Allobrogibus*, Galliae populo Rhodani a lacu Lemano ad Isaram usque accola, dicit, neutiquam referri debent ad illud tempus, quo hostes Romanorum tandem a. u. c. 633. a. Q. Fabio Maximo Allobrogico et Cn. Domitio Aenobarbo domiti sunt; id quod non patiuntur vv. (in) *novis rebus* (ablat., non dativ.); sed ad coniurationem Catilinariam a. u. c. 691., in qua tentati a P. Lentulo Sura eorum legati *diu in incerto habuere, quidnam consili caperent*, antequam totam rem Q. Fabio Sangae aperirent. (Sal. Catil. 41.) Deinde *C. Pomptinius - - ortum repente bellum Allobrogum atque hac scelerata coniuratione* (Catilinaria) *excitatum proeliis fregit eosque domuit, qui lacessierant.* Cic. de prov. cons. 13. — Ceterum nota vv. 5–8. bis *nec - que* pro *nec - neque* vel *neque - aut* vel *neque - ve*; exempla sunt apud Iohns. Arist. 2. p. 62. Wagner Quaestt. Virg. 36. pag. 575. Cfr. etiam Heinrich ad Iuven. p. 460. et imprimis Hertzberg Comm. in Prop. p. 82.

7-10. *Germania*] Cimbros et Teutonos dicit devictos tandem a C. Mario et Q. Catulo a. u. c. 653. Cfr. Plut. Mar. 11. de Teutonis et

Parentibusque abominatus Hannibal,
Impia perdemus devoti sanguinis aetas,
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus heu cineres insistet victor et Urbem
Eques sonante verberabit ungula,

8. *Parentibusve* Bentleius coni. — *abominandus* Pottierii 1, 2, 3, 22.

Cimbris: *μάλιστα μὲν εἰκάζοντο Γερμανικὰ γένη -- εἶναι τοῖς μεγέθεσι τῶν σωμάτων καὶ τῇ χαροπότητι τῶν ὀμμάτων.* Tacit. Germ. 4: *habitus - corporum -- idem: omnibus truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora.* Iuvenal. 13, 164: *Caeṛula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem?* Manil. 4, 794: *Teque feris dignam tantum, Germania, matrem.* Ferum reapse aspectum praebet Germani caput ex Traiani tempore in *Museo Chiaram.* II. T. XLVII. — *Parentibus*] «maioribus nostris per Urbis seculum sextum.» Matres filios iam amissos lugentes si significare voluisset (ut opinantur nonnulli), utique *ἐπιθέτῳ* aliquo hanc sententiam declarasset. — *abominatus*] h. l. passive, ut Liv. 31, 12: *abominati semimares.* Od. 1, 1, 24: *bellaque matribus Detestata.* — *devoti sanguinis*] «ea fatali condicione nati, ut et ipsi devoti simus exitio et destinati ad patriam perdendam.» — *rursus*] ut ante Romulum. Tibull. 2, 5, 23: *Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae.*

11-14. *Barbarus*] Qualis, non definitur. Cum enim ex nostra sententia carmen referatur ad a. u. c. 713. vel 714., per se intelligitur verbis *Barbarus - - victor* non Dacos et Aegyptios (Od. 3, 6, 14.), Antonii copias auxiliares, significari. — *cineres insistet*] Eadem constr. Ter. Eun. 2, 3, 3: *quam insistam viam?* Virg. Aen. 6, 563: *scelestum insistere limen.* Apul. Met. 2, 21. p. 143. O.: *Insistebat lapidem.* — *Urbem*] «solum, quo Urbs steterat.» — *Eques* cet.] «equitatus hostilis ferociter urbem pervagabitur.» Isaiae 47, 2: *Derelictae urbes Aroër grogibus* (dativ.) *erunt, et requiescent ibi; et non erit, qui exterreat.* Ezechiel 26, 11: *Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas, populum tuum gladio caedet, et statuae tuae nobiles in terram corruent.* Ovid. ex Pont. 1, 2, 111: *Nec male compositos -- Bistonii cineres ungula pulset equi. (Ungula* pro equo etiam Sat. 1, 1, 111. «Quia in pedibus et ungula velocitas equi est, ponitur pro toto equo.» Burmann. ad Virg. Ge. 3, 116. Ad v. *verberabit* cfr. Senecam Troad. 13. de Amazonibus: *Ripam catervis Ponticam viduis ferit.)* — *Quaeque carent*] «Quae nunc sacro in sepulchro alte defossa, subducta ac defensa sunt a sole ventisque, qui ea dissipare possent cet.» — *ossa Quirini*] «Sic dicit, quasi Romulus sepultus sit, non ad caelum raptus aut discerptus a senatoribus; nam Varro post Rostra fuisse sepulchrum Romuli dicit.» Porphyr. (Comm. Cruq.: «*pro Rostris* - -, ubi etiam in huius rei memoriam duos leones fuisse erectos constat.») Referri eodem videtur obscurus locus Festi Fr. p. 177. M. 185. L.: *Niger lapis in Comitio locum funestum significat, ut ali* (sic), *Romuli morti destinatum* (cetera manca sunt). Appropinquante iam

Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
Nefas videre! dissipabit insolens.
Forte quid expediat communiter aut melior pars
Malis carere quaeritis laboribus:

14. *videri* bT, Pottierii plerique, C (non BSc). — 15. *quod* superscr. *i* S; *quid expediat? Communiter - - laboribus?* Fea; *Forte (quod expediat!) communiter* Rutgersius prob. Bentleio.

periculo Urbi aeternae Claudianus de Bello Getico 100: *Procul arceat altus Iuppiter, ut delubra Numae sedemque Quirini Barbaries oculis saltem temerare profanis Possit et arcanum tanti deprendere regni.* Non tamen inter arcana illa *pignora* imperii Romani erat Quirini sepulchrum. Lege Servium ad Virg. Aen. 7, 188. — Cum autem Quirinus species sit atque exemplar *(der ideale Repräsentant)* populi Romani, non solum de ipso Quirino cogitandum videtur, sed etiam de aliis civibus, quorum ossa in Urbis excidio atque eversione ventis ac solis radiis expositum iri praevidet. Eadem imago aeque terribilis fuit Orientalibus. Ieremiae 8, 1: *In illo tempore, ait dominus, eicient ossa regum Iuda et ossa principum eius et ossa sacerdotum - - de sepulchris suis et expandent ea ad solem et lunam et omnem militiam caeli, quae dilexerunt et quibus servierunt.* Baruch 2, 24: *Statuisti verba tua, - - ut transferrentur ossa regum nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo; et ecce proiecta sunt in calore solis et in gelu noctis.* — *Nefas videre*] Pseudophocyl. 94: *Μὴ τύμβον φθιμένου ἀνορύξῃς, μήτ' ἀθέατα Δείξῃς ἠελίῳ καὶ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς.* — *Nefas* autem *videre*, non *ossa*, ut volt Mitscherlich, sed horum profanam dissipationem.

15. 16. *Forte*] Ut saepissime propositiones condicionales a poëtis efferuntur sine particula *si*, sic h. l. *forte* positum est pro prosae or. *si forte*. Hoc igitur dicit: «Si forte vos universi vel saltem melior (honestior ac dignitatis amantior) vestrum pars cupitis liberare vos a funestis illis malis, quibus nunc laborat res publica, ac si quaeritis, quodnam tandem consilium quodque inceptum eo ducat, hoc potissimum propositum tenetote.» *Quid expediat carere* est, «quid conferat sive adiumento sit ad carendum laboribus, ad mala nostra amovenda.» — Alii exposuerunt: «*Forte* (fortasse) aliquod facinus generosum nos tantis ex malis *expediat*;» alii: «*Communiter aut pars melior carere malis laboribus* (id est, propter probitatem dignior, quae iis careat,) *quaeritis, quid forte* (fortasse) *expediat?*» (Hand Turs. II. p. 740.) Sed *melior* illa significatione «magis idoneus, aptior» vix construi potest cum verbo, quod dicunt, intransitivo; recte cum transitivo. Pers. 4, 16: *Anticyras melior sorbere meracas.* Val. Flacc. 1, 424: *Oraque Thessalico melior contundere freno.* Nec temere in Horatio agnoscam *forte* simpliciter pro *fortasse* usurpatum. Rutgersii rationem sic interpretatur Bentleius: «Quod bene vertat, quod bonum felix faustumque sit!» Sed hac significatione v. *expedire* nunquam usi sunt Latini. — Ceterum post v. *laboribus* colon ponendum, ut vv. 15. 16. sint *ἐν προτάσει, ἀπό-*

Nulla sit hac potior sententia, Phocaeorum
Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque Lares patrios habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis,
Ire pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? — Secunda

19. *proprios* Aldus contra Codd. meos et Ed. Ven. 1484. (Oberlinus et Pottierius, qui servarunt *proprios*, de suis Codd. tacent; nec quidquam de hac var. Bentleius.) — 21. *ferunt* bSTc, Lt (non B, C, Bentl., FM).

δοσις Nulla sit hac potior sententia (quam) *Ire, ἓν παφενθέσει Phocaeorum - - lupis.*

17-22. *Nulla sit*] Poëtico impulsu concitatus, ut per se intelligitur, non serio hoc melioribus civibus dat consilium Horatius. Monendum tamen erat propter nuperum quendam interpretem. — *Phocaeorum*] Cum a. ante Chr. 534. ab Harpago, Cyri duce, gravissima obsidione premerentur, concesso unius diei ad deliberandum de rebus suis spatio, eos commune mutandi soli patrii consilium cepisse, ante autem quam patria cederent, publicis exsecrationibus iuramentoque, ne quis remaneret neu quis prius reverteretur, quam massa ferri, quam mari immersissent, in eius superficie apparuisset, sanxisse seque obstrinxisse Herodotus 1, 165. tradit. Hinc Callim. Fragm. 209: *Φωκαίων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.* Cfr. Schol. in Sophocl. Antig. 264. Suidas in *Φωκαέων ἀρά.* Ed. Gaisf. III. p. 626. Simile Epidamniorum facinus refert Diodorus Fragm. Vatic. p. 19. Dind., nec vero longe distat Aristidis iusiurandum: *ὤρκισε - τοὺς Ἕλληνας καὶ ὤμοσεν ὑπὲρ τῶν Ἀθηναίων μύδρους ἐμβαλὼν ἐπὶ ταῖς ἁραῖς εἰς τὴν θάλατταν.* Plut. Arist. 25. Cfr. etiam Flor. 3, 10: Helvetiis *sacramentum fuit, ne redirent.* Livius 34, 17: *Id se facinus* (sese invicem occidendi) *perpetraturos, praeeuntibus EXSECRABILE carmen sacerdotibus, iure iurando adacti* (Abydeni). — *exsecrata*] signif. formae mediae, «cum se diris devovisset.» Herod. l. l. *ἐποιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας.* Noli iungere cum Porphyrione: «*exsecrata agros atque Lares patrios, profugit*;» sed *profugit agros*, ut Colum. 1, 3: *ut - - propter iniurias vicinorum sedes suas profugerint.* — *patrios*] *ποιητικώτερον* est quam *proprios*, cuius lectionis omnino exigua videtur auctoritas. — *pedes q. f.*] Cf. Od. 3, 11, 49. — *protervus*] Cf. Od. 1, 26, 2: *protervis - ventis.* Virg. Aen. 1, 536: *procacibus Austris.*

23. 24. *Sic placet?*] «Ex formula sollemni; cum enim consulebant, sic loquebantur: «Placetne?» «Quid fieri placet?» et in decernendo placere senatui vel non placere.» BENTL. Cui contra dicit Ed. Leidensis; sed manifesto contionem alloqui se fingit poëta. — *Secunda - - alite*] «*αἰσίῳ ὄρνιθι*, bono omine propter ipsum hoc tam generosum consilium oblato.»

Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in haec: Simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina,
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra iunxerit libidine
Mirus amor, iuvet ut tigres subsidere cervis,

25. *uideremus* T. — *renarent* T. — 27. *lintea* om. T. — 29. *proruperit* F ex Codd. (Nostri, Bentleii, Pottierii *procurrerit.*)

25–28. «Sed priusquam classem conscendamus, in haec verba iuremus: Tum demum redire Romam nobis liceat, cum saxa ab imo maris fundo rursus emerserint.» — *saxa*] proprium fuisset *massa ferri*, *μύδρος σιδήρεος*. Herodot. l. l. — Fundus harum comparationum *ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου* est Achillis iuramentum Iliad. *α*, 234., item Archilochi Fr. 69. Bergk p. 482: *μηδεὶς ἔθ' ὑμῶν εἰσορῶν θαυμαζέτω, Μηδ' ἴν' ἄν δελφῖσι θῆρες ἀνταμείψωνται νομὸν Ἐνάλιον καί σφιν θαλάσσης ἠχέεντα κύματα Φίλτερ' ἠπείρου γένηται, τοῖσι δ' ἠλύγιον ὄρος.* (Alias huiusmodi comparationes reperies etiam apud Theocr. 1, 132. Virg. Ecl. 1, 60. Ovid. Trist. 1, 8, 1., quas omnes Ovidii ibid. versu 5. complecti possumus: *Omnia naturae praeposlera legibus ibunt.*) Ceterum iuvenili ardore abreptus nimis fortasse in his imaginibus cumulandis luxuriatus est poëta. — *Matina - cacumina*] Matinus mons sive promontorium in Apulia, prope radices Gargani montis, hodie *Matinata*. Cfr. Od. 1, 28, 3. Od. 4, 2, 27. Lucan. 9, 184: *et calidi lucent buxeta Matini*, ubi verss. praecedd. memoratur *Apulus, - - simul et Garganus*. Alii male Calabriae montem esse opinati sunt. Cfr. Romanelli *Topografia* II. p. 209 seqq.

29–34. *In mare*] «Si Apenninus mons mediam Italiam dividens subito maris promontorium factus erit.» — *Proruperit* rectius dixeris de flumine, *procurrerit* de monte. Ovid. Fast. 4, 419: *Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor Trinacris.* Tacit. Agric. 11: *procurrentibus in diversa terris.* Longus 2, 25: *ἄκρας ἐπεμβαινούσης τῷ πελάγει.* «Se praecipitaverit» cum aliis nos explicare non possumus. Tu cfr. Lucani 4, 405: *Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader.* 8, 538: *Perfida qua tellus Casiis excurrit arenis.* — *Nova - - libidine*] «si inauditae ac portentosae libidines iunxerint animalia disparia, id quod veluti monstrum esset procurandum.» — *subsidere*] «iniri se cupiant a cervis.» Cfr. Lucret. 4, 1191. Aristoph. Pac. v. 1075. Hierocles vates: *Οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν, Φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.* Sic *succedere* apud Gratium v. 164. de coitu canis Hyrcanae cum tigride: *Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter In stabulis ultroque gravem succedere tigrim Ausa canis maiore*

Adulteretur et columba miluo,
Credula nec ravos timeant armenta leones,
Ametque salsa levis hircus aequora.
Haec, et quae poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
Inominata perprimat cubilia!

V. 32. deest suo loco in B et legitur post v. 39. — 33. *ravos* B, quattuor Blandinii, Cruquius et Bentleius: *flavos* bSTc, «maior pars Codd.» Bentleii, tFMJ, *saevos γν*, Pottieri tertius, *fulvos* Lamb.

tulit de sanguine fetum. — *Credula*] «summa iam fiducia praedita propter leonum mansuetudinem.» — *ravos*] «oculis ravis et atrociter fulgentibus.» Varro R. R. 2, 2. docet arietes esse debere *ravis oculis*, Cap. 9. canem *nigrantibus aut ravis*. Alii interpretati sunt de pellis colore, ut est apud Eurip. Herc. fur. 360: λέοντος, Πυρσοῦ - - θηρός. Cfr. Od. 3, 27, 3: *Rava - lupa*. Horatius videtur expressisse Homericum (Od. λ, 611.) χαροποί τε λέοντες. Gloss. Philox. *ravus*, χαροπός. Firmat hanc lect. Cod. antiquiss. B. Aliorum *flavos* h. l. otiosum est nec satis κύριον pro *fulvos*. (Virg. Aen. 2, 722.) Alii, qui non magis v. *ravos* intelligebant, substituerunt *saevos*, ut C2dd. Leid. — *levis*] «levis (λεῖος) factus instar piscis, cum natura villosus sit.» Dictum est per πρόληψιν.

35 - 40. *Haec - - exsecrata*] «His votis cum exsecratione conceptis.» Vv. *exsecrata civitas* cum vi repetita sunt ex v. 18. — *indocili - grege*] «volgo imperito, cui persuaderi nequit melius esse relinquere patriam quam servitutem servire; hic grex (contemptim) effeminatus et propter animum abiectum omni spe meliore destitutus desidem atque infaustam vitam agat.» — Summae pigritiae notio inest in vv. *perprimat cubilia*, «somniculosi homines perpetuo ea premant domique desideant.» (proprie *durchlagern*; «*Fortbrüten auf dem Polster.*» Voss.) — *tollite*] ut Epp. 1, 12, 3: *Tolle querelas*; «pellite», ut ex Gloss. habent Codd. aliquot. Archiloch. Fr. 8, 9. Schn.: ἀλλὰ τάχιστα Τλῆτε γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι. — Felicissime autem gloriosae huius fugae celeritatem ipsis numeris tam volubilibus expressit poëta. — *praeter - volate*] «celerrime praeternavigate Etrusci maris litora, ut perveniatis in Oceanum Atlanticum.» De solito earum navium cursu, quae Gallias et Hispanias petentes praetervehebant *ruinas Et desolatae moenia foeda Cosae, - - signatum ab Hercule portum* (sive Cosanum) et portum Lunensem *(Carrara)* vide Rutilii Itinerarium 1, 285.

41 - 42. *circumvagus*] ut Ovid. Met. 15, 739: *circumfluus amnis*. Haerent interpretes in vv. distinctione, cum alii habeant 1) nostram, quae hoc significat: «*Nos manet Oceanus circumvagus*, ἀψόῤῥοος, πάντα κυκλῶν, qui ex prisca hominum opinione totum terrarum orbem circumfluit; (ut Aeschyl. Prom. 138: Τοῦ περὶ πᾶσάν θ' εἱλισσομένου Χθόν' ἀκοιμήτῳ ῥεύ-

Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum
Etrusca praeter et volate litora.
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Petamus arva divites et insulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
Et imputata floret usque vinea,
Germinat et nunquam fallentis termes olivae,
Suamque pulla ficus ornat arborem,

39. *est animus* «Excerpta Bodleiana CCCC. annorum» apud Bentleium. — 41. *circumvagus arva beata; Petamus arva* Bentleius.

ματι - - Ὠκεανοῦ. Catull. 64, 30: *Oceanusque pater, totum qui amplectitur orbem*; et aeque absolute Rutil. 1, 56: *Qua circumfusus fluctuat Oceanus.)* illa, quae nostis, *beata arva, τὰς μακάρων νήσους, petamus.*» 2) alii: *circumvagus arva: beata Petamus arva.* 3) alii denique: *circumvagus arva beata: Petamus arva.* Sed per se intelligitur, insulas circumflui Oceano: et *ἀναφορὰ* nostra «*arva, beata petamus arva* (illa)») vere lyrica est. Vide Virg. Aen. 7, 586. 587. — *beata - arva*] Virg. Aen. 6, 638: *Devenere locos laetos et amoena vireta Fortunatorum nemorum sedesque beatas.* — *divites et insulas*] additur per *ἐπεξήγησιν*. De Orcadibus insulis interpretatur Comm. Cruq., rectius plerique de Canariis. Fundus *μύθου* est Hesiodi locus ad v. 63. exscriptus. Antiquorum de beatorum insulis opiniones optime, mox in easdem migraturus, exposuit C. O. Müller in Parentalibus Guilielmi IV. Gottingae 1837. Locus imprimis memorandus est in Socratico illo Axiocho 371. E. — Schol. Plat. pag. 934. Ed. nostrae: *Πτολεμαῖος - - ἐν δ' Γεωγραφουμένων φησὶ τὰς μακάρων νήσους ἐξ τὸν ἀριθμὸν εἶναι ἐν τῇ ἐντὸς Λιβύῃ κατὰ τὸ Ἀτλαντικὸν πέλαγος*. Pomponius Mela 3, 10: *Fortunatae insulae abundant sua sponte genitis et subinde aliis super aliis innascentibus nihil sollicitos alunt, beatius quam aliae urbes excultae.* Ceterum sic iam prisci Aegyptii Inferos suos in ultimum Occidentem removerant.

43–48. *Reddit ubi* cet.] «ubi sine agricultura terra ex se quotannis effert fruges.» *Reddit* tamen ita quoque suam significationem retinet: «profert frumentum quasi debitum humano generi.» — Pro *Cererem* Meineke scripsit *cererem*, quo per *μετωνυμίαν* frumentum intelligendum esse clarius significaret. Cfr. Quintil. 8, 6, 24. Rarius in hoc genere Pallas ponitur et pro olea et pro oleo. Ovid. Am. 2, 16, 8. Heroid. 19, 44. Trist. 4, 5, 4: *Ut vigil infusa Pallade flamma solet.* — *inarata*] De *Γαβίοις* Aeschylus Fragm. 184. Dind.: *ἵν' οὔτ' ἄροτρον οὔτε γατόμος Τέμνει δίκελλ' ἄρουραν, ἀλλ' αὐτόσποροι Γύαι φέρουσι βίοτον ἄφθονον βροτοῖς.* — *imputata*] «nunquam vinitoris falce tacta floret uvasque fert.» Cfr. Virg. Ecl. 4, 29. — *termes*] «ramus oleae cum bacis dominum nunquam fallit vel frigore vel siccitate ustus.» — *Suam - - arborem*] *den Mutterstamm.* Voss. «Ficus,

Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,

48. *lympha*] «Codd. aliquot (etiam T) *Nympha.*» Bentl. — 51. *ovili* T,F. (Ceteri mei, etiam B, *ovile.*)

quae sponte et sine insitione aut cultura nascuntur, durae esse solent et fatuae ac cito decidere; ibi, inquit, tales (non insitivae) nascuntur, ut etiam pullae ornent suam arborem nec decidant, antequam sint maturae.» Comm. Cruq. — *pulla*] simpliciter significat «maturam.» Philostrat. Imagg. 1, 31: σῦκα μέλανα ὀπῷ λειβόμενα. Cfr. de ficuum insitione Cato R. R. 42. Colum. 5, 11, 7. — *Mella*] Orta est fabula a melle apum nemorensium. Colum. 9, 2. — *Levis* cet.] «maxima cum celeritate defluit de montibus.» — *pede*] Propterea quod *currunt* aquae, *pedes* iis tribuunt poëtae. Lucret. 5, 272. rursusque 6, 637: (aqua) *super terras redit agmine dulci, Qua via secta semel liquido pede detulit undas.* Virg. Cul. 17: *Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.* Comparat Marcilius Reg. 3, 18, 11: φωνὴ τῶν ποδῶν τοῦ ὑετοῦ. — «Eleganter ipso versu susurrum aquae desilientis imitatus est.» Comm. Cruq.

50. 51. *tenta*] «lacte turgida.» Cf. Virg. Ecl. 4, 21. — *grex amicus*] «libenter pastorum commodis inserviens iisque propterea carus.» — *vespertinus*] adiectivum temporis pro adverbio. Cic. pro Mil. 13: *nocturnis canibus.* Virg. Ge. 3, 537: *Non lupus insidias explorat ovilia circum Nec gregibus nocturnus obambulat.* Nemesianus Cyneg. 324: *prata Nocturnis calcata feris.* — *circumgemit*] «raucum suum sonum edit circumvagans ovilia.» Sic et leo *gemere* dicitur a Valer. Flacco 3, 737. Cfr. etiam Virg. Aen. 7, 15: *gemitus iraeque leonum.* De ursorum voce Virg. Aen. 7, 18. usurpavit v. *saevire*, Claudian. de Mallii Cons. 298. *rudere*, volgatus interpres Isaiae 59, 11. *rugire*; verbum proprium *uncare* vel *ungare* fuisse dicunt Glossographi de vocibus animalium. — *ovile*] Haec lectio firmatur a nostris Codd. praeter T. Verba cum praep. *circum* composita plerumque regunt accusativum. (*Ovili* dictum esset, ut Ovid. Met. 1, 360: *iuveni - circumfunditur.* Liv. 9, 28: *aedificia - - circumiecta muris.* Id. 37, 51: *quae - circumiacent Europae.*)

52. *alta*] Cum *alta* (profunda) sit humus, absunt etiam viperae, quae amant loca saxosa, arida, cavernosa. *Alta* simul significat solum esse fertilissimum. Hom. Il. σ, 550: τέμενος βαθυλήϊον. Aesch. Prom. 652. Dind. Ox.: βαθὺν λειμῶνα. Sept. adv. Th. 306: βαθύχθον' αἶαν. Eurip. Androm. 636: πολλάκις δὲ τοι Ἥρᾳ βαθεῖαν γῆν ἐνίκησε σπορά. Alii *alta* male explicant «excelsa, montuosa.» Nostram qui interpretationem reiiciet, forsitan acquiescat in Iahniana, ut v. *alta* artissime iungatur cum v. *intumescit* sitque adeo pro adverbio

Neque intumescit alta viperis humus.
Pluraque felices mirabimur: ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante caelitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,

52. *Nec* bSTc, LCt et Bentleius. (Deest hic v. in B.) — Sine sufficiente auctoritate Fea vv. sic collocavit: 56, 61, 62, 57-60, 63.

alte intumescit. — intumescit] ut Lucan. 8, 370: *ubi terra tumebit*, id est, excelsior erit et montuosa; sic hoc quoque loco: «se extollit, *sich erhebt, s' innalza.*» Nolim certe explicare «non alit viperas veneno tumidas;» sed refero ad serpentium reptationem, qua alternatim sese attollunt atque incurvant raptimque extendunt, adeo ut praesertim ex longinquo spectanti, ubi est horum reptilium celeriter se motantium multitudo, solum ipsum se in altum levare atque intumescere videatur; id quod saepe ipse vidi, amoenissima, viperas si exceperis, Italiae prata ripasque rivorum semper solitarius perambulans. — Ad rem ipsam cfr. Virg. Ge. 2, 153: *Nec rapit immensos orbes per humum neque tanto Squameus in spiram tractu se colligit anguis.*

53-56. *mirabimur: ut*] Cfr. Od. 3, 4, 43-46. — *Aquosus*] Eurus etiam magis quam Auster imbres affert. Caton. Dir. 38: *Eurus agat mixtam fulva caligine nubem.* Lucan. 1, 219: *Et madidis Euri resolutae flatibus Alpes.* Cfr. Voss *myth. Br.* I. p. 263. — *arva radat*] «diluat atque provolvat in torrentes ac flumina.» Lucret. 5, 257: *ripas radentia flumina rodunt. — Pinguia*] «fecundo succo turgida.» — *urantur*] Anth. Pal. II. p. 845. de Prota in beatas insulas transvecta: *Οὐ χειμὼν λυπεῖ σ', οὐ καῦμ' οὐ νοῦσος ἐνοχλεῖ · - - ζώεις γὰρ ἀμέμπτως Ἀὐγαῖς ἐν καθαραῖσιν Ὀλύμπου πλησίον ὄντος* (quae quidem nova videtur imago). — *temperante*] «benigne ita moderante, ut nec nimii ac noxii cadant imbres neque solis aestus segetes torreat.» Fundus *φαντασίας* est Odyss. δ, 566. in Elysio: *Οὐ νιφετός, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολύς, οὔτε ποτ' ὄμβρος, Ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγὺ πνείοντας ἀήτας Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.* — De transpositionibus, quas nonnulli hic facere voluerunt, recte ita disputat Iahnius: «Poëta primum eas insularum illarum dotes, quae terra ipsa continentur, vv. 43-52. descripsit, deinde res, quae extrinsecus veniunt, subiunxit. Terra ipsa nihil in se continet, quod aut agris aut incolis et gregibus noceat, neque extrinsecus mala veniunt. Etenim agros neque nimiae pluviae vexant nec siccitas exurit, incolae a peregrinis dolosis non turbantur, pecudes denique nullis contagiis laborant. Igitur neque hominibus neque gregibus quidquam timendum est.»

57-69. *Non huc*] «Intactae adhuc sunt insulae illae beatae a nautarum omnis generis commercio, adeoque innocentiae plenae; itaque nos quoque ibi tuti erimus a vitiis, quae illi ubicunque ponunt

Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae
Laboriosa nec cohors Ulixei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.

61. *austri* B, Pottierii 4, 7, 8. — 62. *inpotentia* T.

vestigia secum afferre solent.» Cuius quidem rei exempla poëtica affert, navem Argo, qua vecta est Medea, abiecto pudore externum virum secuta, mercatores Phoenicios, Ulixem. — *Sidonii*] Iam Homerus Od. *o*, 419: *Φοίνικες πολυπαίπαλοι*. — *cornua*] «Non cornua antennarum *(die Rahen)* illis insulis obverterunt, non ibi appulerunt litori.» Ovid. Met. 11, 476: *Cornuaque in summa locat arbore.*

61. 62. *astri - aestuosa - impotentia*] Pestilentiae subiicit eius causam, *impotentem*, vehementem (Od. 3, 30, 3.), Sirii aestum, quo grex torretur. In omnibus Codd. hi vv. ordine, quo nos eos exhibemus, leguntur, ita cohaerentibus sententiis: «puri a vitiorum contagio illic vivunt homines, securi a pestilentiae contagio greges;» in quo quid reprehensione dignum sit, equidem non video. Nihilominus varie eos transposuerunt, quod ipsum erroris evidens signum est. Etenim Criticus in Misc. Obss. II. pag. 384. post v. 52. Vossius post v. 50., Fea et Hofmann Peerlkamp post v. 56. eos statuerunt collocandos.

63–66. *Iuppiter*] «Itaque», inquit, «cum nulla ibi sint scelera, nullae pestes, piis illam tamquam separatam a sceleratis sedem destinavit Iuppiter, ex quo auream aetatem in aeream, mox hanc in ferream, in deterius semper mutavit.» Tres aetates hic memorat, argentea praetermissa, duas tantum Virg. Ge. 1, 125. Cfr. Hesiod. O. et D. 167. de heroibus: *Τοῖς δὲ δίχ' ἀνθρώπων βίοτον καὶ ἤθε' ὀπάσσας Ζεὺς Κρονίδης κατένασσε πατὴρ ἐς πείρατα γαίης. Καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκήδεα θυμὸν ἔχοντες Ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην, Ὄλβιοι ἥρωες, τοῖσιν μελιηδέα καρπὸν Τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.* — *inquinavit*] «ἐμίανεν, adulteravit, in deterius metallum mutavit.» — *Aere, dehinc*] In hac repetitione (firmata etiam a Comm. Cruq.), ut in illa v. 44., inest color Lucretianus, quem poëtam singulariter adamarat Horatius. Cfr. Lib. 3, 12: *Omnia nos itidem depascimur aurea dicta, Aurea, perpetua semper dignissima vita.* 5, 948: *proluvie larga lavere humida saxa, Humida saxa super viridi stillantia musco.* Sed eandem *ἀναφοράν*, ut consentaneum erat, usurpavit iam Homerica poësis in significandis rebus, quibus propter qualemcunque causam mens poëtae immoratur, ut Iliad. *β*, 671: *Νιρεύς*, ter. Odyss. *α*, 22: *Ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας, Αἰθίοπας, τοὶ δίχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν.* Sic Theocr. 13, 60. 61: *ἠγγένειος - λῖς, ὠμοφάγος λῖς. (Dehinc* bisyllabum, ut A. P. 144. Virg. Ge. 3, 467. et alibi.) Haec autem lectio refert animum commotum, quo poëta intueatur generis humani de-

Iuppiter illa piae secrevit litora genti,
Ut inquinavit aere tempus aureum;
Aere, dehinc ferro duravit secula, quorum
Piis secunda vate me datur fuga.

63. *sacravit* ξ, tres Torrentii. — 65. *Aere, dehinc* BbTc, LCt, Bentleius, F: *Aerea dehinc* S,γχιινω, Pottierii 2, 3, 23, item MJ. — *quorum*] *quo nunc* dubitanter proposuit Bentleius.

pravationem, et est veluti tristis querimonia per ἀσύνδετον interiecta. Altera *aerea dehinc* (monosyll.), ad quam repetunt ex praecedd. *ut*, meram exhibet narrationem, eamque admodum frigidam. (Defendit Regel: «Anaphora illa, quae perplacet Orellio, nimiam quandam v. *aere* vim addere videtur, eoque molestior est, quod prius *aere* ab alio verbo regitur ac posterius. Facile autem fieri potuit, ut librarii, qui bisyllabum esse putarent v. *dehinc*, metro consulere sibi viderentur, cum praegressum *aere* hic repeterent.») Variatio autem vv. *inquinavit aere* - - *aere duravit* nihil omnino habet offensionis. — *ferro duravit*] «ex ferro procudit, ferrea reddidit.» — *quorum*] «Cuius ferreae aetatis *fuga*, modus, quo longe ab his sordibus remoti vitam innoxiam ac vere beatam adispiscantur, qui in tanta morum corruptione pii manserunt, iis offertur me auctore et suasore, tamquam vate divino (μάντει, non: «poëta»), per hoc carmen ipsum.» Alii construunt: *quorum piis*, id est, «iis, qui pii adhuc sunt in his ferreis seculis, fuga datur;» id quod minus placet, cum vix Latinum sit *pii huius seculi*, quod prope Christianum habet colorem. — Post copiosam autem illam insularum beatarum τοποθεσίαν consentaneum erat, ut, quemadmodum fit in elegiis, primariam totius carminis sententiam brevi repeteret poëta; quod cum parum intellexisset Editor Leidensis, suo more duos ultimos vv. delendos censuit.

CARMEN XVII.

Iam iam efficaci do manus scientiae,
Supplex et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium

XVII. Inscr. volg. *Ad Canidiam.* — *Fingit se Canidiae veneficiis superatum. allegoricos deprecatur ut sibi parcat* Bc. — Om. T. (Vv. 1-52 in B desunt.)

XVII. Rursus salsissime irridet Canidiam (Gratidiam) sagam atque semet ipsum artibus eius magicis petitum et saevis cruciatibus ab ea affectum fingens, ut sibi iam satis perdomito tandem parcat, supplex inimicam orat et obsecrat. Reliqua carminis scena per se clara est. Recte autem Doeringius refutavit Mitscherlichium, qui Varum (Epod. 5.) hic loqui opinatus est usque ad v. 52. «Nam», inquit, «ut nihil de v. 39: *sive mendaci lyra Voles sonari* dicam, quomodo ridiculus ille senex Varus vv. 42-44. se cum Stesichoro comparare potuit?» cet. «Omnium epodorum novissimus mihi videtur esse, scriptus a. circiter 724.» FRANKE. Item Walckenaer I. p. 468: *dernière.* Sane prius compositus est Epod. 5. et Sat. 1, 8. (Grotefend et Walckenaer a. 715., Kirchner a. 722., Weichert a. 729. Tempus ipsum utique incertum est.)

1-5. *do manus*] Dant manus proprie, qui manus suas victori praebent vinciendas; hinc est «cedere et fateri se inferiorem esse.» Cfr. Lucret. 2, 1041: *Dede manus; aut si falsum est, accingere contra.* Etiam in pedestri oratione. Cic. ad Att. 2, 22: *aiebat illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse.* — *non movenda*] «non laedenda neque irritanda», *ἀκίνητα*, translatione ab iis desumpta, qui profano modo simulacra deorum loco suo movent vel etiam deiiciunt. (Schol. Plat. Theaet. pag. 900 b, 14: *ὅτι μὴ δεῖ ἕδη μηδὲ βωμοὺς κινεῖν ἢ τάφους ἢ ὅρους.*) — Proserpina et Diana (Hecate) potissimum memorantur, quia sunt numina Inferorum ac magarum, unde praeerant sacris magicis. Cfr. etiam A. P. 454. — Quomodo Bothius in *Per atque* haerere et *Per teque* proponere potuerit, vix intelligitur. — *carminum*] Ovid. Am. 2, 1, 23: *Carmina sanguineae deducunt cornua Lunae Et revocant niveos Solis euntis equos.* — *Reflxa*] Sunt quasi fixae in caelo stellae (Plin. H. N. 2, 8: *Sidera, quae affixa diximus mundo.*); devocando igitur *refiguntur*, efficiunt sagae, ut decidant de caelo. Virg. Aen. 5, 527: *caelo ceu saepe reflxa Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.* Deteriorem lectionem *defixa* qui praeferunt, interpretantur vel «affixa caelo,» vel «*δεδεμένα*, incantamentis ligata.»

6. 7. *vocibus - sacris*] «carminibus magicis.» — *Citumque retro solve*] «ita

Refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
Citumque retro solve, solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereïum,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliae addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,

5. *Defixa* b, *βγδμξ*, sex Pottierii. (Ut nos, BTc,*κλω*, Codd. Blandinii.) — 7. *volve volve* de Aurati coni. L. *(solve* semel T.) — 11. *Luxere* Bc,*γξ*, pr. *κ*, var. lect. *μ* et *χ* alter, Bentleius. (Ut nos, bT, *βδλμ,χ* duo, Codd. Bland.)

solve celeris turbinis rotationem, ut contraria fiat priori, adeoque eo cruciatu, quem mihi attulit prior eius conversio, me iam liberet.» «Scilicet ut citissime agitatus *(citus)* rhombus per licia attracta et advoluta incantatos vi magica ligabat et vinciebat, ita idem retro actus per licia remissa et revoluta eos vi magica solvebat. -- Hinc *retro carmen agere* dixit Val. Flacc. 1, 782: *iamiam exorabile retro Carmen agens, neque enim ante leves niger avehit umbras Portitor; et cunctae (vinctae* Iacobs) *primis stant faucibus Orci.*» Doering. — *turbinem*] «rhombum magicum.» Vid. Interpr. ad Theocrit. 2, 30: *Χ' ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος, ἐξ Ἀφροδίτας Ὣς κεῖνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέρῃσι θύρῃσιν.* Prop. 3, 6, 26: *Staminea rhombi ducitur ille rota.* Lucan. 6, 455: *Quos non concordia mixti Alligat ulla tori blandaeque potentia formae, Traxerunt torti magica vertigine flli* Thessalides. Cfr. Meineke Fragm. Com. I. p. 452.

8-10. *Movit* cet.] «Ecce tibi», inquit, «indulgentiae, qua heroës in hostes usi sunt veniamque iis concesserunt, illustria quaedam exempla.» — *Telephus*] Mysorum rex ab Achille, quem armis et manu facta prohibere conatus erat, ne ad Troiam oppugnandam veniret, volneratus, cum consulto oraculo responsum tulisset, volnus ab Achille illatum alio medicamento sanari non posse quam ferrugine cuspidis hastae Peliacae (responderat enim Apollo: *ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται·*), illum oravit, ut eius rei sibi copia fieret, et impetravit. Propert. 2, 1, 63: *Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspide volnus Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.* Hygin. F. 101. — *nepotem Nereïum*] natum ex Thetide, Nerei filia.

11-18. *Unxere*] (Iliad. *σ*, 350: Patroclum mortuum *καὶ τότε δὴ λοῦσάν τε καὶ ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ.* Ennius: *Tarcuini corpus bona femina lavit et unxit.)* Magis poëtam decebat unam luctus partem commemorare quam generali verbo uti; neque propterea, quod Homerus Iliad. *ω*, 777. non narrat Hectoris corpus a matronis Troianis unctum esse, praeferendum erat v. *luxere* cum Bentleio qui, cum hanc lectionem eximio acumine defenderet, hoc tamen non cogitavit, quod recte contra monuit Bothius: «Ad *lugendum* non opus erat precibus.» Idem valet de Ed. Leid. *Planxere.* — *addictum*] «destinatum ab Achille

Postquam relictis moenibus rex procidit
Heu pervicacis ad pedes Achilleï.
Sctosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulixeï
Volente Circa membra; tunc mens et sonus
Relapsus atque notus in voltus honor.
Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus.
Fugit iuventas et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida;

17. *Circe* bTc, Bentleii omnes praeter corr. *β*, LCt. (Ut nos, B, Pottierii 3, 7, 8., Valerius Probus p. 1446. P.) — 18. *Relatus* Bbc, LC. (Ut nos, T, *βκ* «cum quinque aliis Bentleii, qui cum Torr. praetulit, Pott. sex, FMJ.) — 19. *tibi, O Amata* malebat Bentleius. — 22. *ossa* BbTc cum ceteris Codd. notis, LCtF: *ora* Bentl. coni. et M. — *amictus* B, *κν*, *amictas* *χ*. *(Amictus* amplexus est Cuningh. sic: *Reliquit* (me), *ossa pelle amictus* (sum) *lurida.)*

Priami precibus tandem exorato.» Illud minatur Il. *ψ*, 182: *Ἕκτορα δ' οὔτι Δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν, ἀλλὰ κύνεσσιν.* — *homicidam*] hic cum laude de viro forti, qui multos in proeliis occiderit. Il. *α*, 242: *εὖτ' ἂν πολλοὶ ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο Θνήσκοντες πίπτωσι.* Theocr. 17, 53: *λαοφόνον Διομήδεα.* — *procidit*] Il. *ω*, 510: *Κλαῖ' ἀδινά, προπάροιθε ποδῶν Ἀχιλῆος ἑλυσθείς.* — *Heu*] «Ad animum respiciens procidentis Priami ad pedes Achillis ob indignitatem facti hoc dicit.» Schol. Refertur igitur ad totam sententiam, non ad unum voc. *pervicacis*, id est, «qui alias tam pervicax erat, tunc vero Priami preces exaudivit.» — *Laboriosi*] Cfr. Ep. 16, 60. — *Volente Circa*] Vid. Odyss. *κ*, 388 sqq. — *sonus*] «vox humana.» — *Relapsus*] «paullatim iis ultro rediit.» *Relatus* esset «externa vi reductus.» Cfr. Bentley. — *notus - - honor*] «pristina formae humanae pulchritudo et dignitas.» Etenim l. l. v. 395: *Ἄνδρες δ' ἅψ ἐγένοντο νεώτεροι ἢ πάρος ἦσαν Καὶ πολὺ καλλίονες καὶ μείζονες εἰσοράασθαι.* Hac significatione usurpatur etiam in num. plur. Virg. Aen. 1, 591: *lustos oculis afflarat honores*, ubi statim additur *decus.*

19–26. *satis superque*] Conf. Epod. 4, 34. — *multum*] «vehementer ac diu.» Cfr. Hand Turs. III. p. 669. — *institoribus*] Od. 3, 6, 30. Sunt ii praesertim, qui puellis mundum muliebrem vendunt. — *verecundus*] «rubicundus, qualis inest in adolescentibus, color discessit a me, ita ut nihil mihi remaneat praeter ossa amicta cute pallida.» Moschus 4, 2: *τὸ πρὶν δέ τοι οὐκ ἔτ' ἐρευθὸς Σώζετ' ἐπὶ ῥειθέεσσι.* — *lurida*] «*fahlgelb.*» Voss. Plaut. Capt. 1, 2, 25: *Macesco, consenesco et tabesco miser; Ossa atque pellis sum miser macritudine.* Nimis ad vivum rem resecuit Bentleius contendens dici non posse: *rubicundus color*

Tuis capillus albus est odoribus;
Nullum ab labore me reclinat otium;
Urget diem nox et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina
Caputque Marsa dissilire nenia.
Quid amplius vis? O mare, o terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Virens in Aetna flamma; tu, donec cinis

24. *a* Bbc,LCt, Bentleius. (Ut nos, T, *β* «cum duobus aliis».) — 25. *Urguet* T. — 30. *mare et terra* BbT,LCtJ. (Correxit ex Acrone «et edito et manuscripto» Bentl.) — 33. *Virens* BTc, *βϱ*, sex Pottierii, LCt: *Urens* b, Codd. Bentleii praeter *βϱ*, Pott. ceteri, *Furens* cum Pulm. uno, Bersmanni altero, aliquot Torr. Bentl. (Ut nos, J.) — *tua - - Calet* Bentl. (Ut nos, BbTc, nisi quod b: *tum* pro *tu.)*

reliquit ossa, quippe quae rubra non essent. — *capillus*] «tua veneficia mihi canitiem attulerunt.» Theocr. 2, 89: Ἔρρεν δ' ἐκ κεφαλᾶς πᾶσαι τρίχες, αὐτὰ δὲ λοιπὰ Ὄστ' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα. *Odores* vocat sacra magica, quod in eis multa aromata urantur ac suffimenta fiant. — *reclinat*] «velut in toro iacentem relaxat, recreat.» — *Urget*] «Nec die neque noctu quietem reperire iam queo.» — *neque est*] οὐδ' ἔστιν, οὐδ' ἔξεστιν. «Distenta mihi sunt anhelitu praecordia neque ea respirando levare possum.»

27-29. *vincor*] «Experimento doctus cogor nunc id credere, quod antea praefracte negaram.» — *Sabella*] Sat. 1, 9, 29. Sabellae anus pro sagis habebantur. — *pectus increpare*] «formularum magicarum vehementi murmure ac terriculis intimos sensus percellere.» — *nenia*] carmen maleficum; Marsi autem erant harioli et incantatores maxime serpentium. Solin. 2, 27. Ovid. Fast. 6, 142. A. A. 2, 102: *Mixtaque cum magicis nenia Marsa sonis.* Conf. Epod. 5, 76. — *dissilire*] «veluti dirumpi; acerrimis doloribus vexari atque amentia affici.» Angues magicis carminibus proprie *rumpuntur, dissiliunt, diffinduntur.* Virg. Ecl. 8, 71. Ovid. Med. Fac. 39: *Nec mediae Marsis finduntur cantibus angues.* Am. 2, 1, 25. Met. 7, 203: (Medea) *Vipereas rumpo verbis et carmine fauces.* Hic tamen ita vix accipi potest, sed est «vehementissimos capitis dolores pati.»

30-33. *O mare*] Plaut. Trinum. 4, 3, 63: *Mare, terra, caelum, di vostram fidem!* Ter. Adelph. 5, 3, 4: *O caelum, o terra, o maria Neptuni!* Est quotidiani sermonis exclamatio in re horrenda. — *o terra*] Misere languet lectio rursus a Iahnio recepta *et terra.* — *delib. Hercules Nessi cruore*] Cf. Epod. 3, 17 sq. Nessi Centauri imagines vide in Gerhard *Vaseng.* II. T. CXVII. CXVIII. — *Virens*] Lambinus inter-

Iniuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quae finis aut quod me manet stipendium?
Effare; iussas cum fide poenas luam,
Paratus expiare, seu poposceris

38. *Paratus, expiare si poposceris Centum iuvencis, sive mendaci lyra Voles sonare, Tu pudica, tu pia* malebat Bentleius in Add. (*sonare* scilicet $\varkappa$, χ duo, pr. β, et aliquot Pottierii.)

pretatur «perpetuam, acrem, non languescentem.» Contra dicit Bentleius, *furens* praeferens: «Non autem, si aetas, translatione a vernis floribus sumpta, *virere* belle dicitur, idcirco etiam *flamma*, quae toto genere dispar est.» Hofman Peerlkamp *virens*, quod verum putat, explicat «fulgens», comparans Plaut. Menaechm. 5, 2, 76: *Viden tu illi oculos virere? Ut viridis exoritur colos Ex temporibus atque fronte!* Verum rectior interpretatio est de flammae sulfureae, qualem exhalat Aetna, colore inter gilvum viridem et caeruleum medio. Reliquae duae lectiones partim mero errori debentur *(urens)*, partim interpolationi *(furens)*; pro qua afferunt Lucret. 2, 594: *Eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae* et Virgil. Aen. 4, 670: *flammaeque furentes*. Ac nemo negat per se hoc recte dici; verum obstat auctoritas Codd. antiquiss., quibus utique obtemperare satius duxi. Ceterum construe: *Sicana flamma virens ardet in Aetna fervida*, etsi Schol. iungunt: *in Sicana Aetna*.

33-36. *donec cinis* cet.] «Continuo exercens artes tuas magicas, tamquam si ipsa esses officina venenorum semper calens igni, quo ea praeparentur, me conficere non desines, donec cinis meus in ventos dispergatur.» — *Iniuriosis*] quia haec summa iniuria et contumelia est, cineres in ventos spargi. — *Quae finis*] Hoc sensu saepe usurpant gen. femin. Cic. de Legg. 2, 22, 55: *quae finis funestae familiae*. Atticus apud Cic. ad Att. 9, 10, 4: *quae enim finis peregrinationis?* — *Colchicis*] «Medeae venenorum simillimis.» Od. 2, 13, 8. — *stipendium*] vocabulum est medium, ut *praemium, merces*; h. l. igitur «multa, poena», non, ut alii volunt, «opus poenae loco iniunctum.»

38 - 40. *expiare*] «poena a te constituta patienter subeunda luere peccata mea, sive poposceris, ut ἑκατόμβην pro piaculo offeram cet.» *Expiare centum iuvencis* etsi per se rectum est, tamen propter consensum Codd. antiquiss. reiiciendum esse videbatur. — *mendaci lyra*] Dedita opera hic ab εἰρωνείᾳ leviter ac prope occulte discessit, ut in illis v. 20: *Amata* cet. Nimirum *mendaci lyra* ambigue significat et quae ante (Epod. 5.) mentita erat in infamanda Canidia et quae mentietur eam laudando. — *sonari*] Ut ἠχεῖν (Soph. Trach. 865. Theocr. 2, 36: τὸ χαλκίον ὡς τάχος ἄχει. Pseudanacr. 1, 4.), apud poëtas transitive (Tib. 4, 3, 60. Ovid. Met. 10, 205: *te carmina nostra sonabunt)*, et passive, ut hic. — *Tu pudica*] «hasce laudes tibi tribuam atque ad caelum te efferam.»

Centum iuvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari: Tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenae Castor offensus vicem
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Adempta vati reddidere lumina.

39. *iuvencis* e var. lect. Cod. Battel. *(ω)* Bentl. — 42. *vicem* ex uno Mechlin. Torrentii Bentleius: *vice* BbTc, Bentleii omnes, LCtFMJ. (Ut nos, Dillenburger.) — 44. *reddere* T.

Similiter Catull. 42, 19: «*Moecha putida, redde codicillos.*» — — *Sed nil proficimus, nihil movetur. Mutanda est ratio modusque vobis, Si quid proficere amplius potestis: «Pudica et proba, redde codicillos.*» Nec tamen imitatus est Horatius Catullum.

42 - 44. *Infamis*] Quam ut minus castam infamarat Stesichorus (a. Chr. 630 - 555.) Ἴλιον πέρσις, carmine lyricoepico. Postea, ut narrant (cfr. Plato Phaedr. pag. 243. A. Isocrat. Hel. Enc. §. 64. Pausanias 3, 19, 13. Dio Chr. 11. p. 187. Emp.) ob id delictum occaecatus ἐγκώμιον Helenae composuit pluribus hymnis constans, in quo παλινῳδίαν cecinit his inter alios versiculis: *Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος· Οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν εὐσσέλμοις, Οὐδ' ἵκεο πέργαμα Τροίας.* Schneidew. Del. p. 330. Bergk Lyr. pag. 641. Finxit autem a Paride Helenae tantum imaginem *(εἴδωλον)* Lacedaemone Troiam abductam esse. Cfr. Geelium de Stesichori Palinodia in Museo Rhenano 1838. I. p. 8. Ex Horatii loco liquet poëtam apostrophe ad Dioscuros facta precatum esse, ut sibi ignoscerent, quae in eorúm sororem commisisset. Ad clementiam flexi cum essent, visum ille recuperavit. Ceterum Plato, Isocrates, Dio Chrysostomus, Pausanias Helenae ipsi soli Stesichori et excaecationem et sanationem tribuunt. Cfr. Estré Hor. Pr. pag. 30. — *vicem*] Sic Bentleium secutus scripsi cum Cod. Mechliniensi apud Torrentium et uno Feae. Cfr. Zumpt Gramm. Lat. §. 453. Cum nobis non crediderint Bernhardy, Regel, Iahn, addenda sunt exempla. Plaut. Trucul. v. 455: *Quae in nos illosque, ea omnia tibi dicis, Dinarche, Et nostram et illorum vicem.* Rud. 3, 5, 34: *Vos respondetote istinc istarum vicem.* Cic. ad Fam. 4, 9, 2: *nostram vicem ultus est ipse sese.* Sulpicius ad Cic. Fam. 4, 5: *An illius vicem, credo, doles?* D. Brutus Fam. 11, 19: *meam et vestram vicem timeam necesse est.* Tacit. Hist. 1, 29: *imperii vicem doleo.* Apul. Met. 9, 14: *ut - eius vicem - - ingemiscerem.* Similiter Graeci. Simonid. Amorg. 7, 103. Schneidew. Bergk 6. p. 506: *Ἀνὴρ δ' ὅταν μάλιστα θυμηδεῖν δοκῇ Κατ' οἶκον ἢ θεοῦ μοῖραν ἢ ἀνθρώπου χάριν κτλ.* Est: «sororis nomine, pro sorore sua.» Plerique ex usu posterioris Latinitatis (Minuc. Fel. 40: *omnium nostrum vice gaudeo.)* ablativum accusativo substituerunt. Minime vero teretioribus auribus placere potest nimis similis utriusque versiculi exitus *vice, prece.*

Et tu, potes nam, solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,
Neque in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres.
Tibi hospitale pectus et purae manus,
Tuusque venter Pactumeius, et tuo

47. *Nec* B,LCtF (non bTc). — 48. *Novendialis* B. — 50. *pactumq; eius* T, *partumeius* Pottierii quinque, LtFJ. (Ut nos, Bc, item b, sed hic in rasura, Blandin., «ex nostris omnes praeter Cod. et notae et aetatis sequioris Petrensem *(μ)*» Bentl., Pottierii plerique, Aldus, C, Bentleius, M.)

45. 46. *potes nam*] Exempla huius formulae in precibus usitatae praebent Interpretes ad Val. Flacc. 1, 13: *Versam proles tua pandet Idumen (Namque potest).* Agathias Anthol. Palat. I. p. 214: Ἀλλά, θεά, δύνασαι γάρ, ἢ ἠβητῆρά με τεῦξον κτλ. — *O nec paternis*] Canidiae sordidos parentes obiicit. — *obsoleta*] «inquinata, deformata», ut sunt res vetustate absumptae. Cic. pro Sestio 28: Virtus – – *neque alienis unquam sordibus obsolescit.* Ex adulterio eam natam, ut volunt Schol., significare nequit.

47. 48. *sepulcris pauperum*] «Nam divitum sepulcra suis erant custodibus curae.» Schol. Horum custodum mentionem facit Manetho 6, 534: *νεκυοστόλοι* – Ἢ φρουροὶ νεκύων τύμβοις ἔνι ναιετάοντες. Cfr. Inscr. meas Lat. N. 4366 sqq. — *prudens*] etiam de malis artibus. Iuven. 3, 86: Graeculi *adulandi gens prudentissima.* — *Novendiales dissipare*] «eruere e sepulcris ad usum sacrorum tuorum cineres recens conditos ac tantum non tepidos, quippe qui ad praestigias magicas efficaciores sint quam diu repositi.» Ovid. Her. 6, 90: *Cartaque de tepidis colligit ossa rogis.* Lucan. 6, 530: *ardentiaque ossa E mediis rapit illa rogis.* Cum autem usui illi nefando vivos incantandi adhiberentur, necessario *dissipabantur*, in pulverem comminuebantur. Ceterum triplex exstat interpretatio v. *Novendiales*, ita ut, cum hic iustorum mortuis faciendorum dies ab aliis scriptoribus nusquam memoretur, optione inter has opus sit: 1) «Novendiale dicitur sacrificium, quod mortuo fit nona die, qua sepultus est.» Porphyr. 2) «Apud antiquos moris fuit, ut triduo corpus defuncti iaceret domi, et post triduum rogo imponeretur; item post triduum cinis in urnam condebatur et tumulo mandabatur; ideo dixit novendiales pulveres, id est, cineres recentes.» Comm. Cruq. 3) «Apud maiores, ubi (al. ubicunque) quis fuisset exstinctus, ad domum suam referebatur; – – et illic septem erat diebus, octavo incendebatur, nono sepeliebatur: unde Horatius *Novendiales* cet.» Servius ad Aen. 5, 64. Commentat. Cruquii. rationem recte, ut videtur, probat Torrentius. Conf. Apul. Metam. 9, 34: *Iamque nono die rite completis apud tumulum sollemnibus.* Donatus ad Terent. Phorm. 1, 4, 46: *In nuptiis etiam septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur.* Conf.

Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exsilis puerpera.
Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Volgata, sacrum liberi Cupidinis,

56. *inultus et tu* T (non Bbc). — *cocytia* BbT (non c). — 57. *sacra* Pottierii libri, quattuor (3, 7, 9, 15.) exceptis. *(socrum* T.)

Becker *Gallus* (ed. alt.) III. pag. 295 sq.

49 - 52. *hospitale*] «clemens ac mite.» — *purae manus*] a sanguine. — *Tuusque venter*] «tuus partus et filius.» «Nam hoc nomen Pactumeius est nomen suppositicii, quem sibi filium esse dicebat; supra enim (Epod. 5, 5.) suppositicii partus ipsam ream fecit. *Venter* autem hic pro partu ponitur.» Comm. Cruq. Quamquam concedendum est Bentleio, v. *uterus* hac significatione usitatius esse. Ovid. Met. 6, 492: *uteri pars est haec septima nostri*. Atque *Pactumeius* re vera nomen est Romanum. Sic *P. Pactumeius* est in Inscriptione apud Furlanettum *Iscriz. d' Este* p. 16. Et gens Pactumeia sub imperatoribus fecunda fuit consulum suffectorum: *Q. Pactumeius Fronto* a. post Chr. 80. *Pactumeius Clemens* a. 138. *T. Pactumeius Magnus* a. 183. Cfr. Fasti Consular. Bait. a. 832. 935. Grut. 816, 8. Cardinali *Diplomi* pag. 190. — Cogitandum autem h. l. de homine ridiculo vel sordido. — Nimis contra insulsa, certe apud Horatium, altera est lectio *partumeius*, «uterus, qui partum quasi meiit, id est, qui facillime parit.» — *Utcunque* cet.] «Quotiescunque e lecto surgis robusta scilicet puerpera, reapse peperisti nec obstetrix iuvit te ad decipiendos homines lavans pannos alio quam tuo cruore infectos.» Hoc rursus significat simulatos eius esse partus ad dona atque herediates a moechis captandas, quibus persuasisset subditivos hos liberos ab ipsis genitos esse.

54 - 57. *Non saxa*] «Naufragorum et opibus spoliatorum lamenta non curant surda saxa.» — *Neptunus*] «Mare procellosum verberat fluctibus cautes.» Tibull. 2, 4, 9. — *Inultus ut tu*] Supplicis prece superbe reiecta, saga illico in acerbissimam indignationem erumpit, cuius formula utitur haud rara *ut* cum interrog., ut Sat. 2, 5, 18: *Utne tegam spurco Damae latus?* Liv. 4, 2, 12: *Illine ut impune - - concitent finitima bella?*, ubi Gronov. et Drak. alia exempla collegerunt. Refertur autem ad rem quam propter indignitatem fieri non posse vel potuisse, fieri non debere vel debuisse, ut h. l., stomachabundi pronuntiamus. — *Cotyttia*] Virg. Catal. 5, 19: *Non me vocabis pulchra per Cotyttia Ad feriatos fascinos.* Strabo 10. p. 721. B. Iuven. 2, 91 sq. «Impune tu ut evolgaris atque irriseris orgia illa, quae celebrantur a feminis solis, uno tan-

Et Esquilini pontifex venefici
Impune ut Urbem nomine impleris meo?
Quid proderat ditasse Pelignas anus,
Velociusve miscuisse toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent:
Ingrata misero vita ducenda est in hoc,
Novis ut usque suppetas laboribus.
Optat quietem Pelopis infidi pater,

58. *Exquilini* F. — 59. *Inpune* T. — 60. *proderit* bT, Pott. omnes praeter tertium, LCtF. (Ut nos, Bc, γν, pr. κ.) — 62. *Si tardiora fata te votis (devotis* corr. T) *manent?* bT, Pottierii omnes praeter sextum, LCtF. (Ut nos, Bc, pr. κ, alii.) — 64. *doloribus* T,LCt. (Ut nos, Bbc, γ.) — 65. *infidus* νχ, corr. κλ, LtF. (Ut nos, BbTc, ceteri Bentleii, qui restituit, M.)

tum praesente sacerdote, in honorem deae, quam Thraciae gentes Cotyn vel Cotytto appellant?» Cfr. Buttmann Mythol. II. p. 159. Lobeck Aglaoph. p. 1042. et 1047. Manetho 4, 59: *Ἦν δὲ Κύπρις μερόπων ὡροσκόπα φέγγεα λεύσῃ - - Τούτοις θηλειῶν πιστεύεται ὄργια κρυπτά· - - Ἔνθα φυγαρσενίης μυστήρια τεύχετ' ἄπυστα.* — *liberi*] «omni pudicitiae lege soluti ac petulantissimi.»

58. 59. *pontifex*] Ut pontifices praesides atque arbitri omnium erant religionum, ita invidiose Canidia inimicum, qui arbiter fuerat veneficii ab ea in Esquiliis perpetrati (Cfr. Epod. 5. Sat. 1, 8.), eiusdem quasi *pontificem* appellat, ut Cic. pro Sestio 17. P. Clodium *stuprorum sacerdotem* ob Bonae Deae sacra polluta vocat. In Esquiliis autem antea sepeliebantur pauperes ac servi. — *nomine impleris meo*] «carminibus tuis famosis.»

60-64. *Quid proderat*] «Si te ulcisci non possum, quid prodest mihi larga mercede obtinuisse a sagis Pelignis, ut reconditas suas artes me docerent; quid iuvat me peritam esse venena miscendi efficacissima et praesentia, quae statim vel dementiam vel mortem afferant?» Peligni Marsis vicini ideoque venefici et ipsi habiti. — *Velocius*] solito. — *toxicum*] Italis *tosco*, pr. venenum *τόξοις* illitum. — *Sed* cet.] «Verumtamen diutius vives quam tute nunc optas; atque vita tibi misera producenda est ad hunc finem, ut semper sis expositus novis cruciatibus iisque perpetiendis sufficias.» — Alteram lectionem, utique multo languidiorem, etsi a Dillenburgero praelatam, *Si tardiora* sic explicant alii: «Quodsi diutius vitam extrahis quam tibi ipsi carum est, ideo fit, ut suppetas cet.» Alii iungunt cum praecedd.: «Quid proderat cet., si tardius morieris votis meis?» — «*In hoc, in id, in quid* significant rem, propter quam aliquid fiat.» Hand Turs. III. pag. 320., ubi exemplorum affatim. Est «ad hunc potissimum, immo unum finem,» efficacius aliquanto quam «propter hoc», ut explicant etiam Scholiastae. — *laboribus*] «aerumnis, quibus meis artibus magicis afficiere.»

Egens benignae Tantalus semper dapis,
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum; sed vetant leges Iovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere,
Frustraque vincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.

67. *alite* B, Pott. sex. — 72. *innectes* BT, Bentleii plerique, Oberlini B, quattuor Pottierii. (Ut nos, bc, βξ, Franequeranus.)

65 - 67. *infidi*] Catull. 64, 346: *periuri Pelopis*, quia in mare praecipitavit Myrtilum aurigam, cuius ope aemulos vicerat et Hippodamiam, Oenomai filiam, in matrimonium acceperat. Alteram lect. *infidus* explicant «qui deorum arcana consilia evolgavit,» ut Ovid. Am. 3, 12, 30: *Proditor in medio Tantalus amne sitit*; sed nata est ex accommodatione ad sequens voc. (*infidi* Cod. Franeq. a pr. m., a sec. *infidus*; itemque Pottierii 4 et 13.; ceteri, ut nos.) — *benignae - dapis*] «copiosae, affluentis, quae eum semper circumdat, sed frustra.» — *obligatus aliti*] «obnoxius aquilae ultrici, cuius morsus a se arcere non potest.» Quasi esset: «ita alligatus ad Caucasum, ut perpetuo expositus sit aquilae morsibus», accepisse videtur Voss vertens: *ausgespannt dem Adler*; verum *obligatus* prima significatione non est: «ex adverso ligatus», sed «obvolutus».

71 - 75. *ense - Norico*] Od. 1, 16, 9. — *recludere*] «aperire», ut Virg. Aen. 10, 604: *Tum latebras animae pectus mucrone recludit.* — *nectes*] Melius sic quam *innectes* scribi demonstrare conatus est Bentleius, propterea quod recte dicatur *nectere vincula gutturi* (Epp. 1, 19, 34.), non item *innectere vincula gutturi*. Etsi illud retinui, quia altera lectio facillime ex scriptura continua GUTTURINECTES oriri poterat, gravis tamen auctoritas Codd. meorum BT et Pottierii 3, 4, 8, 22. stat pro altera lectione, sicque Lucanus 2, 670: *Tunc placuit caesis innectere vincula silvis*, et translate Virg. Aen. 6, 609: *fraus innexa clienti*. — *Vectabor*] «Insidebo humeris tuis, tibi insultans.» Sic translate καθιππάζεσθαί τινος. Cfr. Plaut. Asin. 3, 3, 109: *Vehes pol hodie me; - - Sic isti superbi solent subdomari*. Lege Böttiger *kl. Schr.* I. p. 373. — *terra cedet*] «mihi tamquam deae; repellam humum.» Dis vestigium facientibus terra cedit, impar divinitatis ponderi. Ovid. A. A. 1, 559: (Bacchus) *e curru - - Desilit: imposito cessit arena pedi*. Hoc dicit Met. 2, 786: *Fugit et impressa tellurem reppulit hasta* (Minerva). Sententia est: «teque sic (quod nemo profecto exspectarat) per-

An quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos
Desiderique temperare pocula,
Plorem artis in te nil agentis exitus?

77. *Ut et ipse* C. — *curiosus nosti* B. — 78. *Diripere* T. — *possum* unus (16.) Pottierii et Torrentius bis. (Mei ac Bentleii *possim* utrobique.) — 80. *poculum* bTc, LCtFJ. (Ut nos, B, γόκλυχ, var. lect. μ, Bentleius, M.) — 81. *nullum habentis exitum* L, *nil habentis exitus* unus Pottierii et Torr., *nil valentis exitum* Muretus; non ut volunt, Cod. Pulmanni. Habent *nil (nihil* T.) *agentis* BbTc. — *exitus* Bbc,t: *exitum* T,LC, Bentleius, FM. (Ut nos, J.)

domito omnia, quae in orbe terrarum sunt, flectent se invictae meae potentiae eamque cum stupore ultro agnoscent, cum, quasi triumphans, tibi inequitans incessero.» Alii explicant: «te mecum tollam in aërem;» id quod non inest in verbis poëtae. — *insolentiae*] «novis ausis, insolitis ac novis artibus, quibus ulciscar et deprimam inimicos omnes.» Forcellinus.

76–80. *cereas imagines*] Ut in Pharmaceutriis Theocriti 2, 28. et Virg. Ecl. 8, 80., pupae istae magicae adolescentes vel infideles vel nimis duros referunt, quos se defixuras et cupidis puellis conciliaturas simulabant sagae. Ovid. Her. 6, 91: *Devovet absentes simulacraque cerea figit Et miserum tenues in iecur urget acus.* — *curiosus*] «cum incredulus ex insidiis meas artes inspectabas.» — *polo Deripere lunam*] Vid. ad Epod. 5, 45 sq. — *excitare*] ab Inferis. Tibull. 1, 2, 47: *Haec cantu finditque solum Manesque sepulcris Elicit et tepido devocat ossa rogo.* — «An ego fortasse artes meas in te irritas manere queri debebo, ego, inquam, quae tamen maxima quaeque et prorsus inaudita efficere queam?» — *Desiderique temperare pocula*] «miscere pocula amatoria, φίλτρα.» Praefero num. pluralem maxime propter auctoritatem Cod. Bernensis omnium antiquissimi B. Singularis multorum (omnium, ut videtur, Pottierii) Codd. fluxit fortasse ex recordatione Epod. 5, 38: *Amoris - poculum.*

81. «*Plorem* (vanos, semper frustratos) *exitus artis* meae magicae, quae *in te* (accusat. «adversus te») *nil agit*, nullam vim habet?» Inanem s. nullum fuisse *exitum* inest in ipso v. *plorem*. *Agentis* (perficientis) per se clarum est nec commutandum cum gloss. *valentis, habentis. (Agere* et *habere* passim confunduntur, ut Ovid. Her. 16, 302. Met. 9, 407.) Quidam, nullo tamen exemplo innisi, v. *artis* pro genitivo verbi *plorem* habent: «propter artem omni efficacitate carentem.» Contrarium est Od. 4, 14, 38: *secundos reddidit exitus*, quibus opponitur *asper Exitus* apud Silium 5, 478 sq. Pluralem hic quoque praetuli propter Codd. antiquiss. auctoritatem.